PERA LIBRORUM IUVENILIUM: LOCULAMENTUM TERTIUM ; PARS 2/3 , SYNOPSEOS...

Johann Christoph Wagenseil

Digitized by Google

Paed. Pr. 3914 Wagenseil

~~Ph. 1958.~~

~~Paed. 685~~

Digitized by Google

<36628076660011

<36628076660011

33 Bayer. Staatsbibliothek S

Digitized by Google

R

Digitized by Google

SYNOPSEOS HISTORIÆ VNIVERSALIS PARS ALTERA.

R

(Forts. von T. 3)

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

MONARCHIA IV.
ROMANORVM.
SECVLVM I.
IMPERATORES ROMANI.
OCTAVIANVS AVGVSTVS.

ANno Vrbis Conditæ *722.* ab exactis vero Regibus *480.* mos Romæ repetitus eſt, uni ſoli parendi. Tentatum quidem jam a *C. Cæſare* fuerat ſingulare imperium, ſed non niſi Auguſto id conſtituere firmareque licuit. Hic enim ubi militem donis, Populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, inſurgere paulatim, munia Senatus, Magiſtratuum, Legum, in ſe trahere, nullo adverſante. Ceciderant ferociſſimi quique per acies, aut proſcriptione: cæteri Nobilium, cum quanto quis ſervitio promtior, opibus & honoribus extollerentur, ideo novis ex rebus aucti, tuta & præſentia, quam vetera & periculoſa malebant. Neque Provinciæ illum ſtatum abnuebant, ſuſpecto S. P. Q. imperio, ob certamina Potentum, & avaritiam Magiſtratuum: invalido Legum auxilio, quæ vi, ambitu, poſtremo pecunia turbabantur. Quas cauſas mutatæ Reipublicæ Romanæ Tacitus lib. 1. Ann. memoriæ prodidit.

Cæterum OCTAVIVS, vel, ceu deinde dictus eſt, OCTAVIANVS AVGVSTVS, patre *Octavio Senatore*, matre *Actia, quæ Juliæ, C. Cæſaris ſororis.*

Digitized by Google

toris, *filia* erat, genitus eſt. *Forma* fuit eximia, & per omnes ætatis gradus venuſtiſſima. Oculos habuit claros ac nitidos, quibus etiam quiddam divini vigoris ineſſe videbatur. Staturæ brevis erat, ſed quæ commoditate & æquitate membrorum occuleretur, ut non niſi ex comparatione adſtantis alicujus procerioris, intelligi poſſet: Quod ad *animi mores* attinet, fuit ſobrius, mitis, gratus, civilis, animi lepidi, ſummæ in amicos fidei. Sed fuit præterea impatiens quoque, leviter iracundus, occulte invidus, palam factioſus, dominandi avidiſſimus, & ſtudioſiſſimus luſor aleæ. *Adulteria* in juventa eum exercuiſſe, ne Amici quidem negarunt, excuſantes, ſcilicet ratione commiſſa, quo facilius conſilia Adverſariorum, per cujusque mulieres exquireret. Ætate provectior factus, magnus *ſectator virginum* fuit, quæ ei undiq; etiam ab uxore conquirebantur. Enim vero, quia *Julius Cæſar, Auguſtum cognatum, tum Octavium dictum, ex dodrante hæredem ſcripſerat*, eundemque in familiam & nomen adoptaverat, ideo Octavius, magno avunculo ſuo, a *Bruto & Caſſio* tribus & viginti vulneribus interemto, nihil prius habuit, quam ut hanc cædem ulciſceretur, Deosque Manes Cæſaris placaret. Nec defuit fortuna cœptis. Brutus enim & Caſſius, in campis *Philippicis Macedoniæ* victi, eundem pugionem, quo Cæſarem vulneraverant, in ſua viſcera verterunt. Porro Octavius, *Sextum Pompejum*, Cn. Pompeji filium, bona paterna repetentem, in freto Siculo ſuperavit. *Antonium* quoque, cui Sororem ſuam *Octaviam* in matrimonium dederat, quod eam repudiaſſet, ac *Cleopa-*

træ

træ Ægypti Reginæ adhæſiſſet, bello petiit: quem, navali pugna ad Actium Epiri promontorium ſuperatum, & in Ægyptum fugere compulſum, Octavius mox ſequutus, totam *Ægyptum* ſub jugum Romanum miſit, & in provinciæ formam redegit. Antonius interim, deſperatis rebus, ſeipſum confodit: Cleopatra, cuſtodibus tradita, aſpidem ſibi admovit, & veneno ejus extincta eſt. Victor Octavius, Romam reverſus, *toto triduo triumphavit*, & inter cætera, imaginem Cleopatræ, cum aſpide in ſiniſtro brachio mordicus hærente, circumtulit. Inde *Auguſtus* eſt appellatus, a Senatu, & populo. Nam, ut eſt apud Suetonium, quibusdam cenſentibus, *Romulum appellari oportere*, quaſi & ipſum conditorem Vrbis, *prævaluit, ut Auguſtus potius* vocaretur, non tantum novo, ſed etiam ampliore cognomine: quod loca quoque religioſa, & in quibus augurato quid conſecratur, ab auctu vel avium geſtu, guſtuve, *Auguſta* dicantur. Menſi inſuper, qui *Sextilis* ante dicebatur, Auguſti nomen eſt inditum. Dubio caret, nullo unquam tempore res Romanas magis, quam Auguſto imperante, floruiſſe. Præter Ægyptum enim, *Pannoniam*, *Aquitaniam*, *Rhetiam*, *Vindelicos*, & *omnes Ponti maritimas civitates*, Imperio adjecit. Vicit præliis *Dacos*, *Germanorum* ingentes copias, per *Druſum privignum*, Germanici patrem, cæcidit, ipſosque trans Albim fluvium ſubmovit. Præterea, *Armeniam* a Parthis recepit; *Parthi*, quod nulli ante eum, dedere obſides, &, rapta clade Craſſiana Signa, ultro retulere. *Seres* etiam, & habitantes ſub ipſo Sole Indi, quibus nomen

antea Romanum incognitum erat, Legatos miſere, præter gemmas, & magaritas, elephantes etiam inter munera trahentes. *Galatia* quoque ſub eo provincia facta eſt, cum prius Regnum fuiſſet: primusque eam *M. Lollius* adminiſtravit. Tanta vero veneratione etiam apud Barbaros fuit Auguſtus, ut Reges, Populi Romani amici, in honorem ejus conderent Civitates, quas *Cæſareas* nominabant. Imo quidam, relictis tantisper Regnis, Romam venerunt, & habitu Romano, togati, ad vehiculum vel equum ipſius cucurrerunt. Hac felicitate uſus Auguſtus, quod in tranquilla pace, inſtitutis Majorum fieri debebat, Templum *Jani bifrontis tertium* ſua manu clauſit, non enim niſi ſemel ſub Numa, & iterum poſt primum Punicum bellum, idem factum erat. Cum viſum eſſet numerare omnes Romani Imperii incolas, ut ſciret quanta eſſet multitudo, reperit myriades CCCCX mille, & XVII viros.

Pace gaudens Auguſtus, Pacis quoq; non minus, quam Belli artes ſe tenere, palam comprobavit. Nimirum, *liberalibus ſtudiis*, præſertim *Eloquentiæ*, in tantum incubuit, ut nulla præteriret dies, qua non legeret, ſcriberet, declamaret. *Leges alias novas, alias correctas*, protulit ſuo nomine, atque jus dixit aſſidue, etiam in noctem nonnunquam. *Vrbem adeo auxit ornavitq; ædificiis*, ut jure ſit gloriatus, marmoream ſe relinquere, quam lateritiam accepiſſet. Cumque incendiis obnoxia eſſet Roma, adverſus ea, excubias nocturnas, vigilesque commentus eſt. *Domini* appellationem, ut maledictum, & opprobrium, ſemper exhorruit. Sparſos de ſe famoſos libellos, nec expa-

expavit, & magna cura redarguit. *Veſte* non temere alia, quam domeſtica uſus eſt, ab uxore, & ſorore, & filia, neptibusque confecta. *Cœnam, trinis* ferculis, aut, cum abundantiſſime, ſenis præbebat, erat enim parſimoniæ ſtudioſiſſimus; quare & legibus ſumptuariis luxum populi caſtigavit. Induſtria *Antonii Muſæ*, Medici, ſolius lactucæ eſu, morbo liberatus, medicam artem profitentibus, *uſum annuli aurei*, *& alia privilegia* attribuit. Populus Romanus, Muſam, inſuper ſtatua honoravit. Porro Auguſtus, ſicut componi aliquid de ſe niſi ſerio, & a præſtantiſſimis offendebatur, ita ipſe multa egregia, varii generis, edidit. Ex his primo loco memorandum *Breviarium*, quod reliquit totius Imperii, & quo recenſuit, quantum militum ubique ſub ſignis, quantum pecuniæ in ærario, & fiſcis, ac vectigalium reſiduis. Porro edidit librum, cui *Reſcripta Bruto de Catone*, nomen impoſuit, eoque, Bruto, ad ea, quæ ille de Catone Vticenſi ſcripſerat, reſcripſit. Amplius compoſuit *Hortationes ad Philoſophiam*, & aliqua *de Vita ſua*, quam, tredecim libris, Cantabrico tenus bello expoſuit, & quorum *Vlpianus l. 1. ff. de Cadav. Punit.* mentionem facit. Extabat etiam quondam liber, ſcriptus ab eo hexametris verſibus, cujus & argumentum, & titulus, erat *Sicilia.* Extabat itidem alter *Epigrammatum*, quæ tempore balinei fuerat meditatus. Præter hos, Suetonio c. 85. laudatos libros, Macer JC. l. 12. de Re milit. verba ex *Diſciplina Auguſti* citat: unde de Diſciplina quoque Militari eum ſcripſiſſe, quidam non inepte conjiciunt. Iſtis, aliqui, *Ajacem*, atque

Achillem, tragœdias, annumerant. Quia vero vetus verumque dictum eſt, neminem eſſe ex omni parte beatum; ideo nec Auguſtum tam faventes Divos habuiſſe cenſendum eſt, ut non & ipſi cum adverſa fortuna aliquando conflictandum fuerit. Nimirum, graves ignominias, *cladesq; duas* omnino, & quidem in Germania accepit: Lollianam, & Varianam: ſed *Lollianam*, ſub Legato *M. Lollio*, homine, in omnia pecuniæ quam recte faciendi cupidiore, & inter ſummam vitiorum diſſimulationem, vitioſiſſimo, majoris infamiæ quam detrimenti: *Varianam*, prope Paderbornam, inter Lippiam, & Amiſiam fluvios, pene exitiabilem, tribus Legionibus, cum Duce, Legatisque, & Auxiliis omnibus, ab *Arminio* cæſis, ſignisque, cum Aquilis duabus, ademtis. Scilicet, *Quintilius Varus*, qui quondam pauper, divitem ingreſſus Syriam, pauperem a ſe reliquerat, iisdem tunc moribus Germaniam adminiſtrando, provinciam eam facere voluerat, in caſtris jus dicens, & Germanos ſubjectos ad tribunal vocans. Hi ergo, ut ſæviora armis jura viderunt, Duce Arminio, juvene ingentis animi, arma cepere, ſegnitia Vari in occaſionem libertatis uſuri. Tanta enim Varo erat pacis fiducia, ut ne prædicta quidem, & prodita per *Segeſtem*, unum principum, conjuratione, commoveretur. Sic improvidum undique Germani invaſerunt, ac caſtra deleverunt. Nihil illa cæde per paludes, perque ſylvas cruentius. Præcipue tamen in cauſarum patronos ſævitum. Aliis oculos, aliis manus Germani amputabant: unius os ſutum, reciſa prius lingua, quam

quam in manu tenens barbarus, tandem, inquit, vipera ſibilare deſiſte. Hac clade nunciata, excubias per urbem indixit Auguſtus, ne quis tumultus exſiſteret, & Præſidibus Provinciarum prorogavit imperium, ut & a peritis, & aſſuetis, Socii continerentur. Adeo namque conſternatum ferunt, ut per continuos menſes, barba capilloque ſummiſſo, caput interdum foribus allideret, vociferans: *Quintili Vare, Legiones redde*: diemque cladis, mœſtum quotannis habuerit, & lugubrem. Et vero, quæ Flori l. 4. cap. 12. verba ſunt: Hac clade factum, ut Imperium, quod in litore Oceani non ſteterat, in ripa Rheni fluminis ſtaret. Sponſam Auguſtus habuerat adoleſcens, *P. Servilii Iſaurici filiam.* Sed reconciliatus poſt primam diſcordiam Antonio, & poſtulantibus utriusque militibus, ut & neceſſitudine aliqua jungerentur, privignam ejus *CLAVDIAM, Fulviæ, ex P. Clodio filiam*, duxit uxorem, vix dum nubilem. Simultate autem cum Fulvia ſocru exorta, dimiſit eam intactam adhuc, & virginem. Mox SCRIBONIAM in matrimonium accepit: nuptam ante duobus Conſularibus, & ex altero matrem. Cæterum, cum hac etiam divortium fecit, pertæſus morum perverſitatem ejus, ac ſtatim LIVIAM DRVSILLAM, matrimonio *Tiberii Neronis*, & quidem prægnantem, abduxit, dilexitq; & probavit unice, & perſeveranter. Ex Scribonia *Juliam*, ex Livia nihil liberorum tulit: *Tiberium vero, Druſumq; Nerones*, illa in priori conjugio procreaverat. *Juliam*, Auguſtus primum *Marcello*, *Octaviæ* ſororis ſuæ filio, cumque is mature obiiſſet, *M. Agrippæ* nuptum dedit. Ex

ea nepotes tres ſuſcepit, *Cajum*, *Lucium*, & *Agrippam*, neptes duas, *Juliam*, & *Agrippinam*; quarum illam *L. Paulo, Cenſoris* filio, hanc, *Germanico*, uxoris ſuæ nepoti collocavit. Poſtea *Julias, filiam & neptem*, quod omnibus probris ſe contaminarent, *Agrippam nepotem*, ob ingenium ſordidum ac ferox, relegare coactus fuit, *Cajum* & *Lucium*, prope continuatis funeribus extulit. Ergo, quia Auguſtus, ſtirpis virilis, cui tantum Imperium legaret, habuit neminem, impulſu Liviæ uxoris, illud *Tiberio Neroni* reliquit, qui privignus ejus, mox gener, poſtremo adoptione filius fuit. Mortuus eſt Auguſtus, anno poſt natum Chriſtum 14. Nolæ, in Campania Vrbe; ex ficubus, ut quidam volunt, veneno a Livia infectis, metuentisq;, ne, quia privignæ filium Agrippam, quem odio novercali in Inſulam relegaverat, reduci compererat, eo ſummam rerum adepto pœnas daret. Sic ergo Livia, ficus quasdam adhuc in arboribus pendentes, unde eas Auguſtus decerpere ſolebat, veneno infeciſſe dicitur, ac cum una deambularent, ſinceras ipſa ediſſe, venenatas reliquiſſe marito. Natus erat annos 76. regnavit cum Triumviris annis 12, ſolus, annis 44. Mortuo, *divini honores a Senatu decreti ſunt*, nec ullum ſtudium in funere ejus ornando, & in memoria honoranda intermiſſum eſt. Cunctis vulgo jactantibus, aut nunquam naſci illum debuiſſe, aut nunquam mori.

Dictis, dicendisque porro, illuſtrandis, ſummopere confert ſtemma Auguſti, quod adjicimus.

C. Ju-

C. Julius Cæſar Prætor; cui Vxor Aurelia.

Julia, nupta Actio Balbo. | Julius Cæſar Dictator.

Actia, nupta C. Octavio.

Livia Druſilla, - - - - OCTAVIANVS AVGVSTVS, cui Vxor *Scribonia*. Ex hac Auguſti ſtemma quoad ſanguinem.

nupſerat T. Claudio Neroni, quam Auguſtus repudiata Scribonia ſibi junxit. Hinc Auguſti uxoria ſtirps, adoptione in domum ejus inſita, fuere enim prioris mariti liberi, quos Livia ſecum attulit.

Julia, nupta Vipſanio Aprippæ. Ex eo conjugio nati.

Druſus Nero Germanicus cui uxor Antonia minor. | TIBERIVS NERO Imp. cui uxor Julia, Agrippæ vidua. | Agrippina Vipſania, nupta Germanico. | Julia Agrippina, nupta L. Æmilio Paullo Cenſori. | Cajus. | Lucius. | Agrippa Poſthumus a Tiberio ſublatus.

CLAVDIVS Imp. cui uxor Meſſalina. | Germanicus Cæſar. cujus uxor Agrippina Vipſania.

Octavia. nupta Neroni Imp. | Britannicus. a Nerone ſublatus | C. CALIGVLA Imp. | Julia Agrippina, ea nupſit Cn. Domitio Ænobarbo, patri NERONIS Imp. ac poſtea Claudio Imp.

TIBERIVS.

TIBERIVS CLAVDIVS NERO patre *Tiberio Nerone*, matre *Livia Druſilla*, quam Auguſtus ſibi junxerat, A. V. C. 712. genitus eſt, ejusque futuram magnitudinem, multæ prædictiones ſignificarunt. Præ cæteris obſervandum, *Liviam* prægnantem, cum an marem editura eſſet, variis captaret ominibus, *ovum* quoque, incubanti gallinæ ſubductum, nunc ſua, nunc miniſtrarum manu, per vices foviſſe, ex eoque pullum inſigniter criſtatum fuiſſe excluſum. Inerat Tiberio ſcientia literarum multa, vis dicendi, &, quam fortuna ante ſumtum imperium comitabatur, bellica prudentia. Si Plinio l. 11. c. 37. credimus, ei ſoli genitorum mortalium fuit hæc natura, ut expergefactus, noctu paulisper, haud alio modo, quam luce clara contueretur omnia, paulatim tenebris ſeſe obducentibus. Cæterum, pulchras, quarum mentionem fecimus, Tiberii dotes, deturpabant ingentes defectus, & vitia longe plurima. Inter quæ ingenium lentum, unde *Theodorus Gadareus* præceptor, ſubinde in objurgando, eum πηλὸν αἵματι πεφυραμένον, *lutum ſanguine mixtum*, appellavit. Amplius, immitis erat Tiberius, avarus, inſidioſus, ex meris ſimulandi diſſimulandique artibus compoſitus; quin & ad omne genus libidinis projectiſſimus. Cumque inſuper crapulæ nimis indulgeret, pro Tiberio Claudio Nerone, *Biberius Caldius Mero*, dictus eſt. *Cajo & Lucio Auguſti nepotibus defunctis*, cum *Agrippa* horum fratre, ab Auguſto vitrico, Tiberius adoptatus eſt, coactus

prius

prius ipſe *Germanicum*, Druſi fratris ſui filium adoptare. Cæterum, mortuo Auguſto, Tiberius *Agrippam*, ne is in obtinenda dignitate impedimento ſibi eſſet, protinus e medio ſuſtulit. Legata Auguſti, cum ſerius populo exſolveret, ſcurra quidam, prætereunte funere, alta voce mandabat, ut nunciaret Auguſto, nondum reddi legata, quæ plebi reliquiſſet. Hunc, perſolutis mox deinde legatis, ducere ad ſupplicium imperavit; & patri referre, accepiſſe populum, quæ ſupremis tabulis illi largiri jusſiſſet. *Oblatam deinde poteſtatem diu recuſavit*, ut quid ſinguli dicerent ac ſentirent, eo magis exploraret; quæ res, optimis quibusque exitio fuit; quippe, cum exiſtimarent, illum ex animo Imperium detrectare, & ſententias ad illius voluntatem ferrent, peſſimam gratiam iniverunt. Principia regiminis moderata ſatis fuerunt, Germanici Cæſaris metu. Prænomen *Imperatoris*, & cognomen *Patris Patriæ*, non admittebat. Ac ne *Auguſti* quidem nomen, quanquam hereditarium, ullis, niſi ad Reges & Dynaſtas epiſtolis, addidit. Conſulibus aſſurgere ſolitus eſt, & de via decedere; nihilque tam parvum, aut tam magnum fuit, de quo non ad Senatum referret; nec ægre tulit, ſi quædam aliter, quam ipſe opinatus fuerat, decernerentur. Vt parſimoniam publicam exemplo quoque juvaret, ſolemnibus ipſe cœnis, pridiana ſæpe ac ſemeſa opſonia appoſuit, dimidiatumque aprum: affirmans, *omnia eadem habere, quæ totum*. Adverſus convitia, maloſque rumores, firmus ac patiens, ſubinde jactabat: *In civitate libera, linguam*

guam mentemq; liberas eſſe debere. Præſidibus, onerandas tributo provincias ſuadentibus, illam egregiam, & optimo Principe dignam vocem regeſſit: *Boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere:* unde & Fiſcum lieni comparare ſolebat, quo creſcente, cætera membra tabeſcerent. *Jus aſylorum*, quo plerique ad licentiam abutebantur, aut abolevit, aut intra certum modum redegit. Sacra *Iſidis*, Romæ, templo diruto, abolevit, ſacrificuli impoſtores in crucem acti, quod *Decii Mundi* juvenis, inordinatum amorem, in ſinum *Paulinæ*, caſtiſſimæ ac elegantis formæ fœminæ, ſub ſpecie *Anubidis Dei*, effundere promoviſſent, auro corrupti. Juvenis exilio tantum punitus eſt, quoniam Tiberius, crimen ejus, in cupidinis impotentiam referebat. Euſebius, & alii Eccleſiaſtici Scriptores prodiderunt, Tiberium, a Pilato de *Chriſti Salvatoris* paſſione, reſurrectione, ac miraculis edoctum, ad Senatum retuliſſe, de Jeſu Chriſto inter Divos referendo, cum prærogativa ſuffragii ſui. Sed Senatus, ut ait Tertullianus in Apol. c. 5. quia non ipſe probaverat, reſpuit. Enim vero, cum Tiberius, *Germanici*, inſignis herois, quique Arminium, Germanorum Ducem, cruentiſſimo duplici prælio vicerat, trophæa & laudem æquo animo ferre non poſſet, eum e Græcia in Orientem evocavit: ubi ille, cum multa proſpere geſſiſſet, & Armeniis Regem *Zenonem* impoſuiſſet, a *Cn. Piſone*, Syriæ Præſide, ejus inſtinctu veneno fuit ſublatus. Peremto Germanico, ſolutus metu Tiberius, qualis intus & in cute eſſet, oſtendere cœpit. Nam *Herodem Agrippam*, Aſcalonitæ Herodis nepotem,

qui

qui Romam Herodis Antipæ accuſator venerat, in cuſtodiam tradidit, quia publice precatus erat, ut *Cajum*, Germanici filium, videret Auguſtum. *Neronem ac Druſum*, Germanici filios, fame necavit: *Optimatum vero cædibus* adeo Romam univerſam replevit, ut jam qui magiſtratum gereret vix reperiretur. Nempe, eo usque calumnia proceſſerat, ut capitalia eſſent, circa Auguſti ſimulacrum ſervum cæcidiſſe; veſtimenta mutaſſe; numo vel annulo effigiem impreſſam latrinæ aut lupanari intuliſſe. Crebro ei in ore erat dictum: *me mortuo, conflagret terra incendio*: unde & Priamum beatum judicabat, quod cum patria & regno periiſſet. Nusquam ipſe pugnavit, bella per Legatos ſuos geſſit; reſolutis autem militiæ artibus, *Armenia* per Parthos, *Mœſia* a Dacis, *Pannonia* a Sarmatis, *Gallia* a finitimis gentibus direptæ ſunt. *Cappadociam* tamen provinciam fecit, Rege illorum *Archelao*, benignis blandisque verbis ad ſe vocato, nec amplius dimiſſo. Tiberii tempore, cum *porticus maxima* Romæ in alterum latus inclinaſſet, ab Architecto quodam, cujus nomen, quia ſummi artificii invidens Tiberius, id in literas referre prohibuit, ignoratur, mirando modo erecta eſt. Quippe is, firmatis undique fundamentis illius ne moveri poſſent, reliqua omnia velleribus & centonibus circumdedit, ac porticum, laqueis ab omni parte alligatam, multorum hominum ac machinarum impulſu, in priſtinam poſituram reſtituit. Tantam rem, Tiberii admiratio ſimul, & livor exceperunt. Quare, pecunia quidem donatus, ſed ſimul in exilium abire artifex juſſus eſt. Ibi homo

homo miſer, Imperatorem placare cupiens, *poculum de vitro* puriſſimo ei obtulit, idq; receptum, valide in pavimentum projecit, tanto impetu, ut nec ſolidiſſima æris materia manſiſſet illæſa: ipſum vero poculum, cum humo tolleretur, colliſum ſane nonnihil deprehenſum eſt, fractum vero nequaquam. Nec mora, quicquid hujus erat vitii, martiolo e ſinu prolato, magiſter correxit aptiſſime; & tanquam contuſum vas æneum, crebris ictibus reparavit. Tantum autem abfuit, Tiberius hominem in gratiam receperit, ut potius eundem ſupremo ſupplicio afficere præceperit. Cujus crudelitatis cauſam prætendebat, cavendum eſſe, ne eadem ars aliis innoteſcat, aurumque & argentum vileſcant quaſi lutum. Seceſſit deinde in Inſulam *Capream* Tiberius, nunquam amplius in urbem rediturus. Sed populus eum ſtatim revocavit, propter cladem, qua, apud *Fidenas*, ad 50. hominum millia, gladiatorio munere, amphitheatri ruina perierant. Atque tranſiit quidem in continentem, poteſtatemq; ſui adeundi fecit: verum paulo poſt regreſſus in Inſulam, remotis arbitris, omnia flagitiorum genera exercuit. Atque hoc loco operæ pretium eſt, paucis referre hiſtoriam *Ælii Sejani*, quem Fortuna, ſi quem alium, pro pila vere habuit. Quippe, principio tanta ei conceſſerat, ut plura expetere ne voto quidem poſſe videretur. Sed,

Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.

Nimirum Sejanus, a Tiberio ſocius curarum laborumq; appellabatur: abſente Tiberio, pro Imperatore

ratore erat. Vehebatur aureo curru in theatrum: in literis, ſicut Tiberii, ita & Sejani nomen exprimebatur: & adeo divino quoq; cultu, is homo fuit affectus. Nam & imago ejus in locis publicis venerationi proſtabat, & in theatris, legionumq; inſignibus, apparebat. Enim vero, cum Senatum aliquando convocaret, ut recitarentur literæ, quibus collata ſibi Poteſtas Tribunitia credebatur; iisdem ipſis literis plecti juſſus, ſtatim miſer in vincula conjectus eſt, & capite mulctatus. Tractum cadaver unco ad Gemonias, & per triduum a populo ludibrio habitum, denique in Tiberim conjectum. Liberi quoque, ex SC. necati ſunt, filiamq; virginem, ut lege occidi poſſet, carnifex prius conſtuprare juſſus eſt, deinde ſuffocata fuit. Nec minus crudeliter in ipſos quoq; Sejani amicos fuit animadverſum. Neque vero inſons ſupplicium ille luit. Quippe ad Imperium adſpirans, *Druſi*, Tiberii filii uxorem *Liviam*, adulterio cognitam, ad maritum veneno tollendum impulit; *Neronem* & *Druſum* Germanici filios, quorum indubia ſucceſſio, una cum matre *Agrippina*, calumniis oppreſſit: *Liviæ* quoq; nuptiis inhiabat, ſe Romæ, Tiberium, Capreæ Imperatorem vocare, ejusq; calvitiem in comœdiis publice proſcindere auſus.

Vxorem Tiberius primo duxit AGRIPPINAM, *Agrippa*, & *Cecilia*, Pomponii Attici nepte, genitam, ſublatoque ex ea filio *Druſo*, eam dimittere, & *JVLIAM*, Auguſti ex Scribonia filiam, Agrippæ viduam, coactus eſt ducere; cum qua concorditer aliquandiu & amore mutuo vixit, ſed mox diſſedit, ut etiam perpetuo ſecubaret; quem vero procreaverant filium,

infans Aquilejæ extinctus eſt. Obiit Tiberius *octavo & ſeptuageſimo ætatis* anno, *tertio & viceſimo Imperii.* Sunt qui putant venenum ei a Cajo, qui ſucceſſit, lentum & tabificum datum: alii perhibent, cibum deſideranti negatum: quidam contendunt, illi pulvinum injectum *Macronis* opera, dudum jam Cajo dediti, adeo, ut Tiberius id odoratus, aliquando diceret: *Bene tu, qui Sole occidente relicto, ad orientem reſpicis.* Audita Tiberii morte, pars cadaver in Tiberim depoſcebat; pars orarunt Deos Manes, ne mortuo ſedem ullam niſi inter impios darent. Funus, a Miſeno Romam deportatum eſt a militibus, crematumque publica ceremonia.

CALIGVLA.

QVi *Caligula* vulgo dicitur, ſemper in Numis, CAJVS CÆSAR AVG. GERM. vocatur, nunquam Caligula, hoc enim nomen tantum a caligis, quibus puer in caſtris utebatur, ei fuit inditum. Vox *Caligæ* vero, veteribus, proprie militum calceamenta, quibus tibiatim calceabantur, & quorum figuram in antiquis ſtatuis conſpicere licet, minime autem prout nobis, braccas, & femorum tegmina ſignificabat: id at calceorum genus, quod infimas tantum plantarum calces tegebat, quales erant crepidæ, & ſoleæ, peculiari nomine *Gallicæ* vocabatur. Itaque, Cajus Cæſar, Caligulæ cognomen caſtrenſi joco traxit, quia in exercitu natus, manipulari habitu inter milites educabatur. Natus eſt Caligula, matre *Agrippina*, M. Agrippæ, ac Juliæ filia, patre vero *Germanico*, inſigni & immortali illo heroë, cui omnes

corpo-

corporis animique virtutes, & quantas nemo quisquam poſſedit, contigerunt. Ex his fuere forma & fortitudo egregia; ingenium in utroq; eloquentiæ doctrinæque genere præcellens; conciliandæque hominum benevolentiæ, ac promerendi amoris, mira & efficax gratia. Sed nimium quantum ab optimo patre diſtabat filius Caligula, ſive corpus ſive animum reſpicias. Quippe *Caligula, corpore fuit enormi*, pallido colore, gracilitate maxima cervicis & crurum, oculis & temporibus concavis, fronte lata & torva, capillo raro, ac circa verticem nullo, cætera hirſutus; unde tranſeunte eo, quacunque de cauſa *Capram* nominare, criminoſum & exitiale habebatur. Cæterum, vultum iſtum natura horridum & tetrum, etiam ex induſtria, homo ſævus efferabat, eum ad ſpeculum, in omnem formidinem ac terrorem componens. Quod ad animi mores attinet, vere de eo judicat Seneca Conſol. ad Polyb. c. 36. excerpendum hunc e Cæſarum numero, ut qui in exitium opprobriumq; humani generis editus ſit. Et vero ejus ingenium perſpiciens ſagaciſſimus Tiberius, merito aliquoties prædicaſſe dicitur: *Exitio ſuo, omniumq;, Cajum vivere, & ſe natricem Populo Romano, Phaëtontem Orbi terrarum educaſſe.* Tantopere igitur Caligula a patre Germanico degeneravit, quaſi naturæ lege, quæ crebro, tanquam ex induſtria, malos e bonis, agreſtes e doctioribus, & cæteros hujuscemodi, ſeu contra gignit.

Imperium attigit Caligula, annum tum ingreſſus quintum & viceſimum, ſumma populi Romani, provincialium, ac militum, lætitia.

Hærebat enim in omnium animis, ſanctiſſima memoria Germanici patris: quare huic ſimilem futurum filium, non ſperare, ſed omnino confidere ſe poſſe arbitrabantur. Itaque ut a Miſeno movit, quamvis lugentis habitu, & funus Tiberii proſequens; tamen inter altaria, & victimas, ardentesque tædas, denſiſſimo & lætiſſimo obviorum agmine inceſſit, ſuper alia fauſta nomina, *ſidus*, & *pullum*, & *puppum*, & *alumnum* appellantium. Ingreſſo urbem, ſtatim conſenſu Senatus, & irrumpentis in Curiam turbæ, jus arbitriumque omnium rerum permiſſum eſt, tanta publica lætitia, ut tribus proximis menſibus, ac ne totis quidem, *ſupra centum ſexaginta millia victimarum* cæſa tradantur. Cum deinde, paucos poſt dies, in proximas Campaniæ Inſulas trajeciſſet, vota pro reditu ſuscepta ſunt. Vt vero in adverſam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa palatium, non defuerunt, qui depugnaturos ſe armis pro ſalute ægri, quique capita ſua titulo propoſito voverent. Acceſſit ad immenſum civium favorem, notabilis quoq; exterorum benevolentia. Namque *Artabanus*, Parthorum Rex, odium ſemper, contemptumque Tiberii præ ſe ferens, amicitiam ejus ultro petiit.

Cæterum, ut optima plerunque ſolent eſſe peſſimorum Principum initia, haud pauca tum moderati & civilis animi ſigna edidit. *Commentarios*, ad matris, fratrumque ſuorum cauſas pertinentes, ne cui poſtmodum delatori aut teſti maneret ullus metus, convectos in forum,

& ante clare obteſtatus Deos, neque legiſſe ſe, neque attigiſſe quidquam, concremavit. Libellum de conjuratione adverſus ſalutem ſuam oblatum, non recepit, contendens: *Nihil ſibi admiſſum, cur cuiquam inviſus eſſet*: negavitq;, ſe delatoribus aures habere. Magiſtratibus, liberam jurisdictionem, & ſine ſui appellatione conceſſit; tentavit & Comitiorum more revocato, ſuffragia populo reddere. Edidit *Certamen Græcæ Latinæq; facundiæ*, quo, victoribus victi præmia contulerunt, eorundem laudes componere coacti: illos vero qui maxime diſplicuerant, ſcripta ſua ſpongia linguave delere juſſit, niſi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi malebant. *Equitibus Romanis*, quibus probri aliquid aut ignominiæ inerat, in recognitione palam equum ademit: eorum vero qui minore culpa tenebantur, nomina in recitatione fuere omiſſa. Idem remiſit *Italiæ centeſimam auctionum*; multis, incendiorum damna ſupplevit; & ne nullius non boni exempli fautor videretur, mulieri libertinæ HS. octoginta donavit, quod excruciata graviſſimis tormentis, de ſcelere Patroni reticuiſſet. Has ob res, inter reliquos honores, decretus eſt Caligulæ *Clypeus aureus*, quem quotannis, certo die, Collegia Sacerdotum in Capitolium ferrent Senatu proſequente, nobilibusque pueris & puellis, carmine modulato, laudes virtutum ejus canentibus. Decretum quoque, ut dies quo cœpiſſet Imperium, *Palilia* vocaretur, velut argumentum rurſus conditæ urbis. Sed vero, non diu in eodem habitu permanſit Caligula, ac paulo poſt, tanquam hominum exuiſſet, fœ-

ditate morum, & ſævitia, ipſas beſtias anteceſſit, Tiberiique ſcelera operuit; quamobrem reliqua, ut de monſtro, narranda ſunt. Nimirum, *Agrippæ* ſe nepotem, neque credi, neque dici, ob ignobilitatem ejus volebat: prædicabat autem matrem ſuam, ex inceſto, quod Auguſtus cum Julia filia commiſiſſet, procreatam. Ergo, quia in lâude ponebat, ſi ex nefando concubitu ſe conceptum jactaret, & ipſe tales ſectatus eſt, & cum omnibus *Sororibus* ſuis, *Agrippina* nimirum, *Julia*, (quæ & *Livilla*,) ac *Druſilla*, ſtupri conſuetudinem fecit, quas tamen idem etiam ſæpe exoletis ſuis proſtravit, *Druſilla* excepta, quam, præ cæteris dilexit vehementius, & in modum juſtæ uxoris propalam habuit; eaque defuncta, juſtitium indixit, in quo riſiſſe, laviſſe, cœnáſſe cum parentibus, aut conjuge liberisve, capitale fuit: nec unquam poſtea, quantiscunq; de rebus, ne pro concione quidem pópuli, aut apud milites, niſi per Numen Druſillæ dejeravit. *Agrippinam* deniq; & *Livillam*, ut inſidiarum adverſus ſe conſcias, in Inſulas Pontias relegavit. Inſuper *Matronas*, *pro libitu vitiavit*, maritis poſtea in conviviis narrans, quomodo cujusque uxore fuiſſet abuſus. Querebatur ſæpe de conditione temporum ſuorum, *quod nullis calamitatibus* publicis inſignirentur. Quippe Auguſti principatum, clade Variana; Tiberii, ruina ſpectaculorum apud Fidenas memorabilem factum; ſui oblivionem imminere, proſperitate rerum. Quare identidem exercituum cædes, famem, peſtilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ, evenire exoptabat. Sed, iis precibus nihil omnino

no opus erat. Ipſe enim abunde peſtem cladem-que humano generi, ſe præſtabat. Siquidem, *Tiberium* fratrem, *Ptolemæum*, Regis Jubæ filium, conſobrinum ſuum, ipſum quoque *Macronem*, quo adjutore imperium adeptus fuerat, interemit. *Silanum* ſocerum, ad necem, ſecandasque novacula fauces, compulit. Porro, multos honeſti ordinis, eam ſolam ob cauſam, quod male de munere ſuo opinati eſſent, vel, quod nunquam per genium ſuum dejeraſſent, deformatos prius ſtigmatum notis, ad metalla, aut ad viarum munitiones condemnavit, aut, beſtiarum more, quadrupedes cavea coërcuit, aut medios ſerra disſecuit; cogens parentes ſuppliciis filiorum intereſſe; nec temere in quenquam, niſi crebris & minutis ictibus animadverti paſſus eſt, noto præcepto: *ita feri, ut ſe mori ſentiat.* Quin & hæc excepta illius vox eſt: *Vtinam Populus Romanus unam cervicem haberet.* Primus, non tantum diademate capiti impoſito ſe Dominum juſſit appellari, ſed & divinam majeſtatem ſibi aſſeruit, templum Numini ſuo, & Sacerdotes, & excogitatiſſimas hoſtias inſtituens. In templo ſimulacrum ſtabat aureum, quod amiciebatur quotidie veſte quali ille utebatur. Idem negotium dabat, *ut ſimulacra Numinum*, religione & arte præclara, apportarentur e Græcia: horum poſtea capitibus demptis, ſuum impoſuit, & adeo Petronio Præfecto Judææ mandatum dedit, ut imaginem *ſuam Hieroſolymitano templo inferret.* Sed is, cum 40. diebus Judæos ante palatium ſuum proſtratos videret, ad gladios potius, quam idolum excipiendum paratos, rem diſtulit. Interea

loci, cum Romæ Herodes Agrippa quidvis petendi facultatem impetraſſet, Caligulam oravit, decretum revocaret: cujus petitioni, etſi principio aſſenſit, tamen mox mutato animo, ut imperata effecta redderentur, pertinaciter voluit. Sed, dum *Petronius*, Syriæ Præſes, cunctatur, tyrannus extinctus eſt. Cæterum, divinitatis affectator Caligula, ut homines ſpecie quadam Numinis terreret, interdum cum aurea barba, fulmine, fuſcina, caduceo, aut Veneris habitu, prorupit in publicum; cum Jove Capitolino, ut pari, fabulabatur, Lunamque plenam, in amplexus invitabat. Qualis cum eſſet, ad minima tamen tonitrua connivere, caput obvolvere, ad majora vero, proripere ſe e ſtrato, ſubque lectum condere ſolebat. Porro, *Virgilii*, *Livii*, *& JCtorum ſcripta*, *abolere ſtuduit*, ut non ſuo tantum, ſed omnibus futuris ſeculis noceret. In exſtructionibus nihil magis moliebatur, quam quod negaretur effici poſſe. Hinc *Bajarum medium intervallum*, *Puteolanas ad moles*, trium millium & ſexcentorum fere paſſuum ponte conjunxit, contractis undique onerariis navibus, & ordine duplici ad anchoras collocatis, ſuperjectoq; aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam. Per hunc pontem, phalerato equo, aut curru bijugi, inſignis quercea corona, quaſi triumphans, indutus aureo paludamento, decurrebat. Fabricavit de cedris *Naves gemmatis puppibus*, & verſicoloribus velis, magna thermarum, & porticuum, & tricliniorum laxitate, magnaque etiam vitium & pomiferarum arborum varietate quibus inter choros & ſymphonias, Cam-

paniæ

paniæ litora peragrabat. Præterea novos balnearum uſus, & portentoſiſſima cœnarum genera commentus eſt: *namq; calidis frigidisq; unguentis lavabatur; pretioſiſſimas margaritas* aceto liquefactas ſorbebat, convivisque ex auro panes & opſonia apponebat. Atque hoc quidem luxu, immenſas opes, totumque illud Tiberii Cæſaris *vicies ac ſepties millies HS.* hoc eſt, ſexcenties ſeptuagies quinquies centena millia coronatorum ſive 67. milliones cum dimidio, non toto vertente anno abſumpſit; unde exhauſtus atque egens, ad varia & exquiſitiſſima calumniarum, auctionum, & vectigalium genera, animum contulit, &, ad colligendam pecuniam, lupanar in palatio inſtituit: multi quoque, ob ſolam divitiarum opinionem, trucidati ſunt. *Illud ridiculum,* quod aliquando, cum amicis, & parte equitum prætorianorum *ſe in proximam ſylvam* contulit, truncatisq; arboribus, quaſi hoſte aliquo devicto, deinde ſe pro victore geſſit. Item, quod in *expeditione Britannica*, directa in litore oceani acie, machinisque diſpoſitis, repente ut milites *conchas* legerent, galeasque & ſinus replerent, imperavit; Spolia Oceani vocans, Capitolio, Palatioque debita. His addendum, quod *Equum* ſuum *Incitatum*, ſe Conſulem creaturum, fuerat pollicitus: quodq; ceu eſt apud Suidam, *Servorum dominatum* inſtituit, lege lata, ut iis accuſare dominos liceret, ſi quod peccatum eorum vidiſſent. Vnde ingens calamitas orbem terrarum omnem oppreſſit; cum ſervi maximis pœnis dominos ſubjicerent. Quilibet enim cruciatus, ab hero ſuo illatos, ulciſci voluit. Hujus ergo inſaniæ,

& furori cum Populus Romanus amplius ferendo non eſſet, a *Chærea Caſſio*, *&* *Cornelio Sabino Tribunis*, conjuratione facta A. C. 41. oppreſſus eſt, jacentemque, & vivere ſe clamantem, ſocii *30. vulneribus confecerunt.* Confoſſa eſt & uxor *Cæſonia*, *Orſiti & Veſtiliæ* filia, a qua potionatus amatorio medicamento, ſed quod eum in amentiam verterat, creditur. Ad hæc filia infans, *Julia Druſilla*, quam Cæſonia Caligulæ pepererat, quamque pater nullo firmiore argumento ex ſe eſſe natam credidit, quam quod maxime eſſet ferox & iracunda, puerorumque ſecum ludentium ſæpius ora & oculos infeſtis unguibus peteret; hoc, inquam, malorum corvorum malum ovum, parieti fuit alliſum. In ſecretis Caligulæ reperti ſunt duo libelli, diverſo titulo: alteri *Gladius*, alteri, *Pugio*, index erat. Ambo, notas & nomina continebant morti deſtinatorum. Inventa & arca ingens, variorum venenorum plena. Quibus mox a Claudio demerſis, infecta maria traduntur, non ſine piſcium exitio, quos enectos æſtus in proxima litora ejecit. *Vixit Caligula annis 29. imperavit triennio & decem menſibus.*

Ad Matrimonia Caji quod attinet, duxit is privatus adhuc, JVNIAM CLAVDIAM *Marci* Silani, Viri Nobiliſſimi filiam, quæ, brevi prægnans naturæ conceſſit. Patrem autem ejus, compulit gener jam Imperator, ut ſibi ipſi novacula jugulum abſcinderet, accuſatum, quod ad Imperium adſpiraret. Dehinc LIVIAM ORESTILLAM, *C. Piſoni* nubentem, cum ad officium & ipſe veniſſet, ſtatim e convivio in palatium ad ſe deduci imperavit, intraque paucos

es

dies repudiatam, biennio poſt relegavit: quod re petiiſſe uſum prioris mariti, tempore medio videbatur. Porro LOLLIAM PAVLINAM, *C. Memmio* Conſulari, exercitus regenti, nuptam, ſubito ex provincia evocavit, ſibique junctam, iterum miſſam fecit. Sequuta eſt CÆSONIA, non thori, tantum, ſed & mortis ſocia.

CLAVDIVS.

INteremto Caligula, Senatus occupato cum Cohortibus Romanis foro, & Capitolio, iterum in libertatem aſſerere Remp. volebat. Sed *Cratus* quidam, miles gregarius, *extractum e latebris Claudium*, in quas rumore cædis Caligulæ exterritus ſe abdiderat, Imperatorem ſalutavit, & ad commilitones perduxit. Qui deinde armati, pro concione, in nomen ejus jurarunt, poſtquam ſingulis quindena HS. promiſerat, primus Cæſarum, fidem militum etiam præmiis pigneratus. In Numis plene vocatur TIBERIVS CLAVDIVS, DRVSI FILIVS, CÆSAR. Fuit enim *Druſi, Tiberii fratris, filius, Germanici frater, Caligulæ patruus:* atque hinc, poteſtatem adeptus, de *Chærea & Lupo*, Caligulæ interfectoribus, ſupplicium ſumpſit, *Sabinus* ſua ſponte acceſſit.

Ingenio Claudius erat væcordi, pavido, ignavoque, adeo ut mater *Antonia*, portentum eum hominis vocare, & ſi quem ſocordiæ arguere vellet, *quod filio ſuo Claudio ſtultior eſſet*, exprobrare ſolita fuerit. Quæ, cum ita eſſent, mirum nequaquam videri debet, Claudium in rebus adminiſtrandis totum ab aliis pependiſſe. Ac initio quidé, Nobilitatis, quæ adhuc colebatur, ſuggeſtionibus, nonnulla ſatis bene ordinabat. Sed poſtea, *Meſ-*

ſalinæ

ſalinæ Conjugis, *& Liberatorum delinimentis*, qu
bus totum ſe dederat, in pravum abſtractu
multa Principe indigna admiſit. Erat enim Meſ
lina ingenio peſſimo, & non tantum paſſim adu
teris quaſi jure utebatur, ſed & ingenio aut me
abſtinentes, necari curabat, peti ſe a petitis c
minata. Adde, quod nobiliores quasque n
ptas, & virgines, in ſocietatem ſceleris pertr
hens, easdem ſecum proſtituit, maribus coac
ut adeſſent. Quod ſi quis talia horruerat, a
ficto crimine, in ipſum, omnemque familiam ej
ſæviebatur. Denique audaciam omnem ſupe
greſſa, Claudio Oſtiam profecto, quaſi marit
ſibi nullus, palam Romæ, *cum C. Silio nupt*
conjunxit, dote inter auſpices conſignata; qu
quidem res, illi fuit exitio. Veritus enim Cla
dius, ne a Silio, præter uxorem, Imperio qu
que privaretur, Meſſalinam perimere juſſit. M
ſalina ſublata, ſoli Liberti, inter quos *Narc*
ſus & Pallas principatum tenebant, omnia po
rant. Pro horum compendio, vel etiam ſtud
ac libidine, Claudius honores, exercitum, i
munitates, & ſupplicia largiebatur, & quid
inſciens plerunq; & ignarus. Præterea, tan
illorum opes erant, ut Claudio de exiguita
fiſci querente, non abſurde reſponſum ſit: *A*
undaturum eum, ſi a duobus libertis in conſortium
ciperetur. Ergo Romani, pertæſi tam ine
Principis, imperium *Camillo Scriboniano* detu
runt, qui tamen mox a ſuis deſertus, & ne
tus eſt. Adhæſerat huic *Cæcina Pætus*, qui Co
jugem habebat *Arriam*, fœminam inſigni pu
citia. Ea, damnato marito, prior ſe gladio co

foe

fodit, illumque extrahens, viro dedit, hortata, ut ex ſe fortiter moriendi exemplum caperet. Hinc pulcherrimum, & prope divinum Martialis Epigramma l. 1.

Caſta, ſuo gladium, cum traderet Arria Pæto,
Quem de vulneribus traxerat ipſa ſuis.
Si qua fides, vulnus quod feci, non dolet, inquit;
Sed, quod tu facies, hoc mihi Pæte dolet.

Cæterum, Claudii auſpiciis, *A. Plautius* non tantum *omnem Britanniam*, quam nullus Romanorum poſt Julium Cæſ. attigerat, ſed & *Orcades* inſulas, ultra Britanniam in Oceano poſitas, ſubegit, unde filio, recens tum nato, *Britannici* nomen Claudius impoſuit; Plautium vero reducem, eo honore affecit, ut triumphantem ipſe proſequeretur, & conſcendenti Capitolium, lævus incideret.

Ea tempeſtate, cum aſſidua in Italia *ſterilitas* eſſet, *detentus aliquando in medio foro Claudius*, convitiisque a turba, ac ſimul fragminibus panis inſtratus, ægre evaſit in palatium. Quamobrem nullum non movit lapidem, ut de commeatu incolis proſpiceret. *Inde negotiatoribus certa lucra propoſuit*, ſuſcepto in ſe damno, ſi quid per tempeſtates accidiſſet, & naves mercaturæ cauſa fabricantibus, magna commoda conceſſit. Portum quoq; ad *Oſtia Tiberis* ædificavit, atque ut fluvius navigabilis eſſet, *Fucinum* lacum ei immiſit; in quo opere 30. hominum millia, per univerſos undecim annos, laborarunt. In *Aquæductus* HS. quingenta & quinquaginta quinque millia erogavit, *Fontibus* a XL. lapide in omnes urbis montes derivatis: primusq; Romanorum ſella tecta uſus eſt.

E Clau-

E Claudii *Decretis*, eminet illud de pœna *mu-lieris liberæ*, quæ poſt ternam domini prohibitio-nem, ſervo ejus jungebatur, ut illius ſerva fie-ret, & ad eum omnia ſua bona transferre. Idem legem tulit, ne *Senatori* ultra ſeptimur ab Vrbe lapidem, injuſſu Imperatoris, abeſſe li-ceret. Et, cum quidam *ſervos ægrotantes*, pro ſus negligerent, atque ædibus expellerent, qui cunq; ex iis incolumes evaſiſſent, illos liberc eſſe juſſit. Idem, fœminam non agnoſcente filium ſuum, dubia utrinq; argumentorum fide ad confeſſionem compulit, indicto matrimoni juvenis. *Judæos* quoque, & *Mathematicos* e Vrbe ejecit.

Poſt Meſſalinæ necem, etſi pro concione apu Prætorianos confirmaverat Claudius, quatenu ſibi matrimonia male cederent, permanſurũ ſe i cælibatu, ac niſi permanſiſſet, non recuſaturu ſe confodi manibus ipſorum: tamen continuo i lecebris *Agrippinæ*, *Germanici fratris ſui filiæ*, *N-ronis ex Domitio matris*, in amorem pellectu ſubornavit proximo Senatu *Vitellium*, qui ce ſeret, cogendum Claudium ad ducendam Agri pinam uxorem, quaſi Reip. maxime intereſſe *dandamq; cæteris veniam talium conjugiorum*, qu ad id tempus inceſta habebantur; ac vix uno i terpoſito die, Claudius nuptias confecit. vero tantum apud eum valuit amor Agrippin ut ejus precibus victus, *Neroni privigno*, *fili Octaviam*, quam præter Britannicum Meſſali ei pepererat, uxorem daret, eundemq; adopt ret, & *adeo*, *neglecto Britannico*, *ſucceſſorem co ſtitueret*. Inſuper Agrippina, ut vim ſuam ſoc

nati

nationibus oſtentaret, in *oppidum Vbiorum*, ubi erat genita, Veteranos, coloniamq; deduci imperavit, cui appellatio indita ex nomine ipſius.

Sed cum Claudius temulentus aliquando vocem emiſiſſet, fatale ſibi, ut conjugum flagitia ferret, dein puniret, Agrippina ſibi metuens, *infundi boletorum venenum grato ejus cibo curavit:* cumque ſoluta alvus ſubveniſſe videretur, per *Xenophontem* medicum, pinnam rapido veneno illitam, faucibus demiſit. *Funus*, ut quondam in Tarquinio Priſco, diu occultatum, dum arte muliebri corrupti cuſtodes, ægrum ſimulant, ut Nero, privignus ejus, imperii jura ſuſcipere poſſet. Extinctus eſt Claudius A. C. 54. *imperavit annis 13. menſibus 8. diebus 20. vixit annos 64.* Scripſit præter *Græcas Latinasq; hiſtorias*, *octo* quoque *volumina de vita ſua*, magis inepte, quam ineleganter.

Sponſas admodum adoleſcens Claudius duas habuit, ÆMILIAM LEPIDAM, Auguſti proneptem; item LIVIAM MEDVLLINAM, cui & cognomen CAMILLÆ erat, e genere antiquo Dictatoris Camilli. Priorem, virginem adhuc repudiavit: poſteriorem, ipſo die, qui erat nuptiis deſtinatus, ex valetudine amiſit. Vxores deinde duxit PLAVTIAM VRCVLANILLAM, & mox ÆLIAM PETINAM. Cum utraque divortium fecit: ſed cum Petina ex levibus offenſis: cum Vrculanilla, ob libidinum probra, & homicidii ſuſpicionem. Sequutæ ſunt VALERIA MESSALINA, & AGRIPPINA, de quibus dictum.

NERO.

NERO.

NERO CLAVDIVS CÆSAR AVGVST\
GERMANICVS, uti Numi vocant, nat
eſt *Antii* poſt 9. menſes quam Tiberius exceſſ
18. Kal. Januarias, patre *Cn. Domitio Ahenobarb*
matre *Agrippina*, Germanici filia, ambobus peſ
mis. Quippe pater, omni parte vitæ turpiſſim
erat, Agrippina, ut reliqua taceamus, profliga
pudoris fœmina fuit. Nupta enim primum *Paſſie*
Criſpo, bis Conſuli, inde eo defuncto, *Cn. Domit*
a Tiberio tradita, tandem in *Caji fratris fo*
diſſimo contubernio vixit; a quo mox exoletis ol
jecta, atque in exilium acta, cum rediiſſet, p
truo ſuo *Claudio*, poſt Meſſalinæ necem, inc
ſtis nuptiis fuit conjuncta. Malis moribus cu
præditi parentes eſſent, proles quoque nequam
ſacrilega ab iis procreata eſt: nec fruſtra fu
Domitius pater, cum recens edito in lucem N
rone, inter gratulationes amicorum negare
quicquam ex ſe, & Agrippina, niſi deteſtabile
malo publico naſci potuiſſe. *Liberales diſciplin*
omnes Nero fere puer attigerat: primus tame
Romanorum Principum, alienæ egebat facur
diæ. Nam a Philoſophia eum mater avertit
fingens illam Imperatori contrariam eſſe; a co
gnitione veterum Oratorum, abſtraxit *Sene*
præceptor, quo diutius in admiratione ſui d
tineret. Cælare igitur, & pingere, cantus, a
regimen equorum exercere, edoctus fuit: & al
quando carminibus pangendis ineſſe ſibi elemen
ta doctrinæ oſtendebat. Septendecim annos n
tus, imperium a pietatis oſtentatione exorſ

e

eſt, laudavit, *Claudium vero apparatiſſimo funere elatum*, laudavit, conſecravitque: *Matri*, curam omnium publicarum privatarumq; rerum permiſit, ſe autem ex Auguſti præſcripto imperaturum eſt profeſſus: &, nec liberalitatis, neq; clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ, ullam occaſionem omiſit. *Abolevit aut minuit graviora vectigalia.* Cum de ſupplicio cujusdam capite damnati, ut ex more ſubſcriberet, admoneretur: *Quam vellem*, inquit, *neſcire literas.* Agenti Senatui gratias, reſpondit: *Si meruero.* *Pontum*, in provinciam, *Polemonis* Regis permiſſu redegit, itemque *Cottias Alpes*, *Cottio* Rege mortuo. In ſumma eum ſe præſtitit prioribus quinque geſti imperii annis, ut merito teſtatus fuerit Trajanus: *Procul differre cunctos Principes a Neronis quinquennio.* Nimirum *Afranius Burrhus*, & *Annæus Seneca*, rectores imperatoriæ juventæ, & pari in ſocietate potentiæ concordes, diverſa arte ex æquo pollebant: Burrhus, militaribus curis, & ſeveritate morum, Seneca, præceptis eloquentiæ, & comitate honeſta, juvabant invicem, ut lubricam Principis ætatem, in officio continerent. Cæterum, cum *Actes*, libertæ, amore Nero captus fuiſſet, & mater illi fœditatem rei exprobraret, hujus obſequium abjecit, *Pallantemq;* libertum, quo autore Claudius, inceſtis nuptiis, & adoptione exitioſa ſemet perdiderat, ac per quem Agrippina omnia adminiſtrabat, ab officio dimovit. Vrgentibus mox Agrippinæ minis, de *Britannico*, vera Claudii ſtirpe in Imperium collocando, decoctum, *a quadam Locuſta, venenariorum indice,*

venenum, cœnanti ſecum fratri, dare impe vit: & cum ille ad primum guſtum concid ſet, comitiali morbo ex conſuetudine correpti apud convivas ementitus, poſtero die rapt inter maximos imbres, translatitio extulit nere. Locuſtæ autem pro opera navata, i punitatem, prædiaq; ampla, & diſcipulos de Poſt hæc *Sabinæ Poppææ*, fœminæ illuſtris, ſed cunctaalia, præter honeſtum animum, adſue amore irretitus, lenocinante marito, *Salvio Ot ne*, principio palam pro pellice eam, ac tand uxoris loco habuit, Conjuge *Octavia*, Claudii fi occiſa, ſubjecto, qui dolo, ſtupratam a ſe, fate tur. Vxoris necem parricidium matris *Agripp* antevertit. Cum enim eam prægravem ratus ſet, perdere conſtituit, ac currenti, a Popp crebris hortatibus, calcaria fuere addita. E eam veneno ter tentavit, cum autem ſenti antidotis præmunitam, lacunaria, quæ noctu per dormientem, laxata machina, deciderer paravit. Hoc conſilio, per conſcios parum lato, ſolutilem navem, cujus naufragio peri commentus eſt, atque ita jucundiſſimis li ris Bajas evocavit, ad ſolemnia Quinqua um ſimul celebranda. Commiſit illi ſe navi Agrippina, duobus e numero familiarium, C perejo, & Aceronia, eam comitantibus: *ex q bus* (ſequuntur nunc Taciti ex lib. 14. Annal. c verba) *Creperejus Gallus haud procul gubernac adſtabat, Aceronia ſuper pedes cubitantis reclin pœnitentiam filii, & reciperatam matris grati per gaudium memorabat. Cum dato ſigno, ru tectum loci multo plumbo grave, preſſusq; Crepe*

jus, & ſtatim exanimatus. Agrippina & Aceronia, eminentibus tecti parietibus, ac forte validioribus, quam ut oneri cederent, protectæ ſunt. Sed in his, pro *tecti parietibus*, quod, ſine ullo commodo ſenſu, habent Editiones omnes, *lecti parietibus*, legendum eſſe, probe me monuit Doctiſſimus Vir, *Octavius Ferrarius*, cui etiam poſt fata, ac libens, ceu virum bonum decet, egregiam inſignemque emendationem acceptam fero: nec enim, credo, erit, qui ejus ingenuitatem vocabit in dubium, quod in lecto cubaſſe Agrippinam, ipſe Tacitus indicium facit. Cæterum Agrippina, tum hac ratione, tum nando deinde, & lembunculorum occurſu, incolumis diſcrimen evaſit. Sic ergo *Anicetus* libertus, claſſis apud Miſenum præfectus, & pueritiæ Neronis educator, trierarcho *Herculeo*, & *Oloraito* centurione claſſiario, comitatus, ad eam trucidandam miſſus eſt. Agrippina, adventantibus percuſſoribus, & Centurione in mortem ferrum diſtringente, protendens uterum, animoſe, *Ventrem feri*, exclamavit; ac mox multis vulneribus confecta eſt. Sunt qui tradiderint, accurriſſe Neronem, ad viſendum interfectæ cadaver, membraque contrectando, laudaſſe alia, alia vituperaſſe. Nec minus id quoque proditum eſt, *Senecam & Burrhum cædis fuiſſe conſcios*, illosque eam non disſvaſiſſe, quia id loci res redactas exiſtimabant, ut niſi præveniretur Agrippina, Neroni pereundum eſſet. Fuit enim Agrippina dominandi avidiſſima, unde, ceu Cluvius apud Tacitum tradit, ardore retinendæ potentiæ, eo usque provecta eſt, ut medio diei, cum id tem-

poris Nero per vinum & epulas incaleſceret, o
ferret ſe ſæpius temulento, comtam, & inceſt
paratam. Et vero, *illum ſui finem multos ante an*
nos crediderat, & contempſerat. Nam conſu
lenti ſuper Nerone, reſponderunt Chaldæi, fo
re ut imperaret, matremq; occideret, tum ver
illa, *occidat*, dixit, *dum imperet*. At Nero, ſceleri
hujus conſcientiam, quanquam & militum, & Se
natus populique gratulationibus confirmaretur
neque ſtatim, neque unquam poſtea ferre potui
ſæpe confeſſus, *exagitari ſe materna ſpecie*, verb
ribus furiarum, & tædis ardentibus. Simul ta
men *in omnes libidines ſe effudit*, quas male coërc
tas, qualiscunque matris reverentia tardavera
Fœdum dictu, eo ſceleris illum proceſſiſſe, u
uni ex contaminatorum ſuorum grege, cui no
men *Pythagoræ* fuit, in modum ſolemnium con
jugiorum denupſerit. Offenſus *deformitate v*
terum Romæ ædificiorum, & anguſtiis flexurisqu
vicorum, *incendit urbem*, perque ſex dies, & ſ
ptem noctes, Roma arſit; quo incendio, præt
immenſum numerum vicorum, domus veterū
Ducum, hoſtilibus adhuc ſpoliis adornatæ, De
rumque ædes, a Regibus, ac deinde Punicis
Gallicis bellis votæ dedicatæque, & quicqu
viſendum atque memorabile ex antiquitate d
raverat, fuere abſumta. Ipſe Nero, cladem,
turri Mecænatis proſpectaſſe, lætusque flamm
pulchritudine, Ilii expugnationem ſcenico h
bitu decantaſſe dicitur. Cæterum odii, quo
ob tantum facinus incurrebat, abolendi cau
Chriſtianos reos ſubdidit, illosque quæſitiſſin
pœnis affecit. Pereuntibus, addita ludibria,

ter

tergis ferarum contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur. Secuta *porro horribilis ſtrages multorum nobilium*, tanquam conjurationis, qua *C. Piſo*, nobili genere ortus, & qui claro apud vulgum rumore erat, vitæ ejus inſidias ſtruxerat, reorum, e quibus *Annæus Seneca*, educator Principis, *M. Annæus Lucanus* Poëta, *Fenius Rufus* Prætorio præfectus, & *Veſtinus* Conſul, præcipue memorandi ſunt. *Poppæa conjux* quoque, a Nerone, quod illum, ex aurigatione ſero reverſum, convitiis inceſſerat, gravida & ægra, ictu calcis fuit peremta. Talem tyrannum, cum paulo *minus XIV. annis orbis perpeſſus* eſſet, tandem deſtituit, initium facientibus *Gallis*, Duce *Julio Vidice*, qui tum eam provinciam obtinebat. Idem, hortator fuit *Sergio Galbæ* in Hiſpania, humano generi aſſertorem, ducemq; ſe accommodaret, & contra Neronem ad urbem accederet, imperiumque teterrimo monſtro liberaret. Interim & *Senatus* Legatos ad Galbam mittit, & Neronem judicat hoſtem. Adventante Galba, Nero deſertus undique, noctis medio egreſſus urbem, ſequentibus *Phaone*, *Epaphrodito*, *Neophytoq;*, *& ſpadone Sporo*, ſemet ictu gladii transegit; trepidantem manum Sporo impuro adjuvante. Deſerente urbem, tremuit terra, animæque hominum, ab ipſo interſectorum, velut inſultare viſæ. Periit Nero, *A. C. 68. ſecundo & trigeſimo ætatis*, eodem die, quo quondam Octaviam peremerat. Interitum multa prodigia denunciavere, præcipue areſcens *lauri nemus*, dicatum triumphantibus: & extinctio *gallinarum albarum*,

quarum in religionibus uſus. Fuit *ultimus* e
rum qui ab Ænea & Auguſto ducebant genus, n
enim prolem maſculam ſuſcepit: filiam quoq
Claudiam Auguſtam, quam ex Poppæa tulera
amiſit admodum infantem. Neronis mors ta
tum *gaudium* publice præbuit, ut plebs indu
pileis manumiſſionum, tanquam ſævo exem
dominio, tota urbe triumpharit.

Pro oblectamento valeant, quæ Suidas narr
in hanc ſententiam: Nero, cum adhuc juve
eſſet, Philoſophis operam dabat, & de Chri
quædam diſcebat. Adhuc enim eum inter ho
nes habitare putabat. Sed, cum a Judæis cru
fixum eſſe intellexiſſet, indigne tulit, mandav
que, ut venirent Sacerdotes Annas & Caiphas
ipſe Pilatus, qui tunc Præfectus erat, ferro v
cti. Cumque in Senatu ſediſſet, quæ de ill
cta eſſent, audiebat. Annas igitur & Caip
dicebant, ſe, legibus obtemperantes, Chriſt
tradidiſſe, nec læſæ majeſtatis eſſe reos: Præ
rem enim, poteſtate præditum, quæ voluiſ
egiſſe. Nero igitur indignatus, Pilatum in c
cerem conjecit, Annam vero & Caipham
miſit. Tum Simon quoq; Magus florebat,
cum Petrus, & Simon, præſente Nerone, inte
diſputarent, eductus eſt e carcere Pilatus.
tres cum adſtarent, Nero Simonem interro
num tu es Chriſtus? Ille vero ſe eſſe ait.
inde & ex Petro quærit, num ipſe eſſet C
ſtus? qui id negavit, &, ſe adſtante, Chriſ
in cœlum ſublatum eſſe aſſeruit. Mox Pila
Nero percontatur, uter horum eſſet is, qui C
ſtus diceretur? Tum is, neuter, inquit:

Pe

Petrus quidem diſcipulus ejus fuit, & apud me pro diſcipulo ejus delatus, cum neſcire ſe diceret, quis homo eſſet Chriſtus, dimiſſus: Simon vero iſte, nequaquam mihi notus eſt, neque ullam habet cum illo ſimilitudinem. Nam hic quidem Ægyptius eſt, & corpore obeſo, denſisque capillis, & niger, ac omnino a Chriſti forma alienus. Iratus igitur Imperator, Simonem quidem quod mentitus eſſet, ſeque Chriſtum eſſe dixisſet, Petrum autem, quod Magiſtrum negaſſet, faceſſere juſſit, Pilato vero caput amputavit, qui tantum hominem, injuſſu Imperatoris interficere non dubitaſſet.

Prima Conjux Neronis fuit Octavia, Claudii Cæſaris, ex Meſſalina, filia, quæ, Junio Silano primum nupſerat. Hujus conſuetudinem cito aſpernatus eſt Nero, eamq; tanquam ſterilem expulit, improbante divortium populo. Poſt, falſo adulterii accuſatam, & in Inſulam Pandatariam relegatam, interfici juſſit. Dehinc Poppæam Sabinam duxit, Titi Ollii filiam, primum Rufo Criſpino, Equiti Romano, matrimonio junctam, ex quo & filium genuerat, quam pro pellice habuit, donec Octavia e palatio ejiceretur. Fuit hæc laſciva, magnifica, prudens tamen, & in erogandis pecuniis liberalis. Equis delectabatur ſpecioſe inſtratis, quorum ſoleas auro obryzo induebat: mulas vero, quibus agebatur, aureis funibus ſubligatas habebat. Alebat & aſinas, quæ nuper peperiſſent, quingentas, quarum lacte corpus macerare conſueverat, ut pellis ſua fieret candidior, mollior, ac magis nitida. Erat enim formæ ſtudioſiſſima, unde, cum aliquando in

ſpeculo ſe minus pulchram cerneret, malle mori dixit, quam ſeneſcere. Eam gravida Nero ictu calcis percuſſit, ut moreretur: *Cla diam* ei pepererat, quæ intra quintum menſe mortua eſt. Duxit deniq; Nero STATILIAM MI SALINAM, qua ut potiretur, Atticum Vectiu Conſulem, maritum ejus trucidavit.

GALBA.

NEroni, SERVIUS SULPITIUS GALB ſucceſſit, *nullo gradu contingens Cæſarum a mum*, magna tamen veterique proſapia nobili ſimus. Nam paternam originem, *ad Jovem, m ternam; ad Paſiphaën, Minois uxorem*, refer bat. *Senex admodum poteſtatem adeptus* eſt, ja enim ſeptuagenario major erat, &, ob man pedesque ex articulari morbo diſtortiſſimo neque calceum perpeti, neq; libellos evolvere aut tenere omnino valebat. Sed nec diu illa uſurpavit, idque puero adhuc Auguſtus præd xit, ſalutanti ſe inter æquales, *& tu fili, a quando imperium deguſtabis*, inquiens. Tiberiu cum fatum uniuscujusque præſtantiſſimoru virorum indagaret, cognovit regnaturum Ga bam, verum in ſenecta; quare a cæde illius a ſtinuit, quod id tempus ad ſuam ætatem nil attinere arbitraretur. Ante geſtum Imperiu *Africam* biennio rexit, extra ſortem electus a ordinandam provinciam, inteſtina diſſenſion ac barbarorum tumultu inquietam; quam m gna ſeveritatis & juſtitiæ cura adminiſtrav. Militi, qui, annona arctiſſima, tritici modiun centum denariis vendidiſſe arguebatur, vetuit,

m

mul atque egere cibo cœpiſſet, a quoquam opem fieri, atque ſic fame is extabuit. In jure dicendo, cum de proprietate jumenti quæreretur, levibus utrinque argumentis & teſtibus, ideoque difficili conjectura veritatis, ita decrevit, ut ad locum ubi adaquari ſolebat, duceretur capite involuto, atque ibidem revelato, ejus eſſet, ad quem ſponte ſe a potu recepiſſet. Poſtea *Hiſpania Tarraconenſis* ei oblata eſt, quam octo annis rexit, etiam hic, in coërcendis delictis, acer & vehemens. Quippe, *Nummulario*, non ex fide verſanti pecunias, manus amputavit, menſæque ejus affixit. *Tutorem*, quod pupillum, cui ſubſtitutus heres erat, veneno necaſſet, cruce affecit; implorantique leges, & Civem Romanum ſe teſtificanti, quaſi ſolatio & honore aliquo pœnam levaturus, mutari crucem, multoque præter cæteras altiorem, & dealbatam, ſtatui juſſit. Principatum, majore favore & autoritate adeptus eſt, quam geſſit, *omniumq; judicio capax imperii, niſi imperaſſet, fuit.* Quippe, *T. Vinii, Cornelii Laconis, & Martini liberti*, contra quam Principi electo, atque ejus ætatis, conveniebat, regebatur arbitrio, adeo, ut hi, *Cæſaris Pædagogi* vulgo vocarentur. *Dehinc miles eum, ob negatum* donativum, deſeruit, exaſperatus etiam voce ſeveriore: *Legi a ſe militem, non emi. Octavo imperii menſe*, cum factione *Othonis* accenſas legiones lenire contenderet, ad lacum Curtium cæſus eſt, cumque eo, *Licinianus Piſo*, quem adoptaverat, & tres tyrannidis adminiſtri. Ferunt *ultro eum obtuliſſe jugulum*, hortando, agerent ac ferirent, ſi ita e Repub. videretur.

Vxorem Galba privatus habuit LEPIDA
mulierem impudicam, & vino deditam, ex q
liberos, *Cajum*, & *Servium* procreavit, quor
fata, paternum anteverterunt. Lepida mort
manſit in cælibatu Galba, nec permoveri u
conditione amplius potuit, aliam ut duceret.

OTHO.

M. SALVIUS OTHO, patre *L. Salvio Otho*
matre *Albia Terentia* genitus eſt. A pri
adoleſcentia, prodigus ac procax fuit, adeo, ut
pe flagris objurgaretur a patre. Ferunt &
gari noctibus ſolitum, & invalidum quemque
viorum, vel potulentum, corripuiſſe, & diſte
ſago, in ſublime jactaſſe. Neroni, criminoſe
miliarem illum fuiſſe, ſunt qui aſſeverant. E
modicæ ſtaturæ, & male pedatus, ſcambusq
munditiarum vero pæne muliebrium ſectat
vulſo corpore, galericulo capiti, propter rari
tem capillorum, adaptato. Faciem etiam q
tidie raſitabat, ac pane madido linebat, id
inſtituit a prima lanugine, ne barbatus unqu
eſſet. Cæterum ſub idem fere tempus, quo O
Romæ poteſtatem invaſerat, a Legionibus
Germania *Vitellius* Imperator ſalutatur: con
quem cum expeditionem propere Otho paraſ
tribus quidem, verum mediocribus, præliis, ap
Alpes, *Vitellii Duces* devicit: ſed ipſe noviſſi
maximoque, apud *Bebriacum* oppidum, quod
ter Cremonam & Mantuam, ad Ollium amne
ubi Cluſium recipit, ſitum erat, fraude ſupera
eſt, cum ſpe colloquii facta, quaſi ad condit
nes pacis, militibus eductis ex improviſo di
caret

caretur. *Hinc ſtatim moriendi impetum cepit*, magis pudore, ne tanto hominum periculo dominationem ſibi aſſerere perſeveraret, quam deſperatione. Et vero, facile potuiſſet res reſtitui, modo periculum facere voluiſſet, & militibus, ad meliora ſperanda adhortantibus, auſcultare. Sed ipſe, *ſe non tanti eſſe* dixit, *ut propter ſe civile bellum moveretur.* Ergo, ſumto pugione, ſeipſum trajecit, *38. ætatis anno & 95. imperii die*: tam carus exiſtens militibus, ut pleriq; ejus corpore viſo, ſuis manibus interirerint.

Adolphus Occo in Numiſmatibus Imperatorum, Othoni Conjugem aſſignat ALBAM TERENTIAM, ſplendidam & illuſtrem mulierem, quæ duos pepererit filios, *Lucium* & *Marcum Titianos*, & *filiam*, Druſo, Germanici filio, deſponſatam; ad Suetonii provocans autoritatem. Sed, qui Suetonium non ſomniculoſe inſpiciunt, deprehendent, non de Othone Imperatore, verum illius parente, ei ſermonem eſſe. Octavius Strada vult, Othonem, SABINAM POPPÆAM habuiſſe in matrimonio, atque in illam amore ardeſcentem Neronem, amandaſſe Othonem in Hiſpaniam, ſub prætextu Legationis, ut ipſa potiretur, eumque, Octavia defuncta, hanc duxiſſe uxorem. Favet iſti ſententiæ Tacitus lib. 13. Annal. c. 46. quem tamen circa Poppæam Sabinam parum ſibi conſtare, obſervatum eſt Eruditis. Loco enim allegato dicit Othonem jam maritum Poppææ, ejus formam ſæpius Neroni laudaſſe, quo is eam arderet. At lib. 1. Hiſtor. aſſerit, a Nerone prius adamatam, apudque Othonem fuiſſe depoſitam.

VITEL-

VITELLIVS.

A. VITELLIVS, patre *L. Vitellio*, genitus e
viro, miri in adulando ingenii. Eum en
cum Caligula rogaſſet, ecquid cum Luna co
gredientem ſe vidiſſet? ipſe, ſatis intelligens p
riculum, quod ſe, ſive negando, ſive affirmanc
manebat, abjectis in terram oculis, *Vobis Di
Domine*, inquiebat, *ſolis licet*, *quæ inter vos agit
videre.* Cæterum, pueritiam, primamque ad
leſcentiam, Vitellius *Capris* egit, inter Tib
riana ſcorta. Poſtea Cajo, per aurigandi, Cla
dio, per aleæ ſtudium, in deliciis fuit. Galba
inferiorem Germaniam eum miſit, præ ſe ferer
nullos minus metuendos eſſe, quam qui de ſc
victu cogitarent. Fuit enim Vitellius, præt
cætera probra quibus ſe contaminabat, *eti
ventri deditiſſimus*, ut pro Vitellio, *Vitulus* app
lari merito poſſit. Neque ſolum ante adepta
poteſtatem, verum etiam Princeps factus, u
ce genio indulſit, *dies noctesq; potando*, *comeſſa
doq;* continuans. Explendæ profundæ & in
tiabili gulæ, ea *quæ Carpathium mare*, *fretumq; H
ſpanicum*, extremi Romani Imperii fines, alebar
per navarchos ac triremes afferri ſibi curav
Hinc frater, gratam illi rem facturus, *una cœ
duo millia lectiſſimorum piſcium*, *& ſeptem avi*
appoſuiſſe dicitur. Hunc tamen apparatum e
ſuperavit ipſe, dedicatione patinæ, quam,
immenſam magnitudinem, *Clypeum Minerv
αἰγίδα πολιέχε*, vocabat. In hac ſcarorum je
nora, phaſianorum & pavonum cerebella, li
gu

guas phœnicopterûm, & murænarum lactes, ex orbe ultimo petitas res, commiſcuit.

Interim Imperium, conſilio & arbitrio viliſſimi cujusque hiſtrionum, & aurigarum, maximeque *Aſiatici liberti*, Vitellius adminiſtrabat. Illud laudandum, quod omnium, qui acie Othoniana ceciderant, teſtamenta rata eſſe juſſit; cum alias perduellionis crimine damnatis, omnes facultates eriperentur. Ipſum *pugionem*, quo ſe Otho occiderat, in Agrippinenſem Coloniam miſit, Marti dicandum. Sed vero, *octavo imperii menſe*, deſciverunt ab eo exercitus *Mœſiarum*, *atque Pannoniæ*, item ex transmarinis, *Judaicus & Syriacus*; ac pars, in abſentis, pars, in præſentis *Veſpaſiani* verba jurarunt, æmulis inter ſe, ut ſolent, militibus, ne deteriores Hiſpanicis, qui Galbam, ac Germanicis, qui Vitellium, & Prætoriis, qui Othonem Imperatorem fecerant, viderentur. Interim Vitellius, ut potentiam retineret, nihil intentatum reliquit; at ubique, aut ſuperatus, aut proditus, *ſalutem ſibi, & millies Seſtertiûm, a Flavio Sabino, Veſpaſiani fratre, pepigit*, tanquam Imperio ceſſurus. At mox pœnitentia ductus, animum reſumſit, Sabinumque, & cæteros adverſæ partis, nihil jam metuentes, vi ſubita in Capitolium compulit, ſuccenſoque templo Jovis oppreſſit. Brevi poſt, cum adventare hoſtem nunciatum eſſet, ſe abſcondit. Verum eductus e latebris, religatis poſt terga manibus, injecto cervicibus laqueo, veſte diſciſſa, ſeminudus in forum tractus eſt; quibusdam ſtercore & cœno inceſſentibus, aliis *Incendiarium & Patinarium* vociferantibus. Vna vox Vitellii, non degeneris animi, excepta fuit a circum-

cum-

cumſtantibus. Namque, Tribuno inſultanti *tamen Imperatorem ejus fuiſſe*, reſpondit. Tand apud Gemonias, ubi Sabinum necari permiſer minutiſſimis ictibus excarnificatus atque con ctus eſt, & inde unco tractus in Tiberim. Pe cum fratre, & filio, *anno vitæ ſeptimo & quinq geſimo*.

Vxorem habuit PETRONIAM, Conſula viri filiam, & ex ea filium *Petronianum*, capt altero oculo. Hunc heredem a matre ſub co ditione inſtitutum, ſi de poteſtate patris ex ſet, manu emiſit, brevique, ut creditum e interemit, inſimulatum parricidii, &, quaſi ratum ad ſcelus venenum, ex conſcientia h ſiſſet. Duxit mox GALERIAM FVNDANA Prætorio patre. Ac de hac quoque libe utriusque ſexus tulit: ſed marem, titubantia c prope mutum, & elinguem.

FLAVIVS VESPASIANVS.

FL. Veſpaſianus, qui in Numis, IMP. CÆSA VESPASIANVS AVGVSTVS, vocat patre Publicano, *T. Flavio Petronio*, munic Reatino, genitus, exſanguem quaſi, feſſumq priorum Cæſarum tyrannide potius, quam i perio, Orbem terrarum, nonnihil *refecit*, *ſol* ceu Tac. 1. Hiſt. c. 50. eum celebrat, *omnium a ſe Principum in melius mutatus*. Privatum adh *Claudius in Germaniam*, deinde in *Britanniam* ſit, ubi tricies & bis cum hoſte conflixit, 20. pida, Inſulamque *Vectam*, Britanniæ proxima Imperio Romano adjecit Poſtea *Nero*, ad co peſcendos *tumultuantes Judæos*, cum valida ma

in Palæſtinam illum ablegavit, qua expeditione, multas Judæorum urbes in poteſtatem redegit. Salutatus deinde Imperator in caſtris, cùm & in *fatis eſſe crederetur*, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur, & *Baſilides, Carmeli Sacerdos*, fauſta ei prædiceret, bellum, legionesque *Tito filio* commendavit, ipſe Romam abiens, rerum potitus eſt. Interim *Hieroſolyma* a Tito obſidetur. Sed obſeſſi, *cum Dei civitatem nunquam expugnatum iri falſo ſibi perſuaſiſſent*, animum obfirmabant, adeo, ut nec inteſtinis ſeditionibus, nec horribili fame, quæ ad natorum corpora abſumenda matres coëgit, aut ſæviſſima, peſte, vel hilum ad faciendum deditionem, & petendas pacis conditiones, commoverentur. Ergo Titus, ut omnem elabendi rimam obſeſſis præcluderet, *murum civitati circumduxit*, cujus ambitus uno minus 40. ſtadiorum erat, quemque foris 13. caſtella communibant: *ac tantum opus ſolo triduo perfecit.* Tandem, poſt tam gravem obſidionem, expugnata urbs eſt, & una cum magnificentiſſimo templo exuſta, ac ſolo æquata. *Vndecies centena millia*, cum circumſideretur, ferro fameque memorantur abſumta. *Captivorum numerus, nonaginta & ſeptem millia* exſuperabat: mille ducenti præcipua dignitate viri, & inter hos *Simon & Johannes* Duces, Romæ in triumpho ducti, eoque peracto, plerique ſecuri percuſſi ſunt. Eodem triumpho, quem Flavius Imperator cum Tito filio peragebat, *circumgeſtata ſpolia templi Hieroſolymitani*, Menſa nimirum aurea, Candelabrum, & Lex Judæorum; atque, ut perennaret tanti belli feliciter confecti

cti memoria, non ſolum *Numi* cuſi ſunt, quib
JUDÆA CAPTA inſcriptum fuit, quales m
ſuperſunt, quidam etiam a nobis aſſervant
ſed & conditus *Arcus*, pompam triumpha
referens, qui etiam nunc Romæ

--- longum perdurat in ævum.

Memorabile eſt, quod ſcribunt Philoſtratus
de vita Apollonii, & Suidas, cum Titum, ob
ctoriam Judaicam, finitimæ gentes coronare
lent, reſtitiſſe illum, cauſantem, non ſe
tantorum operum autorem, ſed Deum, Juc
iratum. Sub idem tempus, *Achaja*, *Lycia*, *T*
cia, *Samus*, *Rhodus*, *Cilicia*, *Comagene*, quæ
giones antea liberæ, aut amicis Regibus ſubje
erant, in Provinciarum formam fuere redact
Cæterum Veſpaſianus, impetrata quiete, *T*
plum Pacis condidit, eam, ceu Eruditis vi
eſt, ob cauſam, quod, ſuggeſtione Joſephi
putaret illum eſſe, de quo prædixerit Eſa
Vocabitur Princeps Pacis: multiplicabitur ejus in
rium, & Pacis non erit finis. Amphitheatrum qu
ab Auguſto deſtinatum, inchoavit, Romam
deformem incendiis & ruinis, novis ædif
exornare niſus eſt, præprimis vero *Capito*
reparavit. Tunc cavati etiam montes per
miniam ſunt, prono transgreſſu, qui vu
riter *Pertuſa Petra* vocitatur. Quare, cum
tos publicos ſumtus fecerit, excuſationem
taſſe merentur exactiones, quibus populum
xavit, etiam *Vrinæ vectigal* commentus,
ex qualibet re bonum eſſe odorem dictitans.
Militari ejus virtute hoc Tacitus l. 2. Hiſt. c. 5.

h

hibet teſtimonium: *Acer militiæ*, inquit, *anteire agmen, locum caſtris capere noctu diuq; conſilio: ac ſi res poſceret, manu hoſtibus obniti; cibo fortuito, veſte habituq; vix a gregario milite diſcrepans; prorſus ſi avaritia abeſſet, antiquis Ducibus par*. Hæc ille. Laudanda quoque Veſpaſiani facilitas in admittendis, quotquot ejus ope, auxilio, conſilioque egebant. Quippe qui portas palatii ſemper apertas, omnique cuſtodia vacuas habebat. Adeo clemens & mitis fuit, ut delicta, adverſus ſe, & Imperii majeſtatem commiſſa, haud ultra exilium mulctaret. Inimicitias & offenſas, ſtatim ex animo ejiciebat; & dicteria rhetorum ac populorum, quibus inceſſebatur, leviter ac modice ferebat. Annum ætatis agens *nonum & ſexageſimum*, gravi ac difficili morbo implicitus, poſtremo alvo usque ad defectionem ſoluta, conſurgens, *Stantem*, ait, *Imperatorem mori decet*: atque ſic quoque ſpiritum reddidit, cum *annis 10.* imperio præfuiſſet.

Duxit Veſpaſianus uxorem, FLAVIAM DOMITILLAM, *Flavii Liberalis* filiam. Ex hac liberos tulit, *Titum*, & *Domitianum*, & *Domitillam*. Vxorem, ac filiam, adhuc privatus amiſit. Poſt uxoris exceſſum, CÆNIDEM, Antoniæ libertam, & a manu, dilectam quondam ſibi, revocavit in contubernium; habuitque etiam Imperator, pæne juſtæ uxoris loco.

TITVS VESPASIANVS.

Titus Veſpaſianus, qui in Numis, plurimum TITVS CÆSAR VESPASIANVS IMPERATOR, aut IMPERATOR TITVS CÆ-

SAR VESPASIANVS AVGVSTVS, vo
ſolet, Flavii ſuperioris, e *Flavia Domitilla* fil
eo tempore Patri ſucceſſit, quo e monte *V*
vio ſtupenda flammarum eruptio facta eſt, urbes
duæ, *Herculanum & Pompeji*, pumicibus fuere
preſſæ. Adoleſcens, in ſævitiam, luxuriam
bidinem, & avaritiam pronus erat, ob id
lam *Nero cognominatus*. Sed, poſt adept
imperium, exuit mores priſtinos, eumqu
præſtitit, ut, *Amor & deliciæ generis humani*,
inde audiret. Fuit enim tantæ humanitati
propenſionis, ut ne quem triſtem abs ſe di
teret, unice curaverit: &, cum aliquando i
cœnandum in mentem ei veniſſet, illum d
ita ſibi effluxiſſe, ut nemini benefecerit, ib
Sodales, exclamavit, *hunc ego diem perdidi.*
dulgentia ei non minor: nullum enim omi
punivit, convictosque adverſum ſe conjura
nis, in eadem, qua ante, familiaritate hab
Sane, Fratrem *Domitianum*, parantem inſi
militumque animos ſolicitantem, flens ſæpe
teſtatus eſt, ne parricidio aſſequi cuperet, c
& ſe volente eſſet obventurum ei, & jam h
ret, cum ſit particeps poteſtatis. *Amphit*
trum, opus a patre cœptum, perfecit, & q
que millia ferarum in dedicatione ejus occ
Erat eo imperante Romæ *incendium* per tr
um, *lues* vero haud unquam magis ſæviit.
tinctus eſt Titus A. C. 81. *ætatis, altero &*
drageſimo, cum ſolo biennio, & totidem menſibus,
peraſſet. De *mortis genere* non convenit i
Scriptores. *Morbo* obiiſſe, memoriæ prodide
Eutropius & Euſebius. Contra, Græci nonn

ſpirantem adhuc, in *arcam ligneam, nivis plenam*; per cauſam faciendæ medicinæ, conjectum ibique necatum ſcribunt. Talmudiſtæ, *Muſcam* in ejus cerebrum ingreſſam perhibent, quæ illum ad mentis, & adeo vitæ exitium afflixerit. Tito mortuo, tantus luctus coortus eſt, ut omnes, tanquam in propria orbitate, collacrymarint. Erat Titus armorum & equitandi peritiſſimus; Latinæ vero Græcæque linguæ, vel in orando, vel in fingendis Poëmatibus, promtus & facilis; ad extemporalitatem usque: ſed ne muſicæ quidem rudis, ut qui cantaret & pſalleret jucunde, ſcienterque.

Vxorem Titus duxerat ARRICIDIAM TERTVLLAM, patre prætorianarum cohortium præfecto genitam. In hujus defunctæ locum, MARCIAM FVRNILLAM, (ſic apud Suetonium in vulgatis editionibus nomen habet; Æneas Vicus autem, & Adolphus Occo, *Marcia Fulvia* legiſſe videntur) ſplendidi generis, adſcivit; cum qua, ſublata filia fecit divortium.

DOMITIANVS.

FLavius Domitianus, Titi frater, in Numis; IMP. CÆSAR D. VESPASIANI F. DOMITIANVS AVG. GERMANICVS, plene dicitur. Imperare cœpit A. C. 82. Inter initia principatus *virtutes quasdam exeruerat. Quippe caſtrari mares vetuit*, a cæde vero usque adeo omni abhorrebat, ut recordatus Virgilii verſum 2. Georgicorum:

Impia quam cæſis gens eſt epulata juvencis:

edicere deſtinaverit, *ne boves immolarentur*. Re-

ſtituit *legem Juliam* de Adulteriis: *Delatores ſegregavit*, ferebaturque vox ejus: *Princeps delatores non caſtigat, irritat.* *Probroſis fœmini*
capiendi legata, hæreditatesque, quin & lec
uſum, ademit. Quæſtorium virum, quod ge
culandi, ſaltandique ſtudio teneretur, movit
natu. *Bibliothecas* deniq;, incendio conſum
petitis undique, præſertim Alexandria, ex
plis, reparavit, ipſeque libellum, *de cura*
pillorum, ad amicum edidit. Sed, paulo poſt,
tum addixit ſe vitiis, non ſuam tantum, qu
iniverat, verum etiam fratris & genitoris
dem, penitus obliterans. Nimirum, ſe *Domi*
Deumq; appellari juſſit, nullamque ſibi niſi
ream & argenteam ſtatuam, in Capitolio
paſſus eſt, ac ponderis certi. Multos præ
ros viros, ex leviſſima cauſa, vel occidit, v
exilium miſit. Sic peremtus *Salvius Cocceja*
quod Othonis Imperatoris, patrui ſui, diem
talem celebraverat: item *Metius Pompoſia*
quod habere Imperatoriam geneſin vulgo f
batur: &, quod depictum orbem terræ in m
branis, concionesq; Regum ac Ducum, ex
Livio circumferret: quodque ſervis nomina
gonis & *Annibalis* indidiſſet. E proximis *T.*
vium Sabinum, & *T. Flavium Clementem*, pat
les, itemque *Juliam*, Titi fratris filiam, pelli
ſuam ſuſtulit; *Flavia Domitilla* quoque, ſo
filia, ob confeſſionem nominis Chriſti releg
Philoſophos omnes, Vrbe, Italiaq; ſubmovit.
fiſcabantur alieniſſimæ hereditates, ſufficieb
unum exiſtere, qui diceret, audiſſe ſe ex defun
cum viveret, *heredem ſibi Cæſarem eſſe.* Quo

in interiorem partem palatii, quaſi ſecreti quid meditans, ſe abdebat, *muſcas captans*, easq; acuto ſtylo configens. Proinde interroganti cuidam, *eſſetne quis cum Cæſare?* non abſurde a Vibio Criſpo reſponſum eſt: *Ne Muſca quidem.* Ad *Belli res* quod attinet, fregit Domitianus, *Britannos*, Duce *Julio Agricola*, Taciti ſocero, qui vitam illius deſcripſit. Suſceptum ſimiliter bellum adverſus *Dacos*, quin & *Quados*, *Cattosq;*, Germaniæ populos, a quibus licet magnis cladibus affectus fuiſſet Domitianus, tamen quaſi de iis *victis*, & *ad internecionem deletis*, *vaniſſime triumphavit.* Poſt duos autem triumphos, *Germanici* cognomine aſſumto, *Septembrem* menſem, & *Octobrem*, ex appellationibus ſuis, *Germanicum, Domitianum-que* transnominavit: quod altero ſuſcepiſſet Imperium, altero natus eſſet. *Spectacula* aſſidue ſumtuoſa dedit, ſive in Circo maximo, ſive in Amphitheatro. Edidit quoque *navales pugnas*, juſtarum prope claſſium; effoſſo & circumducto circa Tiberim lacu. In Circo, præter ſolemnes, bigarum & quadrigarum, curſus, *prælium etiam duplex, pedeſtre ac equeſtre* commiſit: nec virorum modo pugnas exhibuit, ſed & fœminarum. Ipſe armorum nullo, *ſagittarum* vel præcipuo ſtudio tenebatur. Centenas varii generis feras, ſæpe in Albano ſeceſſu conficientem ſpectavere plerique, atque ex induſtria ita quarundam capita figentem, ut duobus ictibus, quaſi cornua effingeret. Nonnunquam in pueri procul ſtantis, præbentisque pro ſcopulo diſpanſam dextræ manus palmam, ſagittas tanta arte direxit, ut omnes, per intervalla

digitorum innocue evaderent. *Capitolium*, q imperante Tito, combuſtum erat, iterum ſtauravit, inauravitque, inſumtis in e rem 12. talentorum millibus. Idem, Senat bus convocatis, præbuit *Cœnam Sepulchral* quam apparavit in domo atra. Hoſpites triclinium ſine comitibus ingredi cogeban Ad quamlibet columnam, ſepulchrum parat erat cum lychnucho parvulo. Mox introib pueri nudi, ſed plane atri, tanquam ſpeč ſaltabantque. Paulo poſt venit ipſe Imp tor, habuitque orationem de morte, ut mi plane putarent ſibi moriendum eſſe. Cum ſatis diu detinuiſſet, discedendi venia data & Imperatoris munera ſequebantur, inter erant pueri, quibus ad terrendum uſus fue jam bene loti. Poſtquam Domitianus *impera rat annis 15. vixit 44.* multi impulſoribus *Par nio & Stephano* Cubiculariis, adverſus eum c jurarunt, adſcita etiam in conſilium *Dom* tyranni uxore, ob *amorem Paridis hiſtrionis* c ciatus formidante: ſicque Domitianus mu vulneribus confoſſus eſt. Præſagiebat mu ante animus malum imminens, itaque po cuum in quibus ſpatiari conſueverat, parie phengite lapide diſtinxit: e cujus ſplendore, imagines, quicquid a tergo fieret, provide Memorabile eſt quod ſequitur: *Aſcletario*, thematicus, diem & genus mortis Domit apud quosdam edixerat. Vocatus ab ipſo, dem iteravit: quærentique Domitiano, ut deret, *Tu igitur qua morte periturus?* ille ſtat *fore, ut a canibus laniaretur.* Tum Imperator

fic

fidem coarguendam, extemplo abduci, & exuri juſſit, ut nihil reliquum e cadavere eſſet, quod canes laniarent. Vritur homo, prius, ceu juſſum fuerat, necatus. Sed ecce nimbus, ſubito ortus, rogum exſtinguit, & miniſtri, ſemiuſtum cadaver relinquentes, diffugiunt. Canes ſuperveniunt, & vorant. Ea hora qua Romæ Domitianus occidebatur, erat *Apollonius Tyanenſis*, Pythagoricus Magus, Epheſi in Aſia, immenſo ſic terrarum & marium intervallo abjunctus. Is, diſſertationem forte in publico habebat, ac primo hæſitare, & loqui remiſſius, mox palleſcere, & ſilere: denique paſſus aliquos exſiliens, ut mente mota, *Euge Stephane*, inquit, *recte. Percute tyrannum, percute homicidam. Bene eſt: percuſſiſti, vulneraſti, occidiſti.* Cæde Domitiani adeo lætatus eſt Senatus, ut repleta certatim Curia, non temperaret, quin mortuum contumelioſiſſimo atq; acerbiſſimo acclamationum genere laceraret: ſcalas etiam inferri, clypeosque & imagines ejus coram detrahi, & ibidem ſolo affligi juberet: noviſſime, eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret. Ante paucos, quam occideretur, menſes, cornix in Capitolio elocuta eſt, ἔςαι πάντα καλῶς. Nec defuit, qui oſtentum ſic interpretaretur:

Nuper Tarpejo quæ ſedit culmine cornix,
Eſt bene, *non potuit dicere: dixit;* Erit.

DOMITIA LONGINA, Domitiani Conjux, de qua mentio præceſſit, Ælio Lamiæ ante nupta fuerat. Huic Domitianus illam abduxit, & pro uxore habuit, tulitque ex ea filium; quem, in-

fantulum mortuum, & conſecratum eſſe, N
mus probat, in cujus una parte, Domitiæ vu
tus comparet, in altera puer, globo inſidens,
caput inter ſidera condens, Vrſino, & Occo
quoque memoratus. Poſtea, *Paridis hiſtrionis*
more deperditam Domitiam, repudiavit Dom
tianus, ſed intra breve tempus, impatiens diſ
dii, quaſi efflagitante populo, reduxit.

COCCEJUS NERVA.

IMP. NERVA CÆSAR AVG. GERM
NICVS, apud Sequanos agens, ab inter
ctoribus Domitiani, ad imperium vocatus, &
Senatu gratanter acceptus eſt. *Bonum is æquum*
Principem ſe præſtitit, neque ulla alia Remp. i
juria affecit, quam quod cito deceſſit. De cæ
tero, ſtatuas *Domitiani ſuſtulit*, *ejusq; actis r*
ſciſſis, quæ per injuriam ablata fuerant bon
dominis reſtituit: reos Chriſtianos abſolvi
exules revocavit, cives pauperes, puellasque
pueros, egeſtoſis parentibus natos, Romæ n
tantum, ſed & per Italiæ oppida, publicis ſu
tibus aluit, tantamque vitæ integritas illi fe
fiduciam, quo palam dictaret, ita ſe imperaſſe,
abrogato imperio, ſecurus privatam vitam age
poſſet. Sed ei *ad compeſcendum militem auctori*
defuit, & *Domitiani interfectores*, illo invito,
nequicquam prohibente, a Prætorianis jugul
ſunt. Quamobrem *Trajanum, Germaniam tum a*
miniſtrantem, *adoptavit*, ſpretis propinquis & n
ceſſariis, publicam utilitatem privatis caritatib
anteponens. Nec eum adoptavit tantum, ſ
& ſtatim imperare juſſit. Cæterum, brevi int

jec

jecto tempore, cum adverſus quendam *Regulum Cauſidicum* ardentius declamaſſet, febri correptus, obiit, *altero anno quam ad principatus faſtigium aſcenderat, ætatis vero 65.* Auſonius, de eo in tetraſtichis:

Nerva ſenex, Princeps nomine, mente parens.

VLPIVS TRAJANVS.

IMP. CÆS. DIVI NERVÆ F. NERVA TRAJANVS, anno duodecenteſimo Chriſti apud Agrippinam Coloniam agens, imperium accepit, atque id ei Nervam tradidiſſe inter omnes omnino convenit. Sed, utrum id Nerva, ſemet prorſus abdicando, & privatam ſortem induendo, fecerit, an imperium duntaxat cum ipſo communicando, non ita in aperto poſitum eſt. Prius videtur ſignificare Galerius Maximianus apud Lactantium in libello de Mortibus Perſecutorum c. 18. Cæterum, Trajanus, poteſtatem ſupremam ea moderatione & virtute geſſit, ut nemo illi ex Romanis Principibus anteferendus ſit, pauci pares putentur; proindeque *Optimi* cognomen, omnium conſenſu, meruit; & adeo *Monachos* quoque in ſuas partes traxit, ut prodiderint, ipſum precibus S. Gregorii, inferni cruciatibus liberatum. Scilicet, quod eſt apud Petrum de Natalibus in Catalogo Sanctorum; S. Gregorius Papa, die quadam per forum Trajani tranſiens, recordatus virtutum quas de Trajano Imp. legerat, quodque ex ſola ignorantia, cum maxima tamen moderatione, Chriſtianos perſecutus fuerat, ad S. Petri baſilicam devenit, & pro eo amariſſime flevit. Cujus lacrymis

crymis Deus placatus, mirabili diſpoſitione Tr
janum revocavit ad vitam. Vbi ſuſcepto b
ptiſmate, gratiam conſecutus, veniam meru
& ſic iterum obdormiens, gloriam obtinuit. Sa
fuit tam rigidus cuſtos æqui, hoſtisque impro
tatis Trajanus, ut Præfectum Prætorio, *Saburan*
nomine, cum inſigne ei poteſtatis *pugionem* t
deret, his verbis affatus ſit: *Cape tibi hunc pug
nem: eodemq; ſi bonus fuero, pro me, ſi malus,
verſus me utitor.* Fuit quoque temperans ir
laboris patiens, tantaque erga milites indulge
tia, *ut cum faſciæ ad obligandа vulnera deeſſent,*
ſuæ quidem ſubuculæ peperciſſe legatur. Por
erat amicitiarum cultor, publice privatimq
liberalis, conſultiſſimus humani juris diviniq
fautor eruditorum, omnique poteſtatis ge
tempore, talem ſe exhibuit privatis, quales
eſſe Imperatores, privatus optaverat. E
ctiones improbans atque deteſtans, *Fiſcum,*
nem vocabat, quod eo creſcente, reliqui ar
contabeſcerent. Igitur, non injuria, in acclan
tionibus ſequentium Principum, illud a Diis
pulus Romanus precabatur, ut *Feliciores Au
ſto, meliores Trajano*, exiſterent. Sed, uti n
ex omni parte perfectum eſt, ita *vinolentiam,*
deditus erat Trajanus, & illud acerrimum *C
ſtianos perſequendi ſtudium*, merito in eo quis
prehendat. De reliquo, quod ad *res militiæ
ſtas* attinet, intulit Trajanus bellum *Decebalo, D
corum Regi*, eumque cruento prælio victum,
pacem petendam compulit: cumque mox i
rum rebellaſſet, Danubium, mirandi operis *pon*
(habuit enim pilas ex lapide quadrato 20. al
er

erat pedes 150. latus 60.) conſtravit, victisque Dacis, eo deſperationis Decebalum redegit, ut mortem ſibi conſciſceret, occultatis prius theſauris in *Sargetia* flumine. In Orientem profectus Trajanus, *Armenios*, *Iberos*, *Colchos*, *Sarmatas*, *Arabes*, *Boſphoranos*, perdomuit, cunctasque gentes, quæ inter *Indum* & *Euphratem*, bello concuſſit, Perſarum Regi *Choſroï* obſides imperans. *Seleuciam* quoque, *Cteſiphontem*, & *Babylonem*, aliasque urbes ſubegit. Cumque *Judæi*, in Romanos & Græcos omni crudelitatis genere, per Ægyptum & Cyprum, *Andrea*, & *Artemione* Ducibus ſævirent, immanemque ſtragem ediderint, Trajanus, per *Quietum* & *Turbonem* Legatos, illos compeſcuit. Circa hæc tempora ingens *terræ motus*, *Antiochiam*, dum ibi Trajanus hibernat, evertit: cujus cladis ſenſus ad univerſum Orbem pertinuit, ob magnam multitudinem eorum, qui undecunque gentium, Cæſaris cauſa eo confluxerant, & maximam partem ruinis fuere oppreſſi, quos inter, etiam *Pedo*, Conſul Romanus fuit. Ipſe Imperator, ab ignoto per feneſtras eductus, ægre evaſit, tantoque metu egit ſub dio, ut etiam ceſſante terræ motu, per dies complures, tecto ſe committere auſus non ſit. Deficientibus interea loci *Parthis*, dum adverſus illos expeditionem parat, in morbum incidit, perlatusque *Selinuntem* obiit A. C. 117. ab eoque urbs ipſa nomen Trajanopolis accepit. *Vixit annos 64. imperavit fere 19. Vni, ex omnibus, & triumphus mortuo, & ſepulchrum intra urbem datum.* Cineres in foro Trajano conditi, urna aurea, monumentumque fuit *Columna teſtudinata*,

nata, quæ in hunc usque diem Romæ ſupereſt opus non minus altitudine, quam cælatura, memorabile, ſtupendumque.

Vxorem habuit Trajanus PLOTINAM, fœminam egregiam, bonisque moratam moribus. Oſtendunt quoq; nobis Numi, Sororem ejus *Marcianam*, in cujus honorem, Trajanus civitatem in Dacia, victo Decabalo condidit, & *Marcianopolim* appellavit. Ea filias peperit duas, *Sabinam*, Hadriani uxorem, & *Matidiam* alteram.

RES JVDÆORVM.

HERODES M. poſt occiſos Alexandrum atque Ariſtobulum filios, Antipatri inſidiis, quem e liberis natu maximum habebat, & qui jam rapere regnum, quam diutius expectare malebat, inſidiis appeti cœpit. Hunc ergo pater, tentati parricidii convictum, in carcerem conjicit, atque rem *Cæſari Auguſto*, per Legatos denunciat. Interim ipſe, jam ſeptuageſimum agens annum, ætate & ægrimonia confectus, in morbum incidit, cui leniendo, neque medicamina, neque aquæ calidæ, quibus utebatur, proficiebant: unde ex doloris impatientia, eo devenit, ut manus ſibi inferre conaretur, nihil interim ex ſævitia remittens. Vivos enim exurere juſſit *Judam* & *Matthiam*, nobiles eruditosque juvenes, quorum ſuaſu, nonnulli *Aquilam auream*, quam in frontiſpicio Templi Auguſto dedicaverat, deturbaverunt. Dein immani conſilio, *Salomæ* ſorori ejusq; marito *Alexæ*, negotium dedit, ut primores Judæorum, qvos ob id Hieroſolyma Hierichuntem, ubi æger decumbebat, evocatos, in circo

co

concluſerat, ſtatim atque ipſe animam exhalaſſet, occidi curarent: quo ſic populus Judaicus, quem morte ſua impenſe gaviſurum ſciebat, luctus univerſalis cauſam haberet, primario cujusque *familiæ* peremto. Accepta quoque ab Auguſto facultate, quinque ante mortem diebus, *Antipatrum* filium, cum fugam e carcere moliretur, ſuſtulit. Denique, cum ſupremis tabulis, filio *Archelao* regnum, *Philippo* provinciæ partem, Tetrarchiæ nomine, reliquiſſet, deceſſit,

Vitaq; cum gemitu fugit indignata ſub umbras.

ARCHELAVS, mortuo Herode patre, poteſtatem, (dilata tamen, ceu juſſus a genitore fuerat, ad Auguſti conſenſum, Regis publica appellatione,) rerumque adminiſtrationem ſibi vindicat, & mox populi ſeditione vexatur; quam ille, cum verbis non poſſet, acri 3000. hominum cæde, in ipſa paſchali celebritate, repreſſit. Dehinc *Romam* profectus, quamvis a fratre *Herode Antipa*, quem pater priori teſtamento heredem ſcripſerat, Legatisque Judæorum graviter accuſatus, obtinuit tamen ditionem a patre relictam, *Judæam* nempe, & *Idumæam*, quibus Auguſtus, *Samariam* quoque adjecit, verum, non Regis, ſed *Ethnarchæ* titulo, ſpe regii nominis facta, ſimul ac eo dignum ſe præſtitiſſet. Reliqua ita diviſit Auguſtus, ut *Philippus*, Archelai frater, *Trachonitidis* ſive *Ituræ*, ad radices montes Libani, & fontes Jordanis, in longum porrectæ regionis, vicinarumq; ditionum, *Herodes Antipas*, Galilææ, & Transjordanenſis regionis, Tetrarchæ eſſent: *Salome*, Herodis ſoror, civitates aliquot

quot accepit. Sic igitur quatuor heredes, un
verſæ dominationis, quam Herodes obtinuera
facti ſunt; atque hinc quoque *Tetrarchiarum* ap
pellatio. Nam, quod Salmaſius docuit, fallitu
ſi quis putat Tetrarchiam eſſe quatuor provin
ciarum aut oppidorum principatum: ſed ea vo
ſignificat proprie quaternorum ſimul in una e
demque provincia vel gente dominium: &, cùm
regio aliqua vel natio a quatuorviris regitu
ſinguli dicuntur Tetrarchæ, & ſingulorum ad
miniſtratio τεϛαρχία. Hoc pacto, unus ex H
rodis M. filiis, cui maxima pars obtigit, Εθνάρ
χης dictus eſt, duo τετράρχαι, quibus quarto lo
co Soror acceſſit, quæ aliquot urbium habu
τετραρχίαν. Mutata tamen poſtea ſunt dom
nia, & plures Tetrarchiæ in unum junctæ: ſ
ut nomen remaneret, mutata ditionis ac dom
nationis forma.

Archelaus domum reverſus, Alexandri fratr
viduam, *Glaphyram*, Cappadociæ Regis filiam
lege divina repugnante, (liberos enim Alexan
dro pepererat) ſibi matrimonio jungit. Po
annos vero 9. accuſatus ob crudelitatem a Ju
dæis, regno a Cæſare privatus, *Viennam in Ga
liam exulatum mittitur.* Hac occaſione, *Judæa*
Samaria, Syriæ provinciæ acceſſerunt, ſub Procura
tore tamen ſeorſim rectæ, qui hoc tempore fu
Coponius. Iſti, ſucceſſor a Cæſare Auguſto datu
eſt, *M. Ambivius*, quem excepit *Annius Rufus*, qu
Præſide Auguſtus deceſſit. Tiberius deinde Ca
ſar, in locum Rufi, *Valerium Gratum* Judææ pra
fecit, eique ex intervallo, ſubſtituit *Pontium P
latum.*

Ariſtobulo, quem Herodes pater, una cum Alexandro peremerat, genitus eſt AGRIPPA: qui Romam profectus, ob nimium *Caligulæ* ſtudium, quodque ei maturum imperium optaſſet, a Tiberio in vincula conjicitur. Poſt mortem autem Tiberii, a Caligula ſolutus, tetrarchiam Philippi, qui obierat, cum regii nominis dignitate, accipit, & aurea catena, quæ ferream, qua vinctus a Tiberio fuerat, æquabat, donatur: obtinuit quoque deinde Herodis Antipæ ditionem. Nec minore gratia apud *Claudium* floruit Agrippa, qui, quæ Caligula tribuerat, confirmavit, *addita inſuper Judæa & Samaria, quod olim ad ejus avi Herodis regnum pertinuiſſent: has igitur velut familiæ debitas reſtituit: Abilam autem & finitimam ejus ditionem in Libano, quæ Lyſaniæ fuerat, adjunxit de ſuo:* quæ Joſephi verba ſunt l. 19. Antiq. c. 4. Fit *Lyſaniæ* illius, apud Lucam c. III, 1. mentio, atque veriſimile eſt, illi *Abilenes principatum*, vel a Tiberio, vel, quod Caſaubono magis placet, ab Auguſto eſſe conceſſum.

Cæterum Agrippa, tam faventem habuit Claudium Imperatorem, ut etiam fratri ſuo HERODI, cui filiam *Berenicen* collocaverat, Regnum Chalcidis impetrarit. Atque hic Agrippa, in Actis Apoſtolorum Herodes dictus, *Jacobum Apoſtolum*, fratrem Johannis, gladio interemit, conjecitque *Petrum* in carcerem. Dehinc *Cæſaream* (Palæſtinæ ea urbs fuit, alio nomine *Turris Stratonis* dicta, quam Herodes collapſam reſtauravit, & in gratiam Cæſaris Auguſti ſic appellaverat,) profectus, dum ludos

edit

edit apparatu plane regio, & veſte argentea t
tus coruſcat; Deus ſalutatur ab adulante turb
Qui, cum intolerandam blaſphemiam non r
dargueret, repente conſpecto *bubone*, quem ant
ſeptennium, Tiberio dira minantem, German
ei quidam monſtraverat, percuſſum ſe ſenſit i
lico a Deo, cujus honorem rapuerat; ac ve
minante intus corpore, quinto poſt die, vita
finiit; cum Tetrarchiam Philippi tenuiſſet a
nis 7. Judæam vero, cum Samaria & Abilene, tr
bus annis.

Agrippæ ſoror fuit *Herodias*, quæ, deſert
matrimonio patrui ſui Philippi, ad *Herodem A*
tipam fratrem ejus tranſiit, & cauſa fuit, ut H
rodes *Johannem Baptiſtam*, id facinus taxanten
carcere primo mulctaret, dinde, ad preces f
liæ ejus *Salomes*, cui inſtigatrix fuerat, damn
ret capitis. Eadem hæc, fratri Agrippæ reg
am dignitatem invidens, inſana ambitione, A
tipam, ut Romam ſecum iret, & eundem h
norem peteret, impulit. At Romam delatu
& interrogatus de armorum apparatu, eum
eximium habere faſſus, conjurationis cum Pa
this ſuſpectus fit, ac ideo, ceu Romani Impe
hoſtis, *Lugdunum* in exilium deportatur, & T
trarchia ipſius Agrippæ permittitur: *Herodi*
tamen, quod Agrippæ ſoror eſſet pœnæ eximitu
facultates ſuas retinendi accepta poteſtate. Se
dum contra nititur, & cauſatur, ſe amore co
jugali prohiberi, quo minus ab afflicto diſceda
cui florenti adhæſiſſet, fortaſſe ut hac ſtroph
animum Cæſaris mitigaret, ille iratus, ipſa
exutam bonis, una cum marito in exilium i

jube

jubet, in quo ambo miſere perierunt, eademque ſors Salomen filiam manſit. Atque hæc quidem, ſuo interitu, parentum fata antevertit: eſtque de illius morte ſic apud Nicephorum l. 1. c. 20. *Eundum ei quopiam brumali tempore erat, & fluvius trajiciendus. Qui cum glacie conſtrictus coagmentatusq; eſſet, pedes eum tranſibat. Glacie autem rupta, (idq; non ſine Dei Numine) demergitur illa ſtatim capitetenus: & inferioribus corporis partibus laſciviens, molliusq; ſe movens, ſaltat, non in terra, ſed undis: caput vero ſceleſtum, frigore & glacie concretum, deinde etiam convulneratum, & a reliquo corpore, non ferro, ſed glaciei cruſtis reſectum, in glacie ipſa ſaltationem lethalem exbibet.*

Agrippæ filium, patri ὁμώνυμον, AGRIPPAM JVNIOREM qui Romæ educabatur, 17. annos natum, poſt patris obitum, *Claudius* Cæſar regno paterno deſtinabat: ſed, libertis & amicis tantum regnum adoleſcenti tuto credi non poſſe contendentibus, *Cuſpio Fado* Præſidi id commiſit. Is igitur poſt *Marullum*, a Cajo Cæſare miſſum, qui Pontii Pilati ſucceſſor fuit, res in Judæa adminiſtravit. Cæterum Agrippam, mortuo ejus patruo *Herode*, *Chalcidis Rege*, principatu Chalcidis Claudius donavit, quo tamen rurſus, poſt quadriennium, illum cedere juſſit, & tetrarchias Philippi ac Lyſaniæ accipere, quibus Nero partem Galilææ, & alias urbes adjecit. His ditionibus regio titulo præfuit Agrippa hic minor, ejusq; ſoror germana erat *Berenice*, fœmina pulcherrima, quæ prius nupta patruo ſuo, Herodi Chalcidis

Regi, poſt ejus obitum, cum fratre Agrippa fam
liarius converſata, ſuſpicionem inceſti incurr
Hanc ut a ſe amoliretur, nubit *Polemoni Re*
Ciliciæ, ſed mox, eo deſerto, ad fratrem red
Ambo, *Portium Feſtum*, Procuratorem, *Cla*
dii Felicis ſucceſſorem (inter quem & Cuſpiu
Fadum, ante memoratum, *Tiberius* quoque *Al*
xander, & *Ventidius Cumanus* interceſſere,) C
ſareæ ſalutaturi, ea occaſione, Paulum Apoſt
lum cauſam dicentem audiunt, illiusque inn
centiam agnoſcunt, prout ex Act. XXV. cap
conſtat. Aliam e ſororibus ſuis *Druſillam*,
ipſam egregiæ formæ, *Azizo Emeſenorum in S*
ria Regi, collocaverat Agrippa, quæ, ſolicita
a Præſide Judææ *Claudio Felice*, maritum de
ruit, & in ejus nuptias, ſpreta patria religio
conſenſit. Fuit *Agrippa Minor* Herodis fami
poſtremus, cumque Romanis adverſus Judæo
adjunxiſſet, atque in oppugnatione Hieroſo
morum conſilio ipſos juviſſet, Romæ deinde ol
diem ſupremum.

Cuſpii Fadi temporibus, quidam *Theudas*, p
ſtigiator, cujus mentio Act. V. 36. habetur, p
rimis Judæis perſuaſit, ut aſſumtis ſuis facul
tibus ſe ſequerentur ad Jordanem fluvium
enim eſſe Prophetam, & verbo ſciſſurum J
danem, ac tranſitum præbiturum. Sed Fad
hunc Theudam cum aſſeclis repreſſit, & int
fecit.

Sub *Ventidio Cumano*, in Paſchatis feſto, *m*
quidam impudentiſſimus, ut Judæorum ſo
mnia ſacra contumelia afficeret, populo nu
na

nates, & genitalia oſtenderat. Id Judæi indigniſſime ferentes, & Cumanum, quod ſceleris hujus conſcius eſſet, ſuſpectum habentes, injuriam vindicare inſtituunt. Interim ipſe quoque Cumanus copias colligit, unde multitudo perterrita, factis agminibus fugere cœpit: cumque anguſti eſſent viarum aditus, mutuis compreſſionibus & conculcationibus 20000. extinctorum numerata ſunt.

Cum *Claudius Felix* Judææ Præſidem ageret, *Ægyptius quidam impoſtor*, & Pſeudopropheta, Hieroſolymam venit, & plebi perſuadet, ut ſecum in montem Oliveti aſcenderet, ibi enim ſolo juſſu ſe diruturum mœnia, ut aditus in urbem pateat. Ea re cognita, Felix immiſſis in turbam militibus, cæſis 400. ducentos vivos capit. Impoſtor Vates, in pugna dilapſus, nusquam comparuit.

Portio Feſto, Felicis ſucceſſore, in Judæa fato functo, Nero ſubſtituit *Albinum*, hominum avarum, & cumulandis opibus unice intentum, ita ut nullum ſcelus tam atrox eſſet, cui non veniam pecunia impetrare poſſet. Iſtum deinde excepit *Geſſius Florus*. Hic Albano longe nequior, cuncta perverſe, crudeliter, & avare egit, ut latronibus favere, & prædam cum illis dividere eum non puduerit. Cum ergo injuriarum nec finis nec modus eſſet, &, ad deſerendas quoque religionis ceremonias Judæis vis fieret, arma capientes, a Romanis palam deficiunt. Quamobrem Nero, *Flavium Veſpaſianum* cum exercitu in Judæam miſit, qui de-

inde interfecto Nerone, Cæſar a legionibus ſal
tatus, bellum *Tito filio* conficiendum permiſ
Is, prope genti ac nomini Judaico exitium att
lit, urbe Hieroſolymorum ſolo æquata, & arat
ei inducto. Biduo a capta urbe, Templum
milite quodam incenſum, conflagravit, inq
eo Sacerdotum & propugnatorum ingens m
titudo. Sic deleta Judæorum Reſpublica, u
cum templo, ut liquido conſtaret, Deum r
vum ſibi elegiſſe populum, novam conſtitui
Eccleſiam, repudiatis Judæis, & abrogato
priſco ceremoniarum cultu.

INITIUM ECCLESIÆ NOVI TESTAMENTI.

MARIA MATER DOMINI.

MAriam, mulierum quotquot unquam fuere, futuræque ſunt, beatiſſimam, patrem *Joachimum*, & *Annam* matrem, æræ mundi an. 3932. genuiſſe, vetus eſt traditio. Ejus natalem, magna, & per omnia admiranda præceſſiſſe miracula, ſola conjectura ductus, contendit Card. Baronius. Apud Nicephorum lib. 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. 7. legitur, Annam, cum Joachimo diu ſterile egiſſe conjugium, &, quia denique indigne ferebat, ſibi illis honoribus ac bonis, quæ fœcundas matronas ex lege divina manebant, carendum eſſe, matris Samuelis, ſibi cognominis, exemplum imitando, & prolem a Deo precando, voviſſe ſimul, quicquid ex ſe natum eſſet, Numini ſe conſecraturam. Nata ſic Maria eſt, quæ, cum mater mammam ei præbere vellet, ab ejus lacte abhorruit, unde hæc infantem, ut, quod Deo promiſerat, præſtaret, ſimul ac tertium attigit annum, in templum detulit, Deoque conſecravit ex voto. Ibi, utpote ſacra res, in ſanctiſſimis adytis fuit educata: cumque adoleviſſet, conſilium inter ſe inierunt Sacerdotes, quid nunc facto opus ſit, cum lex divina, tum prohibere videatur, ut ejus ætatis virgo in templi loco initimo porro moretur; tum nec concedere, ut Numinis propria, cum viro connubium contrahat. Poſt longam deliberatio-

nem, denique nihil aptius viſum Sacerdotibu
quam ut Virgo, Joſepho, viro pientiſſimo,
decrepitæ ætatis, in manum conveniret, ſed nc
tangenda, & pro ſponſa perpetuo futura.
vero, ſi Epiphanium audimus, erat tum Joſ
phus haud minor octogenario, & ſex e prio
conjuge ſuſceperat liberos, Habet his aliqu
tenus conſona *Alcoranus*, in quo traditur, Jo
chimi conjugem, Mariam filiam, recens natar
voti, quo illam a Deo expetiverat, ream, d
tuliſſe in templum; ibi tum inter Sacerdotes
tem exortam, eccujus curæ committenda eſſe
quam, cum ſorte dirimere placuiſſet, favit ſo
Zachariæ. Is ergo Mariam domi ſuæ aluit in ſacr
rio privato, quod quoties ingrediebatur, reperi
bat Mariam colludentem cum omnis generis,
diverſiſſimarum anni tempeſtatum, floribus, fr
ctibusque, quas divinitus ſe accipere ajebat. S
nos, ſilente Scriptura, de iſtis aliisq; ſimilibus, q
vulgo narrantur, nihil temere credere ſuſtinem
Illud multo maximum eſt, electam fuiſſe Maria
virginem, ante jacta orbis fundamenta, cu
ſancta viſcera, Dei fierent auguſtiſſimum te
plum; in cujus utero, divinæ & humanæ natu
fieret conſociatio, &, ut virgo conciperet, par
retque. Eſt vero, quod Caſaubonus in Exercit
tionibus ad Baron. in Apparat. n. 47. quoq; agn
ſcit, traditio vetuſtiſſima, Deiparam, cum Serv
torem pareret, annis ætatis ſuæ XIV. exacti
decimum quintum fuiſſe ingreſſam.

Canticum Mariæ, quod Lucas nobis ſervavit, c
ſacrum & ſanctum univerſa Eccleſia ſuſpicit C
tholica: ſed ejus *Epiſtola, tanquam ad S. Ignati*

ſcri

ſcripta, quæq; inter Beati hujus Martyris epiſtolas extat, eandem autoritatem non habet: quin nec in Græcis Codicibus reperitur, neque Patres ante Bernhardum ejus meminerunt, teſte Bellarmino de Script. Eccleſ. p. 27.

Juvat tamen Mariæ illam Epiſtolam huc coram afferre. Scripſerat Mariæ, Ignatius: *Me neophytum, Johannisq; tui diſcipulum, confortare & conſolari debueras. De Jeſu enim tuo percepi innumera dictu, & ſtupefactus ſum ex auditu. A te autem quæ ſemper ei fuiſti familiaris, conjuncta, & ſecretorum ejus conſcia, deſidero animo, fieri certior de auditis. Scripſi tibi alias, & rogavi de eisdem. Valeas, & neophyti qui mecum ſunt, ex te, & per te, & in te confortentur. Amen.* Ad iſta, tale dediſſe reſponſum fertur Beata Deipara: *Ignatio, dilecto diſcipulo, humilis ancilla Chriſti Jeſu. De Jeſu, quæ a Johanne audiſti & didiciſti, vera ſunt. Illa credas, & illis inhæreas, & Chriſtianitatis votum firmiter teneas, & mores & vitam voto conformes. Veniam autem una cum Johanne, te, & qui tecum ſunt, viſura. Sta in fide, viriliter age, nec te commoveat perſecutionis auſteritas, ſed valeat, & exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari tuo. Amen.*

Magis adhuc ſubleſtæ fidei, ſunt *duæ aliæ Epiſtolæ*, quarum unam Diva Virgo ad *Florentinos*, alteram ad *Meſſanenſes* ſcripſiſſe fertur, etſi non deſunt, qui multum his quoque tribuunt.

Nicephorus l. 15. Hiſtor. Eccleſ. c. 14. ſcripſit, *Lucam Apoſtolum, ſuis manibus pinxiſſe Divam virginem*, illa adhuc vidente tabulam, ac probante. Ipſe Nicephorus, ex Epiphanio, non fragilem & caducam, ſed immortalem hanc B. Virginis re-

præſentare conatus eſt effigiem: Erat ſtatura m
diocri, quamvis ſint, qui eam aliquantulum m
diocrem exceſſiſſe dicant. Colore fuit triticu
referente, capillo flavo, oculis acribus, ſubfl
vas, &, oleæ colore, pupillas in eis habens. S
percilia ei erant inflexa, & decenter nigra; n
ſus longior, labia florida, facies non rotund
nec acuta, ſed aliquanto longior, manus fim
& digiti longiores. Jam, mores quoque adu
braturus, ait, fuiſſe Deiparam in rebus omnib
honeſtam & gravem: cumque facilis eſſet ad a
diendum, pauca tantum & neceſſaria verbis bla
dis, ſed, cum dicendi quadam libertate, loqu
tam eſſe. Abſtinuiſſe a riſu, perturbationib
quoque, & maxime iracundia. Fuiſſe faſt
omnis expertem, ſimplicem, ſimulationis & d
ſimulationis inimicam, ita ut nec veſtibus a
ſcititio colore imbutis uteretur.

De *Obitu Mariæ*, prolixam apud eundem Ni
phorum hiſtoriam, dabimus contractam qua
tum licet. Anno quinto Claudii Imperator
cum B. Virgo ſexageſimum ætatis ageret annu
nuncium a Filio per Angelum accepit, de ho
mortis imminente. Illa læta, domum (e
hæc Johannis, apud quem degebat,) purga
propinquos & neceſſarios, ac fœminas primar
omnes Hieroſolymorum urbis, accerſit, iisq
palmæ ramum, quem victoriæ ſignum divi
tus acceperat, commonſtrat, & duas ſuas t
nicas, viduis vicinis, bene de ſe meritis, leg
Congregatis undecunque per tonitrua & ni
borum ſonos, inter quos ſublimes per aëra fe
bantur, ex ipſis orbis finibus, *Apoſtolis*, & fa

ard

ardentes geſtantibus, cum ſupremum vale dixiſſet, placide obdormivit, ejusque animam, Filius illius, qui innumeris Angelis comitatus cœlo deſcenderat, ſuſcepit. Corpus, in lecto jacens, mox miraculis claruit: ut cæcis oculorum, ſurdis aurium uſus reſtitueretur. Feretro impoſitum, non Apoſtoli tantum, ſed & Angelicæ turmæ, cantantes, ad Gethſemane vallem, proſequebantur. Auſus eſt quidam Judæus nefarius in feretrum involare, ſed cujus manus ab ulnis avulſæ, feretro affixæ pendebant, quoad eas, pœnitenti, Petrus cum articulis rurſus conſolidavit. Succeſſit deinde in *Gethſemane ſepultura*, ac auditi ſunt Angeli, per triduum integrum, pſallentes ſuaviſſimis modulationibus. Solus Apoſtolorum ab his exequiis abſuerat *Thomas*, divina ſine dubio diſpoſitione, quo ſic de corporis in cœlum translatione, poſteris conſtaret. Is die, poſt juſta funebria celebrata, tertio, adventans, cum multum de infelicitate ſua queſtus eſſet, quod Matrem Domini ante obitum videre haud licuit, convenit inter Apoſtolos, de ſepulchro, in ejus gratiam, aperiendo. Hoc aperto, nullum comparuit corpus, ſed ſola linteamina & ſudaria, ceu in Chriſti quoq; monumento evenerat, reperiuntur apte diſpoſita, perinde atque ea corpus jam modo reliquiſſet; odor vero fragrantiſſimus, quem tumulus exhalabat, omnes replevit.

Pridem obſervarunt Thelogi, B. Mariæ Virginis, extra Chriſti nativitatis hiſtoriam, raro admodum Evangeliſtas meminiſſe; Apoſtolos autem nuſpiam ejus mentionem facere, quod

ideo ſic eveniſſe merito aſſeverant, ut conſ
veritas illi Act. IV. 12. unicum eſſe Chriſti n
men, in quo nos oporteat ſervari.

Pulcheriæ Auguſtæ, *Zonam* Divæ Virginis,
ſepulchrales quoque ejus Faſcias, *Leoniq;* poſtm
dum *Magno* Imperatori, unam ex tunicis bin
quas moriens reliquerat, obveniſſe, a Nicepho
inter memorabilia proditum eſt. Hinc jure d
bitet quis, num illo adhuc tempore, quo is ſc
pſit, ſcripſit autem Seculo demum a nato Ch
ſto XIV. tanta Reliquiarum B. Virginis exti
rit in Orbe copia, quanta nunc paſſim depr
henditur. Ob cauſam non unam, & quia v
rie id conferre poteſt, ſubjicio catalogum illaru
quæ ad *Johannis Hoornbeekii*, Theologi Bata
notitiam pervenerunt, verbis, quibus ipſe in e
amine Bullæ Vrbani VIII. Pontificis, de Ima
num cultu, Lipſana hæc ſeriatim recenſuit, pa
cis tantum demtis.

Mariæ domus, miniſterio Angelorum, transla
e Palæſtina in Illyricum, ac inde in Italiam, vi
tur in æde Lauretana: *Hic Sanctiſſima Dei ge
trix in lucem edita; hic ab Angelo fuit ſalutata;
æternum Dei verbum Caro factum eſt:* Joſeph
Geldolphus a Ryckel, *in Phylacterio Reliquiar.
S. tractatu VI, pag. 573.* Inſuper ibidem armar
lum aliquod, *utenſilesq; aliquot reculæ, quas in
Chriſto & B. Virgini Matri fuiſſe opinatiſſimum e*
inquit idem. Duæ columnæ ex eadem Mar
caſa Romæ aſſervantur, in Templo Johan
Lateranenſis. De Mariæ *Camera*, in Gemb
cenſi monaſterio. Quin & de *Cunis* ejus, in Ge
blacenſi. *Lecti* ejus partem Romæ in S. Mar

Ma

Majoris oſtentant; & Audomaropoli, in Collegio Anglorum. De *Capillis* Mariæ, qui flavei ſcilicet coloris fuerunt, Romæ in templis S. Crucis; & Johannis Lateranenſis; & S. Mariæ ſuper Minervam; & S. Siſti; atque alibi. videl. Oveti. Aquisgrani. Duaci. Audamoropoli. Matiſconæ. Cluniaci. Nuceriæ. Luneburgi & Hildeshemi. Altimonti in Calabria, & in Mareolenſi cœnobio: in Arteſia etiam in Mariæ Virginis Monaſterio, in Croylandia. Clarifontis, cœnobium eſt ordinis Ciſtercienſis, in Ducatu Lutzenburgenſi. In Monaſterio Windbergenſi, in Bavaria. Cameraci, in S. Autberti. in Foreſtenſi. in Gemblacenſi. in Laubienſi, ad Sabim in Marchianenſi. Inſulis. Quercu Cincti. in Salſinenſi. Brugis, in S. Salvatoris. Moſæ Trajecti, in S. Servati. In Abbatia Trudonenſi. Mediolani, in Eccleſia B. Mariæ, de Pace; in Eccleſia de Corbetta; in Monaſterio S. Magdalenæ; in Eccleſia S. Ambroſii; & Carmelitarum; & S. Michaelis. Neapoli, in Eccleſia S. Mariæ, de Sapientia; & & S. Pauli Majoris; in Monaſterio S. Patriciæ; in S. Gaudioſi; & B. Virginis de conceptione; & S. Ludovici; & S. Catharinæ Senenſis. *Interulæ* Mariæ, Camiſiam appellant, ſupereſſe dicuntur Carnuti, in Gallia: in Marchianenſi, apud Walciodorenſes. In Salſinenſi cœnobio. Aquisgrani, in Germania. Aquisgranenſes addunt, ſuam eam eſſe, qua induta B. Virgo erat, quum Chriſtum pareret. Præterito anno cIↃ IↃ c L. die x. Julii, quo oſtenſæ peregrinis, quod ſingulo fit ſeptennio, omnes apud Aquisgranenſes reliquiæ, quarum etiam typus extat, prima pro-

clamatio de Veſte B. Mariæ Virginis fuit : *Vo*
induſium exhibebitur, veſtis illa ſacra , qua Mar
Deipara, in Nocte Nativitatis Dominicæ induta fu
cum verus Deus & homo Chriſtus Jeſus ex ea naſc
retur. Et Mediolanenſes, in S. Barnabæ. Bruxe
lis in Carthuſia. In Collegiata Eccleſia S. Pe
Lovanii, partes de Mariæ Camiſia oſtendunt.
Moſæ-Trajecti olim in S. Servatii. Ex ejus *Veſ*
bus ſe habere aliquas jactat Roma , in temp
S. Joh. Lateranenſis ; in S. Thomæ ; in Mar
ſuper Minervam ; in S. Blaſii ; in S. Barbaræ ;
æde Laurentii, extra Vrbem. Venetiis ex do
Leonis Imp. Baronius ad A. DCCCXIV. P
gæ. In Monaſterio S. Æmiliani , in Hiſpan
Oveti quoque, in Hiſpania. Conſentiæ, B
neariæ, in Calabria. Locri, & Brianci, op
dis in Italia. Aquisgrani. Pariſiis. Tung
Duaci, & in monte S. Eligii, juxta Atrebatu
Mediolani, in Eccleſia S. Satyri ; in S. Mariæ
Clarevalle, in diœceſi Mediolanenſi ; in Eccle
de Corbetta ; & Monaſterii S. Arderici ; &
Ambroſii, in nemore ; & Carmelitarum. N
poli, in Eccleſia S. Ludovici ; & S. Cathari
Coloniæ, in S. Geronis, de veſtibus Mariæ ſ
oſtendunt quoque reliquias. Brugis, in S. D
nati. in Floreffienſi. in Foreſtenſi, prope Brux
las. in Gemblacenſi. apud Walciodorenſes.
Parcenſi. Quercu-Cincti. in Salſinenſi. Can
raci, in S. Sepulchro. Vltrajecti olim, in S. Johann
Zonam habent Romæ, in S. Mariæ Majoris. B
gis, in S. Mariæ. Aquisgrani. Atrebati. Prag
Montisferrati. & Mediolani , in Eccleſia S. V
ſulæ ; in PP. Servitarum, de ejus *Cingulo :* id
Ne

Neapoli, in Monaſterio S. Mariæ Donna Romita. & Coloniæ, in Gradibus Mariæ. Namurci. Audomaropoli, in cœnobio Bertinenſi. in Salſinenſi. Et *Lactis*, quod ex ejus uberibus manarit, quanta ubique terrarum eſt copia? Romæ quidem in templis S. Clementis; & S. Chryſogoni; & SS. Coſmæ & Damiani; S. Siſti. Aſſiſiis. Oveti. Toleti. Duaci. Tungris. Trajecti olim. & Gerardi Montibus. in Floreffienſi, prope Namurcum. in Laubienſi, ad labim. in Broucburgenſi, ad Colme fl. Brugis, in S. Donati. Ogniaci. Inſulis. Pariſiis, in æde B. Virginis; & in Sacello Regio. Carnoti. In Monaſterio S. Æmiliani, in Hiſpania. Venetiis, in æde Simeonis; & in templo S. Marci. Mirabelli, in Apulia. Pragæ. Luneburgi. Hildeshemi. Mediolani, in Eccleſia Cathedrali; & in S. Barnabæ; & S. Ambroſii; & S. Vrſulæ; & in S. Mariæ de Clarevalle, quod abeſt Mediolano, IV. milliaribus; in Eccleſia, dicta de Garignano, ibidem; & S. Mariæ de Monte: & in Eccleſiá de Corbetta monſtratur pannus, lacte ejus aſperſus; in Eccleſia S. Carpophori; & Carmelitarum; & S. Johannis: & S. Catharinæ, in Brera; & S. Jacobi, Scholarium: omnia in diœceſi Mediolanenſi. Lactis reliquiæ proſtant quoque Neapoli, in Eccleſia S. Gandioſi; in Monaſterio S. Claræ; & S. Mariæ Donna Romita; in Eccleſia S. Ludovici. Etiam *Lacrymas* Mariæ quibusdam in locis aſſervant, æque ac lacrymas Chriſti. *Vittam*, Brugis. *Velum*, quod ſcilicet vultui obnubendo fuit, aliud Romæ, in S. Crucis; aliud in inſula Melita; tertium ſibi vendicat Terranova,

nova, Calabriæ oppidum. Quartum, Trev
Quintum, Aſſiſium. Tungri quoque, & At
bates, & Duaceni alia poſſident. Lutzembur
in Munſterienſi. In Salſinenſi. Moſæ-Traject
in S. Servatii. Inſulis Flandrorum. Adde, & P
gæ. Mediolani, in Eccleſia Cathedrali; & Paſſ
nis; & S. Satyri; de Corbetta; de Garignan
in Monaſterio S. Magdalenæ; S. Ambroſii, C
melitarum; & S. Eraſmi, in Burgo Novo. N
poli, in Eccleſia S. Mariæ Majoris; & Veſun
Liſii, in Italia. Coloniæ, in Collegiata Apoſ
lorum; atque ad Maccabæos peplum iſtud; q
Maria velata fuit, quando aſtabat Filio ſub cru
Pallium ejus in Carthuſia Bruxellenſi; & S. L
nati. *Sudarium* B. Virginis, quod ipſa prop
manibus, in templo Jeroſolymitano texuer
Coloniæ oſtenditur, in S. Barbaræ cœnobit
Carthuſienſium. Et *Faſciam* ejus quoque oſt
tant Mediolanenſes, ſemel in Eccleſia S. Bab
læ; iterum in B. Mariæ, in Brera. Ne quid
ſit, *Pecten* Mariæ habent ſcil. Trevirenſes:
oſtenditur quoque Romæ ad S. Martini; & V
ſuntii, ad S. Johannis. *Chirotheca* ejus aſſer
tur Audomaropoli, in Bertinenſi Abbatia. C
ceus ejus apud San Floridum. *Crepida*, apud
niacquerium. *Fuſum*, ſeu glomum Mariæ, oſt
tant Huyi, Eburonum oppido; filo ejus dig
adhuc diducto & preſſo. *Clavis*, quam po
dit, in S. Eligii eſt, prope Atrebatum. De
tra ſupra quam ſedit, Duaci, in S. Petri.
nulus pronubus, a Joſepho Mariæ in deſpon
tionis fidem, ſcil. 25. Novembris, quando ſp
ſalia, in Nazarethana B. Virginis domo celeb

b

bantur, donatus, oſtenditur Peruſii, in Italia. apud Mandubios, in Gallia. & apud Aquicinctinos: *rarum id virginis, ſi ejus ſcil. monumentum, vel ex eo; quod puerperii moleſtias acrius patienti præſens, earum ſtatim liberet*, inquit, ex Locrii *Maria Auguſta*, Arnoldus Raysſius in *Hierogazophylacio Belgico pag. 57.* nempe quemadmodum annulus pronubus, quo Joachim Annam, Mariæ parentem ſibi in matrimonium deſponſavit Romæ, apud D. Annæ Sanctimonales; ſed qui argenteus eſt. Annulum illum Mariæ Gemmarius aliquis Cluſio in Italia oriundus, & Romam profectus, coëmendarum gemmarum, aliorumque pretioſorum lapidum cauſa, a proxeneta aliquo Jeroſolymitano, inter alia, ejus ſc. fide, de qua hic antea etiam conqueſtus fuerat, coëmit, & Cluſium apportavit: ſed quod ipſe ille Gemmarius, Ranerius ei nomen, per decennium neglexit, usque dum a mortuo ſuo filio, & jam in funus elato, eo nomine increpitus, annulus iſte productus fuit: ad quem mox campanæ Cluſii ſponte feſtivum ſonitum, tanquam gratulabundæ, ediderunt. Cluſio Wintherius aliquis Germanus, Ord. Minorum, qui annulo cuſtodiendo erat propoſitus, eum auſuratus, Peruſium detulit An. MCCCC LXIII. quem, fruſtra eundem repetentibus Cluſinis, atque eos adjuvantibus Senenſibus, Peruſini ferrea cuſtodia, ne ipſis iterum auferatur, tenent: ſecurius jam, ex quo ab Innocentio VIII. ille iis adjudicatus fuit, ut divino beneficio acceptus: ad quem nuncium Peruſii omnia lætitiæ publicæ indicia, ignibus paſ-

ſim

ſim in foro, in turribus, & mœnibus ſtruct
edita fuere. Confert parientibus; oculorum a
em fovet, diſcordes conjuges conciliat, & f
gat dæmones, ſive ipſe, ſive qui ipſum attig
runt annuli alii, qui certatim huc aliunde m
tuntur. Joſephus Geldolphus a Ryckel in *Ph*
laEterio Reliq. Tractat. VIII. Feretrum Mariæ, La
duni, in Galliis. Et Pragæ, pars *Candelæ*, q
ad obitum ejus arſerit. De *Sepulchro* ejus pa
ticulæ, Romæ, in S. Sabinæ; item S. Laurent
Cameraci, in S. Autberti. in Floreffienſi, pro
Namurcum. in Foreſtenſi. in Parcenſi. Dua
in S. Petri. in Salſinenſi. Cameraci, in S. ſepu
chri. Et Medolani, in Eccleſia S. Thomæ; qu
in Eccleſia de Garignano habent, quæ oſte
dant de *Floribus*, ad ejus ſepulchrum exortis.
in Carthuſia Bruxellis, *de Loco*, ubi B. Vir
obiit. Et *Domum*, in qua obiit, oſtendunt M
diolani, in Eccleſia S. Barnabæ. Vti ibide
quoque nonnihil de *ejus Lecto*: de quo ſupra ja
diximus. Et *Peplum*, quo corpus ejus in ſepu
chro coopertum fuit, ſervatum olim Coloni
in templo Cordulæ. *Imagines* ejus, a Luca c
pictæ plures, variis in locis exhibentur. Rom
in Sacello Mariæ de Gratia; in S. Mariæ A
cœli; in S. Siſti; & S. Auguſtini. Venetiis. B
noniæ. Cameraci. Aquisgrani. Paduæ. Neapo
in Eccleſia Cathedrali.

Addo ab Hornbeekio obſervatis, ſymbola
non pœnitendam, Divæ nimirum Virginis *C*
rollam, ſive *Coronam oratoriam*, vel, ut vul
vocant, *Roſarium*, ad cujus 150. ſphærulas, p
totidem Davidicis Pſalmis, quos olim precab

tu

tur, Orationem Dominicam quotidie recitando dinumerare ipſa ſolebat. Hoc enim utique illam feciſſe, probatum dare inſtituit Maraccius, in Diſſertatione, *pro Marianæ Coronæ calculis*. Atque extat pars illius Coronæ, Romæ, in Templo quod *S. Maria in Campitelli* nomen habet, perhibente teſtimonium veteri diplomate ſacro: *In nomine Domini Amen. Anno 1217. Pontificatus D. Honorii III. Papæ, anno ejus 2. Indictione 6. menſis Aprilis die 5. conſecrata eſt Eccleſia hæc, ab eodem Summo Pontifice, & univerſali Papa. Per cujus ſanctas manus reconditæ ſunt in hoc Altari B. Mariæ Virginis, multæ reliquiæ Sanctorum & Sanctarum. Videlicet, de ligno S. Crucis; de Lacte, Capillis, & Veſtimentis glorioſæ Virginis Mariæ. Item, pars coronæ de pater noſter Virginis Mariæ &c.* Enim vero, nec contineo me, quo minus Reliquiarum B. Virginis recenſioni, imponam colophonem, illud, quod apud Laurentium Bochellum libro 4. Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ tit. de Reliquiis Sanctorum, ex Lucii l. 1. Placitor. relatum eſt inter decreta: *Sed vero Sacerdotes aliquando fuiſſe non negaverim eo cupiditatis atq; avaritiæ perductos, ut Divorum reliquias ementirentur, earumq; rumore hominibus accitis, & undiq; confluentibus, vim æris ingentem contraherent, piis interdum mentibus imponentes egregie.*

JOHANNES BAPTISTA.

JOhannes Baptiſta, omnium, naturæ lege in hunc orbem editorum, longe maximus, patre *Zacharia*, non (ceu plerisque quidem Veterum, multis quoque e Recentioribus perperam cre-

ditum eſt) Summo Pontifice, ſed, ita Luca
v. 5. diſerte nominatimque teſtante, Sacerd
Claſſis Abiæ, ſive octavi ordinis, Matre v
natus eſt *Eliſabetha*, ſterili anu & effœta,
ut nativitatem Angelus prænunciarit, quod M
hammedes Alcorano quoque inſerendum p
vit. Cum adhuc in utero geſtaretur, *ad præ*
tiam concepti Servatoris, præ gaudio exultavit
gnificans, ante hujus faciem ſe præire, illi
viam parare debere. Atque hoc deinde ipſ
præſtitit, ac Servatorem quoque in Jordane
ptizavit. Haud multo poſt, cum *Herodem A*
pam, Herodis M. filium, ob prræreptam *Phil*
fratri conjugem *Herodiadem*, ſevere corripui
primum in carcerem fuit conjectus, deinde
ex inſtinctu Herodiadis, ita precante filia *S*
me, capite mulctatus eſt, cujus corpus diſci
terræ mandarunt. Poſt mortem inferos adi
& ibi etiam animabus concluſis, jamjam in
tium advenientem ſalutem, & liberationem
nunciaſſe, Nicephorus tradidit. Operæ
tium eſt adſcribere, quæ de Johanne legu
apud *Joſephum l. 18. Antiq. c. 7.* etſi veram cau
ob quam Johannes fuit necatus, non habuit
ſpectam. Sic autem ille: *Apud Judæos*, inq
fuit opinio, juſta ultione Numinis (ab *Areta* Ar
Petrææ Rege) *deletum Herodis exercitum, pro*
Johannem, qui Baptiſta cognominatus eſt.
enim tetrarcha necavit, virum optimum, Judæo
citantem ad virtutum ſtudia, & imprimis pieta
juſtitiæ, ſimulq; ad baptiſmi lavacrum: quod it
mum Deo gratum ajebat fore, ſi non ab uno ta
alterove peccato abſtineant, ſed animis per juſti

prius mundatis, addant & puritatem corporis. Cumq; magni concurſus ad eum fierent, plebe talis doctrinæ avida, Herodes veritus, ne tanta hominis auctoritas, defectionem aliquam pararet, quod viderentur nihil non facturi ex ejus conſilio, judicavit ſatius eſſe, prius quam novi aliquid exoriretur, illum tollere, quam rebus turbatis ſeram pœnitentiam agere. Itaq; vinctum, miſſum in Macheruntem, illic occidi imperat. Hactenus Joſephus.

Caput Johannis, ſi Nicephorum audimus, Herodias in abſtruſiore Regiæ loco ſepeliendum curavit: ſi alios, quos Jacobus Philippus Bergomenſis Ordinis Eremitarum, in Supplemento Suplementi Chronicorum ſequitur, poſt regiam domum id abjici præcepit. Hoc autem, Theodoſio Imp. ceu volunt, Conſtantinopolin deinde fuit delatum, & nunc in monaſterio S. Sylveſtri *Romæ* colitur. Legitur porro apud Bergomenſem, gentiles, Juliano Apoſtata imperante, cum ægre & dolenter ferrent, Chriſtianis quocunque morborum genere correptis, medelam præſtare *Johannis in Sebaſte ſeu Samaria ſepulchrum*, oſſa inde eruiſſe, & redegiſſe in cineres; Monachos vero Hieroſolymitanos quædam ſervaſſe ex incendio. *Cinerum & favillæ Johannis*, jactant *Genuenſes* ſe factos eſſe compotes, una cum *Catena*, quæ illum conſtrictum tenuit, ſervantque hæc in ſacello quodam templi cathedralis, tanta religione, ut fœminæ illac ingredi prohibeantur. Monſtrant tamen *Senis* in Hetruria, etſi raro extra ferias quibus Johannis Baptiſtæ memoria celebratur, *brachium illius ſiniſtrum*, multa adhuc carne veſtitum. Melitenſes Equites, penes ſe Melitæ,

Patroni ſui *brachium dextrum*, illæſum adhuc e
tare gloriantur. Sed neceſſe eſt Indice digi
quo Chriſtum commonſtravit, careat, hu
enim Florentini ſeſe poſſeſſores jactant. *Muſ*
manni adeo quod ex Delmeta de Religione Ma
metana in Polyhiſtore l. 1. affert Johſtonus,
hannis Baptiſtæ Reliquias ſuſpexere, ac fuit
nes Alaharum, Damaſcenum Aſtrologum, *t*
nivei coloris, Johannis Baptiſtæ decollati cruore i
buta, quæ, guttas ſanguineas & recentes ex
dando, rei alicujus magnæ imminentis, om
edebat.

Aſſyriæ, Orientis regionis, loca quæd
inhabitat gens, quæ vulgo *Chriſtiani S. Johan*
appellatur, Eam, illorum, qui a Johanne
ptiſta, in Jordane, ſacratis nova religione
dis, luſtrati fuere, progeniem reputat Ignati
Jeſu, Carmelita Diſcalceatus, & in Baſſora M
ſopotamiæ Miſſionarius, in libello quem de ho
nibus iſtis Romæ A. 1652. edidit. Quod ſi
rum eſt, commonſtrant iſti Pſeudochriſti
miſeri, quantum longa dies valeat, in verit
ex animis mortalium eruenda, & ingere
in locum ejus erroribus. Aliquos eorum qui
iſti homines impliciti ſunt noſſe, veris Chriſ
nis ſalus eſt. Secundum hos ergo Johannes
ptiſta, non eo quo cæteri mortales conce
eſt modo, ſed per ſolum parentum mutuum
plexum. Nempe Matrem quoque Domini, c
cepiſſe volunt ex aqua, quam, Dei juſſu, h
ſerit ex aliquo fonte, ut perpetuo virginita
conſtaret. Cyaneum, ſive cæruleum color
cane pejus & angue averſantur, nec ullam r

eo imbutam, vel digito attingere audent. Cauſam, ſic exponit, ille quem laudavimus Scriptor: *Dicunt quod aliqui inter Judæos habuerunt in ſomnis quandam viſionem, ex qua didicerunt, quod per Baptiſmum Johannis debebat deſtrui lex Judæorum. Hoc audientes Judæi, & videntes S. Johannem Baptiſtam paratum ad baptizandum Dominum Jeſum, invidia moti, attulerunt magnam quantitatem Indici coloris, qui dicitur Nil, ex quo res tinguntur cærulei ſeu thalaſſini coloris, &, projecto dicto colore in aquas Jordanis, ubi baptizari debebat Chriſtus Dominus, aquas inquinaverunt, & effecerunt eas immundas, ut dictum baptiſmum impedirent. Hoc videns Deus Opt. Max. miraculoſe per Angelos juſſit afferri quoddam magnum vas, & impleri aqua pura ipſius Jordanis, & ſublevantes ipſum in aëre, S. Johannes in prædicto vaſe baptizavit Chriſtum Dominum, in aëre ſublevatum; & ex illo tempore Deus maledixit & excommunicavit hunc cæruleum colorem.* Sunt inſuper Chriſtiani hi S. Johannis perſuaſi, Johannem ſuſcepiſſe liberos quatuor, ſed quos neutiquam uxor, verum Jordanus fluvius illi pepererit. Volunt mortuum eſſe in Perſidis civitate Sciuſter, morte minime violenta, poſt obitum vero, corpus, prout præceperat, cruci fuiſſe affixum, ut Chriſtum conſanguineum (cujus tamen umbram ſolam in cruce pependiſſe arbitrantur) etiam in hoc ſupplicii genere anteiret: ſic deinde conditum eſſe cadaver, haud procul a Sciuſter, in ſepulchro cryſtallino miraculoſe conſtructo, idque Jordanum fluvium præterfluere. Denique tenent, tanquam a Johanne

acceptos, libros plenos fabularum, incantati-
num, ſortilegiorum, nugarumque.

JESVS CHRISTVS.

JEſus Chriſtus, Dominus Deusque noſter, h
mana carne aſſumta, ex Virgine Matre n
tus eſt *A. M. 3947. Vrbis 750.* imperante Aug
ſto, Conſulibus L. Cornelio Lentulo, & M. V
lerio Meſſalino. Hujus Servatoris unici, vita
doctrinam, miracula, quia omnes nos, ceu Ch
ſtianos homines, ſuæque ſalutis cupidos dec
habemus perſpectiſſima, ideo iſtorum recenſ
ne ſuperſedendum, nihilq; reſtat, quam ut ipſ
ſupplicibus votis veneremur, ne fructu exci
mus, quem nativitate, paſſione, morte ac reſ
rectione ſua, orbi univerſo, præcipue vero fi
libus promeruit; ac ut miſellis nobis peccato
bus, & viventibus & morituris, clemens ſit,
propitius. Cæterum, hic quoq; in iis merito
quieſcimus, quæ ſacrarum literarum monum
tis conſignata ſunt, nec admodum mover
aliis narrationibus, extra eas proditis. Sozor
nus, ad *Chriſti infantis adventum in terram Æg*
Perſeam arborem proceram, quæ ad port
erat Hermapoleos, ſe inclinaſſe, & ſtatuas om
concuſſas fuiſſe, autor eſt. *Muhammedes*, in Al
rano, ſcribit Chriſtum adhuc in cunis jacent
in modum perfectam ætatem agentium loquutum
finxiſſeque deinde *aviculas e luto*, iisque aff
vitam dediſſe, ut evolitarent. Sed hæc, & ſi c
alia, majorem etiam, quam Muhammedis d
ria, ſpeciem habent, clariſſime confutat Johar
c. II. quando *aquæ in vinum converſionem*, pri

P

pium fuiſſe ait ſignorum, quibus Salvator gloriam ſuam manifeſtam fecit: quod nos, ceu abſolute dictum, etiam citra limitationem, uti par eſt, accipimus. Notandus inſignis locus Chryſoſtomi homil. 20. in Joh. *Qui tam brevi miraculis claruit, multo magis a prima infantia claruiſſet, ſi ea feciſſet. Fuiſſet enim majori admirationi utpote puer, quam vir, neq; tam diu in obſcuro latuiſſet. Sed nihil a puero operatus eſt. De uno duntaxat Lucas; nec immerito in teneris annis Jeſus a miraculis abſtinuit, arbitrati enim fuiſſent, ſe præſtigias videre. Nam, ſi annorum acceſſu, & ætate matura, multi id ſuſpicati ſunt, quid de puero credidiſſent?* Hactenus pius Chryſoſtomus.

Vti vero de ipſomet Chriſto, ſic & de rebus, aut perſonis ipſi addictis, a nobis ſegregamus, proditas ſive fabellas ſive fabulas; & quæ volumen integrum, ſi recenſeri debeant, depoſcerent. Quo, ut nonnullas tantum, & quidem ad vitæ Chriſti primordia attinentes, exempli cauſa allegemus, pertinet, quod apud Gregorium Turonenſem legitur, *Stellam quæ Magis apparuit*, poſtremo cecidiſſe in puteum quendam Bethlehemi, ac etiamnum in fundo illius ſpectari, ſed non niſi a virginibus. Pertinet item huc Fragmentum Græcum, quod ex Codice vetuſto Bibliothecæ antiquæ Palatinæ, Exercitationi 2. ad Annales Eccleſiaſticos Baronii inſeruit Eruditiſſimus Caſaubonus, hac addita interpretatione: *Nomina paſtorum in Bethlehem, Miſael, Acheel, Cyriacus, & Stephanus. Magorum nomina qui Dominum adoraverunt, Ator, Sator, & Perateras. Hæc nomina ſi quis ictus a ſerpente,*

aut ſcorpio, aut alio reptili venenoſo animali, o nova interiori parti inſcripſerit, cum pingui tæda a dente, & cum ſanctificatione ſanctorum apparitio Dei feſtorum ollam obſtruxerit, ictiq; nuncio trac derit, confeſtim ictus ſanitati reſtituitur. Ejusde farinæ eſt, quod in Hiſtoria Scholaſtica legitu Magos, qui Chriſtum adorarunt, Hebraice d ctos fuiſſe, *Appelius*, *Amelius*, & *Damaſcu* Græce; *Galaath*, *Malgalath*, & *Sarathim*. La tine; *Caſpar*, *Melchior*, *Balthaſar*. Item, quo vulgo creditur, poſteriora tria nomina, ſi in aurer inſuſurrentur, aut membranæ inſcripta e coll ſuſpenſa geſtentur, epilepſiæ morbo correpti mederi; fidem facientibus verſiculis notis:

Caſpar fert Myrrham, Thus Melchior, Balthaſa
Aurum;
Hæc tria qui ſecum portabit nomina Regum,
Solvitur a morbo, Chriſti pietate, caduco.

Habent cum his affinitatem, multa ex iis, quibus ante annos non adeo multos, in integro Italici idiomatis libro, cui *Proprinomio Evangelico* titulus, nos beavit *Donatus Calvi Bergamenſis*, de quo, encomiaſtes, in præfixo commentationi huic elogio, ut molliſſime dicam, proterve prædicat: *multis* Nominibus *debere Cœlum* Calvo, *alienum in ſacris paginis* Nomen *tot laboribus quærenti, quot alii ſuum. Nempe, qui Petro tradidit Claves, jam ut annalium ſuorum obſcura aperiat*, a Donato *Chriſtum* Clavem *accipere.* In hoc ergo libro, Autor nobis inter cætera prolixe revelat, quis Chriſtum circumciderit: quoto numero fuerint infantes ab Herode occiſi: in

qua

qua Ægypti civitate, & apud quem incolam ejus, Joſephus & Maria cum infante Jeſu fugientes, receptum quæſiverint: quis ille mons fuerit in quem tentator Diabolus Chriſtum traduxit: quis Sponſus & Sponſa nuptias celebraverint Canæ in Galilæa; quosnam Diſcipulos Chriſtus convivas ſecum adduxerit, & quis in his epulis architriclini officio ſit functus: quot & quales Chriſtus ſuis manibus baptizaverit: nec minus quem ludum luſerint pueri quorum Matth. XI, 16. mentio. Indicat porro, quibus nominibus inſigniti fuerint, ſocrus Petri, ejusque conjux; adoleſcens, quem mortuum in urbe Nain Chriſtus vitæ reſtituit; diſcipulus, qui a Chriſto magiſtro veniam petebat ſepeliendi patrem & matrem; fœmina, quæ contactu fimbriæ Chriſti, a fluxu ſanguinis fuit ſanata; ille miſer, qui per tot annos æger ad piſcinam probaticam fruſtra decubuerat; & Angelus qui aquas piſcinæ commovere ſolebat; mulier Samaritana, quæ ad fontem Jacobi cum Chriſto colloquebatur; puer qui Chriſto in deſerto quinque panes triticeos & duos piſces porrigebat: mulier, quæ Chriſto acclamans, beatum prædicabat ventrem qui illum portaverit; mulier alia, in adulterio deprehenſa; cæcus ex nativitate, cui Chriſtus viſum conceſſit; infans quem Chriſtus in medio Diſcipulorum conſtituit, dicens: *Niſi efficiamini ſicut parvuli*; & dives epulo, qui quotidie genio indulgebat. Declarat quoque, in quod Caſtellum ablegaverit Chriſtus duos diſcipulos, ut ibi caperent aſinam pullumque, cum ingreſſum in urbem Hieroſolymam celebrare vellet; in cu-

jus ædibus Chriſtus ſupremam cœnam celebraverit; cui ex Apoſtolis primo, Chriſtus pedes laverit; quis fuerit adoleſcens ille, qui cum Chriſtus captivus duceretur, a militibus comprehenſus, relicta ſindone nudus aufugit; quis Chriſto alapam impegerit, dicens: *Siccine reſpondes Pontifici?* quæ fuerit Pilati conjux; qui fuerint latrones illi, quos una cum Chriſto crucifixionis ſupplicium manſit; eccui Centurioni, Chriſti crucifixi cuſtodia fuerit commiſſa; quis ex militibus Chriſti latus lancea aperuerit. Denique oſtendit e quo ſpinæ genere contexta fuerit corona, quæ Chriſti capiti impacta; e qua arbore Judas ſe ſuſpenderit; quibus verbis conceptis Pilatus ſententiam capitalem adverſus Chriſtum promulgaverit; quale lignum cruci Chriſti materiem præbuerit; ecqui in flagellando Criſto manus adhibuerint; eccui militum Chriſti tunica inconſutilis ſorte obtigerit; quæ petræ, quæ ſaxa, Chriſto moriente fiſſa fuerint; quis Angelorum Chriſtum in horto Gethſemani ſolatus ſit; & quis eorum piis fœminis in Sepulchro Servatoris conſpiciendum ſe præbuerit.

Sed, ut ad Chriſtum revertamur, is quidem ſalutem humano generi viva tantum voce annunciavit, nec niſi ſemel apud *Johannem c. VIII.* ſcripſiſſe legitur, & quidem in pulvere, etſi quid ſcripſerit, non omnino conſtat. Quamobrem epiſtola, quæ, Servatoris nomine, ab Euſebio l. 1. c. 14. præpar. tanquam ad *Abgarum, Edesſenorum* in Syria Regem, ſcripta adducitur, jure ſuſpecta eſt. Vt nihil dicamus de blaſphemo Juliani Apo-
ſtatæ

ſtatæ mendacio, qui, Chriſtum de *Magia ſcripſiſſe*, & librum, Petro ac Paulo dedicaſſe, ſacrilege commentus eſt, effutiitque, teſte Cypriano *l.* 1. contra Julianum.

Interim illa, quæ Abgarus ad Chriſtum ſcripſiſſe, quæque Chriſtus reſpondiſſe dicitur, merentur nihilo ſecius ut hic legantur. Exemplum epiſtolæ ſcriptæ a Rege Abgaro ad Jeſum, & ad eum miſſæ Hieroſolymam, per Ananiam curſorem, ex Henrici Valeſii verſione, tale eſt. *Abgarus Princeps Edeſſæ, Jeſu Servatori bono, qui in finibus Hieroſolymorum apparuit, ſalutem. Nunciatum eſt mihi de te, & de curationibus quas absque herbis & medicamentis operaris. Fama enim eſt, cæcis viſum, claudis greſſum abs te reſtitui, leproſos mundari, dæmonas & immundos ſpiritus expelli, diuturnis morbis oppreſſos ſanari. Quæ cum omnia de te audirem, ſic in animum meum induxi, aut te revera Deum eſſe, qui e cœlo delapſus hæc efficias, aut certe Dei Filium. Proinde ad te ſcripſi, orans, ut nos inviſere, morbumq; noſtrum ſanare non graveris. Audio enim Judæos tibi obtrectare, & inſidias in caput tuum ſtruere. Eſt mihi civitas, parva quidem illa, ſed ornata, quæ noſtrum utriq; ſufficiat.* Sequitur reſcriptum Jeſu ad Abgarum Regem, per Ananiam curſorem. *Beatus es Abgare, qui in me credideris, quem non vidiſti. De me enim ſcriptum eſt, eos qui me viderint, non credituros in me, ut ii, qui non viderint, credentes vitam accipiant. Quod vero ad me ſcribis, ut ad te proficiſcar, hic neceſſe habeo omnia implere, propter quæ ſum miſſus, iisq; demum abſolutis, ad illum qui me miſit, reverti. Cæterum cum primum ad eum me*

rece-

recepero, ex Diſcipulis meis aliquem ad te mittam, qui, & morbum tuum curet, & vitam tibi tuisq; omnibus præſtet.

Mortem ſubiit Chriſtus, ipſe quidem, neutiquam vero, (ceu Muhammedes impie in Alcorano prodidit,) alius ſub ejus ſchemate, anno ætatis XXXIV. nondum impleto. Nam, quod Irenæus l. 2. c. 39. docuit, illum quinquageſimum annum prope egiſſe, cum crucifigeretur, meris conjecturis nititur. *Deformem & tetricum vultu fuiſſe*, viſum Nicolao Rigaltio, eamque opinionem, in notatis ad Tertullianum & Cyprianum palam profeſſus eſt, cui ſe oppoſuit Vavaſſorus e Societate Jeſu Presbyter, edito libello, *de forma Chriſti in diebus carnis.* Ac fidenter Simeon de Muys in Comment. ſuper Pſal. XLV. ſcripſit: *Profecto dubium non eſt, quin Chriſtus, non animi modo, ſed etiam corporis dotibus & venuſtate, ſupra cæteros mortales omnes, qui unquam ſunt, fuerunt, aut erunt, cum etiam in his terris ageret inter mortales, excelluerit.* Confirmatur aſſertum, eo quod apud Damaſcenum l. 4. de fide Orthod. c. 17. & Nicephorum l. 2. Hiſt. Eccleſ. c. 7. legitur, Abgarum Edeſſæ Regem, cum fruſtra Chriſtum per Epiſtolam ut ad ſe venire dignaretur, ſolicitaſſet, miſiſſe pictorem, qui ſaltem vultum ejus ſibi effigiaret: pictorem autem cum id exequi conaretur, & manum tabulæ admoveret, ob ſplendorem e vultu Chriſti emanantem, cæcutire, tremere, & horrere cœpiſſe. Addunt Scriptores illi, ipſum Chriſtum, pietate Abgari motum, imaginem ſuam linteo impreſſiſſe, atque hoc ectypo ipſum donaſſe. Volupe eſto, vel eam intueri

tueri effigiem, quam Nicephorus, ex veterum, ceu teſtatur, traditione, ſic expreſſit: *Egregio is vividoq; vultu fuit. Corporis ſtatura ad palmos prorſus ſeptem. Cæſariem habuit ſubflavam, ac non admodum denſam, leniter quodammodo ad criſpos declinantem: ſupercilia nigra, non perinde inflexa. Ex oculis ſubflaveſcentibus mirifica prominebat gratia. Acres ii erant, & naſus longior. Barbæ capillus flavus, nec admodum demiſſus. Capitis porro capillos tulit prolixiores: novacula enim in caput ejus non aſcendit, neq; manus aliqua hominis, præterquam Matris, in tenera duntaxat ætate ejus. Collum fuit ſenſim declive, ita ut non arduo & extento nimium corporis ſtatu eſſet. Porro, tritici referens colorem, non rotundam aut acutam habuit faciem, ſed qualis matris ejus erat, paulum deorſum verſum vergentem, ac modice rubicundam, gravitatem atq; prudentiam, cum lenitate conjunctam, placabilitatemq; iracundiæ expertem, præ ſe ferentem. Perſimilis deniq; per omnia fuit divinæ & immaculatæ ſuæ genitrici.*

Reliquiarum Chriſti, omnia in Romana Eccleſia plena ſunt, atque earum, quas ſupra laudatus Hoornbeekius compertas habuit, in allegata Diſſertatione, recenſionem, ipſe rurſus inſtituit. Illam hoc loco repetere, prohibet immenſitas; & ſufficit tantum Claſſes, & titulos rerum ad eas pertinentium, indicare: loca enim ubi quidque extet, ac quæ ſemper numero plurima, & in diverſiſſimis terrarum regionibus ſunt, apud ipſum perquiri debent. Ordinis ergo cauſa, diſtribuit Chriſti Reliquias, in illas quæ ad *Nativitatem*, & Infantiam Chriſti; quæ ad *Vitam* & adul-

adultam ejus ætatem; quæ ad *Paſſionem* & mo tem; deniquequæ ad ſtatum poſt mortem; ſiv *Reſurrectionem* ex ſepulchro, & *Aſcenſionem* i cœlos attinent.

Infantiæ Chriſti Reliquiæ ſunt: Reſidua ex loc ubi Chriſtus natus. Lapis ſuper quo Chriſtu natus fuit. Lapis ſuper quo panniculos & lin teola infantis, quando ea lavit, exponere ſolit erat Maria. Faſciæ & panniculi, quibus recen natus Infans fuit involutus. Præſepe, & eju Reliquiæ. Præputium Chriſti. Cunæ Chriſti Interula Chriſti linea, quam ei Mater fecit. Reſidua ex Myrrha & Thure, a Magis Chriſto oblatis. Terebynthus ſub qua B. Virgo quievit, quando XL. a partu die, Hieroſolymam proficiſcebatur, ad ſiſtendum divinum puerum in templo. Pannus, in quo oblatus fuit Dominus, & a Simeone Juſto exceptus. Lapis ſuper quo Chriſtus oblatus fuit in templo. Menſa, ſuper qua in templo oblatus eſt. Altare, in quo Mater Filium obtulit. Dentes & crines Chriſti. Imago Chriſti duodennis (fortaſſe legendum *duodecennis*,) a Luca inchoata, & ab Angelo completa.

Adultam Chriſti ætatem concernunt Reliquiæ ſequentes: Ejus Capilli. Veſtes, earumque reliquiæ. Tunica Chriſti. Tunica inconſutilis, ipſa ſcilicet ea, quæ in transfiguratione Domini ſplendebat, & candida fiebat inſtar nivis. Alia tunica inconſutilis. Reſiduum ex fimbria, quam mulier ſanguine fluens tetigit. Chriſti Cingulum quo veſtem præcinxit. Pallium ejus: item Calcei. Reſidua de loco ubi Chriſtus 40.

die-

diebus & noctibus jejunavit. Lapis ſuper quem ſedit Dominus quando jejunavit. Hydriæ in quibus Chriſtus aquam in vinum commutavit. Baculus Jeſu, quo S. Patricius venenoſos vermes ex Hibernia ejecit. Lapis ſuper quo Chriſtus prædicavit. Reliquiæ de loco ubi Jeſus compoſuit Pater noſter, & de loco ubi flevit ſuper Hieroſolymam. Lignum cui innitebatur Dominus, cum fleret ſuper Jeruſalem. Columna ad quam Chriſtus innixus concionatus fuit. Lachrymæ Chriſti. Cauda aſini ſuper quo vectus eſt. Oliva quam Chriſtus texuit (forſitan legendum *tenuit*) in feſto dicto Ramis palmarum. Reſidua ex Arbore quam Dominus plantavit. Reſidua ex quinque panibus hordeaceis fragmenta. Reſidua ex Pane, quo Dominus hominum quinque millia ſatiavit. Reſidua de Piſce aſſato, ex quo Dominus comedit, & de favo mellis. Reſidua de Porta per quam intravit in Jeruſalem. Menſa ſuper quam cùm Apoſtolis ſuis ultimum cœnàvit Chriſtus. Reſidua de Mappa. Patina paſchalis Agni. Cultellus quo Chriſtus uſus. Panis quem in ultima cœna Chriſtus habuit. Reſiduum de Vino ultimæ cœnæ. Poculum ultimæ cœnæ. Reſidua de Cœnaculo. Pelvis ex qua Dominus Diſcipulorum pedes lavit. Reſidua de Linteo, quo Diſcipulorum pedes abſterſit. Menſura corporis Chriſti ſex pedum & ſemis.

Paſſionis Chriſti Reliquiæ habentur: Particula loci ubi Chriſtus ſanguinem ſudavit. Argentei, quibus a Juda fuit divenditus. Funis quo Chriſtus alligatus fuit. Columna ad quam Chriſtus flagel-

flagellatus. Stipes quo Chriſtus verberatus fuit. Lapides ſuper quos Chriſti cruor defluxit. Virgæ quibus Chriſtus ad columnam cæſus fuit. Gradus Prætorii Pilati. Toga alba, qua illuſus fuit ab Herode. Calamus, quo cum Chriſti caput percuſſum fuit. Arundo, ſeu Canna, quam Chriſto dabant in manus Judæi illuſores. Vincula manuum Chriſti. Catena ferrea qua fuit ligatus. Purpurea Chriſti veſtis a Pilato ei induta. Crucis Reliquiæ innumerabiles, ita ut Baronius quoque Tom. I. Annal. ad A. 34. fateatur, *quod vix ſit reperiri perſonam & locum, in quo non ſit aliqua ejusdem ſacratiſſimi ligni particula.* Spinæ ex corona quam Chriſtus geſtavit. Clavi quibus Chriſtus cruci fuit affixus. Linteum, quo Domini corpus ad lumbos obtectum fuit, quando in cruce pendebat. Titulus crucis cum literis Latinis, Græcis, & Hebraicis. Lancea, qua Chriſti latus fuit perfoſſum. Sanguis a Chriſto effuſus. Spongia, qua Chriſtus felle ac aceto fuit potatus. Teſſeræ, quas milites jecerunt ſuper veſte Chriſti dividenda. Saxum ſciſſum tempore paſſionis.

Ad Sepulchrum Chriſti & Reſurrectionem, pertinent Reliquiæ: Lapis ſupra quem Chriſti exanime corpus, poſt ablutionem, collocatum fuit. Sindon, qua Chriſti corpus exſangue, de cruce deſumtum, involvit Joſephus Arimathenſis. Myrrha & lignum aloës quibus inunctum fuit Chriſti corpus. Sudarium Chriſti, quo caput ejus in ſepulchro obvolutum fuit. Reſidua de Sepulchro Chriſti. Reſidua de lapide quo ſignatum fuit Domini ſepulchrum.

Ad

Ad Chriſti Reſurrectionem e mortuis, & Aſcenſionem in cœlos, reſpectum involvunt Reliquiæ: Reſiduum loci in quo Chriſtus apparuit Mariæ Magdalenæ. Lapis in quo Chriſtus ſtetit, cum in cœlos aſcenderet. Veſtigia quæ Chriſtus aſcendens monti impreſſit.

Ecquis credat aliquam rem Inventario huic Reliquiarum deeſſe, quæ Hoornbeekii ſolicitudinem, qua id confecit, effugerit? Obſervo tamen, omiſſam rem maximam, &, quam unam, plurimis, prope dixiſſem omnibus, Reliquiis aliis, non univerſi τῶν ἔξω tantum, ſed & plerique Chriſtianorum, ſi optio daretur, anteferrent. Quæ dum dico, *Aurum* illud dico, quod à Magis Chriſto fuit oblatum. Quippe, ſi Lambecio l. 1. Comment. de Biblioth. Cæſar. fides, *extabat olim inter antiqua Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ cimelia, Annulus ex auro, quod Magi Chriſto obtulerunt, fabrefactus, cujus admiranda hæc erat virtus, ut tempore belli, oraculi inſtar conſuleretur, & victoriam, inſolito, ac plus quam naturali ſplendore, portenderet; isq; Altari impoſitus, cum A. 1323. coram Imp. Friderico, Imp. Rudolphi I. Nepote, ante initium infelicis prælii cum Imp. Ludovico Bavaro ſacrum celebraretur, ex oculis omnium evanuit, & tandem poſt multos annos in Auſtria repertus, atq; Alberto Contracto fuit redditus.* Sed certum eſt, hunc Annulum deinde rurſus ex Cimeliarchio Auſtriaco disparuiſſe, nec hactenus præbuiſſe ſe conſpiciendum.

PETRVS.

PEtrus, proprio nomine, *Simon*, a Chriſto vero cognomento *Cephas* dictus, natus eſt in oppido Galilææ *Bethſaida*, patremque habuit *Jonam*. Vocatus a piſcatu ad Apoſtoli munus, egregie illo functus eſt, ita, ut reliquorum *coryphæus* merito Sanctis Patribus audiat. Vixiſſe illum in *conjugio* ex Matth. VIII. intelligimus, quia ſocrus ejus ibidem mentio injicitur. Et vero narrat Euſebius l. 3. Hiſtor. c. 32. ex Clemente Alexandrino, Petrum, cum uxorem ſuam ad ſupplicium duci vidiſſet, eam proprio nomine compellaſſe, atq; his verbis quoq; inclamaſſe magna voce: *Mulier, memento Domini.* Donatus adeo Calvi in libro *Proprinomio Evangelico*, Reſolut. 18. probat Petri conjugis nomen fuiſſe *Concordia*, & hæc allegat Alphonſi Ciacconii verba: *Petrus ante diſcipulatum Chriſti, uxorem duxit, Ariſtobuli filiam, qui frater fuit Barnabæ Apoſtoli, ex qua filium marem unum, & Petronillam filiam ſuſtulit, cujus memoriam Catholica celebrat Eccleſia.* Obiter addendum, non Petrum tantum in conjugio vixiſſe, ſed & cæteros Apoſtolos fere omnes, ſic enim Ambroſius ad 2. Cor. XI. 2. annotavit: *Omnes Apoſtoli, exceptis Johanne & Paulo, uxores habuerunt*: quæ verba, MS. Codex Bibliothecæ Noribergenſis ita exhibet, ut Pauli nomine litura deleto, Petri nomen, quidam imperitior, (Monachus ſinedubio, fuit enim liber ille quondam in clauſtro Benedictinorũ) præpoſtera erga Petrũ pietate ſubſtituerit.

Hiſtoria Petri ex Actis Apoſtolorum petenda eſt. Docuiſſe eum Evangelium in *Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithynia*, prior illius Epiſtola indi-

indicat. Veniſſe inde *Romam*, ibique martyrio affectum eſſe, magnis Patribus, *Irenæo*, *Tertulliano*, *Athanaſio*, *Origeni*, *Hieronymo*, *Chryſoſtomo*, *Ambroſio*, *Lactantio* etiam, in nuper a Stephano Baluzio, Viro Clariſſimo, de mortibus perſecutorum, ab interitu vindicato libello, id asſerentibus, ſecus opinantium bona cum pace, intrepide fidem adhibemus. Quæ vero de *Epiſcopatu Romæ per quinq; luſtra geſto, & contentione ejus cum Simone Mago* vulgo commemorant, etſi quorundam Veterum teſtimoniis quoque nituntur, tamen quia ſummis laborant difficultatibus, nec cum Scriptura, & computatione Chronologica facile conciliari poſſunt, ideo ut ea pariter credamus, animum inducere non poſſumus. Interim, ut ipſa hiſtoria ſit cognita, ex Egeſippi l. 3. Excid. Jud. c. 2. dabitur. Narrat nimirum, Romæ Petrum in acrem contentionem veniſſe cum Simone Mago Samaritano, qui magicis artibus tantam venerationem conſequutus fuerat, ut Dei virtus vocaretur. Scilicet, fato ſuo functus forte erat adoleſcens quidam, propinquus Cæſaris, ad eum reſuſcitandum cum tam Simon, quam Petrus vocati eſſent, Petro hanc pactionem obtulit Simon, ut uter eorum adoleſcenti vitam reddere nequiret, ab altero occideretur. Aggreſſus primus rem Simon, incantamenta quædam murmurare cœpit, quibus tantum valuit, ut cadaver caput movere videretur. Ibi cum omnium plauſus & exultatio orta eſſet, ſilete, inquit Petrus, & exſpectate, dum ſurgat adoleſcens, & loquatur: quod ut fieret, cum incaſſum diu multumque præſtolati

eſſent, tandem Petrus, invocato Chriſti nomine, juvenem bona fide vitæ reddidit. Hinc omnes Simonem odio proſequi, & extrema eidem comminari; ita ut vix a Petro ſervatus ſit. Interea Simon, ut maculam elueret, deſertis mortalibus, cœlum ſeſe petiturum edixit, dieque conſtituta Capitolium conſcendens, & e rupe ſe dejiciens, evolare inſtituit. At vero Petrus, Deum rurſus precatus, id effecit, ut, implicatis alarum remigiis, in præceps Simon daretur, & crus ſibi frangeret, e quo vulnere non multo poſt Aritiam delatus, mortuus eſt. Tulit id factum oppido indigne Nero Imperator, & Petrum ad necem depoſcebat, is autem, cum amicorum precibus victus, urbe exceſſiſſet, occurrentem ſibi Chriſtum in via habuit, quem, cum poſt adorationem quo pergeret quæſiviſſet? Reſpondit Jeſus, *Venio ut iterum Romæ crucifigar.* Intellexit igitur Petrus, ita placere Domino, ut crucis ſupplicio Romæ afficeretur, regreſſusq; in urbem, Neronis juſſu cruci affixus eſt, capite in terram demiſſo. Hæc pluribus dicto loco perſequitur Egeſippus. Nicephorus ſcribit, ipſum Petrum præpoſteram illam crucifixionem ſibi expetiiſſe; tum, quod ſe indignum reputaret, qui itidem ut Magiſter ſuus, recto corporis ſtatu pateretur: tum ut levior expeditiorque ei in cœlum eſſet curſus. Ab eodem Nicephoro, proditum eſt, Simonem Magum, Romæ multa miracula, vel potius præſtigias, edidiſſe. Faciebat enim ut ſtatuæ, aliæque res inanimes, e loco in locum ſeſe motitarent, convertebatque lapides in panem. Ipſe, modo flammis circumdatus, non ureba-

urebatur, modo per aëra volabat, modo draconis aut aliorum animalium formam induebat, Manibus quoque defunctorum ſtipatus incedens: foresque clauſæ, ad nutum ejus, pandebantur. Alebat acrem Canem moloſſum præ foribus, catenæ alligatum, cujus opera in abigendis quos admittere nolebat, utebatur, plurimorum etiam hominum cæde notabilem. Cum Petrus ad Simonem viſere vellet, præter ſolitum tumultuabatur canis, ſed Petrus ſua manu illum ſolvens, jubet, Simoni hero annunciet, *Petrum Jeſu Chriſti ſervum præ foribus adeſſe.* Ingreſſus ad Simonem Canis, quæ in mandatis habebat eloquitur. Id, cum omnes qui aderant, rapuiſſet in ſtuporem, ait Simon, deſinerent mirari rem haud magni momenti, nec mora imperat Cani, Apoſtolo diceret, ut ingrediatur, ſi velit. Cum conveniſſent, & ſermone, & miraculis inter ſe certare cœperunt, & quia ubique victor Petrus, multi inter præſentes Chriſto nomen dabant, & baptiſmi lavacro initiabantur.

Extant S. Petri nomine *Epiſtolæ duæ*, quarum quæ *Prior* eſt, nunquam in dubium fuit vocata: Sed *Poſteriorem*, ob ſtyli diverſitatem, nonnulli Veterum pro Canonica non admiſerunt. Ceſſavit deinde dubitatio, imprimis *poſt Concilium Laodicenum*, ac *Carthaginienſe III.* & merito miratur Beda, fuiſſe qui autoritatem illius epiſtolæ vocaverunt in dubium. Quia enim Autor, *Simonem Petrum* ſe ab initio nominat, Chriſtiq; *transfigurationi* ſe interfuiſſe c.I.17.18. aſſeverat, deniq; c.III. 1. ſe hanc *ſecundam Epiſtolam* ſcribere, ipſe teſtimonium perhibet, igitur alterutrum verum ſit neceſſe eſt, ni-

mirum, vel autorem illum inſignem eſſe impoſtorem, quod tamen nemini affirmare in mentem venit, vel non eſſe eum alium quam ipſum S. Petrum. Hieronymus lib. de Script. Eccleſ. *multos* recenſet *libros*, qui Petri nomine quondam circumferebantur, ſcilicet, unum ejus *Actorum*, alium *Evangelii*, tertium *Prædicationis*, quartum *Apocalypſeos*, qui olim Nicephoro teſte, apud Palæſtinos, in Eccleſiis quotannis in die paraſceves legebatur, & quintum *Judicii*. Sed eos omnes nullius momenti, & aliorum omnium potius, quam Petri fuiſſe, vel illud argumento eſt, quod Eccleſia ipſos neutiquam dignos exiſtimavit, quos ab interitu vindicaret. Habemus *Liturgiam* Petri nomine, apud Plantinum A. 1588. cum præfat. Guilielmi Lindani, Ruremundenſis Epiſcopi, editam. Enim vero ſi Petrus Liturgiam ſcripſiſſet, non illam urbe exactam, in montes Apuliæ relegaſſet, Miſſamque Gregorii, vel Scholaſtici cujusdam prætuliſſet Eccleſia Pontificia. Noviſſime, ſi *Petri formam* ſpectare cui volupe eſt, hanc, quam Nicephorus depinxit, intueatur, licet, imaginem: *Petrus non craſſa corporis ſtatura fuit, ſed, quæ aliquanto eſſet erectior, facie ſubpallida, & alba admodum: capilli capitis, & barbæ, criſpi & denſi, ſed non admodum prominentes fuere: oculi quaſi ſanguine reſperſi, & nigri: ſupercilia prope evulſa: naſus autem longior ille quidem, non tamen in acumen deſinens, ſed preſſus, ſimusq; magis.*

Theodoſio, quod eſt in Breviario Romano, juniore imperante, cum *Eudocia* ejus uxor, Hieroſolymam ſolvendi voti cauſa veniſſet, ibi multis affecta eſt muneribus. Præ cæteris inſigne do-

donum accepit *ferreæ catenæ*, gemmiſque ornatæ, quam illam eſſe affirmabant, qua Petrus Apoſtolus ab Herode vinctus fuerat. Eudocia catenam pie venerata, eam poſtea Romam ad filiam *Eudoxiam* miſit, quæ illam ad *Pontificem Maximum* detulit, isque viciſſim illi monſtravit alteram catenam, qua, Nerone Imperatore, idem Apoſtolus conſtrictus fuerat. Cum igitur Pontifex Romanam catenam, cum ea quæ Hieroſolymis allata fuerat, contuliſſet, factum eſt, ut illæ inter ſe ſic connecterentur, ut non duæ, ſed una catena, ab eodem artifice confecta eſſe videretur. Quo miraculo tantus honor ſacris illis vinculis haberi cœpit, ut propterea hoc nomine, *Sancti Petri ad Vincula*, Eccleſia, titulo Eudoxiæ, dedicata ſit in Exquiliis, ejusque memoriæ dies feſtus inſtitutus Kalendis Auguſti. Quo ex tempore, honos qui eo die profanis Gentilium ceblebritatibus tribui ſolitus erat, Petri Vinculis haberi cœpit; quæ, tacta, ægros ſanabant, & dæmones ejiciebant. Quo in genere A. 969. accidit, ut quidam Comes, Othonis Imperatoris familiaris, occupatus ab immundo ſpiritu, ſeipſum dentibus dilaniaret. Quare is juſſu Imperatoris ad Johannem Pontificem ducitur, qui, ut ſacra catena Comitis collum attigit, erumpens nefarius ſpiritus, hominem liberum reliquit; ac deinceps in Vrbe, ſanctorum vinculorum religio propagata eſt. Noribergæ inter Sacri Imperii Lipſama, aſſervantur annuli ferrei tres, qui e totidem catenis, quæ S. Petrum, S. Paulum, & S. Johannem Evangeliſtam olim vinctos tenuere, ſuperſunt.

ANDREAS.

ANdreas, *Petri frater* fuit, auditoque Johannis de Chriſto teſtimonio, illo relicto, huic adhæſit, & pariter Simoni fratri autor extitit, ut & ipſe Chriſtum ſectaretur. Poſt Chriſti in cœlos aſcenſionem, Nicephorus, Andream Evangelium per *Cappadociam*, *Galatiam*, *Bithyniam*, *Scytharum ſolitudines*, loca *Anthropophagis* habitata, & *Ponti Euxini* litora, prædicaſſe ſcribit. Sophronius vero autor eſt, illum Veſpaſiano imperante, *Patris*, civitate Achajæ, ab *Ægea* præfecto in crucem actum eſſe. Perductus ad locum martyrii, cum eminus crucem vidiſſet, lætus exclamaſſe dicitur: *O bona crux quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti, diu deſiderata, ſolicite amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando cupienti animo præparata! Accipe me ab hominibus, & redde me Magiſtro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.* Toto quoque *biduo in cruce pependit*, &, ſine intermiſſione, Chriſti fidem prædicavit; quæ omnia ex *Epiſtola presbyterorum Achajæ*, in Breviarium Clericorum ſuorum, Romana transſcripſit Eccleſia, de qua tamen epiſtola videndum Riveti judicium in Crit. ſac. l. 1. c. 4. ubi ſimul dicit Molanum in hiſtor. imagin. l. 3. c. 51. magni erroris reos poſtulare Domum Burgundicam & Pictores, qui crucem S. Andreæ apppellent, ubi interſectio fit ad angulos, partim obliquos, partim acutos, cum Crux Andreæ ad S. Victorem Maſſiliæ, eandem cum Chriſti cruce figuram habeat.

JACO-

JACOBVS MAJOR.

J*Acobus, Zebedæi & Salomes* filius, Johannem habuit fratrem, ambobusque a Chriſto nomen *Boanerges* inditum eſt. *Major* autem dicitur Jacobus, quia prior vocatus eſt, Luc. V. 10. Cæterum Jacobus, haud diu Apoſtolatus muneri præfuit, ſed, inter ipſa Eccleſiæ naſcentis initia, *Herodis Agrippæ* præcepto, Hieroſolymis gladio percuſſus eſt, qua de re Actorum caput XII. legendum. Euſebius l. 2. c. 9. refert, *lictorem*, qui Apoſtolum ad tribunal perduxerat, motum viri ſanctitate, & ipſum Chriſto nomen illico dediſſe, atque eodem ſupplicio ſimul cum Jacobo affectum fuiſſe. Ajunt Jacobum in Hiſpania prædicaſſe, illiusque corpus *Compoſtellæ* conditum eſſe. Hanc prærogativam valde exaggerebat Epiſcopus Compoſtellanus, in Synodo Lateranenſi A. C. 816. ut digniore præ Toletano Epiſcopo loco ſederet. Sed Toletanus, mulierum trivialibus ſermonibus, omnem illam de Jacobi apud Hiſpanos prædicatione narrationem nixam eſſe, excepit, ac cauſam vicit.

JOHANNES EVANGELISTA.

J*Ohannes, Jacobi Majoris frater*, Chriſto Servatori præcipue carus fuit, ideoq; in ſinu ſupremam cœnam celebrantis, recubuit, &, *Diſcipulus quem dilexit Jeſus*, circumſcribitur. Poſt Chriſti aſcenſionem, cum Apoſtoli quaquaverſum ad prædicandum Evangelium profectiones inſtituerent, Johannes *Aſiam* petiiſſe, & tum alibi, tum Epheſi

imprimis, ſalutarem doctrinam annunciaſſe dicitur. Nicephorus addit, ipſum *Dianæ templum* quod Epheſi erat, ſolo æquaſſe. Mota deinde *a Domitiano* adverſus Chriſtianos perſecutione, Johannes comprehenſus, Epheſoque *Romam* perductus, in lebetem ferventis olei ibidem conjectus eſt. Cum vero illæſus exiiſſet, in Inſulam *Pathmon* relegatur, in qua, divinarum, de Eccleſiæ ad finem usque mundi ſtatu, revelationum, particeps factus, *Apocalypſin* conſcripſit. In exilio biennium Johannes exegit, &, *Nerva* imperante, Epheſum reverſus eſt, ac Suida teſte, ſub ipſum in urbem ingreſſum, *Druſianam* a morte ad vitam revocavit. Cumque *Cerinthus* & *Ebion*, peſtilentiſſimi hæretici, Chriſti divinitatem negantes, exorti eſſent, rogatu Aſiæ Epiſcoporum, indicto, ceu Hieron. præf. Comment. in Matthæum teſtatur, prius publice jejunio, *Evangelium* literis conſignavit, quo Jeſu Chriſti divinitatem adſtruit, multa quoque, ab aliis Evangeliſtis neglecta, ſupplet, & præcipue divinas Chriſti conciones, ab oblivione vindicavit. Poſtea, *Viſitatione inſtituta*, Eccleſias horribili Domitiani ſævitia concuſſas & labefactatas refecit, confirmavitque. Elegit Epiſcopos, atque iis alumnos, in ſpem Miniſterii educandos, commendavit: quorum unus, cum pravo ſodalitio corruptus, latro, & mox latronum coryphæus evaſiſſet, quæſivit eum ſolicite in deſerto Johannes, repertumq; & fugientem, his verbis, cum lachrymis revocavit: *Quid me fili patrem tuum fugis inermem ac ſenem? miſerere mei fili: ne timeas: habes adhuc ſalutis ſpem, ego, pro te, Chriſto rationem reddam, mortem*

tem ſi neceſſe ſit, pro te ſubibo, ſicut & Chriſtus pro nobis. Atque hac ratione adoleſcens tactus, ad bonam frugem reverſus eſt: Euſ. l.3. cap. 23. Illud quoque, quod Irenæus prodidit, ſilentio minime prætereundum: ſcilicet, *Johannem aliquando Epheſi ingreſſum eſſe balneum*, cumque Cerinthum in eo deprehendiſſet, protinus aufugiſſe, quod timeret ne balneum in quo veritatis hoſtis lavabat, corrueret: digreſſo, collapſam eſſe domum, & hæreticum nequam oppreſſiſſe.

Præter Evangelium, tenemus *Johannis Epiſtolas tres*, quarum *Primam*, Beato Evangeliſtæ univerſa ſemper aſſignavit Antiquitas: ſed de *Secunda & Tertia* hæſitatum nonnihil, easque multi, Hieronymo in Catal. Script. Eccleſ. id prodente, Johanni, non Evangeliſtæ, ſed *Presbytero*, attribuerunt, eo quod incipiant: *Presbyter electæ Dominæ: Presbyter Cajo cariſſimo.* At vero, prævaluit deinde opinio, quæ ab Evangeliſta, etiam has Epiſtolas ſcriptas contendebat. Referuntur eæ vulgo inter *Epiſtolas Catholicas*, hoc eſt in unam claſſem rediguntur, cum ejusdem *Johannis prima*, *Jacobi una*, *Petri duabus*, & *Judæ una*. Quibus id nominis impoſitum, quia non ad unam aliquam civitatem, ac particularem Eccleſiam, ut Pauli ad Romanos, Corinthios, &c. nec ad unum hominem, ut ejusdem ad Timotheum, Titum, Philemonem, epiſtolæ, ſed generatim ad fideles, in varias regiones diſperſos, fuere ſcriptæ. Hæc appellationis ratio, ſane proprie non congruit iſtis Johannis poſterioribus duabus. Vſus tamen obtinuit, ut & illæ hoc nomen acciperent, eo quod primæ Catholicæ conjunguntur.

An-

Amplius, ſuperat Johannis *Apocalypſis*, ſed de qua, quod Euſebius l. 3. Hiſt. Eccleſ. c. 21. ſcripſit, ſimiliter *apud multos Veterum diſpar fuit opinio, probantibus illam aliis, aliis vero reprobantibus.* At vero, de illius authentia non dubitarunt Patres antiquiſſimi, Juſtinus, Tertullianus, Irenæus, Origenes, aliique. Accedit, præter cæteras complures, illa imprimis ratio, quod in hoc quoque libro c. XIX. 13. familiari S. Johannis, præ reliquis Novi Teſtamenti Scriptoribus, conſuetudine, Filius Dei λόγος ſive *Verbum* appellatur. Tum vero gravitatem Apoſtolicam exhibet liber, ac prædictionum veritatem nunc indies magis magisque eventus comprobat. Nec obſtat, quod nomen ſuum in Apocalypſi inculcat Johannes, non item in Evangelio. Aliud enim eſt ſcribere hiſtoriam, aliud vaticinia. Ibi non opus eſt, ut autor nomen ſuum diſerte divulget, quia hiſtoriæ autoritas a rebus pendet, minime vero ab autore. At, de vaticiniis ſecus ſe res habet, ac talia jactantes, nomen profiteri coguntur. Merito Hieronymus ad Paulinum pronunciavit: *Apocalypſis Johannis tot habet ſacramenta, quod verba. Parum dixi, & pro merito voluminis, laus omnis inferior eſt. In verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ.* Porro, Manichæi, Philaſtrio teſte, jactabant librum *Johannes Actus*, in quo varia ejus referebantur miracula. Quin, a nonnullis, Latinus venditatur *liber Johannis Apoſtoli de tranſitu & aſſumtione Mariæ*, quem utrumque alios quosq; potius, quam Johannem autores habuiſſe, probatione haud admodum eget.

Mor-

Mortuus eſt Johannes Epheſi Anno *Chriſti 100.* *ſolus* ſecundum receptiorem ſententiam, ex omnibus Chriſti Apoſtolis, ſuperſtes ſpectator fatalis excidii Hieroſolymorum. Legimus in Evangelio ejus, Petrum, Johanne viſo, interrogaſſe Servatorem reſuſcitatum: *Domine hic autem quid?* & reſpondiſſe Jeſum: *Si velim eum manere donec veniam, quid ad te?* Eam locutionem, cum ipſe deinde exponat Johannes, & admoneat, male Diſcipulos hypotheticam, pro categorica accepiſſe, illumque errorem confutet, nihilo minus ſequentibus temporibus reperti ſunt, qui Johannem mortuum negarent. Auguſtinus enim in locum illum docet, nonnullos tradere, Johannem quando ſibi fieri juſſit ſepulchrum, fuiſſe præſentem, eoque effoſſo & diligentiſſime præparato, ibi ſe tanquam in lectulo collocaſſe, ſtatimque eum eſſe defunctum: alios vero tradere, non defunctum, ſed defuncto ſimilem cubuiſſe, & cum mortuus putaretur, ſepultum fuiſſe dormientem, & donec Chriſtus veniat ſic manere, ſuamque vitam ſcaturigine pulveris indicare, qui pulvis credatur ut ab imo ad ſuperficiem tumuli aſcendat, flatu quietis impelli. Sed hanc opinionem cum recitaſſet, probe ſubjungit S. Pater: *Supervacuum exiſtimo reluctari.* Sane Polycrates, Johannis, ceu volunt, in Epiſcopatu Epheſino ſucceſſor, ipſum morte ſopitum, occubuiſſe, ſcribit Epiſtola ad Victorem Epiſcopum Romanum, quæ extat apud Euſeb. l. 5. cap. 24. Verba ſunt ex Valeſiana verſione: *Johannes, qui in ſinu Domini recubuit; qui etiam Sacerdos fuit, & laminam geſtavit: Martyr denique & Doctor extitit.* *Hic*

Hic inquam Johannes, apud Epheſum extremum diem obiit. Huc ergo alii evadunt, ut cum Nicephoro l. 1. hiſtor. Eccleſ. c. 35. & l. 2. c. 42. dicant, Johannem in ſepulchro conditum, Divæ Virginis exemplo, mox iterum revixiſſe, & cum illa in Paradiſo agere. Narrant itaq; Johannem, anno a Chriſti paſſione octavo ſupra ſexageſimum, cum fatalem horam ſibi imminere animadverteret, imperaſſe, ut celeriter ſepulchrum effoderetur. Eo confecto, veſtes ſepulchrales indutus, diſcipulis valedicens, ſigno crucis ſe communivit, & cum in monumentum deſcendiſſet, præcepit, operculum imponerent, & probe obturarent, poſtridie autem reverterentur, & ſepulchrum aperirent. Diſcipuli, quod erat imperatum, exequuntur, & lapidem qui ſepulchrum operiebat, poſtridie removent; nihil autem reperere, præter ferale amiculum.

Ne quid vanarum opinionum deſit, reperti ſunt aliqui in Eccleſia Romana, quibus, nimis quidem inſubide, viſum, Johannem perſonam ſuam exuendo, totum in ipſum Chriſtum plene planeq; fuiſſe commutatum. Atque nos, cum in Italia iter faceremus, monachum Franciſcanum, Piſis in Hetruria, publice, pro ſuggeſtu, eam ſententiam, ringentibus tamen, hoc enim fatendum, quibusdam auditoribus, defendentem audivimus. Argumenta duo erant præcipua: *Vnum*, quod cum verum ſit, Chriſtum Servatorem, verbis, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus:* totam panis ſubſtantiam in ſuum corpus, & totam vini ſubſtantiam in ſuum ſanguinem convertiſſe:

ſe: non poſſe igitur non verborum, *Mulier ecce filius tuus*, ab eodem Servatore cruci affixo, ad Mariam matrem, de Johanne prolatorum, eam vim eſſe, ut pariter Johannem in Mariæ filium penitus transformarint. *Alterum* hoc fuit, ut quæreret, ecquæ cauſa eſſe poſſit, quod cum Mariæ Matris Domini, Apoſtolorum, aliorumq; Sanctorum, tot in Orbe extent Reliquiæ, nulla tamen uſpiam gentium Johannis Evangeliſtæ Lipſana reperiantur? Nimirum, inquiebat, ratio unica, & genuina hæc eſt: Voluit Deus immunem præſtare Eccleſiam ſuam ab errore. Quod ſi enim ſupereſſent quædam ex Johanne Evangeliſta Reliquiæ, in eodem cenſu eas habitura erat Eccleſia, cum Divæ Virginis, Martyrumque Reliquiis aliis, nec religioſo adorationis cultu proſequutura. At, hactenus lapſa fuiſſet, nam Johannis Reliquiæ, eadem pietate colendæ erant, quæ illis debetur, quas ex Chriſti corpore, & Sanctiſſima Cruce tenemus reſiduas. Non igitur paſſus eſt Deus Johannis aliquas Reliquias ſupereſſe. Enim vero de primo argumento in præſentia diſpicere, ſupervacuum judico. Ad alterum, & Reliquiarum defectum quod attinet, fortaſſe ſi Hoornbeekius, eam in Johannis Evangeliſtæ Lipſanis perveſtigandis navaſſet diligentiam, quam in Chriſti, Matriſque ejus rimandis præſtitit, horum quoque retinendarum copia, memoria laboraret. Mihi, Aſſiſiis, haud magnopere a Piſis diſtante urbe, digitus oſtenſus fuit Johannis Evangeliſtæ. Inter Sacri Imperii Lipſana cætera, cujus Noribergenſes capſarii ſunt, reperitur *dens* ejus. Apud Bellonium legitur, in Inſula

ſula Pathmo a Græcis Monachis hodienum oſtendi *manum* hominis cujuſdam mortui, a qua, reſecti ungues continuo recreſcere ſoleant, quam quidem Turcæ unius ex ipſorum Prophetis fuiſſe contendant, Monachi tamen illi perhibeant ipſius Johannis manum eſſe, qua Apocalypſin ibi locorũ conſignaverit. Idem hoc, Græcus quidam, qui ſe ex Inſulá illa oriundum, & gente Laſcarin prædicans, diu jam Europæ regiones circumcurſat, nuper ſerio mihi confirmavit. De cætero, agunt in Britannia lymphatici quidam, quos ea cepit dementia, ut credant, Johannem Apoſtolum in Tranſylvania morari, ſed brevi ad ſeſe venturum: itaque ſæpe ad maris litus ſe conferunt, & ex adventantibus percontantur, an nemo eorum ſit Johannes, aut ſaltem aliquid ſando de illius adventu acceperit? Adeundus libellus Neue Schwarmgeiſter-Brut p. 182.

PHILIPPVS.

PHilippus, in *Bethſaida*, Galilææ vico, natus eſt, prædicavitque in *Scythia*, & omnem fere illam gentem ad Chriſtianam fidem convertit. Tandem *Hierapolim*, Phrygiæ civitatem, venit. Ejus incolæ viperam pro Deo colebant, eique ſacra faciebant. Hæc vero, ſimul ac Apoſtolus, cum *Mariamna*, ſorore virgine, quam perpetuo comitem habebat, in urbem ingreſſus eſſet, continuo aufugit, hominum conſpectui ſe ſubducens. Ergo qui hujus cultui dediti erant, Philippum, poſtquam tamen complures ab inſania avocaſſet, in crucem agunt, & lapidibus obruunt ad necem. *Corpus Philippi, Hierapoli* primum

mum a Chriſtianis ſepultum, poſtea Romam delatum, & in Baſilica XII. Apoſtolorum, una cum corpore B. Jacobi Apoſtoli, conditum eſſe, in Breviario Romano legimus. Galli tamen *Toloſæ*, in S. Saturnini templo, Philippi corpus aſſervari contendunt. Imo & Trevirenſes dimidium corporis Philippi, in S. Matthiæ æde cuſtodire ſe gloriantur. Diſtinguendus eſt Philippus Apoſtolus, ab altero *Philippo Diacono & Evangeliſta*, de quo Actor. VI. VIII. & XXI. capitibus quædam referuntur.

THOMAS.

THomas Apoſtolus, cum Domini ſui reſurrectionem credere nollet, ab illo convictus eſt argumento irrefragabili. Vnde incredulitatem ejus plus profuiſſe, quam reliquorum Apoſtolorum fidem, vere S. Chryſoſtomus homil. 2. in Matth. pronunciat. In diviſione Apoſtolorum, Euſebius ei vult obtigiſſe *Parthiam*; Hieronymus vero, non Parthis tantum, ſed & *Medis & Perſis*, *& Hircanis*, *ac Bactris* illum Evangelium prædicaſſe autor eſt. In his locis, in *Magos*, qui Chriſtum recens natum peregre adventantes adorarunt, incidiſſe, eosque baptiſmi undis perluiſſe dicitur. *Lanceis* tandem perfoſſum eſſe, plerique tradunt, quidam tamen gladio percuſſum crediderunt. Hieron. Oſorius ſub finem lib. 3. de rebus geſtis Emmanuelis Luſitaniæ Regis, narrat nobis, extare in Narſingæ regno juxta urbem Malipurem ſacellum in colle, cujus ædificator S. Thomas feratur. Ibi circa medium ſuperioris ſeculi, a Luſitanis in-

ventam eſſe crucem lapideam, cujus faſtigio columbæ imago inſidebat, brachia in liliorum formam deſinebant, &, quam arcus, verba quædam ignota referens, undique ambiebat: in ipſa cruce ſanguineæ notæ comparebant, eaque ſtatis diebus humorem copioſe eliquabat. Quæſitus eſt inter Brachmanas qui ſcripturam interpretaretur, & tandem cum diu fruſtra fuiſſent, repertus unus, reliquis omnibus ſapientior, qui teſtabatur, literas illas ſermonis eſſe qui pæne perierit, & unam pro decem, quindecim, aut viginti elementis valere, ſignificari autem: *Thomam divinum virum fuiſſe, a Dei filio, cujus erat diſcipulus, in eas oras Sagami Regis tempore miſſum, ut Dei ſummi notitia gentes illas erudiret, ibiq; templum exſtruxiſſe, & res admirabiles effeciſſe, atq; tandem cum genibus flexis ad crucem illam affixus, orationem ad Deum funderet, a quodam Brachmana fuiſſe haſta transfixum, crucem vero ejusdem viri ſanctiſſimi cruore tinctam, ad memoriam virtutis illius ſempiternam relictam fuiſſe.* Corpus Thomæ, Cl. Schickardus in Tarich p. 49. *Chormandelæ* ſepultum perhibet; ſed Ruffinus l. 2. hiſt. Eccl. de *Edeſſa*, Meſopotamiæ urbe, id prodidit: ex hac, *Ortonam*, Italiæ in Aprutio urbem, delatum eſſe, in Martyrologio Romano traditur; Luſitani vero penes ſe in Goa, Indiæ urbe, illud ſupereſſe, liquido juraverint. Videndus Joh. Petr. Maffejus l. 8. Hiſt. Ind. In Regnis Narſinga, Cranganor, & vicinis regionibus, *Chriſtianos quosdam a S. Thoma cognominato* reperire eſt, varia de hoc Apoſtolo & narrantes, & cantantes modulatis carminibus. Ibidem

quo

quoque ſuperſunt poſteri eorum qui ipſum peremerunt, ingenti pedum craſſitie præ aliis hominibus notabiles, quod corporis ſignum per generationem aſſidue propagatur.

BARTHOLOMÆVS.

CVm de Bartholomæo, nihil, præter nudum nomen, in Hiſtoria Evangelica proditum ſit, hinc ſuſpicantur multi Eruditorum, ac nominatim Nicolaus Serrarius, Onufrius Panvinius, Donatus Calvi, & Wilhelmus Cave, latere hunc ſub alia *Nathanaëlis* appellatione. Pro qua conjectura confirmanda allegant rationes, uti, quod Johannes nusquam Bartholomæi, reliqui Evangeliſtæ, nullam Nathanaëlis mentionem faciunt. Deinde, quod in apparitione Chriſti reſuſcitati prope Tiberiadis lacum, Nathanaël expreſſis verbis in medio Apoſtolorum recenſetur. Porro, quod cæteroqui nulla appareat cauſa, quare in ſupplendo per ſortem Judæ proditoris loco, toties cum Salvatore verſatus Nathanaël, non inter candidatos reliquos relatus fuerit, niſi jam tum in Apoſtolorum collegio locum habebat. Denique, quod in Martyrologio Græcorum, in Canone Miſſæ Æthiopicæ, Nathanaelis Apoſtoli habetur memoria. Ergo Nathanaelis nomen, proprium fuiſſe exiſtimant, Bartholomæi, patronymicum, ad eum modum, quo Petrus Bar-jona, Joſeph Bar-ſabas, Joſes Barnabas, & alia ejus generis, effictum. Diſcedunt ergo hactenus a S. Auguſtino, cujus Tr. 17. in Johannem verba ſunt: *Deberet Nathanaël eſſe primus in Apoſtolis, & nec medius invenitur, vel*

ultimus inter duodecim. Quæritur cauſa. Intellige
debemus Nathanaëlem peritum in legé fuiſſe, propte
ea noluit illum Dominus inter Diſcipulos ponere, qu
idiotas elegit, unde confunderet mundum.

Cæterum Bartholomæus *Indis* concionatus eſ
iisq; Matthæi Evangelium Hebraice ſcriptum r
liquit, quod *Pantænus* Scholæ Alexandrinæ Mag
ſter ibidem reperit, ceu ab Euſebio lib. 5. Hiſt. Ec
c. 10. proditum eſt. Fertur illius dictum; *Eva*
gelium longum eſſe, & breve. Polemonium, (alii v
cant *Polumium*,) Armeniæ Regem, ejusque Co
jugem, cum XII. Civitatibus ad Chriſti fide
convertit, atque ut dictis ſuis miraculo autor
tatem conciliaret, oſtendit incolis, fœdum, quo
hactenus coluerant, dæmonium, ligatum. A
Idololatræ, tantum effecere apud Polemonii fr
trem *Aſtyagem*, ipſum quoque, ſed alterius
Armenia tractus, Regem, ut Bartholomæu
vivum excoriare juberet. Nam, id ſupplicii g
nus apud Perſas in uſu fuiſſe, ex Ammiani Ma
cellini l. 23. diſcimus. Donatus Calvi in libru
Proprinomio Evangelico p. 196. hæc Alani R
cenſis, *præcipui* ut Trithemius eum dilaudavi
B. Mariæ Virginis amatoris, & a qua etiam ſing
lari dono ſupernæ conſolationis aliquoties meruit r
creari, tranſcripſit verba: *Dominicam Oratione*
Chriſtus docuit Apoſtolos, inde porro S. Bartholomæ
Apoſtolus, quaq; eam & die centies, & centies no
frequentaſſe proditur, cum totidem geniculationib
Quo in numero ſunt quatuor quinquagenæ, quorum t
ſic oratæ, Pſalterium Jeſu Chriſti conſtituunt, ex 1
Dominicis orationibus conſtans: quartam vero qui
quagenam adjunxit Apoſtolus, ob devotionis cauſa
ipſi Deoq; notam. MA

MATTHÆVS.

Matthæus, *Alphæi* filius, Chriſto vocanti ſe dedit, & ex publicano factus eſt Apoſtolus. Antequam ad gentes proficiſceretur, *Evangelium*, quod Eccleſia tanquam ſacrum ſanctumque depoſitum tenet, conſcripſit, ſed quo ſermonis genere id ab illo fuerit præſtitum, non convenit inter Eruditos. Quidam enim, *Hebræam*, Judæorum in gratiam, linguam adhibuiſſe volunt, permoti autoritate id aſſerentium, veterum Eccleſiæ Patrum, Papiæ nimirum, qui fuit proximus Apoſtolorum temporibus, Irenæi deinde, Origenis, Euſebii, Epiphanii, Athanaſii, Chryſoſtomi, Hieronymi, aliorumque, quorum verba paſſim allegari videas. Monent tamen ii ipſi, qui ſic animati ſunt, ſedulo, Evangelium hoc ex Hebræo in Græcum ſermonem tranſtuliſſe, vel ipſum Apoſtolum, vel alium quendam ex illo cœtu: ut ſic Græcus, quo utimur, textus, non minoris ſit autoritatis, quam ipſe Hebræus, ſi ſupereſſet: ac feciſſe id fortaſſe *Jacobum* fratrem Domini, quem Athanaſius in Synopſi ſcribit Matthæi Evangelium expoſuiſſe, etſi non liquet, num per expoſitionem verſionem intelligere oporteat: aut *Johannem*, cum apud Theophylactum in Matthæum legatur: *Matthæus primus omnium ſcripſit Evangelium in Hebræa lingua, propter Hebræos credentes, octo annos poſt Chriſti aſcenſionem: tranſtulit autem Johannes illud, ex Hebræa lingua, in Græcam.* Accedit Patrum teſtimonio, illud quoque argumentum, quod *Hieronymus*, ſuo ævo, Matthæi Hebraicum Evangelium, tum in Cæſarienſi Bibliotheca,

quam Pamphilus Martyr ſtudioſiſſime collegerit, tum apud Nazaræos & Ebionitas Hæreticos, extitiſſe, idque ſe in Græcum & Latinum ſermonem tranſtuliſſe, diſerte nobis confirmat. Enim vero, non deſunt tamen, qui Matthæum Græce ſcripſiſſe contendant, plane cum Cajetano perſuaſi, hoc, quo utimur, Matthæi Evangelium, *non fuiſſe a Matthæo Hebraice ſcriptum, conſtare manifeſte ex Evangelii textu.* Ejus rei autem probationem inſtituunt ex eo, quod apud Matthæum cap. I. 23. non tantum interpretatio occurrit vocis Hebrææ *Immanuel*, ſed & c. XXVII. integræ ſententiæ, *Eli Eli, Lama Sabachtani.* Ergo ſic colligunt: Si Hebraice ſcripſit Matthæus Hebræa intelligentibus, defuit utique talium interpretatio. Si omnino defuit, qua fide potuit illam Interpres adjicere? Ineſt pondus huic argumento, ita ut nos quoque in eam inclinemus ſententiam, inſuper illud adjicientes, dicam gravem impingendam fore Eccleſiæ, quod ſi illa a Matthæo Hebræum textum commiſſum commendatumque habebat, eo nunquam fuit uſa, & adeo nullam in cuſtodiendo adhibuit ſolicitudinem, ſed eum perire paſſa eſt, quem tamen facile, per credentes ex Judæis, ab interitu vindicare potuiſſet, Dei quoque providentia, libri alicujus Canonici abolitionem non concedentis, adjuta. Imo, quod caput eſt, nec repertus unquam fuit, qui ſerio teſtatus ſit, ſe Matthæi Evangelium Hebraicum vel oculis tantum uſurpaſſe, unde recte Eraſmus: *Non mihi fit veriſimile, Matthæum Ebraice ſcripſiſſe, cum nemo teſtetur ſe vidiſſe ullum illius Ebraici voluminis veſti-*

veſtigium. Quapropter commodiſſimum videtur, ſi dicamus, Patres, facilitate quadam, nimis credulos ſe præbuiſſe Papiæ, ſcriptori quidem antiquiſſimo, ſed, Euſebio l. 3. Hiſt. Eccl. c. ult. autore, exigui judicii viro: qui multa fabuloſa, leviter credita, poſteris tradidit, multisque poſt ſe eccleſiaſticis viris, occaſionem errandi, antiquitate ſua præbuit. Cum enim Matthæi Evangelium Hebraicum circumferretur, quo Nazaræi & Ebionitæ utebantur, Papias ille, & reliqui Patres eum ſecuti, opere illo pſeudo-Matthæi, aut non viſo, aut non examinato, id pro authentico Matthæi imprudenter habuerunt. Atq; in hunc errorem ut prolaberentur, eo proclivius fuit, quia plerique Hebrææ linguæ deſtituebantur peritia, ut ſic in rem ſerio inquirere prohiberentur. Cæterum, illud Matthæi, quod apud Nazaræos & Ebionitas extabat, Evangelium Hebraicum, planum aliquem ſuppoſuiſſe, facile evincunt nugæ futiles quibus refertum erat. Quippe Hieronymus ad Matthæi cap. XII. commentans, ſcribit: *In Evangelio, quo utuntur Nazaræi & Ebionitæ (quod nuper in Græcum de Hebræo ſermone tranſtulimus, & quod vocatur a plerisq; authenticum) homo iſte qui aridam manum habet, cæmentarius ſcribitur, & iſtiusmodi vocibus auxilium precans: Cæmentarius eram, manibus victum quæritans: precor te Jeſu, ut mihi reſtituas ſanitatem, ne turpiter cibos mendicem.* Idem Hieronymus in Dial. 3. adv. Pelag. ex illo Evangelio hanc hiſtoriam profert: *Ecce Mater Domini, & fratres ejus, dicebant ei, Johannes Baptiſta baptizat in remiſſionem peccatorum; eamus & baptizemur ab eo.*

JACOBVS ALPHÆI.

GRæci, in Menologio, tres Jacobos Apoſtolo celebrant, *Jacobum Alphæi*, die IX. Octobri *Jacobum fratrem Domini*, die XXIII. ejuſde menſis, & *Jacobum Zebedæi*, die XXX. Aprili Sed perperam hæc ita diſponuntur, nam ide omnino eſt *Jacobus Alphæi*, & *Jacobus frater D mini*, qui & *Juſti* quoque, ac *Minoris*, cognome ta tulit. Cæterum, cur Domini frater dictus ſ diverſi diverſa opinati fuere. *Helvidius* hæret cus, ipſius S. Mariæ virginis, e Joſepho, filiu credidit, quam tamen ſententiam univerſa d mnat Eccleſia. Euſebius l. 2. hiſt. c. 1. & Epiph nius hæreſ. 78. arbitrantur, Jacobum, ex prim quod Joſephus, nutritius Servatoris, inivit, co jugio, fuiſſe progenitum. At, receptior op nio eſt, Jacobum patrem habuiſſe *Cleopham*, J ſephi fratrem, ac proinde ſicut *Maria Cleoph* dicitur Soror Matris Domini, quod Joſephi fr tri nupſiſſet, ita etiam Jacobum dici fratre Domini, quod Joſephi, Patris Chriſti, e fratre fo filius. Eſt nimirum, ſecundum iſtos, ea cogn tionis Chriſti Domini habitudo, quam oſten Schema adjectum.

Math

Mathan.

Maria, uxor Cleophæ.

Sobe, alias Iſmeria.

- *Eliſabetha*, uxor Zachariæ.
  - *Johannes* Baptiſta.

Jacobe.

- *Cleophas*, maritus Mariæ.
- *Joſephus*, Sponſus B. Mariæ Virginis.
  - *Salome*, uxor Zebedæi.
    - *Jacobus Major.*
    - *Johannes.*
  - *Maria.*
  - *Jacobus Minor.*
  - *Joſephus Juſtus.*
  - *Judas Thadæus.*
  - *Simeon.*

Anna. uxor Joachimi.

- B. *Maria Virgo.*
  - CHRISTVS.

Epiſtolæ, quæ hujus Jacobi nomine extat, a
toritatem, Lutherus noſter Tom. 2. Jen. Ge
man. p. 298. & in præfatione quoque quæ
Epiſtolæ præmittitur, elevat. Et ſane Patru
quorundam eadem fuit opinio, quippe Hiero
in Catalogo, *Epiſtola Jacobi*, inquit, *ab alio qu*
dam ſub ejus nomine edita aſſeritur. Et apud Eu
bium legitur: *Jacobo adſcribi ſolet Epiſtola, prin*
earum, quæ Catholicæ dicuntur. Quam quidem nonn
ſpuriam ac ſuppoſititiam exiſtimant. Sane pauci a
modum ex vetuſtioribus, tum hujus Epiſtolæ, t
illius Judæ, quæ & ipſa in ſeptem Catholicarum n
mero recenſetur, mentionem fecere. Vrgent pr
terea quidam e Theologis illud imprimis, qu
præcipuum Geneſeos teſtimonium, de Juſtific
tione Abrahæ per fidem, Autor epiſtolæ c.
v.23. neque tempori convenienter citet, &, co
tra Pauli explicationem, Abrahamum ex fac
juſtificatum aſſerat. Enim vero, quia alii do
piique viri, modum iſta conciliandi indican
nos quidem in illorum, quibus religio eſt Jaco
epiſtolam, a tot jam Seculis receptam, tanqu
apocrypham damnare, caſtra ſecedimus. Qu
autem ad *Protevangelium*, & *Liturgiam*, quæ
cobi nominibus inſigniuntur, attinet, ea quid
pro genuinis neutiquam agnoſcimus.

SIMON ZELOTES.

SImon Zelotes, Thaddæi frater, in *Ægypto*,
bya & *Perſia*, Evangelium prædicavit, in
ſi Nicephorum audimus, in *Africam* quoque,
Inſulas Britannicas pertranſiit. Inde vero rev
ſus, & Jacobi fratris in Epiſcopatu Hieroſoly
ta

tano ſucceſſor factus, in extrema ſenecta (annum enim ætatis centeſimum & vigeſimum attigit) cruci affixus eſſe dicitur. Vide Euſ. l. 3. Hiſt. Eccleſ. c. 32.

JVDAS LEBBÆVS.

JVdas Lebbæus, qui & *Thaddæus*, duorum præcedentium Apoſtolorum frater fuit. Ajunt hunc principio in *Meſopotamia & Ponto* Evangelium docuiſſe, poſtea vero cum Simone fratre, in *Perſidem* profectum, ab Ethnicis Sacerdotibus ibidem interfectum eſſe. Euſebius l. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 13. ex Syrorum Archivis memorat, Thomam Apoſtolum, divino ſpiritu impulſum, *Thaddæum* Edeſſam miſiſſe ad *Abgarum*, ut ſic impleretur, quod Chriſtus huic per epiſtolam pollicitus fuerat, ſe poſt ſuum in cœlos aſcenſum miſſurum ei unum ex Diſcipulis, qui morbum illius curet, & vitam ipſi ſuisq; omnibus præſtet. Ad hunc cum Thaddæus veniſſet, teſtatus eſt Abgarus, ſe credere in Chriſtum, Patremque ejus, atque ſe conſilium cepiſſe, de Judæis qui Chriſtum in crucem egerunt, bello invadendis, & ad internecionem delendis, ſed metum Romanorum prohibere, quo minus deſtinata perſequatur. Thaddæus interim, cum Abgaro manum in nomine Domini Jeſu Chriſti impoſuiſſet, illum gravi & diutino morbo, quo laborabat, liberavit, multaque alia miracula patrando, & Evangelium prædicando, magnam multitudinem ad Chriſti agnitionem perduxit. Abgarus, cum, gratum ſe exhibere volens, Thaddæo

dæo aurum & argentum dare juſſiſſet, noluit ille quicquam admittere, ſed, *cum noſtra dimiſerimus*, ajebat, *cur aliena capiemus?* Narrat quoque Euſebius l. 3. cap. 20. ad Egeſippum provocans, aliquos ex Judæ Lebbæi poſteris, delatos apud Domitianum, quod ex genere Davidis eſſent: cum vero hi oſtendiſſent, ſe pauca jugera agri colere, & laboribus manuum victum quærere, regnum quoque, cujus ſe participes futuros ſperent, non mundanum, ſed ſpirituale eſſe, contempſiſſe eos tanquam inanes homines Domitianum, & liberos abire juſſiſſe, eaque occaſione perſecutionem, quæ tum vigebat, eſſe remiſſam. De *Epiſtola Judæ*, quam in Sacro Codice habemus, notanda verba Hieronymi in Catal. *Judas frater Jacobi*, inquit, *parvam quidem, quæ de ſeptem Catholicis eſt, Epiſtolam reliquit. Et quia de libro Enoch, qui Apocryphus eſt, in ea aſſumit teſtimonium, a plerisq; rejicitur. Tamen autoritatem vetuſtate jam & uſu meruit, & inter ſanctas Scripturas computatur.*

MATTHIAS.

Matthias, qui in locum Judæ proditoris ſorte ſuffectus fuit, unus ex LXXII. Domini diſcipulis fuiſſe dicitur, & in Æthiopia evangelium prædicaſſe, ibidemq; primo lapidibus obrutus, poſtremo ſecuri percuſſus eſſe. Bucelinus in Reliquiario Benedict. ad d. 24. Febr. ſcribit *Corpus Matthiæ* in Trevirenſi urbe Monachos S. Benedicti aſſervare, quin & Patavii in S. Juſtinæ templo ejusdem tantas eſſe reliquias, ut & ibi monachi, velut de toto glorientur. Ex

taba

tabat quondam Matthiæ nomine *Evangelium*, quod Clemente Alexandrino l. 17. Strom. teſte, Origenes falſitatatis convicit: extabat & liber, unde Marcion ſuam hæreſin hauſit.

MARCVS EVANGELISTA.

MArcum Evangeliſtam, antequam Chriſto nomen daret, *Sacerdotem* fuiſſe, atque ut miniſterio inutilis eſſet, pollicem ſibi præſcidiſſe, apud Hieronymum nonnulli tradidere. Deinde *diſcipulus Petri*, a Paulo & Barnaba ad miniſterium Evangelii initio aſſumtus eſt. Etſi autem in Pamphylia eos deſeruit, ceu Act. XIII. traditur, tamen non ceſſavit in ſalutaris doctrinæ propagatione: & quia Paulus, adſcito *Sila*, Syriam & Ciliciam petierat, ipſe cum *Barnaba* in Cyprum navigavit. Orta eſt ex illa diviſione non levis inter Viros Sanctos *diſſenſio*, quam tamen deinde compoſitam ex 2. Tim. IV. colligitur, ubi Paulus a Timotheo petit, ut ſecum adducat Marcum, quod magno uſui ſibi eſſe queat: ac veniſſe Marcum Romam, ex epiſtola ad Philemonem conſtat. Docuit porro Evangelium in *Alexandria*, urbe Ægypti, & ibidem eum interiiſſe ac ſepultum eſſe Hieronymus ſcribit. Carolus Stengelius l. 4. de Reliquiarum cultu c. 7. ex Sabellico contendit, S. Marci corpus A. C. 831. *Venetias* translatum eſſe, & in *Augia divite*, vacuum tantum ſupereſſe ſarcophagum, in quo illud quondam requieverit. Sed, cum hoc nunquam conveniet Bucelino, cujus in Sacrar. Benedict. ad 25. April. verba ſunt: *Marci ſacratiſſimum corpus aſſervatur religioſiſſime in celeberrimo*

monaſterio Augienſi, vulgo divite, prope Conſtantia ad Rhenum, magna autem pars brachii una cum m nu oſtenditur in S. Cœnobio Lætienſi. At de h conciliandis alii diſpiciant, nos vero conten ſumus ſuperaddere, quod in Jacobi Philip Bergomenſis Supplemento p. 171. b. legitu *Anno 829. Mercatores quidam Veneti, corpus Mar Alexandria auferentes, Venetias cum ingenti gl ria detulerunt, præſidente tunc ibidem Juſtinia Duce. Johannes vero, prædicti Juſtiniani frater, Ducatus ſucceſſor, poſtea egregium templum, in cel briore urbis loco, eidem conſtruxit, ubi illud ſanct & venerabile corpus collocavit. Atque idem Du primum hunc Sanctum Evangeliſtam ex Senatus co ſulto urbis Patronum conſtituens, imaginem in v xillis ſuis retulit. Quibus geſtis, confeſtim ipſ Evangelii codicem, nuper ex Aquileja delatum, c aliis infinitis propemodum denariis* (fortaſſe *donari in eodem templo recondidit.*

Marcus, cum Romæ eſſet, rogatu auditoru Petri, *Evangelium* dicitur compoſuiſſe: unde I næus l. 3. c. 1. *Marcus diſcpulus & interpres Pe & ipſe quæ annunciata erant, præſcripta nobis t didit.* Genebrardus in Chronographia, Ca Baronius t. 1. Ann. aliique, exiſtimant Marcu Romanorum, qui id a ſe petierant, in gratia *Latine* ſcripſiſſe, eumque, quo utimur, Græc textum, e Latino converſum eſſe. Sed hæc ſ tentia, & nova eſt, & omni deſtituta fun mento. Clare Hieronymus in præf. ad 4. Ev gelia ad Damaſum: *Novum,* inquit, *Teſtamen Græcum eſſe, non eſt dubium, excepto Apoſtolo M thæo.* Et Auguſt. l. 1. de conſenſu Evangeliſt.

S

Solus Matthæus Hebræo ſcripſiſſe perhibetur eloquio, cæteri Græco. Etiam Paulus ad Romanos Epiſtolam, Græca ſcripſit lingua, ac Judæi Romæ agentes, pleriq; Latini ſermonis ignari erant, Græcam autem linguam, longa in Aſia & Græcia habitatione didicerant: Romanorum quoque vix quisquam erat, qui Græca non intelligeret. Atq; ſane textum Latinum qui nunc extat, e Græco indubie verſum eſſe, Bellarm. lib. de Script. Eccl. agnoſcit. Monſtrant interim, in Eccleſiæ *S. Marci*, apud Venetos, ſacris theſauris, librum veterem, pro Marci Evangelii Latini autographo, quod B. Evangeliſta, Aquilejæ, ubi aliquandiu Chriſti fidem prædicaverat, reliquerit. Illius literæ evanidæ ac obſoletæ, vix ac ne vix quidem legi poſſunt. Deficiunt quoq; folia aliqua ab initio, quæ Sigismundo Imperatori, ea vehementer petenti, Senatum dono dediſſe, myſtagogi narrare ſolent. Cæterum, conceptione, nativitate, infantia, pueritia, & juventute Chriſti, ſilentio transmiſſis, Marcus Evangelium incipit a Johannis Baptiſtæ miniſterio. Compendio igitur doctrinam Evangelicam exhibet. Quamvis vero *Breviatorem S. Matthæi* Auguſtinus illum appellet, non ideo tamen, quia conciſius multa quam Matthæus ſcripſit, Matthæum de induſtria in compendium redegiſſe videri debet. Ejusdem enim Spiritus S. inſtinctu Evangelium ſcripſit, non ex Matthæo ſua deſcripſit, quod Scripturæ, quæ tota θεόπνευστος eſt, majeſtati non parum derogaret. Adde, quod nonnulla fuſe narrat, quæ Matthæus ne quidem attigit; nec eundem, quem Matthæus, ordinem tenet; nonnulla etiam a Matthæo fuſe

quam Pamphilus Martyr ſtudioſiſſime collegerit, tum apud Nazaræos & Ebionitas Hæreticos, extitiſſe, idque ſe in Græcum & Latinum ſermonem tranſtuliſſe, diſerte nobis confirmat. Enim vero, non deſunt tamen, qui Matthæum Græce ſcripſiſſe contendant, plane cum Cajetano perſuaſi, hoc, quo utimur, Matthæi Evangelium, *non fuiſſe a Matthæo Hebraice ſcriptum, conſtare manifeſte ex Evangelii textu.* Ejus rei autem probationem inſtituunt ex eo, quod apud Matthæum cap. I. 23. non tantum interpretatio occurrit vocis Hebrææ *Immanuel*, ſed & c. XXVII. integræ ſententiæ, *Eli Eli, Lama Sabachtani* Ergo ſic colligunt: Si Hebraice ſcripſit Matthæus Hebræa intelligentibus, defuit utique talium interpretatio. Si omnino defuit, qua fide potuit illam Interpres adjicere? Ineſt pondus huic argumento, ita ut nos quoque in eam inclinemus ſententiam, inſuper illud adjicientes, dicam gravem impingendam fore Eccleſiæ, quod ſi illa a Matthæo Hebræum textum commiſſum commendatumque habebat, eo nunquam fuit uſa, & adeo nullam in cuſtodiendo adhibuit ſolicitudinem, ſed eum perire paſſa eſt, quem tamen facile, per credentes ex Judæis, ab interitu vindicare potuiſſet, Dei quoque providentia, libri alicujus Canonici abolitionem non concedentis, adjuta. Imo, quod caput eſt, nec repertus unquam fuit, qui ſerio teſtatus ſit, ſe Matthæi Evangelium Hebraicum vel oculis tantum uſurpaſſe, unde recte Eraſmus: *Non mihi fit veriſimile, Matthæum Ebraice ſcripſiſſe, cum nemo teſtetur ſe vidiſſe ullum illius Ebraici voluminis*

veſti-

veſtigium. Quapropter commodiſſimum videtur, ſi dicamus, Patres, facilitate quadam, nimis credulos ſe præbuiſſe Papiæ, ſcriptori quidem antiquiſſimo, ſed, Euſebio l. 3. Hiſt. Eccl. c. ult. autore, exigui judicii viro: qui multa fabuloſa, leviter credita, poſteris tradidit, multisque poſt ſe eccleſiaſticis viris, occaſionem errandi, antiquitate ſua præbuit. Cum enim Matthæi Evangelium Hebraicum circumferretur, quo Nazaræi & Ebionitæ utebantur, Papias ille, & reliqui Patres eum ſecuti, opere illo pſeudo-Matthæi, aut non viſo, aut non examinato, id pro authentico Matthæi imprudenter habuerunt. Atq; in hunc errorem ut prolaberentur, eo proclivius fuit, quia plerique Hebrææ linguæ deſtituebantur peritia, ut ſic in rem ſerio inquirere prohiberentur. Cæterum, illud Matthæi, quod apud Nazaræos & Ebionitas extabat, Evangelium Hebraicum, planum aliquem ſuppoſuiſſe, facile evincunt nugæ futiles quibus refertum erat. Quippe Hieronymus ad Matthæi cap. XII. commentans, ſcribit: *In Evangelio, quo utuntur Nazaræi & Ebionitæ (quod nuper in Græcum de Hebræo ſermone tranſtulimus, & quod vocatur a plerisq; authenticum) homo iſte qui aridam manum habet, cæmentarius ſcribitur, & iſtiusmodi vocibus auxilium precans: Cæmentarius eram, manibus victum quæritans: precor te Jeſu, ut mihi reſtituas ſanitatem, ne turpiter cibos mendicem.* Idem Hieronymus in Dial. 3. adv. Pelag. ex illo Evangelio hanc hiſtoriam profert: *Ecce Mater Domini, & fratres ejus, dicebant ei, Johannes Baptiſta baptizat in remiſſionem peccatorum; eamus & baptizemur ab eo.*

Dixit autem eis : Quid peccavi, ut vadam & baptizer ab eo?

Sane, produxere majorum memoria, Sebaſtianus Munſterus, in Germania; & Johannes Tilius, Epiſcopus Briocenſis, in Gallia, undecunque nacta, exempla Evangelii Matthæi Hebraici; ſed, quæ toto genere diverſa, non tantum ſibi invicem, obſtant, verum inſuper erroribus ſcatent, ut nemo circumſpectior paſſurus ſit, alterutrum illorum pro genuino ſibi obtrudi. Apud Nicolaum V. Pontificem tamen fortaſſe gratiam iniviſſet, qui exemplar aliquod ex iſtis illi obtuliſſet. Is enim, quod eſt apud Lanſium in Oratione pro Italia, *per univerſam fere Europam miſerat viros in omni artium genere excelſos, qui veterum libros conquirerent, promiſitque quinq; Ducatorum millia, ei, qui Ebraicum D. Matthæi Apoſtoli Evangelium adferret.*

De reliquo, non carent feſtivitate, quæ a Nicephoro de Matthæo prodita ſunt. Nempe, illum ſi audimus, *Anthropophagos*, & civitatem illorum *Myrmenam* adiit Matthæus; cumque collem urbi proximum conſcendiſſet, oravit Deum, ſibi revelare dignaretur, quid de gentis illius ſalute ſperandum eſſet. Apparuit igitur illi Chriſtus, in formoſi pueri imagine, eique virgam in manum dedit, jubens, ut in terram illam defigat, atque ſic converſam iri in arborem excelſam, & denſis foliis opacam, plenam quoque ſapidiſſimorum fructuum. Erupturum inſuper ad ejus radices fontem, in quo ſi laviſſent Anthropophagi, & formam pulchram, & mentem docilem, vultus truculentia, & animi væcordia poſitis, conſecutu-

cuturos. Nec defuit eventus: atque hanc ob cauſam, plurimi incolarum, Chriſto, quem Matthæus prædicabat, nomen dedere. At *Fulvianus* urbis princeps, a Diabolo percitus, jubet Apoſtolum, clavis, terræ, cui multam picem & bitumen inſtraverat, affigi. Igne admoto, dulce refrigerium ſentit Matthæus, contra XII. Idola, quæ circumpoſuerat Fulvianus, ut igni vim adderent, colliquerſcunt. Serpens quoque ex pyra proſiliens, conſectatur Principem. Vnde is deſperatis rebus, ad Matthæum confugit, ab illo opem & auxilium expoſcens. Nec mora ad Matthæi imperium, ignis extinguitur, & ſerpens evaneſcit, ipſe vero Apoſtolus, quia ſuprema hora advenerat, in pace emittit ſpiritum. Corpus in arca ferrea conditum Fulvianus in mare demerſit, ſecum ſtatuens, ſi ille Deus qui Matthæum adverſus ignem tutatus fuerat, ipſum quoque in aquis ſervare, & præſtare poſſit, ut e ferro gravis ſandapila undis innatet, tum ſe quoque eidem Numini adhæſurum. Poſt hæc Fulviano, omnique populo ſpectantibus, ex imo fundo emerſit ſandapila, ac a fluctibus in litus fuit protruſa. Ibi tum Fulvianus, omnesq; cives, baptiſmo luſtrari petierunt.

Communior ſententia eſt, Matthæum peragrata Aſia & Ponto, in *Æthiopiam* veniſſe, ibique ab *Hirtaco* quodam, ad aram fuiſſe obtruncatum. Apud Cedrenum legimus A. C. 479. repertum eſſe in Cypro Apoſtoli *Barnabæ* cadaver, ſuperque illius pectore, Evangelium S. Matthæi, manu ipſius exaratum, unde Conſtantinopolim tranſlatum, & in templo S. Stephani repoſitum fuerit.

JACOBVS ALPHÆI.

GRæci, in Menologio, tres Jacobos Apoſtolos celebrant, *Jacobum Alphæi*, die IX. Octobris, *Jacobum fratrem Domini*, die XXIII. ejusdem menſis, & *Jacobum Zebedæi*, die XXX. Aprilis. Sed perperam hæc ita diſponuntur, nam idem omnino eſt *Jacobus Alphæi*, & *Jacobus frater Domini*, qui & *Juſti* quoque, ac *Minoris*, cognomenta tulit. Cæterum, cur Domini frater dictus ſit diverſi diverſa opinati fuere. *Helvidius* hæreticus, ipſius S. Mariæ virginis, e Joſepho, filium credidit, quam tamen ſententiam univerſa damnat Eccleſia. Euſebius l. 2. hiſt. c. 1. & Epiphanius hæreſ. 78. arbitrantur, Jacobum, ex primo quod Joſephus, nutritius Servatoris, inivit, conjugio, fuiſſe progenitum. At, receptior opinio eſt, Jacobum patrem habuiſſe *Cleopham*, Joſephi fratrem, ac proinde ſicut *Maria Cleophæ* dicitur Soror Matris Domini, quod Joſephi fratri nupſiſſet, ita etiam Jacobum dici fratrem Domini, quod Joſephi, Patris Chriſti, e fratre fore filius. Eſt nimirum, ſecundum iſtos, ea cognationis Chriſti Domini habitudo, quam oſtendit Schema adjectum.

Mathan

Mathan.

Maria, uxor Cleophæ. | *Sobe,* alias Iſmeria. | *Jacobe.* | *Anna.* uxor Joachimi.

Eliſabetha, uxor Zachariæ. (filia Sobe)

Cleophas, maritus Mariæ. | *Joſephus,* Sponſus B. Mariæ Virginis. (filii Jacobe)

B. Maria Virgo. (filia Annæ)

Johannes Baptiſta. (filius Eliſabethæ)

Salome, uxor Zebedæi. | Maria. | Jacobus Minor. | Joſephus Juſtus. | Judas Thadæus. | Simeon. (filii Cleophæ)

CHRISTVS. (filius B. Mariæ Virginis)

Jacobus Major. | *Johannes.* (filii Salome)

Cæterum, de Jacobo Minore ap. Euſebium l. 2 Hiſt. Eccl. c. 23. proditum eſt ex Egeſippo, quo ab ipſo matris utero ſanctus fuerit, nec vinum un quam biberit, nec ſiceram, ab animantium quoc carnibus abſtinens. Amplius, nunquam comam tondebat, & corpus, nec ungere, nec balneo lavare ſolebat. Vnus ex omnibus in intimum temp ſanctuarium ingrediendi jus facultatemque habebat, & linea tantum veſte, haud lanicio utebatu In genua continenter provolutus orabat, und genua ejus haud ſecus ac camelorum poplites oc calluerant. S. Hieronymus teſtatur, in Nazaræorum Evangelio Hebraico ſcriptum fuiſſe, Chriſtum, cum poſt reſurrectionem dediſſet ſindonem ſervo ſacerdotis, iviſſe ad Jacobum Alphæi & porrecto illi pane, quem precibus prius ſacra verat, dixiſſe: Frater mi comede panem tuum quia reſurrexit Filius hominis a dormientibus: jurаſſe enim Jacobum, ſe non comeſturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, done videret eum reſurgentem a mortuis. Fertur Jacobum, primum fuiſſe *Eccleſiæ Hieroſolymitan. Epiſcopum*, eamque per annos 30. rexiſſe; cum que multos concionibus ſuis ad Chriſti fiden perduxiſſet, grave odium Scribarum & Phariſæorum incurriſſe. Ergo impetu aliquando facto, eum in pinnaculum templi ſtatuerunt, extrema quæque interminantes, ni Chriſtum abnegaret. Cum vero nihil proficerent, in præceps dedere Sanctum Dei virum, qui ſpirans adhuc, & pro hoſtibus orans, a furenti plebe lapidibus primum obrutus, & cum ne ſic quidem vita dejiceretur, deniq; a quodam, cum fullonis

fuſte

fuſte accurrente, trucidatus eſt. Videndus, rurſus hiſtoriam ex Egeſippo prolixius enarrans Euſebius. Idem tamen Joſephi quoque ex libro 20. Antiq. cap. 8. locum repræſentat, longe diverſa ab iſtis prodentem, & dignum, qui hic etiam legatur, ob varia res Judæorum illuſtrantia, quæ continet: unde ut jam ſupra afferretur, æquum erat. *Comperta morte Feſti, Cæſar* (Nero) *Albinum Procuratorem in Judæam mittit. Interea Ananus junior, quem Pontificatum accepiſſe jam diximus, vir audax imprimis ac temerarius, & qui Sectam Sadducæorum ſequebatur, quos quidem præ cæteris Judæis in judiciis immites eſſe, ſupra retulimus, opportunum ſibi tempus adeſſe ratus, eo quod Feſtus quidem obiiſſet, Albinus vero adhuc iter faceret, Concilium judicum coëgit. Inductoq; in judicium Jacobo fratre Jeſu, ejus qui dicitur Chriſtus, & cum eo quibusdam aliis, crimen illis violatæ legis impegit, ſtatimq; lapidandos tradidit. Sed quicunq; inter cives modeſtiſſimi, legisq; obſervandæ ſtudioſiſſimi habebantur, graviter id factum tulere. Itaq; clam Legatos ad Regem mittunt, hortantes ut Ananum per literas monere vellet, ne deinceps talia gereret: neq; enim prius illud recte atq; ex jure ab eo factum eſſe. Quin etiam nonnulli eorum, Albino, ab urbe Alexandria iter facienti, occurrerunt, eumq; monuerunt, non licuiſſe Anano, abſq; illius conſenſu, concilium judicum convocare. Quibus auditis, Albinus literas plenas furoris & iracundiæ, ad Ananum ſcribit, minatus ſe de illo pœnas ſumturum. Proinde Rex Agrippa, ademto ei Pontificatu, quem per tres menſes geſſerat, Jeſum Damnæi filium Pontificem conſtituit.*

Epi-

Epiſtolæ, quæ hujus Jacobi nomine extat, ſ
toritatem, Lutherus noſter Tom. 2. Jen. G
man. p. 298. & in præfatione quoque quæ
Epiſtolæ præmittitur, elevat. Et ſane Patr
quorundam eadem fuit opinio, quippe Hier
in Catalogo, *Epiſtola Jacobi*, inquit, *ab alio q*
dam ſub ejus nomine edita aſſeritur. Et apud Eu
bium legitur: *Jacobo adſcribi ſolet Epiſtola, pri*
earum, quæ Catholicæ dicuntur. Quam quidem nonn
ſpuriam ac ſuppoſititiam exiſtimant. Sane pauci
modum ex vetuſtioribus, tum hujus Epiſtolæ, t
illius Judæ, quæ & ipſa in ſeptem Catholicarum
mero recenſetur, mentionem fecere. Vrgent pı
terea quidam e Theologis illud imprimis, qu
præcipuum Geneſeos teſtimonium, de Juſtifi
tione Abrahæ per fidem, Autor epiſtolæ c.
v. 23. neque tempori convenienter citet, &, co
tra Pauli explicationem, Abrahamum ex fac
juſtificatum aſſerat. Enim vero, quia alii do
piique viri, modum iſta conciliandi indicaı
nos quidem in illorum, quibus religio eſt Jac
epiſtolam, a tot jam Seculis receptam, tanqu
apocrypham damnare, caſtra ſecedimus. Qu
autem ad *Protevangelium*, & *Liturgiam*, quæ
cobi nominibus inſigniuntur, attinet, ea quid
pro genuinis neutiquam agnoſcimus.

SIMON ZELOTES.

SImon Zelotes, Thaddæi frater, in *Ægypto*,
bya & *Perſia*, Evangelium prædicavit, in
ſi Nicephorum audimus, in *Africam* quoque,
Inſulas Britannicas pertranſiit. Inde vero rev
ſus, & Jacobi fratris in Epiſcopatu Hieroſolyı

ta

tano ſucceſſor factus, in extrema ſenecta (annum enim ætatis centeſimum & vigeſimum attigit) cruci affixus eſſe dicitur. Vide Euſ. l. 3. Hiſt. Eccleſ. c. 32.

JVDAS LEBBÆVS.

JVdas Lebbæus, qui & *Thaddæus*, duorum præcedentium Apoſtolorum frater fuit. Ajunt hunc principio in *Meſopotamia* & *Ponto* Evangelium docuiſſe, poſtea vero cum Simone fratre, in *Perſidem* profectum, ab Ethnicis Sacerdotibus ibidem interfectum eſſe. Euſebius l. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 13. ex Syrorum Archivis memorat, Thomam Apoſtolum, divino ſpiritu impulſum, *Thaddæum* Edeſſam miſiſſe ad *Abgarum*, ut ſic impleretur, quod Chriſtus huic per epiſtolam pollicitus fuerat, ſe poſt ſuum in cœlos aſcenſum miſſurum ei unum ex Diſcipulis, qui morbum illius curet, & vitam ipſi ſuisq; omnibus præſtet. Ad hunc cum Thaddæus veniſſet, teſtatus eſt Abgarus, ſe credere in Chriſtum, Patremque ejus, atque ſe conſilium cepiſſe, de Judæis qui Chriſtum in crucem egerunt, bello invadendis, & ad internecionem delendis, ſed metum Romanorum prohibere, quo minus deſtinata perſequatur. Thaddæus interim, cum Abgaro manum in nomine Domini Jeſu Chriſti impoſuiſſet, illum gravi & diutino morbo, quo laborabat, liberavit, multaque alia miracula patrando, & Evangelium prædicando, magnam multitudinem ad Chriſti agnitionem perduxit. Abgarus, cum, gratum ſe exhibere volens, Thaddæo

dæo aurum & argentum dare juſſiſſet , n
luit ille quicquam admittere , ſed , *cum noſ*
dimiſerimus, ajebat, *cur aliena capiemus ?* N
rat quoque Euſebius l. 3. cap. 20. ad Egeſippu
provocans, aliquos ex Judæ Lebbæi poſteris, d
latos apud Domitianum, quod ex genere Dav
dis eſſent : cum vero hi oſtendiſſent, ſe pau
jugera agri colere, & laboribus manuum victu
quærere, regnum quoque, cujus ſe participes f
turos ſperent, non mundanum , ſed ſpiritua
eſſe, contempſiſſe eos tanquam inanes homin
Domitianum, & liberos abire juſſiſſe, eaque oc
caſione perſecutionem, quæ tum vigebat, eſſ
remiſſam. De *Epiſtola Judæ*, quam in Sacro Codic
habemus, notanda verba Hieronymi in Cata
Judas frater Jacobi, inquit, *parvam quidem , qu*
de ſeptem Catholicis eſt, Epiſtolam reliquit. Et qui
de libro Enoch, qui Apocryphus eſt, in ea aſſumit te
ſtimonium , a pleriſq; rejicitur. Tamen autoritatem
vetuſtate jam & uſu meruit , & inter ſanctas Scri-
pturas computatur.

MATTHIAS.

MAtthias, qui in locum Judæ proditoris ſorte ſuffectus fuit, unus ex LXXII. Domini diſcipulis fuiſſe dicitur, & in Æthiopia evangelium prædicaſſe , ibidemq; primo lapidibus obrutus, poſtremo ſecuri percuſſus eſſe. Bucelinus in Reliquiario Benedict. ad d. 24. Febr. ſcribit *Corpus Matthiæ* in Trevirenſi urbe Monachos S. Benedicti aſſervare, quin & Patavii in S. Juſtinæ templo ejusdem tantas eſſe reliquias , ut & ibi monachi, velut de toto glorientur. Ex-

tabat

tabat quondam Matthiæ nomine *Evangelium*, quod Clemente Alexandrino l. 17. Strom. teſte, Origenes falſitatatis convicit: extabat & liber, unde Marcion ſuam hæreſin hauſit.

MARCVS EVANGELISTA.

MArcum Evangeliſtam, antequam Chriſto nomen daret, *Sacerdotem* fuiſſe, atque ut miniſterio inutilis eſſet, pollicem ſibi præſcidiſſe, apud Hieronymum nonnulli tradidere. Deinde *diſcipulus Petri*, a Paulo & Barnaba ad miniſterium Evangelii initio aſſumtus eſt. Etſi autem in Pamphylia eos deſeruit, ceu Act. XIII. traditur, tamen non ceſſavit in ſalutaris doctrinæ propagatione: & quia Paulus, adſcito *Sila*, Syriam & Ciliciam petierat, ipſe cum *Barnaba* in Cyprum navigavit. Orta eſt ex illa diviſione non levis inter Viros Sanctos *diſſenſio*, quam tamen deinde compoſitam ex 2. Tim. IV. colligitur, ubi Paulus a Timotheo petit, ut ſecum adducat Marcum, quod magno uſui ſibi eſſe queat: ac veniſſe Marcum Romam, ex epiſtola ad Philemonem conſtat. Docuit porro Evangelium in *Alexandria*, urbe Ægypti, & ibidem eum interiiſſe ac ſepultum eſſe Hieronymus ſcribit. Carolus Stengelius l. 4. de Reliquiarum cultu c. 7. ex Sabellico contendit, S. Marci corpus A. C. 831. *Venetias* translatum eſſe, & in *Augia divite*, vacuum tantum ſupereſſe ſarcophagum, in quo illud quondam requieverit. Sed, cum hoc nunquam conveniet Bucelino, cujus in Sacrar. Benedict. ad 25. April. verba ſunt: *Marci ſacratiſſimum corpus aſſervatur religioſiſſime in celeberrimo*

monaſterio Augienſi, vulgo divitę, prope Conſtanti ad Rhenum, magna autem pars brachii una cum r nu oſtenditur in S. Cœnobio Lætienſi. At de conciliandis alii diſpiciant, nos vero conte ſumus ſuperaddere, quod in Jacobi Philip Bergomenſis Supplemento p. 171. b. legitu *Anno 829. Mercatores quidam Veneti, corpus Ma Alexandria auferentes, Venetias cum ingenti g ria detulerunt, præſidente tunc ibidem Juſtinia Duce. Johannes vero, prædicti Juſtiniani frater, Ducatus ſucceſſor, poſtea egregium templum, in cel briore urbis loco, eidem conſtruxit, ubi illud ſanctu & venerabile corpus collocavit. Atque idem Du primum hunc Sanctum Evangeliſtam ex Senatus co ſulto urbis Patronum conſtituens, imaginem in v xillis ſuis retulit. Quibus geſtis, confeſtim ipſi Evangelii codicem, nuper ex Aquileja delatum, cu aliis infinitis propemodum denariis* (fortaſſe *donarii in eodem templo recondidit.*

Marcus, cum Romæ eſſet, rogatu auditorur Petri, *Evangelium* dicitur compoſuiſſe: unde Ire næus l. 3. c. 1. *Marcus diſcpulus & interpres Petr & ipſe quæ annunciata erant, præſcripta nobis tra didit.* Genebrardus in Chronographia, Card Baronius t. 1. Ann. aliique, exiſtimant Marcum Romanorum, qui id a ſe petierant, in gratiam *Latine* ſcripſiſſe, eumque, quo utimur, Græcum textum, e Latino converſum eſſe. Sed hæc ſententia, & nova eſt, & omni deſtituta fundamento. Clare Hieronymus in præf. ad 4. Evangelia ad Damaſum: *Novum*, inquit, *Teſtamentum Græcum eſſe, non eſt dubium, excepto Apoſtolo Matthæo.* Et Auguſt. l. 1. de conſenſu Evangeliſt. c. 2.

Solus

Solus Matthæus Hebræo ſcripſiſſe perhibetur eloquio, cæteri Græco. Etiam Paulus ad Romanos Epiſtolam, Græca ſcripſit lingua, ac Judæi Romæ agentes, pleriq; Latini ſermonis ignari erant, Græcam autem linguam, longa in Aſia & Græcia habitatione didicerant: Romanorum quoque vix quisquam erat, qui Græca non intelligeret. Atq; ſane textum Latinum qui nunc extat, e Græco indubie verſum eſſe, Bellarm. lib. de Script. Eccl. agnoſcit. Monſtrant interim, in Eccleſiæ *S. Marci*, apud Venetos, ſacris theſauris, librum veterem, pro Marci Evangelii Latini autographo, quod B. Evangeliſta, Aquilejæ, ubi aliquandiu Chriſti fidem prædicaverat, reliquerit. Illius literæ evanidæ ac obſoletæ, vix ac ne vix quidem legi poſſunt. Deficiunt quoq; folia aliqua ab initio, quæ Sigismundo Imperatori, ea vehementer petenti, Senatum dono dediſſe, myſtagogi narrare ſolent. Cæterum, conceptione, nativitate, infantia, pueritia, & juventute Chriſti, ſilentio transmiſſis, Marcus Evangelium incipit a Johannis Baptiſtæ miniſterio. Compendio igitur doctrinam Evangelicam exhibet. Quamvis vero *Breviatorem S. Matthæi* Auguſtinus illum appellet, non ideo tamen, quia conciſius multa quam Matthæus ſcripſit, Matthæum de induſtria in compendium redegiſſe videri debet. Ejusdem enim Spiritus S. inſtinctu Evangelium ſcripſit, non ex Matthæo ſua deſcripſit, quod Scripturæ, quæ tota θεόπνευςος eſt, majeſtati non parum derogaret. Adde, quod nonnulla fuſe narrat, quæ Matthæus ne quidem attigit; nec eundem, quem Matthæus, ordinem tenet; nonnulla etiam a Matthæo fuſe

narrata, neutiquam commemorat. Circumf
tur *Liturgia* quædam, quaſi a Marco compoſ
Verum illam ſuppoſititiam eſſe, præter cæte
oſtendit Rivetus l. 1. Critici Sac. c. 3. Quip
Homouſii, *Triſagii*, *Monaſteriorum*, *Monachor*
& *thurificationum*, in ea fit mentio: quas voces
longe aliud ævum ſpectare, nemo tam imp
tus rerum eſt, qui neſciat.

LVCAS EVANGELISTA.

LUcam, *genere Antiochenum*, *ſententia & a*
medicum fuiſſe, Euſeb. l. 3. c. 4. ſcribit. Eum
quitur Hieron. in Catal. c. 7. *Lucas*, inquit,
dicus Antiochenſis, *ut ejus ſcripta indicant*, *Gr*
ſermonis non ignarus fuit, *ſectator Apoſtoli Pauli*
omnis peregrinationis ejus comes; *Evangelium ſ*
audierat ſcripſit: *Acta vero Apoſtolorum*, *ſicut*
derat, *compoſuit*. Hæc Hieron. Nimirum, ex lo
Coloſſ. IV. 14. nata ſententia eſt, Lucam me
cum fuiſſe: non tamen ea res omni caret dub
Longe incertius eſt quod Nicephorus l. 2. c.
Lucam non tantum medicum, ſed & *pictor*
egregium fuiſſe, ac imagines Chriſti, Virgi
matris, & Petri ac Pauli Apoſtolorum dep
xiſſe tradit. Solus Lucas, inter Scriptores Sacr
libro ſuo *præfationem* præmiſit, illumque *Theoph*
inſcripſit: qua voce, etſi cum Ambroſio, q
vis Deum amans intelligi poteſt; tamen quia L
cas ſuum Theophilum κράτιστον ſalutat, inde f
taſſe rectius cum Theophylacto colligemu
Theophilum certum fuiſſe hominem, & quid
nobilem, ac præcipuæ dignitatis. De *temp*
compoſiti a Luca Evangelii, non plane conver

Sc

Scriptum eſſe anno 15. poſt Aſcenſionem Domini, Thophylactus aſſerit. Codex Arabicus Kirſtenii, ſerius, nempe anno 14. Claudii, 22. poſt Aſcenſionem Chriſti in cœlum, exaratum indicat. Neque deſunt, qui demum anno 27. poſt Aſcenſionem, Evangelium cum Actis ſcriptum eſſe contendant. Ecqui tempus recte definierint, certis rationibus decidi nequit. Plerique Veterum, Matthæum ante Marcum, & Marcum ante Lucam, Evangelium ſcripſiſſe aſſerunt.

Vixit Lucas, Hieronymo teſte, annos 80. Nicephorus addit, ſuſpenſum fuiſſe in Græcia, ex fructifera oleæ arbore, quod aridi ligni, unde crux fabricaretur, copia nulla eſſet. *Reliquias*, Conſtantinus, Conſtantini M. filius, Thebis, una cum reliquiis *Andreæ*, quas Patris, & *Timothei*, quas ex Epheſo petiit, tranſtulit Conſtantinopolin.

PAVLVS APOSTOLVS.

PAulus, Tarſi, in Ciliciæ urbe natus, *ex tribu Benjamin*, & *Civis Romanus* fuit: olim *Saulus* dictus eſt. Studia literarum, a primis annis, in patria Schola coluit, cujus tum tanta erat celebritas, ut, Strabone autore, Atticam, & Alexandrinam Academiam ſuperarit. Profectus deinde Hieroſolymas, *Gamaliele* præceptore, ad Sectam Phariſæorum ſe applicavit, cumque acerrime religionem judaicam propugnaret, & literis a Pontifice ac Præſulibus Judæorum acceptis, Damaſcum pergeret, Chriſtianorum nomen deleturus, derepente ab ipſo Chriſto cœ-

litus vocatus, & per divinam revelationem Chriſtianæ fidei myſteria edoctus, ex hoſte & perſecutore, Vas electionis Dei factus eſt.

Quæ porro ſequuta, ex Actis Apoſtolicis, divini Spiritus dictamine, nota habentur. In iis vero, quia I. Cor. XV. 32. memoratæ, quam *Epheſi cum beſtiis iniit, pugnæ*, hiſtoria, deficere aliquibus videtur, ſic eam ex Nicephori, & aliorum, ſupplent traditionibus, ut dicant, Paulum, cum Epheſi Evangelium de Chriſto annunciaret, a furente ob id plebe, carceris cuſtodiæ fuiſſe traditum, ut leonibus vorandus objiceretur. Ibi tum *Eubula* & *Artemilla*, primariorum Epheſi virorum conjuges, noctu Paulum adeuntes, veram religionem edoctæ, baptiſmo luſtrari petebant. Ergo, divino ſplendore caliginem noctis illuminante, Paulus ferreis compedibus liberatus, cum iis ad litus maris ſe confert, & poſtquam ipſas ſacra unda proluiſſet, in carcerem revertitur. Poſtridie, inuſitatæ magnitudinis *leo*, adverſus Paulum in theatro emiſſus, mox ad pedes illius placidus conſedit, cauda ipſum leniter diverberans. Eodem modo & aliæ immanes feræ, Paulum, adverſus quem concitabantur, minime tangere auſæ ſunt. Poſt hæc, inter tonitruum fragores, miſta imbri largifluo grando vehemens, cœlitus delapſa, multorum & hominum & animantium capita comminuit, ipſique *Hieronymo*, urbis Præfecto, aurem avellit. Hanc ob rem, leo, cæteræque feræ, in ſylvas diffugiunt, Hieronymus cum ſuis Chriſto ſe mancipat.

De-

Deſinit Actorum Apoſtolicorum hiſtoria, *in captivitate Pauli prima:* in qua poſtquam ad Cæſarem Romam appellavit, difficili navigatione eo devectus eſt. Ibi *Affranio Burrbo* commiſſus, in privato hoſpitio, vinctus docuit Evangelium nemine prohibente, exteras etiam Eccleſias per Epiſtolas confirmans. Biennio exacto, abſolutus ac dimiſſus a Nerone, viſitatis Eccleſiis Orientalium, Italiam, Galliam, Hiſpaniamque adiit, multosque incolarum vera religione imbuit. Perſecutione tandem prima ſub Nerone ſæviente, cum aliis fidelibus Romam pertractus, poſt IX. menſium carcerem capite plexus eſt.

In ſuburbanis Vrbis *Romæ, tres fontes monſtrantur*, quosque, ex ter repetito ſaltu capitis Pauli amputati, promanaſſe, vulgus hominum perſuaſum habet, quare & aqua illa ad depellendas febres utuntur.

Reliquit nobis Paulus, ſuo nomine inſcriptas *Epiſtolas XIII.* quarum pleræque ad *Eccleſias*, Coloſſenſium puta, Corinthiorum, Epheſiorum, Galatarum, Philippenſium, Romanorum, & Theſſalonicenſium, tres vero ad Timotheum, Titum, & Philemonem diſcipulos, miſſæ ſunt. Atque de his quidem Epiſtolis omnibus, nulla unquam fuit dubitatio, cui tamen obnoxia & olim erat, apud aliquos etiam nunc eſt, *Epiſtola ad Hebræos.* Hanc enim S. Hieronymo in Catalogo teſte, alii tribuerunt *Barnabæ*, alii *Lucæ*, alii *Clementi Romano*, propter ſtyli ſermoniſque diſtantiam. Ac a *Luca* quidem ſcriptam, Origenes apud Euſebium l. 6.

Hiſt. Eccleſ. c. 19. contendit, quam ſententia
Calvinus & Grotius ſuam fecerunt. *Barnab*
autori eam adjudicavit Tertullianus. Sed ver
Celebris Vir, *Fridericus Spanhemius*, peculia
libello, hanc Epiſtolam, multis indubiis argume
tis, Paulo eruditiſſime aſſeruit. Nos, memori
conſulentes, unica ratione erimus conten
Scilicet, ſcripſit dubio procul Petrus, poſte
riorem ſuam Epiſtolam iisdem, ad quos ſcripſ
rat priorem, atque ipſe id confirmat in poſteri
ris c. III. 1. Sed prior, ut habet initium, ſcr
pta eſt Judæis *diſperſis*, quorum cura illi poti
ſimum demandata erat, Gal. II. 7. Jam, 2. Pet
III. 15. 16. legimus: *Sicut & chariſſimus frat
noſter Paulus, ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcr
pſit vobis, ſicut & in omnibus epiſtolis, loquens
eis de his: in quibus ſunt quædam difficilia intellect*
In iſtis perſpicue diſtinguit Petrus reliquas ep
ſtolas Paulinas, ab ea, quam ſcripſit Paulus ii
dem quibus & ipſe ſcribebat, hoc eſt Hebræi
ita tamen hanc a reliquis diſtinguens, ut omn
commendet, tanquam cœleſtis ſapientiæ pl
nas. Tum vero, ſi in ulla, ſunt vel maxime i
iſta ad Hebræos, *δυσνόητά τινα, quædam difficil
intellectu*. Citra hæſitationem quoque, Paulu
epiſtolæ ad Hebræos autorem faciunt, *Græ
Patres*, Juſtinus, Clemens Alexandrinus, Atha
naſius, Cyrillus, Gregorii Nyſſenus & Na
zianzenus: e *Latinis* vero Hilarius, Ambroſiu
Auguſtinus. *Neq; obſtat ſtyli diverſitas.* Cu
enim ad Hebræos ſcribat Paulus, nihil mirun
ſi frequentiores, quam in reliquis Epiſtolis, He
braiſmos uſurpet. *Non præfixit* autem *nome
ſuu*

ſuum *Epiſtolæ*, more in cæteris recepto, ſive modeſtiæ cauſa, quia præcipue *gentium*, non *circumciſionis*, ſeu Hebræorum, Apoſtolus erat, Galat. II. 9. adeoque alienum munus invaſiſſe videri noluit: ſive, quod nomine ſuo, Hebræis inviſo, fronti addito, ipſos irritare noluit: imprimis cum apud eos ſuſpicione laboraret, quaſi legem Moſis ſperneret, ac ad defectionem ab illa hortaretur, Act. XXI. 21. Cæterum, iis, qui perhibent *Epiſtolam banc Hebraice ſcriptam*, (quod primus fortaſſe fecit Clemens Alexandrinus, & a cujus opinione S. Hieronymus non fuit alienus,) titulus fraudi fuit. Quia enim ad Hebræos ſcripta, ideo Hebraice quoq; ſcribi debuisſe, ut crederent animum induxerunt. Sed meminiſſe debuerant, etiam Hieroſolymis magnum fuiſſe linguæ Græcæ uſum: extra Hieroſolymam, pauciſſimos Judæos, aliter quam Græce loquutos eſſe. Scribebat autem Paulus Hebræis ſub Imperio Romano viventibus: qui, cum omnes propemodum Græce loquerentur, etiam ipſum Græce loqui oportuit, prorſus uti Petrus & Jacobus quoque, ad Hebræos ſcribentes, Græco ſermone uſi deprehenduntur. Clamat inſuper ipſe ſtylus, utut Hebraiſmis refertus, Græcum idioma nativum eſſe Epiſtolæ, non adſcititium.

Porro, præter memoratas Epiſtolas, fertur & alia Pauli nomine *ad Laodicenſes*, quæ tamen, ut loco ſupra indicato diſerte ſcribit Hieronymus, ab omnibus exploditur. Occaſionem hanc ſupponendi præbuit locus *Coloſſ. IV. 16.* ubi Paulus, *& cum perlecta*, inquit, *fuerit apud vos epiſtola*,

faciet, ut etiam in Laodicenſium Eccleſia recitetur eam quæ ſcripta eſt Laodicea, ut vos quoq; leg
Cæterum Chryſoſtomus, Hom. 12. in ep. ad Co poſteriora verba, non intellexit de Epiſtola qua ad Laodicenſes ſcripta, ſed de Epiſtola L dicenſium ad Paulum. Idem opinatus eſt Th doretus, quos ſequitur Baronius. Merito e Bellarminus, cum l. 4. de V. D. c. 4. aſſeruiſ certum eſſe Paulum ſcripſiſſe ad Laodicenſes Epiſtolam periiſſe, in poſtrema recognitio non probat, quod dixerat, *certum eſſe*, induc Chryſoſtomi autoritate, & Latini textus a biguitate.

Extant ſimiliter & Epiſtolæ quædam, tanqu a *S. Paulo ad Senecam ſcriptæ:* verum eas a ſe docto quodam, in ludibrium noſtrum compoſi eſſe, probe judicat Lipſius, in Diſſertatione vita & Scriptis Senecæ c. 10. Non defuere men e Veteribus quoque, qui inter Sanctum poſtolum, & Senecam, commercium literaru viguiſſe crediderunt, eaque opinione, inter c teros, *Hieronymum & Auguſtinum* imbutos fui ex illius Catal. hujus Ep. 83. conſtat. Non epte autem judicat Baronius, hanc opinion ex Actis paſſionis Pauli, Lini nomine confic ſuam traxiſſe originem: quippe, in iis ita le mus: *Inſtitutor Imperatoris adeo eſt illi amicitia pulatus, videns in eo divinam ſcientiam, ut ſ colloquio illius temperare vix poſſet: quo minus ſi ad os alloqui eum non valeret, frequentibus da & acceptis epiſtolis, ipſius dulcedine, & amica colloquio frueretur.*

Qu

Quod ſupereſt, fuit, prout Nicephorus *effigiem* adumbravit, Paulus, corpore parvo & contracto, & quaſi incurvo, atque paululum inflexo. Facies illi candida, annos plures præ ſe ferens, & caput modicum. Oculis multa inerat gratia: ſupercilia deorſum verſum vergebant: naſus pulchre inflexus, idemque longior: barba denſior, & ſatis promiſſa; eaque non minus quam capitis coma, canis etiam fuit reſperſa.

Noviſſime, omnino notandum, ita de Paulo non Veteres tantum Eccleſiæ Doctores, ſed & in Eccleſia Romana recentiores aliquos, loquutos eſſe, ut eundem Petro penitus æqualem, & nulla in re, atque ſic ne in univerſalis quidem Eccleſiæ præfectura, inferiorem faciant. Ipſum Corpus Canonicum C. 2. Q. 7. can. 37. hæc ex S. Auguſtino excerpta exhibet verba: *Beati Petrus & Paulus eminent inter univerſos Apoſtolos, & peculiari quadam prærogativa præcellunt: verum inter ipſos, quis cui præponatur, incertum eſt. Puto enim illos æquales eſſe meritis, qui æquales ſunt paſſione, & ſimili eos fidei devotione vixiſſe, quos ſimul videmus ad martyrii gloriam perveniſſe. Non enim ſine cauſa factum putemus, quod una die, uno in loco, unius tyranni toleravere ſententiam. Vna die paſſi ſunt, ut ad Chriſtum pariter pervenirent: uno in loco, ne alteri Roma deeſſet: ſub uno perſecutore, ut æqualis crudelitas utrumq; conſtringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, perſecutor decretus eſt pro virtute. Et, in quo tandem loco iidem martyrium pertulerunt? In urbe Roma, quæ principatum, & caput obtinet nationum. Scilicet, ut ubi caput quieſceret*

eſceret ſanctitatis; *&*, *ubi gentilium principes hab*
tabant, *illic eccleſiarum principes morarentur.* Mu
tis aliis ſimilibus ex antiquitate prolatis teſt
moniis, Leo Allatius in operis de perpetua Or
ent. & Occident. Eccleſiæ conſenſione, l. 1. c.
inculcat denique: *Eccleſiam Romanam*, *Pet*
& Pauli Eccleſiam; *& Bona omnia*, *in ſpecie P*
triomonium Eccleſiæ Romanæ, *Bona*, *& Patrimoniu*
Petri & Pauli, *appellari*; *imo Sedem ipſam Rom*
nam, *Petri & Pauli Sedem*, *Locum*, *Thronum*, *Cath*
dram nuncupari, *ipſam quoq; autoritatem Pontifician*
eſſe ipſammet Petri & Pauli autoritatem, *&*, *qui*
quid agunt Summi Pontifices, *id ſe non niſi Petri &*
Pauli, *& ſua per eos poteſtate agere profiteri*, *&*
hinc factum eſſe, *ut Succeſſio Romanorum Pontificun*
dicatur Petri & Pauli; *quin imo in Bullis Paparun*
in quibus conjunctim imagines horum Apoſtoloru
expreſſæ exhibentur, *Paulo dextram dari*, *ut hon*
ratiorem. Iſta fortaſſe argumenta, aliaque, tar
tum, noſtra memoria, valuerunt apud Arnau
dum, Virum in Gallia eruditiſſimum, ut, nov
ceu Caramuel vocavit, hæreſi, non dubitaret
primum Pontificatum adſcribere Petro ſimul &
Paulo, per modum unius. Quam ſententiam ſe
cum penſitans Allatius, ob difficultates quibu
undique premebatur, totus animi pendens, no
invenit quo ſe verteret. In hæc igitur l. 1. cap.
allegati operis, erumpit verba: *Duo corpora*
duos animos, *duas voluntates*, *nec unanimes*, *n*
conſentientes, *ſed opere etiam ipſo*, *pluſculis in re*
bus, *&*, *non ſine alterius reprehenſione*, *altercante*
ſub uno capite nunquam ipſe vidi, *neq; ab aliis expl*
catum audivi. *Monſtrum eſt*, *portentum eſt*, *pro*
digium

digium eſt. Ipſe tamen hæreo, nec damno, expectoq; de hac re, ſaniſſimum, tutiſſimumq; Sacroſanctæ Inquiſitionis decretum, cui ab Innocentio X. hæc controverſia concredita eſt. Affuit paulo poſt, Summus ille Pontifex, voto, ac A. 1647. die 24. Januarii, relata unanimi Theologorum ad hoc ſpecialiter deputatorum, cenſura; & auditis Cardinalium Inquiſitorum Generalium votis, Propoſitionem hanc: *S. Petrus & S. Paulus ſunt duo Eccleſiæ Principes, qui unum efficiunt;* vel: *ſunt duo Eccleſiæ Catholicæ coryphæi ac ſupremi duces, ſumma inter ſe unitate conjuncti;* vel: *ſunt geminus univerſalis Eccleſiæ vertex, qui in unum diviniſſime coaluerunt;* vel: *ſunt duo Eccleſiæ ſummi paſtores ac Præſides, qui unicum caput conſtituunt;* ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum, ſine ſubordinatione & ſubjectione S. Pauli, ad S. Petrum, in poteſtate ſuprema, & regimine univerſalis Eccleſiæ, hæreticam cenſuit & declaravit.

Judas Iſcariotes,
DOMINI Proditor.

FAs nobis eſto, Sacrorum Scriptorum exemplo, etiam *Judæ Iſcariotæ*, non Apoſtolorum tantum, ſed omnino omnium mortalium poſtremi, res hoc loco percenſere. Quanquam, quod horreſco referens, habuit & ille, conciliatore cacodæmone, ſuos aſſentatores. *Caiani* enim, ſive *Cainitæ*, veteris Eccleſiæ Hæretici, ceu hæreſi 38. nos docet Epiphanius, excellentem quandam vim cognitionis illi tribuentes,

ſe affines ejus jactabant, & usque adeo ipſum c
fendebant, ut ejus nomine inſcriptum opuſc
lum circumferrent, quod *Judæ Evangelium* app
labant. Etſi vero quæ circa nequam homine
obſervavimus, maxima ex parte conficta ſu
afferentur tamen eo fine, quo excogitata fu
ſe veriſimile ſit. Nempe, exiſtimabant homin
miſere religioſi, multorum intereſſe, ut ve
hæc viderentur. Salus erit pueris, & adoleſce
tulis, (qualis ceu ſæpe jam dixi, erat, cui hæc a n
bis ſcribebantur) ſi iſtis potius, quam mileſiis i
buantur ſermonibus. Ergo, quod in Sermonib
Sanctorum, quorum Pelbartus autor, legitu
vivebat olim Hieroſolymis, quidam *Simon*, c
Ciboria conjux. Hæc aliquando per quiete
cognovit, parituram ſe filium exitio univer
Judæorum genti, nec multo poſt prolem eni
eſt. Trepidi parentes, recens natum pueru
extinguere volebant, ſed prævalente affectu
miſericordia, qua etiam bruta ſuos fœtus co
plectuntur, viſum, imitari cœptum, quod M
ſis quondam parentes ſusceperant. Ciſtel
impoſitus eſt infans, & marinis fluctibus co
miſſus. Horum agitatu, ad Iſcariotæ Inſulæ l
tus ciſtella appulit, quam ibi forte obambula
Regina aperuit, & inde exemtum ſcitum ac fo
moſum puerum, quod diu in ſterili conjugio
xerat, clam nutritum, uterum interim finge
do, ſuppoſuit poſtea pro ſuo, ac Judam vo
vit: cognomen, ex Inſula additum eſt. Educa
tur Judas delicate ac ſplendide, ceu Regis fili
nutrire par erat. Verum, ex interjecto tempo
Regina bona fide gravida facta, parit pueru
Hu

Hunc cum adoleſcere occiperet, in eodem cum illo contubernio agens Judas, crebris injuriis ac contumeliis afficiebat, & pulſabat interdum. Iſtis ferendis impar Regina, quis Judas ſit aperit, eumque omnium contemtui exponit. Movit hæc res Judæ animum: idcirco vindictam meditans, Reginæ filium clam trucidat, navimque ingreſſus, celeri fuga Hieroſolymas evadit. Præerat tum illi urbi, & univerſæ Judaicæ regioni, a Romanis illuc miſſus, *Pontius Pilatus.* Ejus miniſterio ſe addicit Judas, & herum ex ſententia nactus, fidelem operam illi navat, quem viciſſim Pilatus haud perfunctorie amavit. Pilati ædes, contiguas illas habebant, quas Simon, Judæ pater, incolebat. His hortus jungebatur, in quo arbor, poma ingenti ſpecie & magnitudine ediderat. Movebant ea Pilato ſalivam, cumque a Simone pretio impetrari non poſſent, rogat igitur Judam, nihil intentatum relinquat, quo deſideratiſſimorum fructuum ſe reddat compotem. Nulla in Juda mora fuit, rem gratam hero præſtandi; transcendit maceriem, ſubſilit in arborem, prædasque ibi agit. At interveniens Simon, increpat furem, vim minatur, proinde ex arbore deſcendens Judas, manus cum ignoto patre conſerit, ejusque fauces elidit. Quia clam ſine teſte geſta eſt cædes; extra ſuſpicionem fuit Judas, nec erat qui ipſum reum poſtularet. Quin Pilatus, ut gratiam referret, effecit, ut Simonis vidua, quamvis reluctaretur, Judæ nuberet, eumque dominum conſtitueret ampliſſimarum facultatum. Jam annos aliquot in hoc conjugio

gio exegerat Judas, & tandem familiari c
uxore ſermone habito, animadvertit quis
quod fatum infantem ſe manſerit, quem o
derit, quam duxerit conjugem. Cæterum
inceſtu perſeverare nolens, deſerta matre, C
ſto, qui tum peccatoribus, ſi de admiſſis c
minibus dolerent, Dei veniam pollicebatur
adjungit, mox ab eo in Diſcipulorum numer
receptus. Qualem ſe hic geſſerit, quamq
gnaviter avaritiam, & malevolentiam ſuam e
ercuerit, ac quomodo denique Magiſtrum ſu
ſcelus illud prodiderit, non addo, quippe ſac
literis conſignata. Repræſentavit autem in
ipſe facinorum pœnam. Abiens enim, *laqueo*
ſuſpendit, exponente ita Vulgato verbum ἀπή
ξατο quod Matthæus c. XXVII. 4. adhibuit. P
trus Act. I. 18. ait, *præcipitatum, crepuiſſe mediu*
& effuſa fuiſſe omnia viſcera ejus. Quæ, concilia
tes Theologi, docent, Matthæum facti initiu
Petrum finem commemorare. Nimirum, an
mum fuiſſe proditori, laqueo vitam finire, ſ
non ſimplici morte perire debuiſſe: dum eni
pendet, aut pendens ſe impellit, ut gulam pr
ſtringat, fracto laqueo præcipitatum in facie
& caſu in lignum aut ſaxum aliquod acutu
forte delatum, ventrem rupiſſe, & effudiſſe i
teſtina. Vetus, ac Juvenco & Bedæ probat
traditio eſt, Judam ex *Ficu* arbore ſe ſuſpen
diſſe, quæ erat ad Hieroſolymæ portam Davi
in valle, haud procul a fonte, annoſa, & mund
congenita. Niſi quis malit Vincentium Cima
rellum audire, qui in Philoſophicis Reſolution
bus cap. 38. narrat, ſe, Julio menſe, in Sicilia ite

facien

facientem, æſtus Solis ferventiſſimos, umbra proceræ ac opacæ arboris, quæ ſeſe forte fortuna offerebat, Tamaricen mentientis, levare voluiſſe: mox autem ingentes capitis dolores expertum eſſe, de quibus non ſolum comites ejus pariter queſti ſint, ſed & animadverſum fuiſſe, equos cephalalgiam & vertiginem inſediſſe: proripiebant ergo inde ſe omnes quantum poterant. Cum vero, quæ ſucceſſerant narraſſet incolis, multa aſſeveratione ab iis redditus eſt certior, ex arbore ſimili Judam pependiſſe. Longe ab his diverſa Oecumenius ad caput I. Actorum Apoſtolicorum prodidit, a Papia Johannis Apoſtoli diſcipulo ſuggeſta. Secundum iſtum, Judas ſuſpendio ex vita non diſceſſit, ſed dejectus eſt priusquam præfocaretur. At vero corpus ejus adeo intumuit, ut ne caput quidem in illum locum inferre poſſet, per quem currus onuſtus levi negotio tranſibat. Præterea oculi tam profunde immerſi erant vultus tumoribus, ut ne medicorum quidem inſtrumentis, quas dioptras vocant, conſpicui redderentur: de inguinum magnitudine & obſcœnitate, quod ſatis eſt dici non poteſt. Porro, ſanies ac vermes, per velandas corporis partes egrediebantur. Poſtquam diu ſatis cum his doloribus conflictatus eſſet homo nefarius, deceſſit in prædio ſuo, tantum fœtorem poſt ſe relinquens, ut nunquam poſtea a quoquam habitari potuerit, prætereuntibus hodienum, manibus nares obturandi neceſſitas imponitur.

PONTIFICES ROMANI.

SVcceſſio Romanorum Epiſcoporum hujus Seculi, tam intricata difficilisq; res eſt, ut fere humano ingenio expediri nequeat, ceu a Clariſſimo Blondello in Pſeudiſidoro p. 41. ſeqq. perſpicue dudum oſtenſum eſt: nec minus id præſtitit Salmaſius in apparatu libri de primatu Papæ. Ipſe Petrus apud Clementem l. 7. conſtit. c. 46. ſic loquitur: Clemens, poſt mortem Lini, ſecundus a me Petro ordinatus eſt. *Ecquomodo ergo defendi poteſt, quod Epiphanius, Irenæus, Auguſtinus, alii, Linum Petri ſucceſſorem faciunt, quodq; Euſebius eum annis undecim poſt Petri mortem Romæ ſediſſe vult? Epiphanii hæreſ. 27. verba ſunt:* Romæ fuerunt primi Petrus & Paulus Apoſtoli; iidem & Epiſcopi, poſt hos Linus, deinde Cletus, deinde Clemens. *At Irenæus l. 3. adv. hæreſ. c. 3. talem ſucceſſionem repræſentat:* Petrus & Paulus, Linus, Anacletus, Evariſtus &c. *Non addimus plura. Hinc nec ipſis convenit inter ſe Scriptoribus Pontificiis, & confuſa ſunt omnia. Platina ſcribit:* Linus fuit Petri ſucceſſor. Sunt qui hunc locum Clementi adſcribant, & Linum ac Cletum prætermittant, quo non ſolum hiſtoria, verum etiam Hiero-

nymi autoritas reprehendit. *Bartholomæus Caranza in Summa Conciliorum p. 17. cum diſſenſum, qui circa primos Romæ Epiſcopos ſe offert, notaſſet,* in re tam perplexa, lectoris arbitrio judicium permittit. *Patet hinc, qua fronte jactari poſſit perpetua illa Pontificum Romanorum ſucceſſio: cum in ipſo limine hæreamus, nec ulla ratione conſtet, ubi pedem figere liceat. Nos, ne omnino nihil de iſtis Pontificibus dicamus, communiorem opinionem, & veterem Indiculum Romanorum Pontificum, quem Liberii tempore contextum Petavius contendit, ſequemur.*

LINVS.

Linis, libelli duo de *Petri & Pauli paſſione*, quaſi ad Orientalium Eccleſias ſcripti, circumferuntur. Sed eos ſuppoſititios eſſe agnoſcit Baronius T. 1. Ann. A. 69. n. 6. Et in Bibl. Patrum T. 7. diſerte dicitur: *Duo iſti libelli de Paſſione Petri & Pauli, ſub nomine Lini Romani Pont. & martyris, ſunt pſeudepigraphi, nec ullius cenſentur autoritatis, ut jam eruditorum conſenſu nimis exploratum habetur.* Cæterum Linus, ex mandato Petri conſtituiſſe dicitur, *ne qua mulier niſi velato capite templum ingrederetur.* Cumque ſanctitate vitæ, ac miraculis claruiſſet, a *Saturnino* Conſule, cujus filiam a dæmone liberaverat, capitali ſupplicio affectus, & in Vaticano ſepultus eſſe dicitur. Tribuunt illius Pontificatui annos 11. menſes 3. dies 12.

CLETVS.

CLetus, patria Romanus fuit, & *Æmiliano* patre genitus eſt. Hortatu Clementis invitus onus Pontificatus ſuſcepit, primusq; in literis uſus eſt formula: *Salutem & Apoſtolicam benedictionem.* Præfuit Eccleſiæ *annos* 12. menſem 1. dies 6. a Domitiano martyrii laurea coronatus.

CLEMENS.

HVjus Clementis, in Corpore Canonico C. 8. *q.* 1. *c.* 2. hæc verba, ex Epiſtola quæ ad Jacobum Hieroſolymitanum miſſa dicitur, adducuntur: *Simon Petrus, in ipſis diebus quibus vitæ finem præſenſit, apprehenſa manu mea repente conſurgens, in auribus totius Eccleſiæ hæc protulit verba Clementem hunc Epiſcopum vobis ordino, cui ſol meæ prædicationis & doctrinæ cathedram trado quem, præ cæteris expertus ſum Deum colentem, homines diligentem, caſtum, diſcendi-ſtudiis deditum ſobrium, benignum, juſtum, patientem, & ſciente ferre nonnullorum, etiam ex his qui in verbo D inſtituuntur, injurias.* Hactenus verba Clementis. Enim vero, quisque æquus rerum æſtimator jure dubitet, num tale quid de ſeipſo ſcribe potuerit in Petri ſchola nutritus diſcipulus. tamen omnino vera ſunt iſta, magnum miru quomodo Linus & Cletus, Petri ſupremam volu tatem irritam reddere, & Epiſcopatus honore non habita Clementis ratione, admittere auſi ſi Cæterum, de Clemente referunt, ipſum Ro *Notarios* conſtituiſſe, qui geſta Martyrum ſc cite literis conſignarent. Denique Trajani

pe

peratoris juſſu, in Inſulam, incertum quam, deportatus eſt. Ea, cum aquæ penuria laboraret, collem conſcendit Clemens, viditque agnum, ſub cujus dextro pede fons uberrimus ſcaturiebat: hujus laticibus, cum multos, qui ad ſecanda ibi marmora damnati erant, recreaſſet, & poſtea ad Chriſti fidem perduxiſſet, re cognita, alligata ad collum *ejus anchora, in mare* projectus eſt. Cum Platina hæc narraſſet, ſubjicit, ſacratiſſimum corpus non multo poſt ad litus delatum eſſe, atque eo loci ſepultum exſtructo templo, unde fons divinitus emanaverat. Sed longe aliter eſt in Breviario Romano, cui ſi fides, Chriſtiani, poſtquam Clemens mari fuerat immerſus, ad litus preces fuderunt. Ibi tum mare ad tria milliaria receſſit; quo illi accedentes, ædiculam marmoream, in templi formam, & intus arcam lapideam, ubi Martyris corpus conditum erat, & juxta illud anchoram, qua merſus fuit, invenerunt. Quo miraculo incolæ permoti, Chriſti fidem ſuſceperunt. Sediſſe dicitur Clemens annos 9. m. 2. d. 6. de ejus *Scriptis* Bellarminus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis disquirit. Breviter notemus, *Epiſtolas V.* quæ Clementis nomen præferunt, & quarum *Prima* & *Secunda*, ad Jacobum fratrem Domini: *Tertia*, ad Coëpiſcopos, cunctosq; Principes, majores, minores. *Quarta*, ad Julium & Julianum, & reliquos Conſodales; *Quinta*, ad fratres & condiſcipulos, Hieroſolymis cum fratre Jacobo Coëpiſcopo habitantes, ſcriptæ feruntur, pro ſuppoſititiis habendas eſſe, probatum dediſſe, qui eas recitat; Blondellum, ſub Pſeud-Iſidori initium. Eodem modo ab

 aliis

aliis oſtenſum fuit, *Librum Traditionum Apoſtolicarum*, ſub nomine Clementis divulgatum, merum eſſe figmentum hominis otioſi, & cui veritas divina parum curæ cordique fuit: *Canones* vero *Apoſtolorum*, ſub ejus nomine extantes, centonem exhibere rerum & rituum ab autoritate canonica & apoſtolica remotorum.

ANACLETVS.

ANacletus, Athenienſis, *Antiochi* filius, conſtituit, ut Clerici caput in *coronam* tonderent, quo ſacra capita a profanis differrent. Prohibuit Clericos comam aut barbam nutrire; & Epiſcopum, a paucioribus, quam tribus ordinari. *Epiſtolas*, quæ ejus nomine extant, ab impoſtore non ita antiquo compilatas eſſe, oſtendit Blondellus. Sedit annos 9. m. 2. d. 10.

EVARISTVS.

EVariſtum, Damaſus ait *titulos* in urbe Roma Presbyteris diviſiſſe, ſeptem Diaconos in ordinem redegiſſe, conſtituiſſeque, ne plebis in Epiſcopum accuſatio reciperetur. Pronunciavit item, irritum eſſe matrimonium, cui non accederet Sacerdotalis benedictio. Tribuunt illi annos *12*. m. *10*. d. 2. poſt quorum decurſum martyrii palmam glorioſe reportarit.

SCRIPTORES SACRI.

MVlta feruntur, præter Divinas literas, hujus Seculi Scripta Sacra: ſed de plerorumq; autoritate ac fide, non immerito viri pie eruditi ambigunt; enarrabimus tamen præcipua.

Canones, qui dicuntur, Apostolorvm, a Clemente, Romano Epiſcopo, collectos quidam arbitrantur, & quaſi genuini eſſent, etiam commendant. Atqui pridem Gelaſius Pontifex, ceu patet ex *Diſt. 15. can. Sancta Romana.* tanquam apocryphos illos rejecit.

De Sibyllinis Carminibvs, Chriſtianæ fidei tam aperte faventibus, & quibus Veteres quoque ſæpe multum detuliſſe conſtat, placet judicium inſignis Theologi, *Conradi Dannhaueri*, in Chriſteide phæn. 1. *Quæ de Chriſto,* inquit, *in Sibyllinis inveniuntur, vel naſcituro priora fuerunt, vel poſteriora nato: illa, e Canonica Scriptura plagio corrupta; hæc, Chriſtianorum nimis diligentium ubi non oportuit, interpolationes dicas licet.* Atque ſic *Caſaubonus* quoque, Exerc. I. ad Apparatum Annalium Baronii num. 18. Sibyllinorum Carminum autoritatem elevat, quia Jeſum Chriſtum ſine ambagibus, aut ænigmatis, ipſo etiam nomine indicant, facta illius narrant, Johannem Baptiſtam denunciant venturum, & præconium illius, quale in Evangeliis habetur, commemorant. Subnectit proinde: *Quid? tam claramne lucem Gentibus affulſiſſe, cum adhuc populus ille* περιούσιος, *in tam denſis tenebris jacebat? Me vero, ut illud Epicharmeum uſurpem,* Νᾶφε, ϗ μέμνασο ἀπιςεῖν. ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. *hoc eſt:* Sobrius eſto, & memento diffidere: hi enim nervi ſunt prudentiæ, *etiam illud impellit, quod apud Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, & tot alios e Paganis, curioſiſſimos omnium diſciplinarum ſcrutatores, eorum quæ hodie apud Sibyllas miramur, nullum penitus extat veſtigium.*

Poſtremo illud quoq; me vehementer movet, quod videam, primis Eccleſiæ temporibus, quamplurimos extitiſſe, qui facinus palmarium judicabant, cœleſtem veritatem figmentis ſuis ire adjutum: quo facilius videlicet nova doctrina, a Gentium Sapientibus admitteretur.

Narrat Lucas Actorum XVII. Paulo, Chriſti fidem Athenis docenti, quosdam adhæſiſſe, admiſiſſeque ſanam doctrinam, quos inter fuerit DIONYSIVS AREOPAGITA. Habemus tanquam ab hoc Dionyſio ſcriptos libros: *De Hierarchia Cœleſti; de Hierarchia Eccleſiaſtica: De divinis nominibus*, & *de myſtica Theologia*: item, *Epiſtolas* quasdam. Atque ſane Pontificii in pretio habent hæc Scripta, & pro legitimis ea agnoſcunt. Sed contrarium ſolide prolixeq; oſtendit Cl. Rivetus l. 1. Crit. Sac. c. 9 & ſeqq. qui omnino conſulendus. Vulgo exiſtimant, *Dionyſium Areopagitam in Galliam veniſſe*, ibiq; capite plexum, ad illum locum ſuis manibus detuliſſe caput, qui *Fanum S. Dionyſii* dicitur, & ubi corpus ejus requieſcere fama prædicat. Sed, principio, *Sirmondus*, & *Launojus*, Eruditiſſimi Viri, integris libris oſtenderunt, Dionyſium Areopagitam longe diverſum eſſe, a Dionyſio Epiſcopo, qui in Gallia claruit: atque ex his, primum, Athenis, ſub Domitiano, crematum fuiſſe, alterum, in Gallia, tempore Diocletiani, capitis ſupplicium ſubiiſſe dedere probatum. Deinde, neque id concedit Launojus, quod vel ille Gallicus Dionyſius, poſt martyrium, caput manibus portaverit: ſapienter conjectans, ex eo, quod olim Martyres pingebantur cum nota martyrii ſui, Dionyſium, quia illi

illi præciſum caput fuerat, illud manu tenentem pictum eſſe, atque hinc natam fabulam, quod Dionyſius caput ſuum geſtaverit, atque ſic proceſſerit. De Dionyſio Areopagita id quoque referunt, ipſum cum eo die quo Chriſtus Dominus cruci affixus eſt, animadvertiſſet, Solem præter naturam deficere, exclamaſſe: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvetur.*

Hermes, quem Paulus c. XV. Epiſtolæ ad Romanos, plurima ſalute impertit, edidit librum quem *Paſtorem* vocavit, utilem, celebrem, & Hieronymo in Catal. teſte, publice in Eccleſia Græca lectum. Enim vero, iſte intercidit: nam, ut ſcribit Poſſevinus in Appar. tom. 2. tit. Paſtor: *Hic qui modo extat, habetur ſuppoſititius a Viris Doctiſſimis.*

Prochorum, inter Diaconos ab Apoſtolis inſtitutos fuiſſe, ex Act. c. VI. ſcimus, atque hoc nomen, præfigitur in Bibliotheca Patrum *Vitæ Johannis Apoſtoli.* At vero, hanc confictam eſſe, Bellarminus lib. de Script. Eccleſ. inter cætera hoc probat argumento, quod in ea legatur S. Johannem Apoſtolum, cum illi ſorte obtigiſſet Aſia, graviſſime id tuliſſe, ac vehementer ingemuiſſe, ſeque ad pedes aliorum Apoſtolorum abjeciſſe, atque propterea a S. Petro fuiſſe reprehenſum: quæ, utique fabulæ, quam vero ſunt ſimiliora.

Abdias Babylonius, dicitur Hebraice ſcripſiſſe *libros decem de Hiſtoria Certaminis Apoſtolici*, quos Græce tranſtulerit Eutropius, & Latine interpretatus ſit Julius Africanus.

Hos, primus in lucem edidit *Wolfgangus Lazius Viennenſis*, tantique fecit, ut dubitare ſe dicat, utrum ea in quibus Abdias cum Luca conſentit, ipſe ex hoc Evangeliſta hauſerit, an vero Lucas potius ex Abdia. At, Lazium nimium ſibi indulſiſſe, magno argumento eſt, quod nemo Veterum hujus Abdiæ mentionem facit, quodque Chriſtum in carne ſe vidiſſe gloriatur, & tamen ex Hegeſippi l. 5. Commentariorum verba quædam allegat, qui Scriptor, univerſis CLX. annis Chriſto fuit poſterior.

MARTIALIS, EPISCOPI LEMOVICENSIS, nomine, quem unum ex LXX. Diſcipulis fuiſſe ferunt, prodierunt *Epiſtolæ duæ, ad Burdegalenſes & Tholoſanos* ſcriptæ. Eas in Sacrario Baſilicæ S. Petri, in urbe Lemovica, ubi latuerant in arca ſaxea ſub terra defoſſa, repertas eſſe tradunt ita eroſas & deformatas, ut in nonnullis locis ne legi quidem poſſent, ceu ſcribit, qui illas A. 1521. primus edidit, *Badius Aſcenſius*. Contra vero, harum falſitatem oſtendit *Jacobus de Bordes*, Eccleſiæ Burdegalenſis Paſtor, & certa hæc res eſt. Vocat enim Autor *ſe Apoſtolum, atq; ſe interfuiſſe Chriſti ſepulturæ*, quorum neutrum admitti poteſt. Meminit præterea *Sigeberti* cujusdam, quod nomen valde probabile eſt, iis temporibus in Gallia non fuiſſe receptum.

Enim vero, *Quatuor* omnino hujus Seculi Scripta ſuperſunt, quæ tanquam genuina ſe nobis commendant, etſi non ab omnibus ſuis partibus. Nimirum, EPISTOLA BARNABÆ, olim laudata Origeni, lib. 1. contra Celſum, quam, in Gallia e tenebris non ita pridem eruit, & notis

illu-

illuſtravit *Hugo Menardus*, Monachus Congregationis S. Mauri: impreſſusque liber eſt Lutetiæ A. 1645.

Porro, Clementis Romani Priorem Ad Corinthios Epistolam, ab antiquiſſimis Patribus celebratam, *Patricius Junius*, Bibliothacarius Regius in Anglia, a *Cyrillo* Patriarcha Conſtantinopolitano accepit, eamque edidit A. 1633.

Ignatii, ad Ephesios, Magnesianos, Romanos, Philadelphienses, Smyrnenses, Polycarpum, & Trallianos Epistolas, pro probis multi agnoſcunt, harumque meminit Hieronymus in Catalogo. Habent tamen quædam ex Conſtitutionibus, quas vocant, Apoſtolicis, admixta, & laborant quoque lacunis; ceu oſtendit *Jacobus Vſſerius*, Archiepiſcopus Armachanus in Hibernia, qui eas Oxonii prælo commiſit, &, præter illas, reliquas, quæ Ignatii nomine circumferuntur, ſuppoſititias eſſe, ſimul probatum dedit. Fuit Ignatius Præſul Antiochenus, qui, cum Romæ beſtiis dilaçerandus objiceretur, dixit: *Dei eſſe triticum cupio, teriq; ac moli dentibus beſtiarum, ut Deo mundus & purus panis inveniar.*

Deniq; Polycarpi, Johannis diſcipuli, qui, ſub Antonino paſſus eſt, ad Philippenses Epistola, paucis ab hic annis inventa, in Anglia primum evulgata fuit, eamq; egregio Commentario illuſtravit *Stephanus le Moyne*, Vir inſigniter doctus, quem vivum arcte familiariterq; dilexi, & cujus defuncti memoriam impenſe colo, colamque ætatem.

HÆRE-

HÆRETICI.

SIMONIANI.

EX *Hæreticis primus eſt omnium Simon Magus*, ut ait Tertull. de hæreſ. cap. 46. & ideo S. Ignatio Ep. ad Trall. πρωτότοκος τοῦ ἀρχεκάκου ὄφεως i. e. *primogenitus antiqui Serpentis*, merito vocatur. Quod elogium longe potiori jure ei competit, quam illud *Magnæ Dei Virtutis*, quomodo Sectatores ejus illum ſalutaſſe, ex Act. IIX. 10 conſtat. Eam narrationem, qua fertur, illum ex alto precibus Petri dejectum periiſſe, jam ſupra, tanquam incertam removimus, ipſeq; Auguſtinus Ep. 86. non diffitetur, a multis pro fabula haberi. Statuam quoque nullam, *Simonis Sancti* inſcriptione, Romæ cultam, contra quam Juſtino Martyri, & cum eo multis Veterum viſum eſt, oſtendit Voſſius l. 1. de Idol. c. 12. nec minus videri poteſt ea de re Dilherrus noſter Tomo 1. Diſp. p. 63. ſeqq. *Errores Simonis* præcipui ſunt: quod docuit, Legem, ſeu Vetus Teſtamentum, non eſſe Dei, ſed ſiniſtræ virtutis. Jactabat ſe illum eſſe, qui inter Judæos quaſi Filius apparuerit; in Samaria quaſi Pater deſcenderit; &, in reliquis gentibus, quaſi Spiritus S. adventaverit: quæ Irenæi verba ſunt l. 1. contra Hæreſ. c. 20. Muliere quadam, cui *Helena* nomen erat, pro ſcorto utebatur, prædicans, hanc eandem eſſe cum illa Trojana, & ſubinde ipſam in alia migraſſe corpora. Imo, hanc quoque Angelorum fuiſſe creatricem, impudenter commentus eſt. Poſtremo, ea inſania illum cepit,

cepit, ut diſcrimen honeſtorum & turpium non ex natura, ſed accidenti eſſe, aſſereret.

Menandriani.

MEnandriani, a *Menandro*, Simonis Magi diſcipulo, nomen habent. Is, ut ait Philaſtrius de hæreſ: *Inpietatem magiſtri ſecutus eſt in omnibus:* vel, ut Epiphanius loquitur: Nihil de doctrina variabat, quam id ſolum, quod ſeipſum majorem præceptore jactabat. Hinc, Irenæo lib. 1. cap. 21. teſte, Primam quidem virtutem incognitam ajebat omnibus, ſe autem eum eſſe, qui miſſus ſit ab inviſibilibus Salvator pro ſalute hominum.

Saturniani.

POſt Menandrum, ita dicente Euſebio l. 4. hiſt. c. 7. jam cœpit fieri biceps Simoniana hydra & hæreſis, & a ſe ipſa divelli; cum ex eadem Schola profecti *Saturninus & Baſilides*, in diverſas tamen ſententias de iisdem rebus irent, & ſe ex eodem fonte, in duo fœdiſſima divortia deducerent. Quantum ex Irenæo, & aliis colligimus, *Saturninus*, qui Epiphanio & Theodoreto etiam *Saturnilus* dicitur, docuit: Prophetias quasdam ab Angelis, qui mundum fabricaverunt, quasdam autem a Sathana dictas eſſe; quem Sathanam, Angelis, & Judæorum Deo vehementer ajebat eſſe contrarium. Nugabatur, Angelos ſeptem, Dei apparentis, iterumq; diſparentis, jucunditate & deſiderio captos, hominem ad imaginem Dei creaſſe, ſed creatum ab Angelis hominem, non potuiſſe ſe prius erigere, quam miſerata ejus deſuper Divina vis, ſcintillam vi-

tæ emiſerit, quæ vitæ illum reddiderit participem: hancque ſcintillam, poſt mortem, redire ad ea quæ ſint ejusdem generis; reliqua autem in ſuam materiam reſolvi, nec dari mortuorum reſurrectionem. Docebat, Angelos ſua natura alios bonos, alios malos eſſe, & Deum Judæorum unum fuiſſe ex malis Angelis, ad quem deſtruendum, Chriſtus, ſub fallaci carnis ſchemate venerit. Primus quoque Saturninus, Nuptias improbavit: nubere ac generare a Sathana eſſe aſſerens.

BASILIDIANI.

B*Aſilides*, autore Euſebio l. 4. c. 7. ingenium ſubtile & verſutum nactus eſt, ac *XXIV. libros in Evangelia* ſcripſiſſe dicebatur. Errores ejus præcipui, quod Deum Legis, & Prophetarum, non verum ſed Judæorum tantum Deum fuiſſe aſſerebat, ſuam autem ſummam Virtutem, ſive ſupremum Numen, ipſi Ἀβράξας vocare viſum eſt, quia ea vox Græcis literis ſcripta, 365. in numeris facit, quot, (ceu ille exiſtimabat) ſunt humani corporis membra, quotque ſunt in anno dies. Vnde S. Hieronymus ſuſpicatus eſt, Abraxas non eſſe alium quam Perſarum *Mithram*, hoc eſt Solem, qui annuo curſu ſuum ſpatium conficit. Chriſtum Baſilides pro angelo habuit, negans illum paſſum eſſe, ſed Simonem potius Cyrenæum, a Chriſto in ſuam imaginem transformatum, cruci fuiſſe affixum, quare eos, qui martyrium ſubibant, quaſi non pro Chriſto, ſed Simone id paterentur, palam irridebat.

CERINTHIANI.

C*Erinthus*, gente judæus fuit. Cum in Ægypto Philoſophiam didiciſſet, Chriſtianiſmo deinde nomen dedit, ſed infeliciter: hujus enim cum Judaiſmo inſtituit confuſionem, vel, uti nunc vocant, Syncretiſmum. Fuit imprimis Epheſinæ Eccleſiæ gravis, proindeque *S. Johanni* Evangeliſtæ, Evangelium ſuum ſcribendi, & divinitatem Chriſti aſſerendi, neceſſitatem quodammodo impoſuit. Cerinthus enim negabat Chriſti divinitatem, imo, ſi Irenæum & Tertullianum audimus, geminam perſonam commentus eſt, Jeſum nimirum hominem, in quem Chriſtus deſcendiſſet ſub ſpecie columbæ cum baptizaretur, & poſtea iterum receſſiſſet, cum cruci affixus occideretur. Negavit quoque Jeſu reſurrectionem, eam adhuc futuram prædicans. Quæ, ſimul ac contingat, tum quidem, per mille annos regnum omnibus terrenis bonis deliciiſque affluens, ab eo iri inſtitutum, unde, qui hunc errorem longe lateque propagarunt, *Chiliaſtæ* dicti ſunt. Nec minus ejus Sectatores a S. Paulo *Pſeudapoſtolos* appellari, Epiphanius perhibet. De ipſo Cerintho in memoriam revocandum, quod jam ſupra ex Irenæo memoravimus, S. Johannem Apoſtolum, cum ipſo in eodem balneo lavare, ſummæ ſibi duxiſſe religioni.

EBIONITÆ.

E*Bionem*, Epiphanius, *multiforme monſtrum* appellat: nec immerito. E veteri enim Teſtamento, fere ſolos Moſis libros, & ne hos quidem inte-

tæ emiſerit, quæ vitæ illum reddiderit participem: hancque ſcintillam, poſt mortem, redire ad ea quæ ſint ejusdem generis; reliqua autem in ſuam materiam reſolvi, nec dari mortuorum reſurrectionem. Docebat, Angelos ſua natura alios bonos, alios malos eſſe, & Deum Judæorum unum fuiſſe ex malis Angelis, ad quem deſtruendum, Chriſtus, ſub fallaci carnis ſchemate venerit. Primus quoque Saturninus, Nuptias improbavit: nubere ac generare a Sathana eſſe aſſerens.

Basilidiani.

Baſilides, autore Euſebio l. 4. c. 7. ingenium ſubtile & verſutum nactus eſt, ac *XXIV. libros in Evangelia* ſcripſiſſe dicebatur. Errores ejus præcipui, quod Deum Legis, & Prophetarum, non verum ſed Judæorum tantum Deum fuiſſe aſſerebat, ſuam autem ſummam Virtutem, ſive ſupremum Numen, ipſi Αβράξας vocare viſum eſt, quia ea vox Græcis literis ſcripta, 365. in numeris facit, quot, (ceu ille exiſtimabat) ſunt humani corporis membra, quotque ſunt in anno dies. Vnde S. Hieronymus ſuſpicatus eſt, Abraxas non eſſe alium quam Perſarum *Mithram*, hoc eſt Solem, qui annuo curſu ſuum ſpatium conficit. Chriſtum Baſilides pro angelo habuit, negans illum paſſum eſſe, ſed Simonem potius Cyrenæum, a Chriſto in ſuam imaginem transformatum, cruci fuiſſe affixum, quare eos, qui martyrium ſubibant, quaſi non pro Chriſto, ſed Simone id paterentur, palam irridebat.

Cerinthiani.

Cerinthus, gente judæus fuit. Cum in Ægypto Philoſophiam didiciſſet, Chriſtianiſmo deinde nomen dedit, ſed infeliciter: hujus enim cum Judaiſmo inſtituit confuſionem, vel, uti nunc vocant, Syncretiſmum. Fuit imprimis Epheſinæ Eccleſiæ gravis, proindeque *S. Johanni* Evangeliſtæ, Evangelium ſuum ſcribendi, & divinitatem Chriſti aſſerendi, neceſſitatem quodammodo impoſuit. Cerinthus enim negabat Chriſti divinitatem, imo, ſi Irenæum & Tertullianum audimus, geminam perſonam commentus eſt, Jeſum nimirum hominem, in quem Chriſtus deſcendiſſet ſub ſpecie columbæ cum baptizaretur, & poſtea iterum receſſiſſet, cum cruci affixus occideretur. Negavit quoque Jeſu reſurrectionem, eam adhuc futuram prædicans. Quæ, ſimul ac contingat, tum quidem, per mille annos regnum omnibus terrenis bonis deliciiſque affluens, ab eo iri inſtitutum, unde, qui hunc errorem longe lateque propagarunt, *Chiliaſtæ* dicti ſunt. Nec minus ejus Sectatores a S. Paulo *Pſeudapoſtolos* appellari, Epiphanius perhibet. De ipſo Cerintho in memoriam revocandum, quod jam ſupra ex Irenæo memoravimus, S. Johannem Apoſtolum, cum ipſo in eodem balneo lavare, ſummæ ſibi duxiſſe religioni.

Ebionitæ.

Ebionem, Epiphanius, *multiforme monſtrum* appellat: nec immerito. E veteri enim Teſtamento, fere ſolos Moſis libros, & ne hos quidem inte-

integros, ex Novo, tantum Evangelium Matthæi admittebat. Paulum Apoſtolum apoſtatam appellans, ipſe circumciſionem & alios judaicæ legis ritus ac inſtituta, obſervare etiam Chriſtianos juſſit. Negavit Chriſti Deitatem, commentus ipſum in Adamum veniſſe, illiusque corpore indutum, inter mortales degiſſe, paſſum, mortuum, & reſuſcitatum eſſe. Polygamiam ſuis permiſit, & *Pſeudo-Apoſtolica Acta* compoſuit.

NICOLAITÆ.

NIcolaitarum nomen, legitur Apoc. II. 15, idque iis inditum a *Nicolao Antiocheno*. Iſte unus erat e *VII. Diaconis*, qui cum Stephano, in miniſterium viduarum, & pauperum fuere ſelecti. Videndum Actor. VI. 5. Fuit vero Nicolaitarum hæreſis, non tantum dogmate fœda, ſed etiam opere nefanda. Ad ipſum quidem Nicolaum quod attinet, non ſatis conſtat, num ille ejus auctor fuerit. Ignatius enim Epiſt. ad Trallianos, Clemens Alexandrinus l. 3. Strom. Euſebius l. 3. Hiſt. c. 23. & alii, ipſum excuſant. Sed Irenæus lib. 1. de Hær. cap. 21. Tertullianus de Præſcript. cap. 46. Auguſtinus de Hæreſ. cap. 5. cumque his multi, dicam gravem illi ſcribunt, narrantque, quod cum reprehenſus fuiſſet Nicolaus, ob nimium zelum, quo adverſus conjugem formoſiſſimam utebatur, ipſum, ut hujus pravi affectus ſuſcipionem præſcinderet, abutendi uxore omnibus feciſſe poteſtatem. Inde porro promiſcuæ libidini ſtudebant diſcipuli, hancque partem etiam divini cultus facere cœperunt. Acceſſere deinde & alii errores. Nam, Irenæo teſte, alium dicebant fabricatoris filium,

lium, alium vero de ſuperioribus Chriſtum: hunc, impaſſibilem perſeveraſſe deſcendentem in Jeſum filium fabricatoris, & iterum revolaſſe in ſuum pleroma.

SCRIPTORES PROFANI.

Q. HORATIVS FLACCVS.

HOratius, Lyricorum Latinorum facile Princeps, patre, *libertino*, & exactionum coactore, vel, ceu alii contendebant, *ſalſamentario*, in Apuliæ oppido Venuſia natus eſt. Romam ad capiendum ingenii cultum miſſus, deinde adoleſcens, in Philippenſi Bello, ſub M. Bruto tribunus militum meruit, captusque a Cæſare, venia impetrata, primo *Mecænati*, deinde *Auguſto* inſinuatus, non mediocrem locum in utrorumq; amicitia tenuit. Ac Auguſtus quidem quanti eum fecerit, vel ex eo datur intelligi, quod Sermonum ejus libris lectis, cum nullam ſui in iis mentionem deprehendiſſet, his illum corripuiſſe dicitur verbis: *Iratum me tibi ſcito, quod non in plerisq; ejusmodi ſcriptis mecum potiſſimum loquaris. An vereris, ne apud poſteros tibi infame ſit, quod videaris familiaris nobis eſſe?* Mortuus eſt A. 33. imperii Auguſti, huncque ſcripſit heredem. Quidam ſecta *Epicureum*, alii *Academicum* fuiſſe contendunt. Quintilianus, Horatium fere ſolum ex Lyricis legi dignum judicat, quod plenus jucunditatis ſit & gratiæ, tum variis figuris & verbis feliciſſime audax. Habemus illius *Carminum libros IV. Epodon I. Sermonum duos; Epiſtolarum totidem*, &, de *Arte Poëtica unum*. Ex antiquis, qui

qui in eum commentati ſunt, Interpretibus, laudatur maxime *Acron*.

VIRGILIUS.

VIrgilius, in vico ignobili *Andes*, prope Mantuam, patre *Marone*, quem quidam *figulum*, quidam *mercenarium* fuiſſe tradunt, & matre *Maja* genitus eſt. Videtur in eo natura experiri voluiſſe, quale ingenium ad poëſin effingere valeret. Fuit & ipſe Auguſto cariſſimus, & in *Exquiliis*, ſecundum hortos Mecænatis, fertur habitaſſe. Periit *Tarenti*, ut Servius refert, vel, ut alii volunt, *Brunduſii*: contracta ægritudine ex itinere ad viſendum Metapontum, propter calores ac nimios æſtus. Ejus cadaver delatum eſt ad oſtium montis Pauſilypi, ſeu viam Puteolanam, non procul a Neapoli, ubi ſepulchrum viſitur ad hunc diem, & juxta e regione *eſt Sanazarii* monumentum. Extant Virgilii *Eclogæ X.* & *Georgicorum libri* IV. ab illo emendati. *Æneidos vero libri* XII. (quibus tertium decimum *Maphæus Vegius* non infeliciter ſubtexuit,) ab autore ultimam limam non acceperunt, quare ſub mortem cremari eos juſſit. In Eclogis, Theocritum, in Georgicis, Heſiodum, & in Æneide, Homerum ſibi imitandos Virgilius propoſuit. Ajunt, cum multos verſus matutino calore effudiſſet, pomeridianis horis, novo judicio, ſolitum illos ad paucorum numerum revocare. Id quoque fertur, dæmonem interrogatum, quis optimus Virgilii verſus eſſet, reſpondiſſe, huncce:

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos:

cum-

cumque porro ex eo quæreretur, quis pro peſſimo habendus, iſtum recitaſſe:

Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta movebo.

Antiquiſſima, & reddita ad vivum, *Virgilii ſtatua*, extabat quondam Mantuæ, in foro, Senatorio cultu, dextra prominente, attentionem orans, ſiniſtra, volumen oſtentans, cui inſculpti verſus:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope. Cecini Paſcua, Rura, Duces.

Eam Otto I. &, illius ſequuti exemplum, cæteri in Italia Imperatores, venerati fuerant. Vernante cœlo, pubes ingenua, imaginem illam coronis ornabat, feſtivis diebus choreas circumducens, & epulas inſtruens. Cum autem *Carolo Malateſtæ* urbis cura committeretur, ipſe, aut ſeditionem, aut divinum cultum formidans, Nicolai cujusdam, Neapolitani, miniſterio uſus eſt, qui noctu e baſi avulſam ſtatuam, & currui impoſitam, Pado merſit. Orto die, totus populus Palatium obſedit, Statuam requirens. Hanc, cum Pado merſam comperiſſet, alveum omnem luſtravit uncis, accitis etiam Venetis urinatoribus, ſed incaſſum. In Bibliotheca Medicea aſſervatur omnium Virgilianorum Codicum longe vetuſtiſſimus, ſcriptus majusculis literis, &, quo fortaſſe nec liber integer ullus, extat antiquior. Nam V. C. Lucas Holſtenius, in Judicio quod de Codicibus MSS. illius Bibliothecæ, Sereniſſimi Leopoldi Medicei rogatu tulit, quodq; in ſcriniis conditum habeo, cenſuit, eum Codicem, mille ducentorum circiter anno-

rum ætatem agere, & circa Valentis ac Theodoſii tempora ſcriptum eſſe. Merebatur apprime liber venerabilis, ut ejus frontem Achilles Statius ſequenti coronaret Epigrammate, quod cum illum Codicem, totus geſtiens applaudensque tractarem, ex eo in pugillares notavi:

Purpureos ſparge in frontem atq; in cornua flores,
Albaq; ter plenis lilia da manibus.
Namq; vides ſecli monumentum inſigne prioris,
Quo nec nobilius, nec prius extat opus.
Felix ſorte tua & vita Maro dignior, unum,
Hoc ſupereſt de tot millibus archetypum.
Mecænas ne tu cum re ſimul ipſe perires,
Arma feri juſſit militis eſſe procul.
Et tua, Rodulſi, quæ non oblitteret ætas,
Vlla, piæ ſervant hæc monumenta manus.

DIODORUS SICULUS.

Diodorus, quod in *Argyrio*, Siciliæ civitate, natus eſſet; Siculus dictus eſt, eumque Plinius primum ait inter Græcos deſiiſſe nugari; Juſtinus vero Martyr, in cohortatione ad Græcos, celeberrimum Græcorum Hiſtoricorum vocat. Nec immerito: quippe hiſtoriam orbis, & regnorum omnium, atque res eodem tempore in diverſiſſimis mundi partibus geſtas, ad Julii usq; Cæſaris ætatem, recenſuit *libris XL.* quos *Bibliothecam* inſcripſit: in illosque, ceu ipſe in præfatione teſtatur, 30. annorum ſtudium operamque impendit. Ex iis autem, non tantum *poſteriores XX. ſed & V. illi, qui inter quintum & undecimum interierant*, ſuperiorum temporum injuria perierunt. Extant tamen deperditorum libro-

librorum *Fragmenta quædam, ut apud Photium, quæque de Legatis dedit Fulvius Vrſinus*; item quæ ex Codice Auguſtano juris publici fecit *David Hoeſchelius*, *nec non* quæ in Gallia edidit Vir Inſignis *Henricus Valeſius*.

Dionysius Halicarnassæus.

Dionyſius, Alexandri filius, Halicarnaſſæus, Attica puritate Antiquitates Romanorum a primis initiis, & Aboriginum populo, usque ad primum bellum Punicum *Libris XX.* tanta diligentia conſcripſit, ut Græcos ac Latinos omnes ſuperaſſe videatur. Nam, quæ Latini quaſi pervulgata neglexerunt, Sacrificia, Ludos, Triumphos, Magiſtratuum inſignia, tum univerſam Romanorum in gubernanda Repub. diſciplinam, unus omnium accuratiſſime tradidit, unde non male judicant, qui noſtri temporis Hiſtoriam ſcribere volentes, ab Halicarnaſſæo petere jubent exemplum. Nec omittendum, præcipuam ſemper hui c Scriptori, majoremq; quam Tacito, Livio, aut aliis Romanis fidem adhiberi: de aliena enim, non de ſua Repub. ſcripſit, & omnium Commentarios ac Acta publica inſpexit. Ex illis XX. quos edidit libris, *extant decem* prout ab eo fuere ſcripti: *undecimi* ſola ſupereſt verſio, & nec ea ſatis proba. Horum hiſtoria pertingit usque ad A. V. C. CCCXII. & ademtam Decemviris poteſtatem.

Titus Livius.

Titum Livium, in vico *Aponi*, calidis aquis celebri, natum, eloquentiæ ac fidei imprimis

mis præclarum, non abs re judicat Cremurius apud Tacitum 4. Ann. Et ſane, magnitudine majeſtateque operis quod molitus eſt, fuit ante Latinos omnes. Quippe ab Vrbe condita, ad Neronis Druſi obitum, qui fuit annus Vrbis ſeptingenteſimus duodecimus, libros *CXL. Hiſtoriarum*, miro artificio, & luculento ſermone, conſcripſit. Enim vero non habemus, proh dolor! niſi *XXXV.* Etſi enim illorum qui extant ultimus, quintus ſupra quadrageſimum eſt numero, tamen haud plures, quam indicatum eſt, exitio fuere ſubtracti: nam in *medio quoq; poſt decimum; alii decem deſiderantur.* Illuſtris Petrus de la Valle, in Relationibus itinerariis tom. 1. Epiſt. Conſtantin. 7. confirmat, veram eſſe famam, quæ in orbe literato percrebuit, Livium integrum extare in Bibliotheca Turcicorum Imperatorum. Addit, magnum Hetruriæ Ducem, paucos ante annos quam illa ſcriberet, pro eo obtuliſſe Scutatorum quinque millia, ſed fruſtra fuiſſe: ſive quod ii, qui negotium hoc tractare debebant, non ſatis edocti erant modum Turcas deliniendi; ſive quod hi crederent, plus fortaſſe valere librum, pro quo ultro tantum pretium fuerat oblatum. Sibi igitur viſum eſſe, magis e re futurum, ſi Bibliothecæ cuſtos clanculum pecunia corrumpatur, idque ſe facere inſtituiſſe, offerendo illi pro Livio, Legati Gallici nomine, Scutorum millia decem. Nec male ceſſit conſilium, in Bibliothecario enim nulla erat mora, quo minus Livium e Bibliotheca ſubductum Legato traderet, modo per menſes complures quæſitus, potuiſſet reperiri. At, ante hoc

hoc triennium, nuncius ad aures noſtras pervenit, cujus omnes Eruditi maxime participes fieri volebant, Græcum quendam hominem, adiiſſe Inclytum Galliæ Regem, eique Livium nulla ſui parte mutilum, vendidiſſe, accepto viginti millium amplius aureorum pretio. Ejus videndi deſiderium, omnes prope confecit, donec conſtitit, quendam maleferiatum falſo gaudio ſpei noſtræ illuſiſſe. Servius ad 10. Æneid. teſtatur, *Rufum Feſtum Avienum*, qui tempore Gratiani & Theodoſii Imperatorum claruit, univerſum Livium jambicis verſibus expreſſiſſe, ſed cujus laboris nec vola nec veſtigium ſupereſt. Non deſunt, qui contendant, in Arabicam linguam converſum Livium, in Oriente adhuc extare.

Cæterum Livium, adhuc vivum, tanta fama fuiſſe narrat Plinius in Epiſtolis, *ut ad eum videndum*, aliqui ab ultimis Gadibus Romam perrexerint, & ſtatim, ut viderint, abierint. Idem & Hieronymus Paulino perſcripſit: *Ad Titum Livium, lacteo eloquentiæ fonte manantem, ab ultimis Hiſpaniæ Galliarumq; finibus, quosdam veniſſe nobiles legimus. Et quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Patavini*, in Prætorio ſuo, Livii oſſa condita eſſe jactitant, quod tamen, quia ea, qua is vivebat, ætate, cremabantur plurimum cadavera, non terræ mandabantur, illi qui nervos & artus Sapientiæ eſſe reputant non temere credere, merito vocant in dubium. Cæterum, quæ de Livio, aliisque multis Scriptoribus cognita habentur, prolixis Diſſertationibus diligenter eruditeque recenſuit, gener meus,

Dan. Guiljelmus Mollerus, Vir Eximius, &, non minus hoc, quam aliis laboribus, bene de Repub. Literaria meritus.

CORNELIVS CELSVS.

Cornelius Celſus, Quintiliani l. 12. c. ult. teſtimonio, de *Artibus liberalibus*, *Philoſophia* quoque, ac *Re militari & ruſtica* commentarios edidit. Sed ii ad nos non pervenerunt. Soli ſuperſunt, quibus *Medicinæ præcepta* tradita ſunt, qui eam Autori gloriam conciliarunt, ut *Latinorum Hippocrates* audiat.

TROGVS POMPEIVS.

Trogi Pompeji pater, ſub Julio Cæſare, epiſtolarum, legationum & annuli curam habuit. Ipſe Trogus, *Græcorum & totius orbis hiſtorias libris XLIV.* Latino ſermone conſcripſit, ſed qui periere funditus. Breviarium eorundem *Juſtinus exhibet*. Chariſius, etiam *Trogi libros de Animalibus* allegat. Vopiſcus in Probo, eum diſertiſſimis viris annumeravit.

LVCIVS FENESTELLA.

Feneſtellam, Lactantius l. 1. de falſa rel. c. 6. vocat diligentiſſimum ſcriptorem, nec minus ejus meminit Vlpianus in l. un. §. 1. ϖ. de de Off. Quæſt. Conſcripſit *Annales*, qui tamen non extant. Circumfertur ejus nomine *liber de Magiſtratibus Romanis*, ſed quem non niſi ii, qui penitus obtuſi pectoris ſunt, pro legitimo Feneſtellæ fœtu agnoſcunt; verus enim libri Autor eſt *Andreas Dominicus Floccus*, *Florentinus*, quod nomen etiam in quibusdam editionibus præfert.

Verrius Flaccus.

VErrius Flaccus, Grammaticus, laudatur Plinio, Gellio, & aliis Veteribus. Hunc Auguſtus nepotibus ſuis præceptorem elegit: docendi vero genere maxime inclaruit, & ad exercitanda diſcentium ingenia, æquales inter ſe committere ſolebat, propoſita non ſolum materia quam ſcriberent, ſed & præmio quod victor auferret. *Faſtos* ordinavit, & marmoreo parieti inciſos, publicavit. Eorum putantur eſſe fragmenta, quæ hodieque viſuntur Romæ in Capitolio muro impreſſa, eruta ex fori ipſius ruinis. Scripſit quoque *Epiſtolas*, *& Carmina*, ejusque *librum de Verborum Significationibus*, Feſtus Pompejus in compendium redegit.

Caius Julius Hyginus.

CAjus Julius Hyginus, Auguſti fuit libertus, quanquam alii ad ſerius tempus referunt. Studioſe & avide imitatus eſt *Cornelium Alexandrum*, Grammaticum Græcum, quem, propter antiquitatis notitiam, *Polyhiſtorem* multi, quidam, *Hiſtoriam* vocabant. Præfuit Hyginus Palatinæ Bibliothecæ, & nihilo ſecius multos docuit. Gellius, ejus *libros de vita rebusq; Virorum Illuſtrium*, item *Commentarios in Virgilium*, nec non *de Diis Penatibus*, *& de Proprietatibus Deorum*; Servius vero, *libros de Vrbibus*, laudant. De *Agricultura* quoq; eundem ſcripſiſſe Chariſius memorat. Extant hujus Hygini nomine, *Fabulæ*, *& Aſtronomica* ad Marcum Fabium.

PHÆDRUS.

PHædrus, Thrax, & ipſe Auguſti libertus, reliquit *V. libros Fabularum Æſopiarum*, verſibus Jambicis conſcriptos. Iis innutriri ſalus eſt adoleſcentulis, ſuadente ſic Quintiliano l. 1. c. 11. *Inter primordia dicendi, quibus ætates nondum Rhetorem capientes inſtituantur, Æſopi fabellas, quæ fabulis nutricularum proxime ſuccedunt, narrare ſermone puro, & nihil ſe ſupra modum extollente, deinde eandem gracilitatem ſtylo exigere condiſcant.*

STRABO.

STrabo, natus eſt Amaſiæ, quæ in Ponto civitas fuit. Xylander, vult ſecta fuiſſe Peripateticum, ſed Voſſius pro Stoico illum venditat. Scripſit *Geographica*, ſive *de ſitu Orbis, vita, moribus, ac conſuetudinibus variarum gentium, libros XVII.* opus inſigne, quódque ab innumeris mendis repurgavit Iſaacus Caſaubonus. *Commentarii Hiſtorici*, utiles, ceu ipſe lib. 1. Geogr. prædicat, ad moralem ac civilem Philoſophiam, quos dederat, ad noſtram ætatem non pervenerunt.

CORNELIUS NEPOS.

COrnelius Nepos, Tacito teſte, in Vico Veronenſium *Hoſtilia*, ad Padi ripas ſito, natus eſt, fuitque quod Gellius prodidit, Ciceronis maximus amicus & familiaris. Ejus *Illuſtrium Virorum libri XVI.* citantur a Chariſio Grammatico. Scripſit quoq; accuratiſſime rerum *Romanarum Chronicon*, vel, *de Temporibus librum*, in quo, brevi explicatione, omnis ævi memorias com-

plexus eſt. Sed hæc perierunt, una cum ejus *Carminibus*, quibus pangendis etiam ſtuduiſſe e Plinii l.4. ep.3. conſtat. *Vitam Pomponii Attici*, quam habemus, omnes illi adjudicant, ſed *Externorum Excellentium virorum vitas XXII.* multi *Æmilio Probo* acceptas ferunt. At vero, hos falli, Cl. Voſſius libro de Hiſtor. Lat. oſtendit. Et ſane, tanta Cornelii Nepotis ſermonis Latini ſuavitas eſt, ut appareat, in eo nativum quendam leporem eſſe, non aſcititium, & jam ævo Theodoſii, (hoc enim Æmilius Probus vixiſſe deprehenditur) pridem deſitum. Quare ſuſpicio eſt, Libellum Cornelii Nepotis, ſeculi lapſu & injuria, e manibus hominum excidiſſe. eum autem aliunde in lucem protraxiſſe Æmilium Probum, ſuumq; nomen, alieno ac priſco ſplendore, iviſſe illuſtratum.

C. Valerius Catullus.

Catullo, *Sirmio*, peninſula parva, in parte meridionali Benaci lacus, patria fuit, ſed vulgo, ob urbis vicinitatem, Veronenſis dicitur. Gellius, *Poëtarum nobiliſſimum & elegantiſſimum* appellat. Martialis, *docti vatis* elogio illum ornavit. Ovidius merito *laſcivum* vocat, multum enim decoquit de pudore. Extant ejus *Epigrammata CXVII.* Solet plerunque cum Tibullo, & Propertio edi, unde illi tres, *Amorum Triumviri* vulgo audiunt. Hi tamen, præ illo, minus inverecundi ſunt.

Albius Tibullus.

Tibullus, Equeſtri genere natus eſt Hirtio & Panſa Conſulibus, eodem anno, quo Ovidius.

dius. Quintiliani ſententia, Tibullus poëta eſt imprimis elegans, terſus, ad amores & delicias aliquanto pronior. Multi principem inter Elegiographos ei tribuunt locum, *omnes*, quod Joſ. Scaliger in Caſtigationibus ad illum ait, *tantum illi deferunt, ut pauci ſint, qui non aures ejus lectione tritas habeant.* Ovidius, cum quo amicitiam coluit, de eo l. 1. Amor. El. 15. ominatus eſt:

Donec erunt ignes, arcusq; Cupidinis arma,
Dicentur numeri, culte Tibulle, tui.

Tenemus *IV. libros Elegiarum.*

PROPERTIVS.

PRopertius, *Mevaniæ*, ut Crinitus vult, vel *Ameriæ* ut Jos. Scaliger contendit, in Vmbria lucem aſpexit, patre, viro equeſtris dignitatis genitus. Habemus illius *Elegiarum libros IV. Hoſtiam* puellam ardentiſſime dilexit, quam ficto nomine *Cynthiam* vocavit. Secutus eſt Callimachum maxime, unde & ſe Callimachum Romanum appellat. Lipſius l. 2. Antiq. Lect. cap. 10. judicat, Propertium qui non amet, eum profecto Muſas non amare: tantam ejus verſuum eſſe ſuavitatem, ut nil niſi mulſa loqui videantur; tantam eruditionem, ut non niſi Phœbo dictante credantur excepti. Addimus & Turnebi judicium ex l. 11. c. 15. Adverſ. *Tanta verſuum Propertii jucunditas & amœnitas eſt, ut eos, dictantibus Gratiis, a Poëta exceptos cenſeas. Tantum optarem, ad aliam potius, quam amatoriam materiam, beatam illam & candidam ingenii venam, contuliſſet, ut a juventute tutius legi poſſet.*

OVIDIVS.

OVidius, patria *Sulmonenſis* fuit, & familia equeſtri. Ingenium ei natura ad poëſin effinxit,

Et, quod tentabat ſcribere, verſus erat:

ceu ipſe de ſe l. 4. Triſt. perhibet teſtimonium. Opera ejus nota ſunt: *Libri* nempe *Metamorphoſeon*, *Faſtorum*, *Epiſtolæ Heroidum*, *de Arte amandi &c.* non tamen omnia poſſidemus, & periere imprimis *VI. libri poſteriores Faſtorum*, &, quæ cœperat, *Halievtica*. Circumferuntur etiam aliqua quæ falſo Ovidio attribuuntur. Qualia ſunt, *Carmen Panegyricum ad Piſonem*, *Philomela*, *Pulex*, *& libri tres de Vetula.* *Librum* tamen *de Medicamine faciei*, quidam male Ovidio abjudicant. Natus annos 50. ab Auguſto in Scythiam relegatus eſt, cujus pœnæ, cauſæ duæ fuerunt, *una* quod libros de Arte Amandi, in gratiam ſive *Juliæ*, ſive *Liviæ*, compoſuiſſet: *altera*, error quidam, adverſus Auguſtum commiſſus, quem tamen ſignate exprimere noluit, inquiens,

Et quid præterea peccarim quærere noli.

unde nec id crimen divinari poteſt. Cum in exilio univerſos fere novem annos parum ex voto vitam egiſſet, tandem anno 5. Tiberii Imperatoris, mortuus, Tomisq; , quod tradit Euſebius, ſepultus eſt. Gaſpar Bruſchius, Laurentius Mullerus, Glandorpius, aliique ſcribunt, ſepulchrum ejus A. 1508. Sabariæ, quod Hungariæ inferio-

ris

ris oppidum eſt, 6. milliaribus a Sopronio, verſus meridem, diſtans, quodque Germanice Stein am Angern dicitur, repertum eſſe, cum inſcriptione:

Hic ſitus eſt Vates, quem Divi Cæſaris ira
Auguſti, patria cedere juſſit humo.
Sæpe miſer voluit patriis occumbere terris;
Sed fruſtra. Hunc illi fata dedere locum.

Sed non referunt Ovidii genium hi verſus. Fertur quoque *Iſabella*, Hungariæ Regina, Petro Angelo Bargæo oſtendiſſe *Calamum Argenteum*, Belgradi repertum, adjecta habentem verba: *Ovidii Naſonis calamus.*

VELLEIVS PATERCVLVS.

VEllejus Paterculus, primum Tribunus militum in Thracia fuit, deinde Legatione Tiberii in Pannoniam, & Prætura quoque functus eſt. Scripſit *duos hiſtoriæ Romanæ libros*, ſed quorum magna pars deperiit: quæ ſuperſunt, primus in lucem protraxit Beatus Rhenanus. Exacte tempora obſervat, originem Vrbium & fata exponit, Viros Illuſtres egregiis elogiis ornat. Dictio Velleji, plane Romana eſt atque elegans: verum in ſui ævi rebus, nimis domui Auguſtæ, & Sejano adulatur. *Fragmentum Velleji*, quod ſe inveniſſe jactat Wolfgangus Lazius & lib. 1. Commentariorum Reip. Rom. c. 8. inſeruit, non Velleji, ſed cujusdam ſeculis aliquot illo ſcriptore junioris eſſe judicat Voſſ. l. 1. de Hiſt. Lat. c. 24.

VALE-

Valerius Maximus.

Valerius Maximus *libris IX. Romanorum, exterarumq; gentium facta ſimul ac dicta memoratu digna* complexus eſt, eosque Tiberio Imp. inſcripſit. Quidam ei *libellum de Prænominibus* quoq; tribuunt, a quibus tamen Ger. Joh. Voſſius disſentit. Idem l. 1. de Hiſt. Lat. c. 24. nos non ipſum Valerium, ſed epitomen ejus, quam *Julius Paris* concinnaverat, habere exiſtimat. Notant in eo viri docti, mirum adulandi ſtudium, dictionem non adeo puram, magnam in rebus inſcitiam, & ſententias affectatas. Eraſmi in Ciceroniano judicium eſt, Valerium Maximum tam ſimilem eſſe Ciceroni, quam mulus homini, adeo ut vix credas vel Italum fuiſſe qui ſcripſit, vel hoc ætatis, quod præ ſe fert, vixiſſe: tam diverſum eſſe totum dictionis genus; Afrum quempiam videri poſſe, nec eſſe ullum carmen elaboratius.

Pomponius Mela.

Pomponius Mela, gente Hiſpanus, *libris tribus de Chorographia*, ut eſt in plerisque libris; vel potius, ut in aliis, & in noſtro quoque MS. vocantur, *de Situ Orbis*, inclaruit: in quibus perſpicua eſt brevitas, & mira elegantia.

Apio ſeu Apion.

Qvem plerique *Appionem* vocant, Cl. Voſſius l. 1. de Vitiis Sermonis c. 10. *Apio* vocatum docet, quod homo Ægyptius, minime ab Appia gente nomen acceperit, ſed ab Api, Deo Ægyptio, ut pleræque gentes a Numine ſuo nomina

mina ſolent imponere. Fuit iſte Apio patria Alexandrinus, profeſſione Grammaticus, eumq; Tiberius *cymbalum mundi* appellavit. Plinius in Præf. Hiſt. Nat. *Apion Grammaticus*, inquit, *hic quem Tiberius Cæſar Cymbalum mundi vocabat, cum publicæ famæ tympanum potius videri poſſit, immortalitate a ſe donari ſcripſit, ad quos aliqua componebat.* Alexandrinorum ad Cajum Caligulam Cæſarem legatione functus eſt. In vulgus ſparſit, Judæos in templo Hieroſolymitano adorare caput Aſini. Adverſus hunc Joſephus duos libros edidit, ad Epaphroditum.

Philo Judæus.

PHilo, & ipſe Alexandriæ natus eſt, ſed a Judæis genus traxit. Fuit diſciplinis omnibus eruditus, & eloquentiæ Platonis ſummus imitator, ita ut proverbium natum ſit, aut Plato Philonem æmulatur, aut Philo, Platonem: ſive, ut vulgo efferunt: aut *Plato philonizat*, *aut Philo platonizat*. Ivit Legatus Judæorum ad *Cajum Caligulam Cæſarem*, quam legationem deſcripſit: iſque liber, cum multis aliis, ſupereſt. Opera uno volumine edita ſunt. Photius Cod. 150. ait, a Philone omnem *allegoricum S. Scripturæ ſermonem* promanaſſe. *Hiſtoria ab Adamo usq; ad Saulem*, quam Philoni quidam tribuunt, ejus nomine indigna eſt.

Q. Curtius.

Q. Curtius Rufus *X. libris Hiſtoriam de Rebus Geſtis Alexandri M.* complexus eſt, e quibus tamen priores duos deſideramus, quorum ſupplementa, *Chriſtophorus Bruno, Joh. Freinshemius*

bemius & noviſſime *Chriſtophorus Cellarius* Vir clarus eruditione, quemque ſummopere diligo, nobis dederunt. De ejus ætate indicium faciunt verba l.10. c.9. *Proinde jure meritoq; Populus Romanus ſalutem ſe Principi ſuo debere profitetur; cui noctis quam pæne ſupremam habuimus, novum ſidus illuxit. Hujus hercule, non Solis ortus, lucem caliganti reddidit mundo, cum ſine ſuo capite diſcordia membra trepidarent. Quot ille tum extinxit faces? quot condidit gladios? quantam tempeſtatem ſubita ſerenitate diſcuſſit? Non ergo revireſcit ſolum, ſed etiam floret Imperium. Abſit modo invidia, excipiet hujus ſeculi tempora, ejusdem domus, utinam perpetua, certe diuturna poſteritas.* Sed, cum obſcuriora iſta ſint, ideo de ſenſu certant Viri Docti, & aliqui de *Auguſto Cæſare*; Lipſius, de *Claudio*; Voſſius, & Bœclerus noſter, de *Veſpaſiano*; nonnulli de *Trajano* ea accipiunt. Caſpar Barthius in notis majoribus ad Claudianum, *Theodoſium* ſignificari exiſtimat. Ab his longiſſime receſſit is, quo præceptore, Guido Patinus, Pariſienſis Medicus, uſus eſt, cui, ceu in Epiſtola 27. narrat Patinus, in mentem venerat, Italum quendam ante 300. circiter annos, a ſe confictam Alexandri M. Romanzi alicujus ſchemate hiſtoriam, ſub falſo Curtii nomine pro antiqua & vetuſta, ſuppoſuiſſe. Cujus rei eam potiſſimum cauſam allegavit, quod nemo Antiquorum illius mentionem faciat. At vero, etſi, quacunq; de cauſa, non occurrit apud Antiquiores qui extant, Curtii mentio, tamen ii, quorum ætas tria ſecula longe excedit, ejus meminere, ut ſic ſaltem longe ante illa tempora vixiſſe ipſum

neceſſe ſit. *Johannes* nimirum *Sarisberienſis*, Carnotenſis Epiſcopus, quem A. 1182. vita exceſſiſſe conſtat, Curtium allegat in Polycratico, l.8. c. 18. *Philippus* vero *Gualterus*, Epiſcopus Inſulanus, quem nonnulli Sarisberienſis æqualem temporum autumant, alii, ut Voſſius de Poëtis Latinis, A. 1250. claruiſſe ferunt, in *Alexandreide*, ſive Carmine, quo libris 10. cecinit res geſtas Alexandri, Curtium, ad verbum, quantum poterat, imitatus eſt. De *Alphonſo* quoq; X. Hiſpaniæ Rege, qui Sapientis cognomen meruit, & A. 1252. imperare cœpit, Antonius Panormitanus in vita ejus prodidit, eum, cum gravi morbo laboraret, remedia Medicis fruſtra præſcribentibus, cœpiſſe legere Q. Curtii hiſtoriam de Alexandro M. adeoque illius dulcedine captum fuiſſe, ut ex ſola lectione ſanitatem recuperarit, in hæc, quæ ſæpe deindè repetiit, verba erumpens: *Valeant Avicenna, Hippocrates, Medici cæteri: vivat Curtius ſoſpitator meus.* Quanquam, quid verbis opus eſt? monſtravit mihi olim ſolidum Reip. Literariæ columen, omnique laude dignus Vir, *Antonius Magliabechius*, in Bibliotheca Medicea Codicem Curtii antiquiſſimum, atque, Lucæ Holſtenii, quod ſimul literis conſignatum exhibebat, veriſſimo, quo in talibus pollebat, judicio, haud minus annis ſeptingentis gravem. Quod ſupereſt, hic Scriptor, ab iis qui grandem & pudicum Latinitatis ſermonem amant, aſſidue in manu ſinuque geſtari debet. Sunt enim illi verba electiſſima; acutæ crebræq; ſententiæ; expoſitiones mirificæ; conciones multa facundia inſtructæ; ita, ut oratio ejus ubi-

ubique ſervet majeſtatis ſuæ pondus. *Claudius Faber*, Antonii filius, Vogelaſi Dominus, *30. annos Curtianæ Gallicæ verſioni inſudavit.*

L. Annævs Seneca.

L. Annæus Seneca, Philoſophus, patria Cordubenſis, patre, *M. Annæo Seneca*, ordinis Equeſtris viro, & cujus *Declamationes* Eruditi in pretio habent, genitus eſt. Adoleſcentia ejus in Tiberii principatum incidit, in qua, præter Eloquentiam, Philoſophiæ magno impetu ſe dedit. Sub Claudio, cum Julia Agrippina, Germanici filia, Domitii Ænobarbi Conjux, accuſata adulterii eſſet, & ipſa extorris vivere cogeretur, Seneca quoque, quaſi inter adulteros, in Corſicam Inſulam relegatus fuit. Vixit in exilio annos circiter octo, optimis ſtudiis meditationibusq; intentus. Scripſit tum *libros de Conſolatione, ad Helviam Matrem*, & *Polybium*, ac alia quædam. A Julia dein, cum Claudio nupſiſſet, revocatus, Neronis educationi admotus eſt, qui, hoc præceptore, tantopere profecit, ut quinque annos laudatiſſime imperaverit, donec a Poppæa, & Tigellino, ad deteriora inflexus eſt. Cujus proin vitia cum Seneca ſubinde reprehenderet, per libertum *Cleonicum*, veneno illum tollere decrevit. Sed, agri ſolum fructibus, & nuda aqua contentus, inſidiis non patuit. Poſtea vero, cum audiſſet Nero, conſcium eſſe Senecam Piſonianæ conjurationis, mortis optionem ipſi obtulit. Ille interritus, venis ſectis perire volebat. Cum autem ſanguinem tardius meare animadverteret, a *Statio Annæo*, Medico ſuo, cicutam petiit: quæ, cum nil in exſucco corpore

efficeret, balneum ingreſſus, aqua proxim aſperſit, Jovi Liberatori hæc libare ſe dicer ibique obiit.

Scripta Senecæ, ſolidam ſpirant ſapientiam omnibusq;, qui Bonam Mentem amant, ediſcen da ſunt. Non tamen omnia ad nos pervenerun & videndus omiſſorum *Catalogus* apud Lipſiu Diſſertat. de Vita & Scriptis Senecæ cap. 10. A eo obſervatis, addendi, qui notitiam illius e fugerunt, *Liber de India*, memoratus Plinio l. 6 Hiſt. Nat. c. 17. *Liber de ſacris Ægyptiorum*, cuju Servius, itemque *Liber de forma mundi*, cuju Caſſiodorus meminerunt. In Bibliotheca Cæ ſarea Viennenſi, Lambecio to. 2. p. 934. & 985 Commentariorum de illa, teſte, extant Seneca libri ſuppoſititii duo, unus de *quatuor Virtutibus Cardinalibus*, alter, *de Moribus*. Tenemus genuina Senecæ ſcripta, *VII. libros de Beneficiis: III. de Ira: II. de Clementia: VII. Quæſtionum Naturalium: Epiſtolas CXXIV.* alia. S. Hieronymus in Catalogo Eccleſiaſticorum Scriptorum, Senecam inter Sanctos referre non dubitat: &, Bullingerus in c. 1. ad Rom. ſcribere ſuſtinuit, unum Senecam, plus ſincerioris theologiæ poſteritati reliquiſſe, quam omnes fere omnium Scholaſticorum libros.

Martinus Delrio, *X. Tragœdias quæ ſub Senecæ nomine extant*, in Commentario quo eas illuſtravit, eidem huic Senecæ aſſignat. Plerique tamen *Senecæ Nepoti* illas acceptas ferunt. Vnde Balthaſar Bonifacius in Hiſt. Ludic. l. 15. c. 7. *Senecæ tres: Avus, declamator, terſa dictione, ſummo judicio. Pater, vere facundus, ſed inimitabilis;*

adeo

adeo denſus & confertus, ut calcem ſine arena appellarit Caligula. Nepos, tragœdiographus, purus, gravis, in eo genere apud Latinos unus, & unicus. Guido Patinus epiſt. 64. confirmat Chorum in Senecæ Tragici Troade, qui incipit;

Verum eſt, an timidos fabula decipit,
Vmbras corporibus vivere conditis?

exhibere ipſiſſimam formulam fidei, plurimorum noſtræ ætatis hominum, atque in his Principum, Optimatum, Præſulum ſacrorum, nec non quorundam Medicorum ac Philoſophorum.

PETRONIVS ARBITER.

PEtronius Arbiter, Neronis tempore claruit, ejusque vitam ſpurciſſimam, eleganti dictione, ſub exoletorum nominibus deſcripſit. Æmulum nactus *Tigellinum*, qui voluptatum ſcientia ab illo ſuperari ægre ferebat, conjurationis in Cæſarem accuſatus, & in cuſtodiam conjectus eſt. In ea, venis inciſis, obiit, libro ſuo propria manu obſignato, & ad Neronem miſſo, ſed vaſe CCC. ſeſtertiorum confracto, ne id Imperator ſibi vindicaret. Extat ejus *Satyricon*, ſed mutilum. Prodiit ſuperioribus annis in Gallia iſtius libelli quoddam Fragmentum, *Cœna Trimalcionis*, Traguri, in Dalmatia, ut ferebatur, repertum, de quo, Joh. Ludovici Praſchii, de Civili & Literaria Republica inſigniter meriti Viri, quem, iisdem, quin & mihi ereptum amare lugeo, ex illius Roſeto, ſeu Præceptis Styli Latini, non meum, profero judicium: *Petronii Fragmento Tragurienſi, quid barbarum magis &*

abſurdum fingi poſſit, adhuc neſcio. Nullus in eo ſenſus, nulla συνάφεια, nullum judicium.

Nec quicquam, niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.

Ebrii ſomnium a Longobardo ruſtico melius narratum iri putem. Verbum quidem unum & alterum Petronio ſublegit, & ſuperficiem conatur imitari. Et Latine aliqua dici facile concesſerim plauſoribus. Sed hoc in ſummam totius ſpei minime proficit. An benignius ſenſurus fuiſſet *de Fragmentis, quæ, tanquam Albæ Græcæ inventa, noviſſime nobiſcum communicavit Nodotius*, equidem neſcio.

COLVMELLA.

L. Junius Moderatus Columella, imperante Claudio *libros XII. de Agricultura*, eleganter doctiſſimeque conſcripſit, e quibus *decimus* numero, qui de *Hortorum cultura* agit, Heroico carmine cultiſſimo conditus eſt. Scripſit & *contra Aſtrologos libros* aliquot, ceu ipſe de ſe teſtatur l. 11. c. 1. Ii perierunt.

A. PERSIVS.

A. Perſius Flaccus, Poëta, Volaterras in Thuſcia habuit patriam. Fuit morum leniſſimorum, verecundiæ pæne virginalis, formæ pulchræ, pius in matrem, & examuſſim optimus. Mox ut a ſcholis & magiſtris diverterat, lecto Lucilii libro 10. animum ad Satyras ſcribendas appulit, ejusque libri principium imitatus eſt. Scripſit autem *Satyras VI.* mira carminis acerbitate, quæ nunc in manibus habentur, & quibus multum veræ gloriæ eum meruiſſe Quintilianus

l. 10.

l. 10. c. 1. teſtatur. Jul. Cæſ. Scaliger in Hypercritico, ejus ſtylum moroſum & ineptum cenſet, cujus tamen patrocinium ſuſcepit Caſaubonus, in prolegomenis in hunc poëtam. Ajunt Auguſtinum, ante converſionem, Satyras Perſii legentem, & non ſatis intelligentem, librum in ignem projeciſſe, dixiſſeque: *Quia non vis intelligi, nec debes legi.*

LVCANVS.

LVcanus, Poëta, natus eſt Cordubæ, in Hiſpania, patremque habuit *Annæum Melam*, ſeu *Mellam*, Senecæ Rhetoris filium, Philoſophi fratrem. Floruit Romæ ſub Nerone, cui primo carus & acceptus fuit, ſed poſtea retecta conjuratione C. Piſonis, cujus ſocium ſe præbuerat, interemtus eſt. Scripſit præter *X. illos Pharſaliæ*, quos habemus, *libros*, etiam *Saturnalia, Sylvarum libros X. Tragœdiam de Medea; de deſcenſu Orphei ad inferos; de incendio Romæ; de elogiis Pollæ uxoris*, & alia plura, quæ Veteres Grammatici in ejus vita enumerant. Quintilianus ardentem & concitatum, ſententiisque clariſſimum, Oratoribus tamen magis, quam Poëtis annumerandum cenſuit. Nimium dicere videtur Statius, quando Lucanum, ſub finem l. 2. Sylv. cum Homero & Virgilio non componit tantum, ſed etiam iisdem præfert. Ab hoc vehementer diſcedit Scaliger pater, qui Lucani poëſin, pro tyrannica & tædium pariente, ſæpe etiam pro inepta habet. Guido Patinus epiſt. 64. narrat, *Hugonem Grotium*, aſſidue Lucanum ſecum geſtaſſe, nec diem præteriiſſe, quo non ſæpe librum ſuaviaretur.

Asconivs Pedianvs.

DVo fuerunt Aſconii Pediani: *unus*, familiaris extitit Virgilio, quem, ut refert Junius Philargyrus, dicentem audiverat, ſe Grammaticis crucem fixiſſe verſiculo:

Tres pateat cœli ſpatium, non amplius, ulnas.

Hujus ſuperſunt *Commentarii in Orationes Ciceronis. Alter*, Veſpaſiani ævo floruit, inter *Hiſtoricos* numerandus, ejusque meminit Hieronymus in Chronico.

Qvintilianvs.

M. Fabius Quintilianus, gente Hiſpanus fuit, ſed Romæ Rhetoricen docuit, quo a Galba deductus fuit, ac ſalarium e fiſco accepit. Vnde Martialis:

Quintiliane vagæ moderator ſumme juventæ,
Gloria Romanæ Quintiliane togæ.

Scripſit *Inſtitutionum Oratoriarum libros doctiſſimos XII.* cum jam per annos 20. operam erudiendæ juventuti locaſſet, ceu ipſe teſtatur in initio procemii libri primi. Eum librum *Pogius Florentinus*, circa annum 1410. in quodam Conſtantienſis urbis monaſterio repertum, ab interitu vindicavit. *Declamationes* CXLV. quæ Quintiliani nomen præferunt, primum a *Tideo Vgolino* editæ, quidam huic Quintiliano, alii avo ejus, qui ſub Auguſto claruit, adſcribunt.

Valerivs Flaccvs.

VAlerius Flaccus, Patavinus fuit, juxta Aponum natus. Superſunt illius *IIX. libri de Argo-*

Argonauticis, ſed imperfecti, eſtque poëta, multorum ſententia, admirandus. Julii vero Cæſaris Scaligeri de eo judicium eſt: *Valerii Flacci ingenium felix, diligentia non vulgaris, ſed immatura morte præventus, acerbum nobis poëma ſuum reliquit.*

Plinivs Secvndvs.

PLinius Secundus, Veronenſis, ſub Veſpaſiano vixit. Scripſit *Romanas Hiſtorias*, quibus bella omnia, quæcunque cum Germanis geſta ſunt, XX. voluminibus, Suetonio teſte, comprehendit. Scripſit alia quoque, quorum omnium jacturam paſſi ſumus. Superſunt *libri XXXVII. Hiſtoriæ Mundi, ſeu Naturalis*, opus, ita judicante Plinio juniore, diffuſum, eruditumque, nec minus varium quam ipſa natura. Suffragatur Lipſius in Epiſt. quæſt. l. 2. ep. 13. *Plinii libros*, inquit, *qui Pandectas appellaverit, me judice haud erraverit. Omnia ille vir legit, vidit, ſcivit: & in unum volumen Græciam & Latium concluſit, paulo mehercule felicius, quam Thrax ille Imperator leges.* Guido Patinus ep. 6. Plinii Hiſtoriæ Naturali inter meliores totius orbis libros locum aſſignat, ac merito *Bibliothecam pauperum* dictam aſſerit. Ei junctum *Ariſtotelem*, prope Bibliothecam integram, ſi vero *Plutarchus* & *Seneca* accedant, omnibus numeris abſolutam evadere, pronunciat. Gallica verba magis ſonantia ſunt, nec carent feſtivitate & facetiis. *L' Hiſtoire de Pline, eſt un des plus beaux livres du monde. C' eſt pourquoy il a eté nommé la Bibliothéque des pauvres. Si l'on met Ariſtote auec luy, c' eſt une Bibliothéque preſque complète. Si l'on y ajôute*

Plutarque & Seneque, toute la famille des bons livres y ſera, pere & mere, âiné & cadet. Vellem Sacras Literas addidiſſet. Quid enim? an Chriſtianum hominem æquum eſt, alium magis quam hunc librum poſſidere? an totum gentilibus ſe addicere debet, nunquam autem Deo & Servatori ſuo vacare, ac ab hujus ore pendere? Cæterum, Plinius periit Veſuvii fumo & ignibus extinctus, cum ad ejus incendii cauſas explorandas propius acceſſiſſet. Videndus omnino Plinius Junior l. 3. ep. 5. & l. 6. ep. 16.

Plinivs Jvnior.

C. Plinius Cæcilius Secundus, Majoris ex ſorore nepos, ab avunculo in nomen & cætera jura adoptatus eſt. Ampliſſima munera geſſit, & Bithyniæ quoque præfuit. In hujus provinciæ adminiſtratione, Chriſtianorum moribus exploratis, non pepercit iis tantum, ſed & illos per epiſtolam Trajano commendavit. Quatuordecim annos natus, *Tragœdiam Græcam* condidit, ceu ipſe teſtatur l. 7. ep. 4. ubi etiam meminit, ſe *hendecaſyllaborum volumen* exaraſſe. Habemus X. *illius Epiſtolarum libros*, veriſſimum Atticæ eloquentiæ exemplum. *Panegyrico* ejus ad Trajanum Imperatorem, nihil eſt neque ad eloquentiam conparandam, neque ad Remp. recte adminiſtrandam conducibilius.

Epictetvs.

Epictetus, Stoicæ ſectæ Philoſophus, patria Hierapolitanus, conditione ſervus erat, Epaphrodito, Neronis familiari, ſerviens. Vir fuit

vitæ integerrimæ, alieniſſimus ab omni faſtu & arrogantia, quibus vitiis veteres Philoſophi plurimum laborabant. Quanto in pretio habitus ſit, vel ex eo datur intelligere, quod illius *lucerna fictilis tribus drachmarum millibus* emta eſt, ceu Lucianus Syrus prodidit. Scripſit *Enchiridion*, libellum optimum, & qui nullis ſatis deprædicari poteſt laudibus. Extant & *Arriani Philoſophi*, diſcipuli Epicteti, *libri quatuor de Epicteti diſſertationibus*, referti præceptis utiliſſimis. Domitiano imperante, Epictetus, vel offenſus ejus tyrannide, vel coactus ob SC. de pellendis urbe Philoſophis, Roma Hierapolim commigravit. Ajunt illum poſtea Romam reverſum eſſe, ibique vixiſſe ad tempora usque Antonini.

J O S E P H U S.

FLavius Joſephus, *Mattathiæ* filius, paternum genus ad Summos inter Hebræos Pontifices, maternum, ad Chaſſamonæos, ſeu Maccabæos referebat. Natus eſt ſub Caligula, atque animo mature ſtudiis dicato, cum *Bano* quodam ex Eſſenorum ſecta, triennium in ſolitudine commoratus, poſtmodum Phariſæis adhæſit. Ætatis anno 26. in Italiam transgreſſus, *Poppææ*, a Comico quodam Judæo commendatus, negotia ſua feliciter expedivit. Reverſus in Palæſtinam, Dux Galilæorum evaſit, donec *Jotapata* capta, in puteo, ubi cum XL. ſuorum delituit, gravia paſſus eſt. Captivus, cum Veſpaſiano Imperium prædixiſſet, libertatem acepit. Reliquit *XX. libros Antiquitatum Judaicarum*, quos, ab Orbe condito exorſus, perduxit usque annum

num XII. Neronis: item *VII. libros de Bello* [Ju]*daico*, quibus Romæ, Hieronymi in Catal. Scri[pt.] Eccleſ. teſtimonio, ob ingenii & eruditionis g[lo]riam, ſtatuam meruit. Nec omittendi, *duo* ej[us] *libri contra Apionem*, & *liber de Imperio Ration*[is] *ſeu Martyrio Maccabæorum*, in quo omnem facu[ndi]diæ ſuæ vim explicuit. Scripſit item *librum de* [vi]*ta ſua*. Joſephus Scaliger cenſuit, tutius Joſeph[o] non ſolum in rebus Judaicis, ſed etiam extern[is] credi, quam omnibus Græcis atque Latinis. A[lii] tamen ſiniſtre de eo ſentiunt. Cæterum ext[at] in Joſephi Antiquitatum libro XVIII. capite [...] inter omnes notus locus de Chriſto Servator[e] noſtro, tali, prout Gelenius Græca verba La[ti]ne reddidit ſententia: *Eodem tempore fuit Jeſu*[s] *vir ſapiens, ſi tamen virum eum fas eſt dicere. Era*[t] *enim mirabilium operum patrator*, & *doctor eorum qui libenter vera ſuſcipiunt, plurimosq; tam de Judæis, quam de Gentibus ſectatores habuit. Chriſtu*[s] *hic erat; quem accuſatum a noſtræ gentis principibu*[s] *Pilatus cum addixiſſet cruci, nihilominus non deſtiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die vivus, ita, ut divinitus de eo Vates, hoc*, & *alia multa miranda, prædixerunt;* & *usq; in hodiernum, Chriſtianorum genus, ab hoc denominatum, non deficit.* Fatigavit omnium prope gentium Eruditos, noſtra hac ætate, probumne ac genuinum, atque ab ipſomet Joſepho profectum ſit hoc teſtimonium, an ab aliis intruſum? ſtantque, pro utraque ſententia, Viri Inſignes, quorum reſponſa, & ſcita, ſedulo collegit, ac peculiari libello exhibuit Amicus noſter, Eruditiſſimus Vir, *Chriſtophorus Arnoldus*. Ego, per-

motus

motus iis, quæ ad me de hoc argumento eleganter ac humaniter, pro perpetuo ſuo erga me amore, perſcripſit, Vir doctrinæ ac judicii ſingularis, *Joh. Henricus Bœclerus*, relata in eum quem dixi libellum p. 253. ſeqq. aſſenſum huic hactenus præbueram, & citra hæſitationem locum damnabam νοθείας. At, nunc parum abeſt, quin ab hac ſententia nonnihil diſcedam, &, ad media via, inter extrema & abrupta, ſapienter & ſolicite ambulantem *Stephanum le Moyne*, familiaris ego illius, me aggregem. Non habuit ille integrum locum pro ſuppoſititio, ſed, interpolatum, ac Chriſtianorum nimis officioſam manum expertum eſſe cenſuit. Scilicet, debuit utiq; Joſephus, qua erat ἀκριβεία hiſtorica, Jeſu Nazaræi in libris ſuis aliquam memoriam ingerere, nec potuit eventum, & negotium, quod ſuo tempore admodum fervebat, & indies majora incrementa capiebat, ſilentio plane involvere. Scripſit ergo omnino aliqua de Jeſu, etſi propria quibus uſus eſt, verba, definire non licet. Quod vero ipſum revera pro Chriſto agnoverit, & ſcriptis ſuis profiteri voluerit, nemo mihi perſuadebit.

Martialis.

Valerius Martialis, ex *Bilbili*, Hiſpaniæ oppido in Celtiberis, oriundus fuit. Eum Domitianus valde amavit. Effinxit *Libros XII. Epigrammatum*, quos Guido Patinus epiſt. 64. Chriſtinam, Sueciæ Reginam, memoriæ tenaciſſime infixos habuiſſe, aſſerit.

Apollonivs Tyanevs.

APollonius Tyaneus, (quem tamen potius Tyanenſem vocandum eſſe, Voſſius l. 3. de

Vitiis

Vitiis Serm.c.53. contendit) nomine Philoſophus Pythagoricus, re autem Magus fuit. Ejus vitam deſcripſit *Philoſtratus*, & ante hunc *Damis*, Apollonii in peregrinatione comes. Sermonis animalium dicitur peritus fuiſſe. Romæ in carcerem conjectus, ut Domitiano ſiſteretur, evanuit, & Puteolis apparuit. *Hierocles* illum, ob miraculorum crebritatem, peculiari edito libello, auſus eſt cum Chriſto comparare, quem Euſebius confutavit. Obiit prope centenarius, nemine conſcio. Scripſit multa; in his, *Vitam Pythagoræ*; *Hymnum in Mnemoſynen*, *Teſtamentum*; quorum nihil ſuperat. *Epiſtolæ* extant.

SILIVS ITALICVS.

SIlius, ſeu, ut alii ſcribunt, Sillius, Italicus, poëta, gratiſſimus fuit Domitiano, ejusq; favore ad tertium Conſulatum perductus eſt. Virgilii natalem quotannis celebrabat, & ſeptuagenarius ſeipſum interfecit, dolore cujusdam clavi inſanabilis. Carmine deſcripſit *Bellum Punicum ſecundum*, quod *Hannibalicum* dicitur, *libris XVII.* in quibus imprimis Livium & Polybium ſequitur. Id poëma, cum blattis tineisque, ad Conſilii Baſileenſis usque tempora, colluctatum eſt, & tum denique prodiit in lucem. Plinius de Silio judicat, ſcripſiſſe illum carmina majore cura, quam ingenio. Interim ſermo purus eſt, & plane hoc ævo dignus.

PAPINIVS STATIVS.

PVblicus Papinius Statius, patria *Neapolitanus*, inter Heroicos Poëtas refertur. Scripſit *Sylvarum libros V.* e quibus, & amicos, & fortunam ejus, reliquamq; vitam cognoſcere licet. Scripſit

&

& *Achilleidos libros duos*, &, *Thebaidos*, ſive *Hiſtoriæ Belli Thebani libros XII.* Scaliger, in Hypercrit. primas ei poſt Virgilium tribuit.

CORNELIVS TACITVS.

CORnelius Tacitus, Scriptor illuſtris, ea quæ poſt Auguſti obitum, usque ad ſua tempora, & ad Trajani Principatum contigerunt, recenſuit. Prius Hiſtorias condidit, deinde Annales. *Annalibus*, qui ab exceſſu Auguſti usque ad finem Neronis res memoria dignas narrabant, deeſt extremum biennium: quare non tantum XVI. libri Annalium, ſed & ipſius Neronianæ Hiſtoriæ ſupplementa deſiderantur. Ex *Hiſtoriarum libris* pars longe maxima deperiit; nam V. Libris qui ſuperſunt, unius fere tantum anni res perſequitur, a Galba vero ad Nervam, quousque ſe extenderat Hiſtoria, anni ſunt 21. itaque, conjecturam faciente Lipſio, veriſimile eſt periiſſe omnino Libros quindecim. Reliquit etiam *librum de ſitu, moribus ac populis Germaniæ*: item, de *vita Julii Agricolæ*, ſoceri ſui. Quidam illi adjudicant quoque *librum de cauſis corruptæ eloquentiæ*, quem tamen alii *Quintiliano* acceptum ferunt, ſed Lipſius, neutrius horum eſſe exiſtimavit. Dictio Taciti floridior uberiorq; eſt in Hiſtoriarum libris; preſſior, ſicciorque in Annalibus. Lipſius, Tacitum commendat a prudentia, ab amore veritatis, a brevitate, a ſententiis paſſim intextis ſine ulla confuſione, aut noxa. Refert Vopiſcus, *Tacitum Imperatorem*, pro agnato habuiſſe hunc Scriptorem, atque præcepiſſe, ut *decies* quotannis deſcriberetur, & in omnes reponeretur Bibliothecas.

Pos-

Poſſideo (qudini enim hic jactem bonum, quod ſors fortuna mihi objecit?) Taciti pulcherrimam illam editionem, quam Lipſius cum Commentario ſuo, majore forma adornavit. Eo exemplari, ipſum Decus illud Eruditorum, *Hugonem Donellum* donavit, inſcripſitque ſua manu: *Clariſſimo Viro, & Juriſconſulto eximio, amiciſſimo mihi, D. Hugoni Donello, J. Lipſius donum libens & meritò dedi.* Donellus, cum compingendum daret librum, eidem Joſephi Scaligeri æternum opus de Emendatione Temporum jungi voluit. Poſt Donellum, *Scipioni Gentili* obtigit Volumen, qui illud, ingentis muneris loco, *Philippo Scherbio* obtulit, præfixo eleganti epigramate, quod mox ſubjiciam, ſi prius illud quoque dixero, a Scherbio, librum ad *Michaëlem Piccartum* tranſiiſſe, qui, ad Taciti oram multa notavit, imprimis vero Agricolæ vitam, paſſim, ſive veris emendationibus, ſive conjecturis ſuis diſpunxit. Sequitur Scipionis Gentilis Epigramma:

Clariſſimo Viro

PHILIPPO SCHERBIO

Scipio Gentilis.

Hos tibi, mancupio, Scherbi, nexuq; redemptos
Scriptores dono. Tu cave deſpueris
Quod tibi amica manus animo mage mittit amico.
Ne te ultrix Nemeſis puniat ira Deæ.
Adde, quod exigui cauſſa eſt mihi muneris ingens,
Et nova: nam veteres, ſi ſapio, ſileo.
Pro queis ſi coner tibi ſolvere, conturbabo:
Unde metus pœnæ me gelat alterius.

Ne

Ne tibi damnatus privato carcere cludar,
Et facere in nervo ne tibi cogar opus.
Expedit hæc igitur nunc me reticere. Sed audi,
Quæ nunc munificum me nova cauſa facit,
Hos nuper Criticos, docti duo cymbala mundi,
Vnis ſic vinctos compedibus redimo.
Et mecum abducti mea ſervent pulpita mando:
Pulpita, Romanis diſſita munditiis.
Illi ad pellitos Geticoq; ex orbe maniplos
(Quorum ſceptra tenet Bartolus, & ſolia,)
Adveniſſe vident ſeſe, &, proh Juppiter! ajunt,
Quam dura hoc nobis vita futura loco eſt!
Allium ubi, & glandes ructat tam barbara plebes;
Auxilium, ô Pallas, te veneramur hera!
Agnovi, nec falſa queri, nec iniqua precari;
Proque Deæ auxilium munere pollicitus,
Ire tuos ad te juſſi. Diſcedite, dixi,
Scherbiadæq; meo lautitias facite.
Vera cano: exiluére audito nomine tantùm,
Séq; mea læti proripuere domo.

JVLIVS FRONTINVS.

SExtus Julius Frontinus, *Strategemata*, per Romanorum Hiſtoriam diffuſa, dictione facili, atque ordinatiſſima temporum ſerie, IV. libris digeſſit. Scripſit etiam *libellum de Aquæductibus*. Vixit Nervæ & Trajani Impp. temporibus. Ælianus in præfat. lib. de inſtruenda acie, *Conſu-ſularem Virum* vocat: in Conſulum tamen ſerie, nulla ejus mentio: ut videatur eſſe ex Conſulibus, in demortuorum locum ſuffectis.

PLVTARCHVS.

PLutarchus, natione *Bœotus*, patria *Chæronenſis* fuit. Eum Voſſius Virum undecunque

 doctiſſi-

doctiſſimum, & Philologum, Philoſophum, ac Hiſtoricum ſummum celebrat. A *Trajano* Imperatore, diſcipulo ſuo, dignitate *Conſulari* ornatus eſt. Scripſit *Vitas & res geſtas Illuſtrium Virorum*, tam apud Græcos, quam Latinos. Scripſit & *libros Apophthegmatum*, nec non alia multa, quæ, in *duos tomos* redacta poſſidemus, etſi multorum quoque paſſi ſumus jacturam. Ajunt, *Theodorum Gazam*, rogatum quemnam autorem ſibi reliquum fieri vellet, ſi cæterorum omnium jacturam pati neceſſe foret, reſpondiſſe, Plutarchum.

MEMORABILIA.

INter Memorabilia, primorum a Christo nato Seculorum, MARTYRVM, &, SANCTORVM HOMINVM ACTA *referemus, etſi num ſecundum circumſtantias omnes, ea quæ narrabuntur, ita ſe habuerint, affirmare non audemus. Nullum in ea re damnum, ſi adoleſcentulis, (quos fabulis quoq; profanis innutriri patimur) iſta, pro tempore, vera videantur. Tum vero docendi ſunt, quid ſimulacra & imagines ſibi velint; quæ paſſim in templis, compitis, larariis, & pittaciis membranaceis oculis objiciuntur. Nec minus noſſe debent, quales illi fuerint, aut fuiſſe dicantur, quorum nominibus, ipſi, parentesq; eorum, & familiares, ac neceſſarii, inſigniuntur. In his autem recenſendis, præcipue fidem Breviarii Romani ſequemur.*

VERONICA, Hieroſolymitana mulier, matrona pia, quæ, contactu fimbriæ Domini, a ſanguinis fluxu ſanata fuerat, illi, cum crucem ſuam bajularet, gementi & feſſo, *Sindonem* porrexit, qua ſudo-

ſudorem abſtergeret: quod ipſe cum feciſſet, *imaginem ſuam ſindoni impreſſam*, amoris mnemoſynon, Veronicæ reliquit. Hanc mulierem, *Tiberius* Imperator, graviter ex morbo decumbens, per *Voluſianum*, familiarem, Romam accerſivit: cumque primum mulierem ſanctam ſuſcepiſſet, & Chriſti imaginem contigiſſet, ab omni infirtate ſanatus eſt. Ob quod miraculum, Veronica magno in pretio a Cæſare habita fuit, eademque ibi usque ad mortem, cum Petro & Paulo Apoſtolis permanſit.

MARTHA, nobilibus parentibus nata, & Chriſti hoſpitio clara, poſt ejus aſcenſum in cœlum, cum fratre *Lazaro*, ſorore *Maria Magdalena*, & *Marcella* pediſſequa, *Maximino* item, uno ex LXXII. Chriſti diſcipulis, ac *Joſepho ab Arimathia*, comprehenſa a Judæis, in navem ſine velo ac remigio imponitur, marique vaſto, ad certum naufragium, committitur: ſed navis, Deo gubernante, Maſſiliam appulſa eſt. Eo miraculo, & ipſorum prædicatione, primum *Maſſilienſes*, mox *Aquenſes*, ac finitimæ gentes, in Chriſtum crediderunt; *Lazarusq;* Maſſilienſium, & *Maximinus*, Aquenſium Epiſcopus creatur. MARIA MAGDALENA, quæ, a perdita luxuria, ad bonam frugem ſe convertit, &, Chriſti apud Simonem convivantis, pedes lacrymis lavit, crinibusque ſuis terſit, ut optima parte, quam elegerat, hoc eſt, cœleſtium rerum contemplatione, frueretur, in vaſtam altiſſimi montis ſpeluncam, ab Angelis paratam, conceſſit, ibique ab omnium mortalium conſortio procul remota, annos 30. in pœnitentia exegit: cui *corvi*, panem

& aquam ad vitæ ſuſtentationem afferebant, etſi non deſunt, qui illam ſine cibo potuque victitaſſe perhibent. Cujusque diei ſeptem horis canonicis in cœlum ab Angelis elevabatur, ut concentus æthereos audiret. Denique mortalitatem exuit: corpus Maſſiliæ colitur. MARTHA, aliquandiu in *Taraſcone* urbe, quæ ad Rhodani ripam eſt, egit, ac incolas a magno malo liberavit. Cruciabat enim eos fere ad exitium, e Leviathanis, tanto verborum apparatu a Jobo deſcripti, genere, Draco, & cujus talem exhibet imaginem Vincentius Bellovacenſis: *Erat craſſior bove, longior equo, ſed & caput habebat leonum, dentes ut gladius acutus, comas equinas, dorſum acutum ut dolabrum, ſquamas hirſutas, & ut tharabus ſcindentes, ſenos pedes, angues, caudam viperean, binis pennis utraq; parte muniebatur, unde nec jaculis, nec allis, quibus impetebatur, armis, cedebat: tantæ ferebatur fortitudinis, ut duodecim leones, aut totidem urſos, immanis bellua, crudelitate vel æquaret, vel ſuperaret.* Hoc autem tale tantumque monſtrum, S. Martha, ſolius aquæ ſacratæ aſperſione, & Crucis ſigno, ita invalidum reddidit, ac penitus ſtupefecit, ut cingulo ſuo id colligaret, ac velut in triumpho duceret. Cui deinde incolæ, concurſu facto, ſudibus, lanceis, ſaxisque interitum attulerunt. Poſt hæc Martha, in locum a viris remotum, cum aliquot honeſtiſſimis fœminis ſe recepit, ubi ſumma cum laude pietatis, diu vixit, ac morte ſua multo ante prædicta, migravit ad Dominum. Cæterum JOSEPHUS AB ARIMATHIA in Angliam perrexit, ac in illud Regnum Chriſti fidem intulit.

THE-

Thecla, illuſtribus parentibus *Iconii* nata, a Paulo Apoſtolo, fidei veræ præceptis fuit inſtituta. Ea, annum 18. agens, *Thamiride* ſponſo relicto, cum eam parentes, quod Chriſtiana eſſet, accuſaſſent, in ardentem rogum, qui, niſi Chriſto renunciaret, illi paratus erat, prius ſigno crucis armata, ſeipſam injecit. Sed, cum ignem, pluvia repente exorta, extinxiſſet, *Antiochiam* venit, ubi feris objecta, & tauris, in diverſa incitatis, alligata, mox quoque in foſſam plenam ſerpentibus conjecta, ex omnibus Jeſu Chriſti gratia liberatur. Iterum in patriam rediens, in montem ſola ſeceſſit, &, miraculis inſignis, nonagenaria mortua eſt.

Apollinaris, cum *S. Petro* ex Antiochia Romam venit, & ab eo *Ravennam*, ad Chriſti Evangelium prædicandum, mittitur. Ibi, cum ad veram fidem plurimos converteret, captus, ab idolorum ſacerdotibus graviter cæſus eſt. Cum vero ipſius interceſſione, *Bonifacius*, nobilis vir, qui diu mutus fuerat, loqueretur, ejusque filia ab immundo ſpiritu liberata eſſet, rurſus adverſus illum fuit commota ſeditio. Itaque virgis cæſus, ſuper ardentes carbones nudis pedibus incedere cogitur: quem, cum ſubjectus ignis nihil læderet, ejicitur extra urbem. Is vero latens aliquandiu cum quibusdam Chriſtianis, inde profectus eſt in *Æmiliam*, ubi *Rufini* Patricii filiam mortuam, ad vitam revocavit: unde tota Rufini familia in Chriſtum credidit. Quare vehementer incenſus Præfectus, acceſſit Apollinarem, imperatque ſevere, ut finem fa-

ciat diſſeminandi in Vrbe Chriſti Evangelium. Hæc juſſa cum Apollinaris ſperneret, equuleo cruciatur, in plagas ejus aqua fervens infunditur, & ſaxo os tunditur: ferreis quoque vinculis conſtrictus, includitur in carcerem, ac dehinc navi impoſitus, mittitur in exilium. Facto naufragio, venit in *Myſiam*, hinc ad *ripam Dannubii*, poſtea in *Thraciam*. Cum autem in *Serapidis templo* dæmon ſe reſponſa daturum negaret, quoad ibidem Petri Apoſtoli diſcipulus moraretur, diu quæſitus, inventus eſt Apollinaris, & iterum juſſus navigare. Sic reverſus *Ravennam*, ab iisdem illis idolorum ſacerdotibus accuſatus, *Centurioni* cuſtodiendus traditur: qui cum occulte Chriſtum coleret, noctu Apollinarem dimiſit. Re cognita, ſatellites eum perſequuntur, & plagis confectum, quod mortuum crederent, in via relinquunt. Quem, cum inde Chriſtiani ſuſtuliſſent, ſeptimo die, exhortans illos ad fidei conſtantiam, migravit e vita.

NAZARIVS, a *Lino* Papa baptizatus, cum in Galliam profectus eſſet, ibi *Celſum* puerum Criſtiana religione imbuit. Ambo deinde Treverim petentes, Neronis perſecutione in mare præcipitantur. Cum per miraculum ſalvi evaſiſſent, Mediolanum abeunt, ubi, *Anolini* Præfecti juſſu, capitibus fuere plexi. Corpora, quæ extra portam Romanam fuerant ſepulta, cum diu latuiſſent, B. Ambroſius, Dei monitu, eruit, quaſi recenti adhuc ſanguine madentia.

NEREVS, & ACHILLEVS, *Flaviæ Domitillæ*, Titi & Domitiani Imperatorum neptis, Eunuchi, a S. Petro, una cum ipſa *Domitilla*, ejusque

que matre *Plautilla*, baptiſmi lavacro fuere abluti. Cumque Domitillæ perſuaſiſſent, ut virginitatem ſuam Deo conſecraret, ab ejus ſponſo *Aureliano*, tanquam Chriſtiani accuſati, cum nullis tormentis cogi poſſent ut idolis immolarent, ſecuri percuſſi ſunt.

FLAVIA DOMITILLA, ſacrum virginitatis velamen a *B. Clemente* Papa accepit. Eam, cum *Aurelianus* ſponſus, *Titi Aurelii* Conſulis filius, quod Chriſtiana eſſet, accuſaſſet, a *Domitiano* Imperatore in Inſulam Pontiam eſt deportata. Inde *Tarracinam* deducta, judicis juſſu, incenſo cubiculo, una cum *Theodora*, & *Euphroſyne*, collactaneis ſuis, fuit cremata.

EVSTACHIVS, qui & *Placidus*, genere, opibus, & militari gloria inter Romanos inſignis, ſub *Trajano* Imperatore Magiſtri militum munus meruit. Cum vero ſeſe aliquando in venatione exerceret, ac, fugientem miræ magnitudinis cervum conſectaretur, vidit repente inter conſiſtentis feræ cornua, excelſam atque fulgentem Chriſti Domini e cruce pendentis, imaginem: cujus voce ad immortalis vitæ prædam invitatus, una cum uxore *Theopiſta*, ac duobus parvulis filiis, *Agapito*, & *Theopiſto*, Chriſtianæ militiæ nomen dedit. Poſt hæc ad ſummam egeſtatem redacto, conjux & liberi eripiuntur, cumq; villicum agens, diu delituiſſet, a *Trajano* quæſitus, iterum bello præficitur. In illa expeditione, liberis, & uxore inſperato receptis, victor urbem, ingenti omnium gratulatione, ingreditur. Sed paulo poſt, pro parta victoria Diis ſacrificare juſſus, id facere con-

conſtanter renuit. Ergo, una cum uxore & liberis, leonibus objicitur, qui cum nihil eos læſiſſent, in candentem æneum taurum conjecti, martyres obierunt.

PRIMVM CONCILIVM Hieroſolymis celebratum eſt, in quo *Petrus*, *Paulus*, *Jacobus*, & *Johannes* Apoſtoli, *Titus* quoque, *Barnabas*, & *Silas*, cum Presbyteris, & tota fidelium Hieroſolymis degentium multitudine, fuere congregati. *Decretum eſt*, Circumciſionem, & cæteras legis Moſaicæ ceremonias, non eſſe neceſſarias: Fideles abſtinere debere a comeſtione eorum quæ ſunt polluta per idola, item a ſuffocatis, & ſanguine: nec ſcortationi indulgendum eſſe. In hanc ſententiam miſſa eſt *Synodica Epiſtola* ad Antiochenos, & reliquos in Syria & Cilicia fratres, Paulo, Barnaba, Juda, & Sila, eam Antiochiam perferentibus.

Notandæ ſe hic offerunt PERSECVTIONES, ET CALAMITATES, quibus cum naſcens Chriſti Eccleſia fuit conflictata. Eæ, uti hac ætate cœperunt, ita per duo ſequentia Secula continuatæ, non niſi, quoad IV. Seculo, Imperatores quoque Chriſto nomen darent, ceſſaſſe deprehenduntur, etſi nonnunquam quædam quaſi fuere halcedonia. Cladium vero atrocium, quas Chriſtiani tribus prioribus ſeculis paſſi ſunt, omnino decem numerantur. Veteres, harum prædictionem, in *plagis X. Ægypti* quærebant, credebantque, reſtare adhuc aliam *undecimam Antichriſti*, eventu ſuo cum ea comparandam, qua deniq; Pharao in mari algoſo periit. Sed hæc, jam ipſi Auguſtino l. 18. de C. D. c. 52. exqui-

quiſite quidem & ingenioſe dicta videntur, non tamen prophetico ſpiritu; ſed conjectura mentis humanæ, quæ aliquando ad verum pervenit, aliquando fallitur.

CAVSÆ PERSECVTIONVM, quas Gentiles adverſus Chriſtianos concitabant, variæ. I. *Ignorantia eorundem:* qui, rebellantes Judæos, confundentes cum primis Chriſtianis, promiſcue in ambos ſævierunt. Vnde Claudii Imperatoris Edicta de pellendis utrisque, & error Suetonii in Claudio, *Chreſto impulſore Judæos aſſidue tumultuatos.* II. *Superſtitio Gentilium:* unde non ferebant eam Sectam, quæ aboleret Gentium omnium Deos, quos Romani colerent, univerſos: cui nullæ Aræ, nulla Simulacra, Delubra: quæ item Hominem vilem, ſupplicioq; affectum, religioſo cultu proſequeretur. III. *Calumniæ in Chriſtianos*, ut de incenſa Vrbe ſub Nerone, teſte Tacito Annal. 15. de conſpirationibus nocturnis; de manducatione humanæ carnis; de promiſcuis ſtupris, inceſtibus; de infanticidiis, & aliæ; ortæ partim ex male intellectis Chriſtianorum myſteriis, vel ritibus; ut ſacra Synaxi, oſculo pacis, fratrum ac ſororum appellatione &c. partim ex nefandarum Hæreſium, ut Nicolaitarum, Simonianorum, Menandrianorum, Carpocratianorum ſceleribus &c. adſcriptis veris Chriſtianis. IV. *Politica ratio*, qua, in Religione nihil quicquam Romani mutatum voluere, minus totum Deorum cultum ſublatum. Acceſſit V. *Multitudo ingens Chriſtianorum*, ſuſpecta Romanis Imperatoribus. Habebant præterea Chriſtianos pro inimicis Imperatorum, Legum, Naturæ adeo ipſius: quod illis

perſuadebat mira Martyrum conſtantia. Antequam a Gentilibus cruciarentur Chriſtiani, Judæis abominationi erant, ob publice traductam a Chriſto hypocriſin Phariſæorum; Legem vindicatam; prædictamque Templi deſtructionem.

Prima Persecvtio Christianorvm *ſub Nerone fuit*, quo, ut eleganter loquitur Tertullianus in Apolog. dicatore damnationis ſuæ, etiam gloriari illi poterant, cum qui eum ſcit, intelligere poſſit, non niſi grande aliquod bonum a Nerone damnatum. *Occaſio Perſecutionis* fuit illud incendium, quod Romæ, ſive forte caſuque, ſive dolo Principis, eſt coortum, atque, cum per 6. dies continuos duraſſet, urbis vaſtiſſimæ longe maximam partem abſumpſit. Quia enim populus culpam hujus mali in Neronem conjiciebat, quaſi gloriam innovandæ Vrbis hoc incendio quæſiviſſet, Nero, ut ſe ab intentato crimine liberaret, Chriſtianos reos ſubjecit, in quos eapropter variis ſuppliciorum generibus graſſatum eſt, &, quæ Taciti l. 15. Annal. verba ſunt, *pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atq; ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentnr.* Ad quem locum commentans Lipſius, credit Juvenalem quoque ad hoc ſævitiæ genus reſpexiſſe, cum dixit:

Pone Tigellinum: tæda lucebis in illa,
Qua, ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant:

etſi verſus hos, vulgus Interpretum, & Turnebus quoque, longe ſecius accipiunt.

SECVNDAM PERSECVTIONEM *movit Domitianus*, Fl. Veſpaſiani alter filius, qui pro Deo ipſe ſe gerebat, ac pro tali ab omniibus agnoſci voluit, cum tamen, ceu Euſeb. 3. hiſtor. cap. 13. loquitur, Neronianæ potius ſævitiæ heres eſſet.

TERTIÆ PERSECVTIONIS *Autor Trajanus fuit*, qui edictum propoſuit, ut Chriſtiani ubique conquirerentur, &, per tormenta, ſi aliter non poſſet, usque ad mortem, ſacrificare ritu majorum adigerentur. Cæterum, *Plinius Secundus*, a Trajano Proconſul Bithyniæ conſtitutus, deprehenſa Chriſtianorum multitudine, cum in omnes animadvertere durum & adeo impoſſibile exiſtimaret, quid facto opus eſſet, Imperatorem per *Epiſtolam*, quæ in libro ejus X. extat, & 97. numero eſt, conſuluit, eaque præclarum, de Chriſtianorum vitæ ac morum ſanctitate, præbet teſtimonium. *Reſpondit Trajanus*, Chriſtianos non eſſe conquirendos, ſed, ſi deferantur, ac arguantur, puniendos. Id Reſcriptum jure reprehendit Tertullianus Apol. 2. quod vetet Chriſtianos inquirendos ut innocentes, & tamen mandet puniri ut nocentes.

Sub Tiberio, AMPHITHEATRVM FIDENIS, (urbs ea Sabinorum erat, quinque millibus pasſuum a Roma diſtans, nunc vero in ruinis jacet,) immenſam mortalium vim, ſpectaculo intentos, aut qui circum adſtabant, in præceps trahit atque operit. Quinquaginta hominum millia, eo caſu aut debilitata, aut obtrita fuerunt. Ideo SC. cautum, ne temere munus gladia-

diatorium ederetur, aut Theatrum, niſi in firmo ſolo, ædificaretur. Tacitus. l. 4. Ann.

Eodem rerum potiente, *Sejanus*, TITIVM SABINVM, amicum Germanici, hoc modo evertit. Multa in Tiberio reprehendit, & acerbe in eum invehitur apud Sabinum, donec & ipſius aſſenſum eliceret. Collocaverat autem auſcultatores, qui omnia Sabini verba Tiberio referrent; quapropter damnatus majeſtatis, in carcerem conjicitur, interficitur, & in Tiberim abjicitur. *Canis* Sabino fuit, qui nec a carcere abigi potuit, nec a corpore in gradibus Gemoniis abjecto, receſſit; mœſtos edidit ejulatus, magna Populi Romani corona circumſtante: ex qua cum quidam panem ei objeciſſet, ad os defuncti eum tulit. Innatavit idem, cum in Tiberim cadaver abjiceretur, ſuſtentare conatus, ne demergeretur. Plinius l. 8. N. H. c. 40.

Claudio imperante, in Ægeo mari, inter Theram & Theraſiam, repente INSVLA XXX. ſtadiorum erupit. PHOENIX quoque in Ægypto viſus eſt, de qua volucre apud Plinium l. 10. H. N. c. 2. legitur ex Manilio, eam vivere annis 660. ſeneſcentem, caſia, thurisque ſurculis, conſtruere nidum, replere odoribus, & ſuper emori. Ex oſſibus deinde & medullis ejus, enaſci primo ceu vermiculum; inde fieri pullum; principioque juſta funeri priori reddere, & totum deferre nidum prope Panchajam, (Arabiæ felicis ea regio eſt) in Solis urbem, & in ara ibi deponere.

Cum Titus rerum potiretur, VESVVIVS mons tantis flammis exarſit, ut multi exiſtimarent, extre-

extremam mundo diem imminere. Non ſolum enim illæ vehementer ſe diffuderant, lapidesque & cinerem longe lateque, etiam in Africam, Syriam, & Ægyptum, disjecerant; ſed & terra contremuit, cœlique fragor, & maris fremitus exaudiebantur. Periere hoc incendio duæ vicinæ urbes, *Herculanum* & *Pompejanum*. *Plinio* quoque *Majori*, ceu ſupra dictum eſt, id fatale fuit.

Trajani ævo, horribilis TERRÆ MOTVS ACCIDIT ANTIOCHIÆ in Syria, ubi Imperator hyemabat. Periit innumera hominum multitudo, quæ ruinis oppreſſa eſt: &, pertinuit ea calamitas, non tantum ad hanc urbem, ſed ad totum orbem terrarum: quia legationes ex omnibus partibus terræ eo convenerant. *Pedo Conſul* ruinis oppreſſus eſt. *Imperator* per feneſtram a quodam ſublatus, periculum evaſit. In ruinis nemo inventus eſt vivus, præter infantem, cum matre ſalva, & alium item, qui matris obrutæ & defunctæ ubera ſugebat.

Trajani juſſu, IGNATIVS, Antiochenus Epiſcopus, feris fuit objectus, ceu ſupra dictum fuit. Is, cum quodam die ſuper montem ſtaret, audivit Angelos Antiphonas cantantes. *Illorum*, quæ ſunt Jacobi Philippi Bergomenſis, in Supplem. Chron. p. 184. verba, *exemplo permotus*, & *ipſe Antiphonas in Eccleſia cantari*, & *pſalmos ſecundum Antiphonas intonari inſtituit.*

SECV-

SECVLVM II.

IMPERATORES ROMANI.

HADRIANVS.

DEfuncto Trajano, conſobrinus ejus *Hadrianus*, Princeps creatus eſt, id ſatagente *Plotina*, Trajani uxore. Patrem habuit *Ælium Hadrianum*, cognomento *Afrum*, Aviam paternam, *Vlpiam*, Imperatoris Trajani amitam, natusque eſt ſecundum Spartianum, *Romæ*, ſecundum Eutropium vero, in *Hiſpania*. Privatus, *Publius Ælius Hadrianus* audiebat; Imperator, in Numis & Lapidibus vocatur IMP. CÆS. DIVI TRAJANI PARTHICI F. DIVI NERVÆ N. TRAJANVS HADRIANVS AVG. Præerat Antiochiæ, in Syria, cum Trajanus moreretur, & a Senatu per literas petiit, ut ſibi Imperium confirmaret, quod etiam factum eſt. Erat vir procerus ſtatura, forma comtus, ac primus inter Imperatores *barbam* aluit. *Facundiſſimus quoq; fuit* Latino ſermone; Græco eruditiſſimus, ita, ut a nonnullis *Græculus* diceretur. In concione, & in Senatu, ſæpe profeſſus eſt, ſic ſe Remp. geſturum, ut ſciret, populi rem eſſe, non propriam. Nihilominus *Senatus Populiq;* gratia parum floruit, quod nobiliores quosdam ſuſtuliſſet, divinationibus ac magicis artibus uteretur: itaque dicunt cuncta illum de ſe ſciviſſe, adeo ut omnium dierum usque ad horam mortis, futuros actus, ante perſcripſerit.

Pollebat & architectonicæ, canendi, geometriæ item, pſallendi, medendiq; peritia; idem ſcribebat

bebat carmina omnis generis, pingebat, fingebatq; nec quicquam erat paci vel bello aptum quod neſciret. Cumque præſtare omnibus vellet, invidia perſequebatur illos, qui aliqua in re excellebant, multosque artifices depreſſit, aut occidit. Hinc & *Homeri* gloriam extenuare, & *Antimachum* illius loco celebrare inſtituit. Memoria fuit tam tenaci, ut etiam locorum minoris notæ, fluviorum, militumque ſingulorum nomina ſciret. Prædicanda illius *liberalitas*, qua, fiſci debitoribus, in Vrbe, Italia, & reliquis provinciis, novies millies ſeſtertium, hoc eſt milliones XXII. & aureorum quingenta millia, remiſit, ſyngraphis in foro Trajani exuſtis. Præteriens aliquando, cum, mulieri interpellanti, ſibi non eſſe otium dixiſſet, atque illa exclamaret: Noli ergo imperare: converſus ad eam, querelam audivit.

Expeditiones ſub eo fere nullæ fuerunt, & Bella ſilentio tranſacta. Nihilominus diſciplinam militarem, ſuperiorum Principum incuria pæne lapſam, reſtituit, & ipſe *Tactica* ſcripſit, quæ temporibus Anaſtaſii in lucem revocavit *Vrbicius*, Vir Conſularis. Hoc pacto milites tales effecit, ut turma Equitum Iſtrum in armis facile tranaret. Quo ſpectaculo attoniti Barbari, ei arbitrium deferebant controverſiarum, ob quas bella inter ſe gerebant.

Vnum tamen, & quidem graviſſimum *bellum contra Judæos* ab eo geſtum eſt. In eo *Ben Cochab*, fictitius Judæorum Meſſias, periit, una cum ſexcentis prope hominum millibus, vici, ad mille, fuere exuſti. Magnas tamen & ipſe clades paſſus eſt, ita, ut ad

ad Senatum ſcribens, abſtineret ſolemni formula: *Si vos, liberiq; veſtri, valetis, bene eſt: Ego, & exercitus valemus.* Amplius, de Hadriano, ex Sexto Rufo notandum, quod *Armeniam, Meſopotamiam, & Aſſyriam*, ſui juris eſſe permiſit, deductis inde legionibus, ac Euphratem Imperii finem ponens, Catonis, ut ajebat, exemplo, qui Macedonas liberos pronunciavit, quia teneri non poterant. Idem de *Dacia* facere conantem, Amici deterruerunt: ne multi cives Romani barbaris traderentur. Trajanus enim, victa Dacia, ex toto orbe Romano, infinitas eo copias hominum transtulerat, ad agros & urbes colendas. *Adrianopolin* condidit in Mœſia: omnes Imperii Romani provincias, pedibus peragravit; gregarii militis habitu incedens. Galliam ingreſſus, inde in Britanniam trajecit. *Antinoum*, Bithynicum juvenem, in famoſo habuit miniſterio, cui ſtatuas & templum poſuit; cujusque nomine etiam urbem condidit; ac tandem, ſublato eo, *ſtellam* quandam ſe videre dicebat, quæ ex Antinoi anima eſſet facta. Apud Victorem legimus, Hadriano cupiente fatum producere, cum Magi popoſciſſent, ut aliquis pro eo ſe victimam offerret, cunctis retractantibus, Antinoum ſe obtuliſſe. Sed, Hadrianus ipſe ſcripſit, cum ludicri cauſa in Nilo navigaret cum Antinoo, puerum in flumen delapſum periiſſe.

Lampridius in Severo autor eſt, *Hadrianum in Chriſtianorum uſum templa poni juſſiſſe.* At, cum, ceu notat ad illum locum Caſaubonus, tam nobilem hiſtoriam, tot fidei Chriſtianæ propugnatores acerrimi, viri undecunque doctiſſimi, &,

quo-

quorum intererat hanc memorare, conſtanter ſileant, fidem ei derogamus. Fons autem conceptæ opinionis, ut ille quidem opinatur, hic eſt: Juſſerat Hadrianus templa fieri in omnibus civitatibus; ſuo nomine ſine dubio conſecranda. Sed Hadriano, priusquam abſolverentur, mortuo, manſere pleraque imperfecta; & ex iis unum, quod Tiberiade magnifice inchoatum erat, tandem in uſum balinei deſtinatum eſt. Ignari, cum viderent hæc, nec ullum ſimulacrum reperirent, velut in imperfectis; ſtatim judicarunt, Chriſto fuiſſe exſtructa. Chriſtiani enim veteres, per 300. fere annos, nullum ſimulacrum habebant in ſuis *κυριακοῖς*, & Oratoriis; ne ad idololatriam abduci poſſent. Potius verum eſt, duraſſe, Hadriano imperante, Chriſtianorum perſecutionem; unde *Quadratus*, Epiſcopus Athenienſis, & *Ariſtides*, Philoſophus Chriſtianus, *Sereni*, unius ex Imperatoris Legatis autoritate fuffulti, Apologiam illi pro fide ſua obtulerunt, eo ſucceſſu, ut Imperator mitigationem aliquam pollicitus ſit.

Obiit Hadrianus, *Bajis*, in Campania, major ſexagenario, anno 21. Imperii, omnium membrorum cruciatu ita confectus, *ut in ſeipſum ſæviturus fuiſſet*, ſi per domeſticos licuiſſet. Moriens dicitur pronunciaſſe verſus:

Animula, vagula, blandula,
Hoſpes comesq; corporis.
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula?
Nec, ut ſoles, dabis jocos.

O Cine-

Cineres Romam perlati, &, in mole, quam ad Tiberin ſtruxerat, conditi ſunt.

Vxorem Hadrianus habuit SABINAM, *Matidiæ* filiam, *Marcianæ*, Trajani ſororis, neptem, *Antonini Pii* materteram, a Trajano ei deſponſatam. Hanc, ut moroſam & aſperam, dimiſſurum ſe teſtabatur, ſi privatus eſſet. Poſt, quia cum *Septitio Claro*, Præfecto Prætorio, & *Suetonio Tranquillo*, Epiſtolarum Magiſtro, familiarius, quam reverentia domus aulicæ poſtulabat, egerat, ſervilibus pæne injuriis affecta, ad voluntariam mortem compulſa eſt, nec ſine ſuſpicione veneni ab Hadriano dati. Jactabat illa, quam immane ingenium pertuliſſet, quamque elaboraſſet, ne ex eo, ad humani generis perniciem, gravidaretur.

ANTONINVS PIVS.

L. *Cejonium Commodum Verum*, Hadrianus in ſpem Imperii adoptarat, ac ſtatim Prætorem fecerat, teſte Spartiano in Ælio Vero. Sed is fatis conceſſit, unde Hadrianus dicere ſolebat: In caducum parietem inclinavimus, & perdidimus quater millies ſeſtertiûm, quod populo & militibus pro adoptione Commodi dedimus. Poſt hæc ergo *Antoninus adoptatus eſt*; qui ſocero mortuo poteſtatem uſurpavit. In Nummis dicitur: IMP. CÆS. T. ÆL. HADR. ANTONINVS AVG. PIVS. Fuit *optimus Princeps*, &, ſicut Trajanus Romulo videbatur ſimilis, ita Antoninus cum Numa comparandus venit.

Laudes ſic contraxit Suidas e Dione: *Nulli acerbus, nec gravis; cunctis benignus, & mitis erat. In re militari juſtitiam, non gloriam ſpectabat; magis*

gis incolumes ſervandos, quam amplificandos Imperii fines ſtatuebat; quantum ejus fieri poterat, viros æquitatis ſtudioſos Reipub. præficiebat; bene gerentibus honorem habens, improbos, ſine acerbitate removens. Ad eum extranei controverſias & lites ſuas deferebant. Opes immenſas, quas privatim poſſidebat, in ſtipendia militum, & amicorum neceſſitates impendit; ærarium opulentum reliquit. Talis tantusque cum eſſet, merito a Senatu, PII. cognomen ei fuit inditum. Memorandum magnum exemplum moderationis quod dedit. Inſtabant apud eum Patres, ut quæſtionem de iis, qui adverſus ipſum conjuraverant, ſuſciperet; ille vero negavit ſe id facturum, ne ſi multi reperirentur, quantis eſſet odio intelligeretur. Nec minora alia ſunt, quæ ex Zonara ſequuntur: Senatus conſultum Julii Cæſaris, quo edicebatur, ne cui teſtamenti factio eſſet, niſi certam partem ærario legaret, cremavit. Cum aliquando pecunia egeret, nec vectigal novum excogitavit, nec a quoquam poſtulare pecuniam voluit, ſed omnia regiæ ornamenta, & uxoris ſuæ mundum muliebrem, in foro venum expoſuit. Nactus deinde opes, per præconem edici juſſit, Imperatoriam gazam reſtituturis, pecuniam redditum iri; ibi morem quidam gerebant, tergiverſabantur alii, quibus id impune fuit. Sed hoc alii De M. Aurelio narrant. Fuit Antoninus placidus, forma conſpicuus, procero corpore. Cum in ſenectute incurvaretur, tiliaceis tabulis, in pectore poſitis, faſciabatur, ut rectius incederet. Vixit annos 74. cum dimidio. Regnavit annos 24.

Vxor Antonino fuit, ANNIA FAVSTINA, *Annii Veri* filia, *M. Antonini* amita. Ex ea duos mares, & totidem filias ſuſcepit, *Fauſtinas* nomine. Filios *T. Aurelium Fulvium*, & *T. Aurelium Antoninum* præmatura mors abripuit. Major Fauſtina, *Lamiæ Syllano*, minor, *M. Aurelio Cæſari* collocata fuit.

M. AVRELIVS & L. VERVS.

CVm hactenus Roma ſingulos tantum habuiſſet Auguſtos, *nunc duo*, æquo jure Imperium adminiſtrare cœperunt, *Marcus* nimirum *Aurelius*, & *L. Verus*, ambo, adoptione Antonini, fratres, & affinitate quoque inter ſe conjuncti; quod Verus, M. Aurelii filiam *Lucillam*, haberet in matrimonio. Tantum autem, ita dicente Spartiano, hujus rei & novitas & dignitas valuit, *ut Faſti Conſulares* nonnulli, ab iis ſumerent ordinem Conſulum. In libris juris, *Divorum Fratrum* elogio celebrantur; ac in Numis Latinis & Græcis ſæpe conjunguntur. Seorſim, alter ſemper deſcribitur M. AVRELIVS ANTONINVS; alter, L. AVRELIVS VERVS. Hi vero Imperatores, junctim per annos 11. tenuere Imperium, ſed moribus fuere præditi disſimillimis. Quippe *Verus*, *iners*, luxuque perditus, ac parum *civili ingenio* fuit, *M. Aurelius contra placidus*, doctus, virtuoſus, ita ut ſecundum Eutropium, mirari eum facilius eſſet, quam laudare. *Liberalitate* plurimum delectabatur, cui Ædem in Capitolio exſtruxit. Ipſe a vitiis ſibi cavens, aliorum tamen peccata leniter tolerabat; dum nec inveſtigaret ea curioſius, nec puniret. Bonos proſequebatur laude, ſecus geſta

ſta diſſimulatione tansmittebat. Philoſophorum Scholas, etiam Imperator factus, frequentabat. Inde *Philoſophi* cognomen ei tributum, ſed a recentioribus tantum, idq; antiquæ hiſtoriæ, & Numorum ac ſaxorum inſcriptiones ignorant. *Hermogeni* quoque Rhetori operam frequenter dabat. Cæterum Verus, a Collega adverſus *Parthos* miſſus eſt: cumque ejus auſpiciis a Caſſio res feliciter geſtæ eſſent, ambo de populis illis triumpharunt. Susceptum deinde fuit *Bellum Marcomannicum*, circa cujus expeditionis initia, *Verus apoplexia* extinctus eſt, inter Concordiam & Altinum, dum cum fratre in carpento vehitur. Cum *Marcomannis*, ſuperioris Pannoniæ populis, quibus *Quadi*, *Vandali*, *Sarmatæ*, *Suevi*, ac alii ſe junxerant, M. Aurelius *triennio conflixit*, juxta *Carnuntum*, veterem Pannoniæ ſuperioris urbem, pridem exciſam & penitus ſolo æquatam. In hoc bello, *decantatiſſimum illud accidit miraculum*, quod nimirum, cum Imperatoris exercitus graviter ſiti laboraret, Chriſtianorum militum precibus, impetratæ ſint pluviæ, hoſtes vero fulminibus fuerint territi. Videndi Tertull. in Apolog. c. 5. Oroſ. l. 7. c. 15. Euſeb. l. 7. Hiſt, c. 12. & 13. & alii. E gentilium Scriptoribus, notanda ſunt *Capitolini* verba: *Fulmen*, inquit, *de cœlo precibus ſuis, contra hoſtium machinamentum, extorſit; ſuis pluviis impetrata, cum ſiti laborarent.* Ergo Capitolinus, ipſius Marci Imperatoris precibus, cœleſte auxilium acceptum refert; quod etiam Claudianus fecit, in ſexto Conſul. Honorii:

— Seu, quod reor, omne Tonantis
Obſequium Marci mores potuere mereri.

 Hoc,

Hoc, etſi perperam ab iſtis factum eſt; tamen gravius adhuc *Dio* & *Suidas* delinquunt, qui *Arnuphin*, Magum Ægyptium, dæmonas artibus ſuis invocaſſe, ac per eos pluviam induxiſſe, perhibent. *Epiſtolam ipſius Imperatoris*, qua Chriſtianos tanti beneficii autores prædicat, inter cæteros, Angelus Roccha in Appendice libri de Biblioth. Vatic. ex illius Bibliothecæ MSS. p. 285. producit: ſed ea ſummis Viris, Scaligero, ad Euſebium, & Salmaſio, ad Capitolinum, jure bono ſuſpecta videtur. Afferetur interim a nobis, ſi quis illam forte requirat:

IMP. CÆSAR M. AVRELIVS ANTONINVS, AVGVSTVS, PARTHICVS, GERMANICVS, SARMATICVS, PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIÆ POTESTATIS XXVIII. IMP. VII. COS. III. PATER PATRIÆ, PRO COS. S. P. Q. R. S. D.

CErtiores Vos feci, de conſilii propoſitiq; mei magnitudine, & quæ in Germania mihi in diſcrimine atq; obſidione, alia ex aliis acciderunt, quum in ejus medio, labore atq; æſtu confectus fuiſſem. Sane, dum Carnuti eſſem, ſpeculatores nobis indicarunt, ſeptuaginta quatuor hoſtium dracones prope nos novem millibus adeſſe: idemq; Pompejanus, quem bello Ducem præfecimus, quod nos quoq; videbamus, renunciavit. Cumq; in noſtrorum militum exercitu haberemus tantum Legiones Primam, Decimam, Geminam, & Fretenſem, hoſtium vero nongentorum & ſeptuaginta ſeptem millia, measq; ipſius copias cum ingenti Barbarorum atq; hoſtium exercitu comparaſſem, Deos patrios votis ſuſceptis rogavi. Sed cum ab eis negligerer, meq; ab hoſtibus premi animadverterem,

terem, copiarum mearum paucitatem contemplatus, eos qui apud nos Chriſtiani dicuntur, accerſivi, ac rogavi; inveniq; magnam eorum multitudinem; illosq; minis compuli, quod minime decuerat, propterea quod poſtea illorum vim, ac poteſtatem cognovi. Itaq; non ad telorum præparationem, non ad armorum, neq; ad tubarum uſum ſe contulerunt: hoc enim illis facere Dei cauſa & nomine, quem in conſcientia geſtant, gratum non eſt. Æquum igitur eſt, ut quos impios eſſe, & a Deo alienos opinabamur, eos exiſtimemus Deo munitos eſſe. Cum enim ſe humi projeciſſent, non ſolum precati ſunt pro me, ſed etiam pro toto hoc exercitu, ut famis, ac ſitis, qua urgebamur, remedium aliquod afferretur: quinq; enim diebus aquam non ſumpſeramus, quod ea non ſuppeteret. Eramus enim in media Germania, montibus undiq; concluſi. Simul autem atq; ſeſe humi abjecerunt, ac Deum illum precati ſunt, quem ego ignorabam, ſtatim e cœlo pluvia delapſa eſt, in nos quidem frigidiſſima, in Romanorum vero hoſtes grando, ignis ſpecie ac ſimilitudine, & fulmina: eorumq; orationibus ac precibus ſtatim præſto Deus fuit, qui neq; vinci neq; expugnari poteſt. Quamobrem illinc exorſi, concedamus talibus, ut ſint Chriſtiani, ne qua arma ejus generis contra nos petant, & impetrent. Cenſeo autem neminem, quod Chriſtianus ſit, eſſe in crimen & in judicium vocandum. Quod ſi quis inventus fuerit crimini dare cuipiam, quod Chriſtianus ſit, ei quidem qui in crimen vocatur, manifeſtum fieri volo, ſi nihil aliud objectum eſt, quam quod Chriſtianus tantum, dimitti: eum autem, qui Chriſtianum accuſavit, vivum exuri: illum vero qui Chriſtianum ſe eſſe profeſſus fuerit, periculo omni, quod ob eam rem

ei intendebatur, liberatum, is cui provincia commiſſa eſt, nequaquam ad pœnitentiam adigat, aut libertatem ei adimat. Hæc autem S. C. etiam ſanciri volo; atq; hoc meum edictum in foro Divi Trajani proponi, ut legi poſſit. Curæ autem erit Vetraſio Pollioni, Præfecto Vrbi, ut ad omnes provincias hæc conſtitutio mittatur: neq; quisquam qui eam exſcribere, vel ipſa uti voluerit, probibeatur. Valete.

Profiteri hic obiter liceat dubium, quod in locum ubi Carnuntum quondam ſteterat, olim delato mihi, & miraculum quod ad Chriſtianorum preces M. Aurelio Cæſari ibi obveniſſe dicitur, penſitanti, illico ſuboriebatur. Eſt is in Auſtria inferiore, in confinio Hungariæ, 6. ab urbe Vienna milliaribus in Ortum, ad Danubium fluvium; in eoque nunc Illuſtriſſimorum Trauniorum Comitum (cui Familiæ multum obſtrictus vivo) arx ſplendida Petronella viſitur. Nimirum ſubibat animum miratio, quomodo M. Aurelii exercitus, aquæ penuria laborare potuerit, in tanta maximi fluminis propinquitate, cujus undas, torrentis alicujus in modum defeciſſe, ut crederem, nulla patiebatur ratio. Non medetur difficultati, quod Imperator in epiſtola ſcripſit, aut ſcripſiſſe fingitur, ſe montibus undique concluſum fuiſſe, nulli enim in eo tractu montes, præter parvum Haynburgenſem, vulgi mendaciis, de ſagarum conventibus quos ibi celebrent, clarum, collibus accenſendum; de reliquo vaſta longe lateque, per aliquot milliaria patens, planities. Sed nec temere quis probaverit, quod apud Zonaram legitur, hoſtilem exercitum Romanos

manos undique circumdediſſe, hos vero, teſtudine facta fortiter ſe defendiſſe; ibi tum Barbaros omiſſa pugna, circumjecta loca omnia obſepſiſſe, ne Romani aquari poſſent, ratos, ſe illos ſiti & æſtu afflictos facilius ſuperaturos. Vix enim veriſimile evadit, in tantas anguſtias redigi ſe paſſum Imperatorem, aut vel redigi potuiſſe, quippe in campo libero & aperto. Supereſt ergo ut dicamus, hoſtem ripam omnem fluminis inſediſſe, atque aditu ejus prohibuiſſe Romanos. Quæ ſententia robur inde accipit, quod ex adverſo Carnunti, in altera Danubii ripa, Marcomannorum, aliorumque populorum, cum quibus M. Aurelio bellum, ſedes ſeſe explicabat. Nam, ipſius miraculi fidem nemo ſolicitare debet. Scilicet, quod maximum eſt, quodque præter Roccham, etiam Baronius tom. 2. Annal. inculcat, expreſſere illius memoriam gentiles, *in columna* ingenti cochlide, etiam nunc Romæ extante, ſed imagine quadam, quæ Jovem pluvium imbres & fulgura demittentem, atque ex altera parte, Romanos recreatos ac lætabundos, ex altera vero Barbaros fulminibus occiſos, exhibet. Extat typus ſculpturæ apud Autores quos nominavi, &, ex iis, apud Spizelium quoq; in Epiſtola de Atheiſmo.

Porro, quæ ex *Xiphilino*, & *Zonara* de *Legione Fulminatrice*, quaſi Chriſtianorum deinde Legio, ob impetrata cœlitus in hoſtes fulmina, ſic dicta fuerit, vulgo traduntur, a vero aliena ſunt. Fulminatricem Legionem Auguſtus inſtituit, cujus mentio fit in Inſcriptionibus, quæ ad illud ævum pertinent. Appellatio fortaſſe per trans-

lationem indita, nec enim infrequens apud Latinos, quicquid vehemens & concitatum, fulmen vocare; aut a ſcutorum inſignibus, quæ Romanis militibus plurimum fulmine notabantur. Id inſigne, ut reliquis uſurpatum, ita huic Legioni peculiare eſſe poterat.

Poſt hæc Marcus, cum *Marcomannis & vicinis populis tertium bellum geſſit*, in quo prope *Vindobonam*, quam nunc Viennam vocamus, Anno imperii 18. vitæ 59. extinctus eſt. Toto autem principatus ſui tempore, cum plurimis morbis conflictabatur, iisque medendis adhibuit *Galenum*, ſui non tantum temporis, ſed & omnis ætatis medicum clariſſimum. De Marci morte, ait Victor, nuncio Romam pervecto, confuſa luctu publico Vrbe, Senatus in Curia veſte tetra amictus, lacrymans convenit, &, quod de Romulo ægre creditum eſt, omnes pari conſenſu præſumſerunt, *Marcum cœlo receptum eſſe.*

Hic Imperator, ſcripſit *de vita ſua libros XII.* quos *Guil. Xylander*, Græce & Latine primus edidit. At illa *vita M. Aurelii Antonini*, quæ ab *Antonio Guevara*, Mendonenſi Epiſcopo, & Cæſari Carolo V. a conſiliis, Hiſpanice edita eſt, ex eaque lingua in alias translata fuit, Guevaram autorem habet.

Antequam M. Aurelius deceſſiſſet; falſo de ejus morte nuncio accepto, AVIDIVS CASSIVS, Syriæ Præfectus, res novas moliri, & ſibi imperium arrogare cœpit. Cum autem comperiſſet, deceptum ſe fuiſſe, a re ſemel inchoata deſiſtere noluit. Sed illum Centurio quidam, ſexto poſt menſe, in itinere aggreſſus, ſubito vulneravit,

non

non tamen lethaliter, cædemque deinde Decurio ejus abſolvit. Dehinc lex lata eſt, ne quis ei provinciæ præeſſet, quam patriam haberet, quia Caſſius Syrus, in Syria regnum affectaverat.

Vxorem habuit M. Aurelius, FAVSTINAM, Antonini Pii, & Fauſtinæ filiam minorem: cujus vitia ita tulit, ut nec ea curioſius inveſtigaret, nec puniret. Hæc, cujusdam gladiatoris amore capta, *Commodum* peperit, &, hauſto ejus quem efflictim deperierat, ſanguine, ab affectus impotentia fuit liberata. Deceſſit, ſubito morbo exanimata, ad radices montes Tauri: ſolebat enim Imperator eam in caſtris ſecum habere, Matremque Caſtrorum appellabat. Petiit autem a Senatu, ut honores mortuæ Ædemque decerneret, ac *Puellas* in honorem ejus inſtituit, quam & Senatus *Divam* dixit.

LVCILLA, M. Aurelii & Fauſtinæ maxima natu filia, *Vero* nupſit. Eo defuncto, a Patre, *Claudio Pompejano* in matrimonium data eſt, cui *M. Aurelium*, & *Cl. Pompejanum* peperit, quos ambos, Commodus frater occidit, qui etiam Lucillam inceſtavit. Poſt obitum Veri, adhuc ſella Imperatoria ſedebat, & ignis ei de more præferebatur, quoad Commodus *Criſpinam* duxit, tum enim huic cedere coacta eſt. Id ægre ferens, fratri inſidias fecit, qui illam, re comperta, primum relegavit, deinde interfecit.

COMMODVS.

PAtri optimo, *Commodus*, filius nequiſſimus ſucceſſit, qui in Numis M. AVRELIVS COMMODVS

MODVS ANTONINVS appellari ſolet. Is, omnibus, qui ſe anteceſſerant, malis Imperatoribus, ſuperbia, libidine, avaritia, ac crudelitate ſævior, nulli fidus, magisque in eos atrox fuit, quos ampliſſimis honoribus donisque ingentibus extulerat. Nimirum, ſuo nomine repudiato, *Herculus Romanus*, ac *Jovis filius* ſalutari volebat, *Menſes* omnes ſuis cognominibus appellitabat, ita ut hoc ordine numerarentur: *Amazonius*, *Invictus*, *Felix*, *Pius*, *Lucius*, *Ælius*, *Aurelius*, *Commodus*, *Auguſtus*, *Herculanus*, *Romanus*, *Excellens*. Quin & abjecto Romanorum habitu, *pelli leoninæ* ſe involvit, clavamque manu geſtavit; ac *Coloſſo* quoque *Rhodio* ſuum caput impoſuit. Theatrum, *Mercurii habitu* ingrediebatur, aureum caduceum manu verſans. Et vero erat ei pulchra facies, oculi micantes, flava & criſpa cæſaries, ut in ſole ambulanti, velut igne quodam rutilaret. Prodibat etiam ſæpe in ſcenam aurigæ habitu, aut cum gladiatoribus dimicabat. Plures Nobilium occidit, quam quisquam alius; & ex his *Quintiliorum* totam domum, a Trojanis genus ducentem, extinxit funditus. Acceſſerunt *nefandæ libidines*. Trecentas enim concubinas in palatio aluit, quas ſub oculis ſuis ſtuprari jubebat, ipſe in juvenes irruens, a quibus viciſſim deturpabatur. Irridentes ſe, feris objiciebat, aut, ſerpentibus ad eorum genua alligatis, deinde clava ſua conficiebat. Radebat interdum aliquibus crines, ſed ita, ut naſum, aut aures, aut aliud ſimul membrum præſcinderet. Cum convivium celebraret, ſæpe pretioſiſſimis cibis humana ſtercora miſcebat, magnum quid

ſe

ſe facere putans, cum ſuos convivas ab eſu ciborum, quibus ille delectaretur, averteret. Idem, *Lucillam* ſororem, quæ cum aliis contra ſe conſpirarat, occidit, *Perenni*, Præfecto Prætorio quæſtionem habente; qui & ipſe poſtea, ſimili in culpa, cui, Numi quos procuderat, fidem fecerunt, deprehenſus, capite pœnas luit. Victi tamen ſub Commodo *Mauri*, *Daci*, *Pannonii*, *Germani*, *Britanni*, per *Vlpium Marcellum*, Ducem vigilantiſſimum. Tandem vero cum Commodus Imperator omnibus incommodum ſe præſtitiſſet, *Marcia* Concubina, venenum ei in bubulis carnibus præbuit: quod quia per vomitum ejecerat, accitus *Narciſſus*, robuſtiſſimus Athleta, qui illum 32. annos natum, ſtrangulavit, cum annis 12. imperaſſet.

Conjugem habuit Commodus, CRISPINAM, *Antiſtii Burrhi* filiam, quam denique adulterii ſuſpectam, primo Capreas relegavit, deinde occidit.

Marciam Concubinam, quam impenſe Commodus dilexit, prope jam ut illam pro uxore haberet, Chriſtianis faviſſe, & apud Imperatorem iis quietem impetraſſe perhibent.

HELVIVS PERTINAX.

OCciſo Commodo, *Pertinax*, qui in Numis, IMP. CÆS. P. HELV. PERTINAX AVG. plene dicitur, ab ejus interfectoribus Imperator factus eſt. Fuit huic *Alba Pompeja*, in Liguribus, patria, genus vero humile ac ſordidum: nam patre, *Lollii Gentiani* libertino, genitus eſt. Cæterum *virtus*, *eruditio*, *ac peritia rei*

mili-

militaris, ad ſummas dignitates illum evexerunt, & eapropter *Fortunæ Pila* dictus eſt. Hic, cum adepto imperio, optima quæque de ſe polliceretur, militari cupiditati, rapinis aſſuetæ, obviam ire volens, *Læti*, Præfecti Prætorio inſidiis, qui imperium ei aſſeruerat, e medio ſublatus eſt, *Didio Juliano* conſcio, *octogeſimo & quinto die* poſtquam imperare cœperat, vitæ vero anno 67. Celebratur illius egregium dictum, a Capitolino in literas relatum: *Sanctius eſt P. C. inopem Rempublicam obtinere, quam ad divitiarum cumulum, per diſcrimina atq; dedecoris veſtigia pervenire.*

Conjux Pertinaci fuit, FLAVIA TITIANA, Flavii Sulpitiani, quem Præfectum Vrbi ſuo loco fecerat, filia. Circa ejus pudicitiam minus curioſus fuit, quæ palam Citharœdum diligebat, & ipſe, usque ad infamiam, *Cornificiam* amabat.

DIDIVS JVLIANVS.

D*Itius Julianus*, in Numis, M. DIDIVS SEVERVS JVLIANVS AVG. dictus, interfecto Pertinace, a Prætorianis, in quorum manu tum Imperium verſabatur, magno promiſſo ære, id mercatus eſt. Nepos fuit *Salvii Juliani* JCti, qui ſub Adriano perpetuum Edictum compoſuit. Cum fidem datam liberare non poſſet, nec enim de ſuo tantum numorum habebat, & publici theſauri a Commodo erant exhauſti, ideo non ſolum milites infenſos, ſed & populum habuit. Interea loci, alii primatii Duces, *Peſcennius Niger* in Syria, apud Antiochiam, *Clodius Albinus* in Britannia, & *Septimius Severus* in Pannonia agentes, ſummam

mam poteſtatem affectant. Sed *Severo* præcipue fortuna favit: is enim Romam advolans, tantum quoque a Senatu obtinuit, *ut Julianus capitis damnaretur*, miſſusq; miles eſt gregarius, qui eum, ſecundo poſtquam imperare cœperat menſe, trucidavit. Caput in roſtris poſitum eſt.

Tanta erat Juliani parſimonia, ut per triduum, porcellum aut leporem diviſerit, ſi quis ei forte miſiſſet: ſæpe etiam nulla exiſtente religione, (nam & Pagani ad morem Romanæ Eccleſiæ in religione a carnibus abſtinebant,) oleribus, leguminibusque contentus cœnaverit.

Vxori Juliani, MANLIA SCANTILLA nomen fuit.

SEPTIMIVS SEVERVS.

SEptimius Severus, qui in Numis, L. SEPTIMIVS SEVERVS PERTINAX deſcribitur, ſolus, ut ait Eutropius, omni memoria, & ante, & poſtea, ex *Africa* Imperator fuit: quippe in oppido *Lepti*, quod in Tripolitana provincia eſt, lucem aſpexit. Erat is in rebus gerendis ſtrenuus, & duræ atque aſperæ vitæ asſuetus. Facillime labores tolerabat, & ſtatim, quid facto eſſet opus, perſpiciebat, ac quod decreviſſet, ſine mora exſequebatur. Ex quo imperium adeptus eſt Severus, ea, ante alias omnes, ejus cura fuit, ut æmulos e medio tolleret: &, ne cum duobus hoſtibus, ſimul & eodem tempore, confligtandum eſſet, amicitiam cum *Clodio Albino* ſimulavit, &, *Peſcennium Nigrum, Æmiliano Duce*, ad Cyzicum adortus eſt, eumque & ibi, & aliis iteratis præliis victum, in fuga ſimul cum amicis interemit.

His

Hic, in Numis vocatur IMP. CÆSAR CAJVS PESCENNIVS NIGER JVSTVS. Vir fuit diſciplinæ militaris cuſtos acerrimus, vini avidus, cibi parcus, domi foriſque conſpicuus. Inter cæteros, *Byzantinos* maxime ad obſequium habuit, in quo etiam poſt ejus necem permanſerunt, ita ut per triennium, obſidionem fortiter ſuſtinuerint, & ea geſſerint ac tolerarint, quæ pæne ſupra fidem. Triremes enim hoſtium, anchoris earum per urinatores reſectis, clavos in fundum impingendo, annexis funibus ſic attrahebant, ut ultro accedere viderentur. Rebus aliis conſumtis, tignis ædium, ad naves fabricandas, detonſis mulierum capillis, ad funes plectendos utebantur; marmoreas item & æneas ſtatuas, tam equorum quam hominum, in oppugnantes mœnia jaculabantur. Cibariis deſtituti, coriis maceratis, & his quoque deficientibus, humanis carnibus veſcebantur, alii alios vorantes. Cum tandem inviti deditionem feciſſent, Severus urbem mœnibus nudavit, &, libertate ac dignitate civili ei ademta, Magiſtratus occidit. Qua re non tam Byzantinis nocuit, quam Romanorum munitiſſimam contra Barbaros Arcem, deſtruxit. Notabile eſt quod apud Dionem legitur, fuiſſe Byzantii *ſeptem turres*, eo artificio conſtructas, ut ſi quis ſonum ediſſet in prima, is deferretur in ſecundam, inde in tertiam, donec perveniret in ſeptimam, nondum etiam debilitatus, ſed prope intenſior. Suidas in literas retulit, Severum, Alexandriam ingreſſum, vidiſſe inſcriptionem: DOMINI NIGRI EST VRBS. Id cum graviter tuliſſet,

obviam

obviam ei proceſſit Alexandrinus populus, vociferans: *Novimus, dixiſſe nos* Domini Nigri eſſe Vrbem; *tu enim es Nigri Dominus.* Qua excuſatione probata, Severus illis ignovit.

Confecto adverſus Nigrum bello, Severus *Clodium Albinum*, qui in Numis, DECIMVS CLODIVS SEPTIMIVS ALBINVS, integre appellatur, & quem plerique Senatores, ac in Britannia exercitus, quanquam guloſum, injuſtum, atrocemque hominem, ad capeſſendum Imperium invitabant, primo inſidiis aggreſſus, mox bello & ſanguinolento prælio, ad *Lugdunum* in Gallia ſuperavit; ipſe Albinus ſauciatus, a militibus captus, & ſemivivus ad Severum ductus eſt, quem is obtruncare juſſit, caputq; Romam, patibulo publice affigendum, perferri curavit. Cum hæc ex ſententia ceſſiſſent, Severus bellum adverſus *Arabes*, & *Abjadenos*, aliosque barbaros ſuſcepit, iiſque devictis, Romæ triumphum egit; cujus monumentum, *fornix triumphalis*, adhuc in Clivo Capitolino ſupereſt. Ante mortem, expeditionem in *Britanniam*, una cum filiis ſuis *Baſſiano* & *Geta*, quos Cæſares appellarat, ſuſcepit. In qua hoſtes quidem ad obſequium reduxit, & vallum a mari ad mare, cujus reliquias hodieque conſpicere eſt, per XXXII. millia paſſuum conſtruxit: ipſe autem diem extremum *Eboraci* clauſit, cum in imperio annos 18. exegiſſet, vixiſſet annos 65. Vltima verba exhalantis animam fuerunt: *Turbatam Remp. ubiq; accepi: pacatam, etiam Britannis relinquo.* Inſuper, *Cuncta*, inquiebat, *fui; conducit nihil.* Quibus verbis, Caſauboni judicio, complexus eſt integri libelli illius (finem

nem

nem ſolum excipimus) ſummam, qui a ſapientiſſimo Regum Salomone, ſuper humanarum rerum vanitate, divinitus compoſitus eſt.

Severi tempore, *Bulla Felix*, 600. latronibus coactis, Italiam per biennium infeſtavit, & magna ſolertia ad ſe capiendum miſſos eluſit. Sic aliquando *Centurionem*, Severi juſſu ſibi inſidiantem, ipſe, quaſi alius eſſet, acceſſit, latronem ei ſe traditurum, ſi ſequeretur, pollicens. Is, cum verba ſibi dari paſſus eſſet, in inſidias deductus, captus fuit. Hunc deinde pro tribunali ſedens latro, raſo capite dimiſit, & hero ſuo nunciare juſſit, ita ſervos tractandos eſſe, ne latrocinari cogantur.

Severus, adhuc Tribunus Plebis, MARCIAM, uxorem duxit, quæ, ei liberos nullos peperit, etſi non deſunt, qui illam Baſſiani Caracallæ matrem faciunt, ſed quibus Hiſtorici veteres, & Numi refragantur. Amiſſa hac, *Juliam Syram*, quam JULIAM DOMNAM, hoc eſt, *Dominam*, plerique non Latini tantum, ſed & Græci Numi vocant, fœminam pulcherrimam, & nobili genere natam, conjugem ſibi adſcivit: ex qua, plerorumq; opinione, æque *Baſſianum Caracallam*, ac *Getam* filium, & duas *Septimias*, filias, ſuſcepit. Mortuo Severo, Baſſiano Caracallæ filio per inceſtum nupſit Julia, & tandem quod Baſſianus Getam in ſinu ſuo occiderat, & ipſe quoq; Baſſianus inſidiis Macrini peremtus eſſet, Antiochiæ ſibi mortem conſcivit.

PON-

PONTIFICES ROMANI.

ALEXANDER I.

ALexander, quod in libro Pontificali Damaſi Papæ legitur, natione Romanus fuit, ſeditque annos 10. & menſes 7. Fuit miraculis clarus, & inter cætera, ajunt *Quirinum Tribunum, cum Balbina filia*, catenarum ejus contactu, e gravi morbo convaluiſſe. Poſtremo multis cruciatibus excarnificatus, capite plexus eſt. Inſtituiſſe dicitur, ut *aqua ſale admixta*, interpoſitis orationibus ſacraretur, & in templis ac ædibus, ad dæmones fugandos, ſervaretur. Voluit *admiſceri aquam vino in Eucbariſtiæ conſecratione*, ad ſignificandam Chriſti cum Eccleſia conjunctionem, &, quia ſanguis & aqua ex pendentis in cruce latere profluxerunt. Oblationem quoq; in *azymo*, non ut ante in fermentato, fieri mandavit.

SIXTVS vel XYSTVS I.

SIxtus, & ipſe Romanus, per annos 10. menſes 3. Epiſcopatu functus eſt. Ajunt eum conſtituiſſe, ut in Miſſarum ſolemnibus, *Triſagium, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth* caneretur. Atque hic imprimis notanda ſunt verba, quæ Platina, poſtquam rem hanc narraſſet, deinde ſubjungit, quippe quæ a Theologis noſtris citantur creberrime: *Nuda primo hæc erant*, inquit, *& omnia ſimpliciter tractabantur. Petrus enim, ubi conſecraverat, oratione Pater noſter uſus eſt. Auxit hæc myſteria Jacobus Epiſcopus Hieroſolymi-*

tanus: auxit & Baſilius, auxere & alii. Nam Celeſtinus, Miſſæ introitum dedit; Gregorius, Kyrie Eleyſon; Gloria in excelſis Deo, Teleſphorus; Collationes, Gelaſius primus; Epiſtolam & Evangelium, Hieronymus; Halleluja vero ſumtum eſt ex Eccleſia Hieroſolymitana; Symbolum, in Concilio Nicæno: Mortuorum autem commemorationem Pelagius invenit: Thus, Leo III. Oſculum pacis, Innocentius I. Ut caneretur Agnus Dei, Sergius Pontifex inſtituit. Hactenus Platina; e quibus ſatis perſpicue apparet, noſtram Cœnæ Dominicæ celebrandi rationem, magis ad eam, qua S. Petrus uſus eſt, accedere, quam quæ nunc in Romana Eccleſia frequentatur: Cæterum, Sixti idem, quod prædeceſſorum, fatum fuit, & martyrii coronam promeruit.

TELESPHORUS.

THeleſphorus, Græcus, poſtquam Eccleſiam per annos 11. & menſes tres rexit, morte violenta extinctus, & juxta B. Petri corpus, in Vaticano, ſepultus eſſe dicitur. Auctor fuiſſe fertur *Quadrageſimalis jejunii*, ac præcepiſſe, ut *Chriſti natali nocte Miſſæ tres celebrentur*: *Prima*, in dimidio noctis, quo Chriſtus in Bethlehem natus fuit; *Altera*, illuceſcente aurora, quando paſtores illum adorarunt: & *Tertia*, circa illam diei horam, qua nobis dies redemtionis & veritatis illuxit.

HYGINUS.

HYginus, patria Athenienſis, ex Philoſopho Epiſcopus factus, ſedit annos 4. menſes tres, & *Clerum*, ceu volunt, *in varios gradus ac ordines diſtribuit.* Inſtituit quoq; *Encænia*, ſeu dedicatio-

nes

nes templorum; item, ut *in Baptiſmo patrimus* aliquis aut matrima adeſſet, quo, ſi forte infantis parentes, in graviſſimis quibus tum Chriſtiani affligebantur, perſecutionibus, e medio tollerentur, de Baptiſmo illius, patrimi aut matrimæ teſtimonio conſtaret. Poſtremo, ſimiliter martyr factus, in Vaticano ſepulchro conditus eſt.

PIVS.

Pius, Aquilejenſis, ſedit annos 19. & menſes 4. De eo ſic apud Platinam in vita legitur: *Pius Pontifex, conſuetudinem, & quidem magnam, cum Hermete habuit, qui librum ſcripſit titulo Paſtoris inſignitum. Quo quidem in libro, Angelus paſtoris perſonam induens, ei mandat, ut omnibus perſuadeat, Paſcha die dominico celebrari: quod etiam fecit. Conſtituit item Pius, ne hæreticus quiſpiam ex Judæorum hæreſi ſuſciperetur, & baptizaretur.* At, in tomo 1. Concil. pag. 8. ex Pontificali Damaſi Papæ aſſeritur, quod Hermes Pii frater fuerit; & illud de Hæreticis Judæis, ſenſu prorſus contrario, omiſſa negatione effertur. Dicitur Pius *Baptiſmi Fontem* introduxiſſe, & pœnam iis dictaſſe, qui negligentes ſunt in attrectando Chriſti Sanguine & Corpore, tali ſententia: *Pœnitentiam agant XL. diebus, quorum negligentia in terram aliquid deciderit. Si ſuper altare, tribus diebus: Si ſuper linteum, quatuor; ſi in aliud linteum, novem diebus. Vbicunq; deciderit, ſi recipi poteſt, lambatur: ſin ſecus, aut lavetur, aut radatur: lotum & raſum, aut comburatur, aut in ſacrarium reponatur.*

ANICETVS.

ANicetus, Syrus gente, præfuit Epiſcopatui años 11. menſes 4. Ab hoc inſtitutum ajunt, ut clerici *comam radant, in ſphæræ modum*, eaque raſura capitis, alii *viam apertam* & puram, cui Clerici ſtudere debent; alii, *Spineam Chriſti coronam*; alii, *gubernationem Regalis Chriſti Sacerdotii*; rurſus alii, *quod Clerici non nimium affectibus indulgere debeant*, innui perhibent. Amplius volunt, ab eo præceptum factum, *ne Epiſcopus conſecrari poſſet a paucioribus quam a tribus ejusdem ordinis viris*, &, ut *conſecrationi Metropolitani*, omnes provinciales intervenirent.

SOTER.

SOteri, quidam tribuunt præceptum, *ne legitima haberetur uxor, niſi præceſſiſſet ſolemnis Sacerdotis benedictio*; & niſi novam nuptam parentes, cum pompa marito adduxiſſent. Amplius prohibuiſſe dicitur, *ne ſacræ virgines, vaſa ſacra & pallas attingerent*. Sedit annos 9. vel ſecundum Severinum Binium in notis ad tom. 1. Concil. p.88. ſolis 4. añis, minus diebus duodecim.

ELEVTHERIVS.

ELeutherius, Græcus, rexit Eccleſiam Romanam per annos 15. initio ſtatim pontificatus *a Lucio Britanniæ Rege epiſtolam* accepiſſe dicitur, qua is rogabat, ut ſe ac ſuos in Chriſtianorum numerum reciperet, eamque ob rem Eleutherius, *Fugatium & Damianum* in Britanniam deſtinavit, qui Regem ac populum, ſacro baptiſmate fidei Chri-

Chriſtianæ initiarunt. Decretum tulit *contra Severianos*, qui inter cibos delectum faciebant, ad Eccleſias Galliæ ſcribens, nequis cibi genus ullum ſuperſtitioſe reſpueret, quo humana conſuetudo veſceretur.

VICTOR.

VIctor, gente Afer, ſedit annos 10. menſesq; duos: ac fecit decretum de *celebrando paſchate, Dominica proxima Lunæ decimæ quartæ, poſt æquinoctium vernum.* Huic ſe oppoſuit *Polycrates*, Epheſiorum Epiſcopus, qui, ex veteri conſuetudine, ipſa XIV. Luna, cum Judæis paſcha celebrabat, & ſe Johannis Apoſtoli autoritate tuebatur.

SCRIPTORES SACRI.

PAPIAS.

PApias, teſte Irenæo apud Euſebium l. 3. Hiſt. c. 39. Johannis auditor, & Polycarpi familiaris fuit, ſcripſitq; *libros V. de Interpretatione Oraculorum Dominicorum*, ſed judicio pertenui. Eorum enim exordium citat idem Euſebius loco allegato, & ex illo Hieronymus de Script. Eccleſ. unde apparet, fuiſſe centonem ex variis traditionibus non ſcriptis, & interdum fabuloſis, imprudentius conſutum. Inter alia primus aſſeruit, *Regnum Chriſti, poſt univerſalem reſurrectionem, mille annos, humano & corporeo more, in hac vita duraturum eſſe.* De eo aſſerto, omnino operæ pretium eſt, adſcribere Euſebii, ex loco quem indicavimus, verba: *Papias, nonnulla, nuda vocis traditione, ad ſe*

perveniſſe teſtatur; novas quasdam ſcilicet Servatoris parabolas ac prædicationes, aliaq; fabulis propiora. Inter quæ & mille annorum ſpatium, poſt corporum reſurrectionem fore dicit, quo Regnum Chriſti, corporaliter ſtet in orbe terrarum. Quæ quidem ita opinatus eſſe videtur Papias, ex male intellectis Apoſtolorum narrationibus; cum ea, quæ arcano quodam ſenſu, & exempli cauſa ab illis dicebantur, non ſatis pervidiſſet.

JUSTINUS MARTYR.

JUſtinus Martyr, Patre *Priſco Bacchio*, in Palæſtina genitus eſt, &, a teneris, Philoſophiæ ſedulo operam dedit. Sed, cum nulla ex Philoſophorum Sectis conſcientiæ ejus ſatisfaceret, tandem animum *ad Chriſtianiſmum* appulit, motus Martyrum conſtantia, & Senis alicujus, eidem apparentis, ac mox diſparentis, hortatibus. Videnda Apologia ejus ſecunda. Poſtquam Chriſti fidem amplexus eſt, pro Chriſtianis *Apologias duas* ſcripſit, unam nimirum *ad Antoninum* Imperatorem, & alteram, ad *Marcum & Lucium* Succeſſores, quarum tamen ordo in vulgatis editionibus pervertitur. Petit in iis, ne indicta cauſa ſuppliciis mancipentur Chriſtiani, ſed ut prius de vita & moribus ipſorum fiat perquiſitio. Eſſe enim multa, quæ Chriſtianis falſo imputentur, utpote quod agant conventus nocturnos; quod nefariis ſe polluant inceſtibus; quod veſcantur carne humana; hæc tamen omnia mero mendacio eſſe efficta. Præter Apologias, Sanctus Martyr edidit quoque *Dialogum cum Tryphone*, Epheſi habitum; *Orationem ad Gentes*, & *de Monarchia librum*,

brum, horumque meminere Euſ. l. 4. Hiſt. c. 17. atque Hieron. de Script. Eccleſ. Enim vero, notandum, eum *de Monarchia librum*, qui hodie Juſtini nomen præfert, vix videri genuinum: quin & alia Juſtini nomine extant, de quibus & ipſis dubitatur, num illum autorem habuerint: uti, *Expoſitio fidei*, *Epiſtola ad Zenam & Serenum*, *Liber Quæſtionum*, *& Liber de reprehenſione dogmatum Ariſtotelis*. Cæterum, uti de horum librorum autoritate ambigitur, ita certum eſt, quædam vera ejus Patris monumenta haud amplius ſupereſſe. Scripſit enim *Elenchum contra gentes*; *Pſalten*; *de Dæmonum natura*; *de Anima*; item *aliquot volumina contra Marcionem*; itemque *adverſus omnes hæreſes*: quorum librorum memoria, apud Euſebium, Hieronymum, & Photium supereſt. Addunt his aliqui *Commentarium in Apocalypſin*, *& Epiſtolam ad Papam*: illiusq; mentio fit apud Sixtum Senenſem in Bibl. hujus, in Epiſtola ad Zenam & Serenum; cujus Juſtinum autorem credi, jam modo diximus. Nec prætereundum, Geſnerum in Bibl. tit. Juſtinus, citare pii Martyris quandam *Moralem Orationem*, tanquam quæ Græce extet in Italia. De *obitu Juſtini*, ſciendum, ipſum, cum in urbe Roma adverſus *Creſcentem Cynicum* diſputaſſet, ab eo accuſatum, capitis ſupplicium ſubiiſſe. Poſtremo, notanda ſunt Bellarmini verba, quæ de Juſtino Martyre habet in libro de Script. Eccleſ. p. 46. *Poſt Apoſtolica*, inquit, *tempora*, *primus eorum*, *quorum ſcripta ad nos pervenerunt*, *videtur eſſe S. Juſtinus Philoſophus & Martyr*. Quæ, ſi vera ſunt, utique Clementis Romani, Polycarpi, & Dionyſii Areopagitæ librorum autori-

tati, quos Seculo primo recenſuerat Cardinalis, & quibus tantum Eccleſia Romana defert, multum decedit.

Melito.

Melito, *Epiſcopus Sardenſis*, vixit ſub M. Aurelio, cui etiam *Apologiam pro Chriſtianis* obtulit. Multa alia ejus ſcripta l. 4. Hiſt. c. 25. enumerat Euſebius, quorum tamen nullum integrum ad nos pervenit, Fragmenta apud laudatum Euſebium ſuperſunt. Trithemius, Melitoni *Librum de Tranſitu B. Virginis* qui tom. 7. Bibliothecæ Patrum extat, tribuit; ſed Bellarminus de Script. Eccleſ. p. 45. eum indignum aſſerit, qui tanto Patri adjudicetur; Baronius, tom. 1. ann. ad ann. 48. ſect. 12. multa fatua, delira, atque auribus Chriſtianis indigna in illo contineri, ingenue agnoſcit.

Apollinarius Hierapolitanus.

De Apollinario, Hierapolitano Epiſcopo, ſic legimus apud Hieron. lib. de Script. Eccleſ. Apollinarius, Aſiæ Hierapolitanus Epiſcopus, ſub Imperatore M. Antonino II. floruit, cui & inſigne volumen pro fide Chriſtianorum dedit. Extant ejus & alii *quinq; adverſum Gentes libri, & de Veritate duo;* & adverſum *Cataphrygas*, tum primum exortos, cum Priſcilla & Maxilla, inſanis vatibus, incipiente Montano. Euſebius l. 4. Hiſt. c. 26. citat inſuper *duos ejus libros contra Judæos*; Sed horum nihil interitum evaſit.

Athenagoras.

Athenagoras, & ipſe *Apologiam pro Chriſtianis* ſcripſit, eandemque M. Aurelio Antonino

tonino, & Commodo Imperatoribus obtulit. Scripſit etiam *librum de Reſurrectione*. Vtrumque opus extat tomo 9. Bibl. Patrum edit. 2. Atque mirum, Athenagoræ, nec Euſebium, nec Hieronymum meminiſſe.

THEOPHILVS.

THeophilus, Epiſcopus Antiochenus, Athenagoræ ſuppar, multa edidit: ſed ſuperſunt tantum *Commentarii in 4. Evangelia*: &, *adverſus Chriſtianæ Religionis calumniatores ad Autolicum libri tres*, quos, in tom. 1. Bibl. Patrum reperire eſt.

TATIANVS.

TAtianum, Juſtini diſcipulum, *infinita volumina* ſcripſiſſe prædicat Hieron. de Script. Eccleſ. Ex omnibus maxime enituit *Liber adverſus Gentes*, qui tomo 4. Bibl. Patrum inſertus deprehenditur. Cæterum Tatianus, Juſtino martyrii palmam adepto, a vera fide catholica deſcivit, &, ex mera ſuperbia, *novam hæreſin Encraticarum* condidit.

HEGESIPPVS.

HEgeſippus, eodem quo Juſtinus, & Athenagoras, vixit tempore. *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* a paſſione Domini, ad ſuam usq; ætatem literis conſignavit, cujus Euſebius l. 4. hiſt. c. 21. & Hieronymus de Script. Eccleſ. meminerunt, quædam etiam ejus Fragmenta ſervarunt; nam cætera, temporum injuria nobis invidit. *Libri V. de rebus in obſidione Hieroſolymitana a Judæorum Principibus fortiter geſtis, ejusq; urbis excidio*

cidio, qui Hegeſippi nomine circumferuntur, vel ſunt ſuppoſititii, vel alterius Hegeſippi recentioris, nam *ex l. 3. c. 5.* plane conſtat, horum autorem, poſt Conſtantini Imperatoris vixiſſe tempora, cum injiciat mentionem Conſtantinopoleos: quæ urbs, non niſi a Conſtantino hoc nomen accepit. Quidam, *S. Ambroſium*, eum, quo nos utimur, Hegeſippum, Latine exaraſſe credunt: ſed Voſſius autorem iſtum, ſexcentis amplius annis Ambroſio juniorem eſſe ſtatuit.

IRENÆUS.

De *Irenæi patria* Scriptores ambigunt, quibusdam *Aſiaticum*, & quidem Smyrnenſem, aliis *Græcum*, illum facientibus. Fuit *Eccleſiæ Lugdunenſis in Gallia Epiſcopus*, & floruit maxime ſub Commodo Cæſare. Ejus ſcripta Hieron. de Script. Eccleſ. his paucis verbis enumerat: Scripſit, ait, *V. adverſus hæreſes libros*, &, *Contra Gentes*, volumen breve; &, *de Diſciplina* aliud; & ad *Martianum fratrem* de Apoſtolica prædicatione, & *Librum variorum tractatuum*, & ad *Florinum de Monarchia*, &, celebrem *ad Victorem Epiſtolam*, & de *Ogdoade librum.* Hæc Hieronymus. Ex his, ſi Fragmenta quædam excipias, nihil ad nos pervenit, præter *V. Libros contra Hæreticos Valentinianos*, & quidem non niſi Latine. Scripſiſſe autem *Græce* Irenæum, tum ſtyli idioma, tum Hieronymi autoritas, omnino evincunt: ut mirum ſit, *Eraſmum Roterodamum* Præf. in Irenæum, id in dubium vocare, & magis credere potuiſſe, quod Latine is ſcripſerit. Longe enim verius eſt *Barnabæ Briſſonii* judicium, qui in obſervationibus divini

&-hu-

& humani juris, expendens ex Euſebio & Epiphanio tranſcriptos Irenæi locos, ingenue fatetur, libros nunc extantes, de Græcis elegantibus, eſſe factos Latinos rudes. Interim ſpirant tamen iſti libri, quod vere non minus, quam eleganter nunc ait Eraſmus, priſcum illum Evangelii vigorem, ac phraſis arguit pectus martyrio paratum: uti *habent Martyres ſuam quandam dictionem ſeriam, fortem & maſculam.* Cæterum, in communi Eccleſiæ perſecutione, Severi Imperatoris juſſu, S. Irenæus morte mulctatus eſt Anno Chriſti 205. ſi Baronii vera eſt ſupputatio, nam, a quibusdam, vocatur in dubium.

HÆRETICI.

CARPOCRATIANI.

C*Arpocras*, vel, ut alii vocant, *Carpocrates*, Alexandrinus fuit, & Platonicæ diſciplinæ ſcientiſſimus, ſed nebulo magnus. Dogmata ſua *ex Simonis Schola*, vel ſentina potius hauſit, quæ tamen ita interpolavit, ut nova viderentur. Nimirum, *rejiciebat univerſum Vetus Teſtamentum;* fingebat *unum tam eſſentia quam perſona Deum*, ſed ignotum & innominatum: *Creationem tribuebat angelis malis*, & poteſtatibus Deo inferioribus. *Chriſtum contendebat merum fuiſſe hominem*, ex Joſepho & Maria natum, nec niſi virtute & pietate cæteris præſtitiſſe; unde & reſurrectionem ejus inficiabatur, tantum animam in cœlos receptam aſſerens. Pari modo, & homines defunctos, non reſurrecturos corporibus ajebat, ſolis mentibus immortalitatem promittens,

tens. *Tollebat omne diſcrimen honeſtorum & turpium*, eo inſaniæ prolapſus, ut bona & mala opera, ſola hominum opinione ſecreta eſſe doceret. Qua ſententia defenſa, non mirum, ſtrenue illum impietati ſe dediſſe, *uxorum communionem* introduxiſſe, & in ſpurciſſimis ſuis Cœnis, fornicatoriam hanc, (ceu Clemens l. 3. Stromatum nominat) juſtitiam obſervaſſe, ut amota lucerna, tribules, venerem fœdiſſimam promiſcue exercerent. Id *myſticam communionem* appellabant, atque in hac, fœdum, & horrendum dictu! etiam unde homines naſcuntur materiem, perdebant, & in S. Euchariſtiæ ludibrium convertebant. *Nota aſſeclarum Carpocratis, erat cauterium*, in poſterioribus partibus extantiæ dextræ auris ceu Irenæus, aut ejus Interpres potius, l. 1. adv. hæreſ. c. 24. loquitur, atq; hi, eodem Sancto Patre ita prodente, *Gnoſtici* deinde vocati ſunt, ob ſummam ſcientiam quam jactabant: Autoris nomine, tanquam vili, repudiato. Famoſa quoq; eſt *Marcellina*, Carpocratis ſcortum, quæ Romæ, Papa Aniceto ſedente, multos ſeduxit, vel, quod apud Irenæum verbum eſt, exterminavit.

ADAMIANI.

ADamianos, etſi Epiphanius a quodam *Adamo, ſuo præceptore*, ita dictos autumat, verior tamen eſt Auguſtini c. 31. de hæreſ. opinio, qui *ab Adamo primo parente* appellationem ſumſiſſe eos perhibet, hujus enim, quam in paradiſo ante peccatum habuerat, imitabantur *nuditatem*, ſe in ſtatu illo primævo integritatis verſari, & extra pravam concupiſcentiam poſitos eſſe, jactantes.

ctantes. Proinde iterum Auguſtino teſte, *nuptias averſabantur*, & nudi, mares fœminæque conveniebant; nudi lectiones audiebant; nudi orabant; nudi celebrabant Sacramenta, & ex hoc Eccleſiam ſuam, *Paradiſum* arbitrabantur.

VALENTINIANI.

VAlentinus, Valentinianorum anteſignanus, gente Ægyptius fuit, & Alexandriæ, ſtudiis Poëticis ac Philoſophiæ operam dedit. Poſtea, cum ſpe Epiſcopatus, cui inhiabat, excidiſſet, ab orthodoxorum partibus ſe ſejunxit, & hæreſin auſpicatus eſt. Hac, ſuperiores prope omnes, quod rudiores viderentur, admixtis Ethnicorum Poëtarum fabulis, lenire, & expolire affabre ſtuduit, ut tam Ethnicos in ſuperſtitionibus ſuis confirmaret, quam Chriſtianos a vera fide abduceret. Diſſeminavit principio virus ſuum in Ægypto, poſtea Romam, ac in Gallias quoque perrexit, fidum ſocium habens *Marcum* quendam, Magicæ artis pertiſſimum, qui philtra fœminis propinabat, quibus illæ accenſæ, animo & corpore ſe illi obnoxios reddebant. Videndus Iren. l. 1. c. 9. Errores Valentini præcipui, quod ſcripto Dei verbo non contentus, *ad Traditiones non ſcriptas* provocabat; & his quoq; inenarrabilem multitudinem ſpuriorum librorum, quos ipſe cum diſcipulis effinxerat, addebat. *Duo ſtatuit rerum principia, Bythum*, ſeu Profundum, *& hujus Vxorem Sigen*, ſeu Silentium: atque ex his, poſt longas *Æonum*, (ſic Angelos ipſe vocabat) generationes, prodiiſſe nugabatur *Demiurgum*, *& Jeſum*, *& Spiritum Sanctum.* Porro, *negabat Chriſtum*

ſtum verum corpus in utero B. Virginis aſſumpſiſſe; ſed habuiſſe eum cœleſte aliquod & ſpirituale, idque per Mariam, velut per canalem, aut fiſtulam percolatum tranſiviſſe: ideoque dicebat, Chriſtum, non *ex Virgine*, ſed *per Virginem*, natum eſſe. *Baptiſmum*, Irenæus adminiſtraſſe Valentinianos teſtatur, in nomine ignoti Patris omnium, in Veritate matris omnium, & in nomine deſcendentis Jeſu, ad unionem, & redemtionem, & communionem virtutum. Plurimum in Sacris utebantur Valeniniani *verbis barbaris*, horridis, & ad terrorem ac ſtuporem tantum incutiendum excogitatis.

OPHITÆ.

OPhitæ, Nomen habent ab ὄφις, quæ vox Græcis *Serpentem* notat. Iſti enim Serpentem illum, per quem deluſa Eva fuit, ſumma colebant religione, ipſum protoplaſtis ſapientiam dediſſe dictitantes. Ergo divinam illi non vim modo & poteſtatem, ſed adeo naturam quoq; ac eſſentiam tribuebant, urgebantq;, quod hominum inteſtina, intra alvum, in ſpiras, quaſi quidam ſerpentes convoluta ſint, quodq; Moſes exaltarit Serpentem in deſerto, ut ejus aſpectu, ab aliis anguibus vulnerati, ſanarentur. Hinc *carminibus quibusdam delinitum Serpentem*, in loco occulto nutriebant, ac quoties cœnam myſticam celebraturi erant, eum vocabant, non prius panem euchariſticum pro ſacro habentes, niſi eundem Serpens ille delibaſſet.

CAINIANI.

CAiniani, *a Caino* ita dicti ſunt. Malo œſtro perciti, omnes illos laudabant, quos Sacræ

Literas

literæ condemnant, contra, quos hæ magnifice extollunt, eos ipſi vituperabant maxime. *Ergo, & Cainum, & Eſavum, & Core, & Dathan, & Sodomitas, ipſumq; Domini proditorem Judam, in cœlum usq; tollebant laudibus.* Ne autem ſiſe fatione inſanire viderentur, ad quædam ſuppoſiticia ſcripta, & præcipue *ad librum, Aſcenſus Pauli*, dictum, provocabant, quaſi ſcilicet Paulus, cum in tertium cœlum raptus eſſet, ea, quæ ipſi nugabantur, viderit, audiveritque.

SETHIANI.

SEthiani, *Sethum*, quem Scriptura Adami filium facit, de ſuperna matre, quæ cum ſuperno patre conveniſſet, natum, & *ipſum Chriſtum fuiſſe* opinabantur. De Angelorum quoque cum fœminis concubitu, multa ſunt commenti. Epiphanius teſtis eſt, ipſos nomine *Sethi, ſeptem libros, Abrahami vero nomine, unum, ejus Revelationem* inſcriptum, alios item, tanquam ab aliis magnis viris compoſitos, circumtuliſſe.

CERDONIANI.

CErdoniani, *a Cerdone nomen habent*, qui temporibus Antonini Pii Cæſaris, & Hygini Papæ, vixit. Iſte Iren. l. 3. c. 28. & Euſebio lib. 4. hiſt. c. 10. teſtibus, *duo ſtatuebat principia*, ſeu duos Deos: *Vnum ſuperiorem* benignum, miſericordem, ac bonum, patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, omnibus incognitum: *Alterum ſævum, aſperum, & malum*, pridem cognitum, quod locutus ſit in Lege, apparuerit Prophetis, forma quoque viſibili ſæpe ſe conſpiciendum præbuerit.

rit. Ex his jam conſequebatur, ut Legem Dei per Moſen datam, & Prophetas V. T. tanquam ſævi illius Dei Miniſtros, & Evangelii Deo contrarios repudiaret: quin &, ut Chriſtum non vere, ſed ſimulate tantum, ex Maria virgine genitum, & in nuda apparentia in hoc mundo converſatum contenderet. Porro, tantum animæ, non vero corporis reſurrectionem admittebat, & ex Novi quoque Teſtamenti libris, fere non niſi *Lucæ Evangelium*, & ne hoc quidem integrum, recepit.

MARCIONITÆ.

MArcion, Ponticus natione fuit, & patre Epiſcopo natus eſt. Dederat ſe Monaſticæ vitæ: ſed, cum virginem quandam ſtupraſſet, pater eum excommunicavit. A quo cum non ſtatim reciperetur, ac Romanus pariter Epiſcopus, ad quem confugerat, illum abſolvere recuſaret, *Cerdoni adhæſit*, & mali corvi malum ovum factus eſt. Nimirum, præter illos, quos modo enarravimus, Præceptoris errores, quorum defenſor erat acerrimus, *Creationem mundi miris fabulis* involvit. Etenim, *materiam quandam Deo coæternam conſtituebat*: ex ejus duriſſima parte, cœlum, ex fæce, tartarum, ex mediis autem partibus, Elementa, & res cæteras ſublunares, creatas eſſe, fabulabatur. *Statuebat animarum, e corporibus in corpora migrationem; repetebat baptiſmum toties* quoties lapſus quis erat, *proq; mortuis Catechumenis*, qui nondum baptizati erant, alios ſubſtituebat, qui illorum nomine baptizarentur. *In Eucbariſtia* utebatur aqua; *vetabatq; eſum carnium.* Sed, de his, aliisq; Marcionis

cionis erroribus, videndus Tertullianus, qui IV. libros adverſus eum compoſuit.

ENCRATITÆ.

ENcratitarum, qui *ob abſtinentiam a nuptiis, carne, & vino*, quam profitebantur, ita dicti ſunt, autor *Tatianus* fuit, natione Syrus, Juſtini Martyris diſcipulus, orthodoxia quondam, eruditione, ac ſcriptis clarus, & ideo ſupra inter Scriptores Eccleſiaſticos a nobis relatus. Cæterum, cum a recta via receſſiſſet, in magnos errores prolapſus eſt. Inter reliquos contendebat, *Adamum* primum hominem, poſt lapſum, Deo non fuiſſe unquam amplius reconciliatum, ſed omnino damnatum eſſe. *In Eucbariſtia aquam pro vino ſubſtituebat*; quod vinum ſobrietati obeſſe diceret. *Nuptias, fere nihil a fornicationibus* & corruptionibus diſtare ajebat: &, ne rectius honeſtiusque de matrimonio ſentire cogeretur, *Chriſtum ex Davidis ſemine natum eſſe*, hanc ſolam ob cauſam negabat; interim tamen *monogamiam, propter liberorum* procreationem, & domus curam, etſi ægre, permittens. Vetabat *quoq; eſum carnium*: jactabat quædam *Thomæ & Andreæ Apoſtolorum ſcripta*, &, ex quatuor Evangeliis unum faciens, *quod Harmoniam vocabat*, *rejecit Geneologiam Chriſti*, ne is videretur ex conjugatis natus eſſe. Vide Auguſt. hereſ. 25. & Clem. Alex. l. 7. Strom.

MONTANISTÆ.

MOntaniſtæ, & ipſi *ex Tatiani Schola* prodierunt, anteſignano *Montano*. Appellabantur & aliis nominibus, uti *Quintiliani*, a

Quintilla, Pſeudoprophetide; *Cataphryges*, & *Pepuzani*, a *Phrygia*, & *Pepuza*, (quorum illud Regionis, hoc vici nomen eſt,) Montani patriis. Iidem *Taſcodrungitæ* dicti ſunt, quod inter orandum, indicem digitum in nares, tanquam palum quendam immitterent, ut tanto attentiores, ſeverioresque viderentur. Τάσκ⊙ enim, Epiphanio teſte, Phrygum lingua, *palum*, δρȣ̃γγ⊙ autem *naſum* ſignificabat. Cæterum, circumduxit Montanus *mulierculas duas*, a propriis maritis abductas, *Priſcam* & *Maximillam*, quarum deliria & nugas, pro Spiritus S. oraculis & revelationibus venditabat. Hæ tamen fœminæ, crinium colores adulterabant, & oculos ſtibio illinebant, nec non eorum quæ prædixerant falſitas, ex eventu contrario, facile ſe prodidit. Tandem vero, juſto Dei judicio, *Montanus*, & *ipſæ hæ mulierculæ*, *laqueo gulam ſibi fregerunt*, ut eſt apud Euſeb. l. 5. hiſt. c. 16. Quod ad *errores Montani* attinet, per ſummam & nefandam blaſphemiam, affirmabat is, *ſe eſſe Paracletum*, qui jam olim Eccleſiæ & Apoſtolis promiſſus erat: ac Apoſtolos quidem, Spiritum S. ex parte tantum, eaque exigua, accepiſſe, ſe autem, cum fœmellis ſuis, habere illum ſine menſura. *Baptizabat mortuos*; *Euchariſtiæ panem*, *ex infantium*, *eam ob rem interpunctorum*, *ſanguine*, farina permixto, conficiebat. *Nuptias primas admiſit*, *damnans ſecundas*, imo & primas, pro libitu dirimi poſſe dictitans. Videndus Epiph. hær. 48. Auguſt. hær. 26. & Baron. A. C. 137.

ALOGIANI, ſeu ALOGI.

ALogi, indice Auguſtino hæreſ. 30. propterea ſic vocantur, tanquam *ſine Verbo:* quia Deum Verbum recipere noluerunt. Errorem iſtum damnatum Cerinthi & Ebionis, ex orco in lucem hoc Seculo revocavit *Theodotus*, qui, cum in perſecutione Chriſtum abnegaſſet, ad tuendum facinus, *non Deum, ſed hominem ſe abnegaſſe*, nec aliud Chriſtum, quam merum hominem eſſe, aſſeruit. Cumque ſibi vehementer Evangelium Johannis, & ejusdem Apocalypſin obſtare animadverteret, illos libros pro genuinis admittere recuſavit. De *Theodoti* fato, ſic eſt apud Euſebium l. 5. c. 16. Theodotus falſo mentis exceſſu abreptus fuit, perinde ac ſi levaretur aliquando & aſſumeretur in cœlum: cumque ſe totum fraudulentiſſimo ſpiritui permiſiſſet, ab eo in altum jactatus, miſerabili exitu periit.

APELLIANI, ſeu APELLITÆ.

APelles, Syrus natione, Marcionis diſcipulus, cum *Philumena*, quam Prophetidem vocabat, ſcortatus eſt, eique divinas revelationes tribuere non erubuit. Statuebat *Deos duos, unum bonum, alterum malum*, & hunc quidem ab illo factum. Chriſtum ajebat corpus quidem habuiſſe ex mundi ſubſtantia, hoc eſt quatuor elementis, compactum: ſed tamen idem hoc corpus, eundem, cum in cœlum aſcenderet, deſeruiſſe fingebat, ita ut quæque pars in ſua principia rediret, & aërea, in aërem, ætherea in ætherem, ignea in ignem reſolveretur.

ASCODROGITÆ.

HI, phanatici potius, quam Hæretici fuerunt. *Utrem* enim, hoc eſt, pellem hircinam, vino repletam, & opertam linteis, in ſuum templum inferentes, ac velut ſupplicationes acturi, circum eam ſtantes, temulentiæ interim, ac inhoneſtis diſſolutionibus operam dabant, & ſibi perſuadebant, ſe eſſe utres illos novos, de quibus Chriſtus Matth. IX. 17. dixit: *Vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conſervantur.*

ARTOTYRITÆ.

ARtotyritæ, ſic dicti ſunt, quia *in Sacra Cœna, præter panem, caſeo etiam utebantur*: quod caſeus fructus eſſet ovium, quo ſacrificii genere, Deus primum eſſet delectatus.

FLORINVS.

FLorinus, Romæ Sacerdotio depoſitus, tam indigne id tulit, ut novam hæreſin condere ſuſtinuerit. Aſſeruit, *Deum non permittere tantum mala, ſed & facere.* Non credebat Chriſtum natum eſſe ex Virgine. Negabat ultimum judicium, & reſurrectionem mortuorum.

QVARTADECIMANI.

HOc Seculo, gravis quoque illa, *de tempore Paſchatis celebrandi*, magna contentione agitata eſt controverſia. Equidem, jam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ, ſemper ſacrum fuit Paſchatis feſtum, propter Dominicæ reſurrectionis memoriam, eoque fideles, magna frequentia, ad Sacram Synaxin accedebant. Cæterum, ipſa diei,

qua

qua feſtum id peragebatur, circumſtantia, tum erat libera, &, ſive decima quarta Luna primi menſis, ſive alia, Paſcha celebraretur, non eapropter Eccleſiæ ſecum mutuo decertabant. Primus autem *Victor*, *Epiſcopus Romanus*, magna temeritate, Orientis Epiſcopos, qui Eccleſiæ Romanæ morem in Paſchate celebrando non ſervabant, damnavit, eosque tanquam Schiſmaticos excommunicavit: quam ob rem, non ab Epiſcopis Orientis tantum, ſed & ab *Ireneo*, *Lugdunenſi Præſule*, acerrime fuit reprehenſus, & utrinque libri ſcripti ſunt. *Orientales* enim, ad Johannis Apoſtoli provocabant autoritatem, ob quam decima quarta Luna, Paſcha celebrandum eſſe contendebant, quicunq; ille dies hebdomadis eſſet. Sed *Occidentales*, propter traditionem, cujus Petrum autorem ferebant, diverſum opinabantur, & pro Dominica, Lunæ decimæ quartæ proxima, pugnabant. Fuere etiam, qui non ex Lunæ, *ſed Solis potius curſu*, definiendum Paſchatis diem arbitrati ſunt, contendentes, ſimili, qua Chriſtus olim paſſus erat die, hoc eſt *Sole tenente 12. gradum Arietis*, *poſt æquinoctium vernum*, *ſive plenilunium eſſet*, *ſive non*, Paſcha eſſe faciendum. Nec minus *quidam Octavum*, *quidam Decimum tertium Calendas Aprilis*, *huic Feſto conſecrari volebant.* Etſi autem ipſa res, de qua altercatum fuit, fidei caput haud attingit, atque ſic ſalva pietate, huic aut iſti opinioni adhærere liberum erat: *pervicacia tamen*, & inflexibilis obſtinatio, qua quæque pars præconceptam opinionem tuebatur, Schiſma peperit, idque tam atrox ut *VII Synodis*, quæ propterea diver-

ſis locis & temporibus convenerant; vix tandem effectum fuerit, ut in conſonam ſententiam Eccleſia coaleſceret, & uno eodemq; die omnes Paſcha celebrarent. Quanquam ne tum quidem huic malo ita conſultum fuit, quin in Synodo etiam Nicæna amplius occurrendum fuerit. Conſulere licet Epiph. hær. 50. Auguſt. hær. 29. Baron. A. 180. n. 3. & A. 198 n. 1.

SCRIPTORES PROFANI.

L. ANNÆUS FLORUS.

Florus, cujus *Rerum Romanarum libros IV.* habemus, ſub Hadriano vixit, ac Salmaſius ad Spartianum, putat *eundem eſſe cum Floro Poëta*, cui Hadrianus Imperator, ad ſe ſcribenti;

Ego nolo Cæſar eſſe,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas,

reſcripſerit:

Ego nolo Florus eſſe,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

De Floro Hiſtorico ſic judicat Lipſius 2. El. c. 5. *Scripſit*, inquit, *Compendium rerum Romanarum, ſi quid mei judicii eſt, compoſite, diſerte, eleganter. Subtilitas quidem & brevitas in eo ſæpe mira; & ſententiarum quædam gemmulæ, cum judicio inſertæ & veritate.* Voſſius non immerito eos falli pronunciat, qui putant Florum in hiſtoria ſua Livii epitomen dare, crebro enim a Livio recedit. An autem idem, an vero alius ſit, *qui Livii librorum,*

quæ

quæ hodieq; extant, argumenta reliquit, quando Vir laudatus definire non ſuſtinet, nec nos autoritatem arbitrandi in ea re nobis ſumimus.

Lucianus.

LVcianus, *Samoſatenſis*, ſub M. Aurelio, Imperatore floruit. Cum ad opificium quoddam mechanicum adhibendus, nihil proficeret, ſtudia amplexus eſt, ſomnio monitus. *Primum Chriſtianus fuit*, ſed deinde veræ religionis blaſphemus ac contumelioſiſſimus *deriſor. Dialogi* ejus multi, argumenti varii, & jucundiſſimi, Græce extant, in quibus etiam Chriſtianos graviſſime interdum perſtringit. Dedit tandem impietatis pœnas graviſſimas. Quod enim Suidas prodidit, a canibus diſcerptus eſt; apud quem de Luciano plura videri poſſunt.

Priscus Jabolenus.

PRiſcus Jabolenus, ICtus, Antonino Pio Imperatori fuit a conſiliis, & publice quoque de jure reſpondit. Reliquit *e Caſſio XV. libros; Epiſtolarum libros XIV. & V. ad Plautium.*

Phavorinus.

PHavorinus, Philoſophus, Arelate oriundus, Dionis auditor, præterea eunuchus, & Adriano Principi exoſus erat. Hinc *tria de ſe mira narrare* ſolebat: nimirum, quod Gallus græciſſaret; quod eunuchus, mœchus putaretur; quodque inimicus Imperatori, viveret. Hujus Phavorini *apud Agellium* crebra eſt mentio; *Ælianus in Varia Hiſtoria* memorat, eum aliquando in

diſputando Adriano conceſſiſſe: admirantibus autem rem amicis, dixiſſe: *Nonne illi cedam, qui XXX. habet Legiones?*

AGELLIVS.

NVm *Aulus Gellius, an vero Agellius dicendum ſit*, non convenit inter Philologos; quam litem noſtram non facimus. Caſp. Barthius, in Adverſ. lib. 35. c. 7. in duobus antiquiſſimis Priſciani ſcriptis Codicibus, ſemper *Agellium* & *Aggellium* nominari teſtatur. Vixit is Scriptor *Athenis*, ſub Adriano, & reliquit *Noctium Atticarum libros XX.* qui tamen integri ad nos non perverunt. Multa variaq; eruditione referti ſunt; ac *Ludovicum Vivem* iniquiorem fuiſſe Agellio, illumque immerito reprehendiſſe, *Heinricus Stephanus* peculiari pro illo Apologia oſtendit.

GALENVS.

GAlenus, *Pergami*, (Myſiæ hæc urbs, in ipſo limite Lydiæ fuit) patre Architecto natus eſt, ac Imperatorum Marci, Commodi, & Pertinacis temporibus, Medicinam exercuit. Primis annis, Arithmeticis, Grammaticis, & Logicis diſciplinis eruditus fuit: poſtea Medicinæ ſtudiis ſeſe dedidit, &, *Satyrone* ac *Pelope* præceptoribus uſus eſt. Dehinc Alexandriam ſe contulit, & Ægyptum, Palæſtinam, Syriam peragravit, omniaque ad artem Medicam pertinentia, ſedulo eſt ſcrutatus. Ex peregrinatione in patriam reverſus, *curandi Gladiatores* provinciam ſuſcepit; quo munere, cum aliquandiu functus eſſet, *Romam deinde contendit*; & *Eudemum* Pe-

ripa-

ripateticum, Quartana triplici laborantem, ſanavit. Poſtea, ex pulſu fœminæ alicujus, artificioſa conjectura auguratus eſt, eam amore languere. Ob hos ſucceſſus, cum cæterorum, qui in Vrbe erant, Medicorum, odium ac invidiam contraxiſſet, vitandi periculi cauſa, Pergamum reverſus eſt. At vero revocavit eundem *M. Aurelius Imperator*, ut ſe, in Expeditionem, quam adverſus Germanos ſusceperat, ſequeretur, a quo tamen Galenus, multis precibus, Romæ permanendi facultatem impetravit. Interea loci, dum abfuit Imperator, omne tempus ad Philoſophiam Medicinamque illuſtrandam contulit: ac in docendo quidem, ſcribendoque, inſigni perſpicuitate atque elegentia uſus eſt. Imprimis vero *artificium definiendi, dividendi, & demonſtrandi adhibuit*, &, ut Hippocratis inventa perpoliret, atque augeret, operam dedit. *Scripta, tribus Tomis* continentur. *Ajunt, ſingula medicamenta ſuis eum manibus paraſſe*, nec ullum unquam pharmacum ægro propinaſſe, cujus non periculum in ſe prius feciſſet. Poſtremo in Patriam reverſus eſt, ibique conſenuit, ac cum corpore & valetudine eſſet imbecilliore, quemadmodum de ſe ipſe ſcripſit, ſobrietate tamen & temperantia, quodque nunquam ſatur de menſa ſurgeret, vitam ad centeſimum & quadrageſimum annum, fertur produxiſſe.

L. Apvleivs.

L. Apulejus, in *Madaura*, civitate Africæ, in Numidiæ & Getuliæ confinio ſita, Patre *Theſeo Duumvirali*, aliisque honoribus perfuncto,

functo, Matre *Salvia*, cujus origo a Plutarcho, & Sexto Philoſopho ejus Nepote manavit, genitus eſt, circa Hadriani poſtrema tempora. *Platonicæ familiæ nomen dedit*, cumq; in Philoſophiæ ſtudiis admodum profeciſſet, petiit deinde *Romam*, ubi eam peritiam linguæ Latinæ, & juris Quiritium aſſecutus eſt, ut *cauſarum Patronum* ageret, & ſtipendio forenſi mereret. Fuit in eo elegans ingenium, & indolis gratioſa quædam feſtivitas. Ex multis ejus operibus, pauca, velut naufragio ſubducta, ad nos pervenerunt. Nam, quæ *de rerum Naturalium cognitione* reliquerat, tota interciderunt. Interciderunt ſimiliter *Phædo Platonis*, & *Nicomachi Arithmetica*, quæ ex Græco tranſtulit: item quæ *de Numeris*, *de Muſica* commentatus eſt. Interciderunt ejus *Poëmata varia*, & *Diſſertationes plurimæ*, *Epiſtolæ quoq; ad Cerelliam*, *Libri Proverbiorum*, *Quæſtiones Convivales*, & alia plura. *Superſunt* quædam Apuleji *ad Platonis Philoſophiam attinentia*: item *Liber de Mundo*, *liber de Deo Socratis*, & *XI. Metamorphoſeon*, qui vulgo de *Aſino Aureo* inſcribuntur, &, in quibus Lucianum Sophiſtam, qui Græce ſimili fere argumento ſcripſerat, Apulejus imitatus eſt. In his interdum *rudere* verius, quam loqui, Viris Eruditis videtur. At Barthius in Not. major. ad Claudian. vocat Scriptorem unum omnium maxime proprietatis amantem, & veteris Latinitatis, ſupra quam vulgo credatur, conſervatorem. Bœclerus quoque in libello de Scriptoribus Græcis & Latinis, ſic de Apulejo judicat: *In hoc Scriptore plus antiquæ Latinitatis*, & *reconditæ Philoſophiæ reperitur, quam vulgo cognitum eſt. Quia enim ſtilus ejus tumorem*

morem aliquem præfert, & affectationem, negligitur plerunq;. Sed, ut dixi, profunda eruditio ſubeſt. Quia *Magiæ crimen* Apulejo objectum fuit, *Apologia* ſe defendit, quam ipſe S. Auguſt. l. 8. de C. D. copioſiſſimam & diſſertiſſimam vocat Orationem. Extant quoque ejus *Florida*, ſed quæ non fœdis tantum mendis contaminata, verum & hiulca, & paſſim intemperata commixtione confuſa ſunt.

PHLEGON.

PHlegon *Trallianus*, *Hadriani Cæſ. libertus*, ſcripſit opus *Olympiadum*, ſive *Chronicorum*, ſed cujus fragmentum ſolum ſupereſt. Diviſum erat in XVI. libros, & CCXXIX. Olympiadas continebat, quarum ultima deſinebat in 4. anno Antonini Pii. Pari modo nec *liber ejus de Mirabilibus*, integer ad nos pervenit: deeſt enim initium, quin & *Libellus de Longævis*, ſi Voſſii judicio ſtamus, & ipſe pro mutilo cenſendus fuerit. Liber *de vita Adriani*, quem Phlegon ſuo nomine publicaverat, ipſius Adriani fuiſſe dicebatur, ceu Spartianus tradit.

C. SVETONIVS TRANQVILLVS.

SVetonius, natus ſub initium Imperii Veſpaſiani, & ipſe ſub Adriano claruit: Patrem habuit *Tribunum militum Legionis XIII.* atque ipſe filius quoque, initio eodem munere functus eſt. *Scripſit XII. primorum Cæſarum vitas potius quam hiſtoriam*, eorumque mores, domeſticas res ac publicas, magna diligentia, ordine certo, libertate inſigni, ſermone emendatiſſimo memoriæ prodidit. Ejus libri evulgationem urſit Plinius epiſtola 11. lib. 5. cum dixit: *Perfectum opus* ab-

abſolutumq; eſt, nec jam ſplendeſcit lima, ſed atteritur. Etiam pervenere ad noſtra tempora *illuſtres ejus Grammatici, & aliquot Rhetores*: ſed melior pars ejus Operis, cum omni *libro de Poëtis*, multisque aliis, deperdita eſt. Atque illum de *Grammaticis librum*, ſe ſibi ad imitandum propoſuiſſe, Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis profitetur. Fuit *Suetonius Hadrani Principis Epiſtolarum Magiſter*, ejus vero gratia poſtea excidit, quod *Sabinæ Auguſtæ* nimis familiaris videretur.

Celsvs Philosophvs.

Celſus, Philoſophus Epicureus, cui Pſeudomantem ſuum Lucianus dedicavit, editis libris *Chriſtianam Religionem oppugnare* ſtuduit, cui deinde VIII. libris *Origenes* reſpondit. *Differt a Celſo JCto, & a Celſo Conſulari*, quem necare Hadrianus juſſerat, omnes tres tamen ſuere coævi.

Ælianvs.

Ælianus, quamvis Romanus eſſet, *Præneſte* oriundus, nec pedem unquam extra Italiam tuliſſet, non minus eleganter tamen Græce ſcripſit, quam ii facere potuiſſent, qui in media Attica erant nati. Habemus ejus *Hiſtoriæ Animalium libros XVII. Variæ Hiſtoriæ libros XV.* Eidem *Tactica*, vel libros de ordinanda acie, nonnulli tribuunt. Suidas, Æliani librum *de Providentia*, item *librum de Viribus divinis*, & alium de *Varia Enarratione* allegat.

Appianvs Alexandrinvs.

Appianus Alexandrinus, Romæ primum fuit *cauſarum Patronus*, poſtea adlectus eſt *Cæ-*

ſaris

ſaris Procuratoribus. *Hiſtorias Romanas*, ab Ænea, & Ilio capto, ad Auguſtum, alia ratione, quam cæteri, proſecutus eſt: quippe, ſequitur ordinem Provinciarum devictarum. *Ab Aguſto, ad Trajanum*, quædam obiter & carptim recenſet. Diligenter legendus eſt is Scriptor, quia multa habet ex Hiſtoricis qui perierunt.

SALVIVS JVLIANVS.

SAlvius Julianus, ex nobili apud Mediolanenſes familia oriundus, juris civilis fuit peritiſſimus, uſusque eſt præceptor *Jaboleno*. *Romæ urbis præfecturam* eum geſſiſſe, *& Conſulatu bis functum eſſe* Spartianus refert; non tamen in Faſtis Conſulum ejus reperitur memoria. *Prætorum omnia Edicta vage diſperſa colligens*, & in ordinem certosque titulos digerens, *ex iis Edictum perpetuum* compoſuit, *quod centum & nonaginta libris* eſt interpretatus, quos *Digeſtorum* nomine appellavit, quod in iis nihil ſuum eſſet, præter digeſtionem. Scripſit præterea *de Ambiguitatibus unum, ad Minutium VI. & ad Vrſejum IV. libros.* Sub Commodo Imperatore, cum aliis Viris Clariſſimis eſt occiſus. Dicere ſolebat, ſe, etiamſi alterum pedem in ſepulchro haberet, tamen adhuc diſcere velle.

SERVIDIVS SCÆVOLA.

SErvidio (alii *Cervidio* ſcribunt,) Scævola, JCto, & in legibus ſanciendis, & in conſultationibus *M. Antoninus* uſus eſt. Fuit *Papiniani Præceptor*. Scripſit *XX. libros Quæſtionum, Reſponſorum VI. Digeſtorum XL. Regularum IV. de Quæ-*

ſtione

ſtione familiæ unum , & unum item Quæſtionum publice tractatarum.

ARRIANUS.

ARrianus,(vel, ut nonnulli ſcribunt,) Arrhianus Nicomedienſis, *Epicteti diſcipulus*, Philoſophus, inſignis, ſcripſit *de Epicteti Diſſertationibus libros IV.* item *VII. libros de Aſcenſu ſive expeditione Alexandri M.* nec non *Indica*, ſive octavum librum de eodem Alexandro; *Tactica* item, & *Periplum Ponti Euxini*, & *Ponti Erythræi.* Atque hæc extant, alia perierunt; uti *Alanica*, *Parthica*, *Bithynica* : item *libri X. de rebus poſt Alexandrum geſtis.* Ex his tamen apud Photium quædam habemus Excerpta.

DIOGENES LAERTIUS.

DIogenis Laërtii, ſive, ut Tzetzes vocat, *Diogeniani, habemus libros de Vitis Philoſophorum*: de quibus Barthii ad Claudianum tale eſt judicium: Extat, magno commodo omnium literarum, Diogenes Laërtius ; cujus rhapſodiæ licet diligentiſſimæ exactiſſimæque non ſint , ſumma tamen utilitate & voluptate leguntur, ut multis vegrandibus carere pro iſto velle ſapientia ſit. Scripſit præterea *librum Epigrammatum in viros Doctos & præſtantes*, ut ipſe de ſe teſtatur in vita Solonis.

JUSTINUS.

JUſtinus , Antonini Imp. temporibus floruit, & *Trogi Pompeji librorum Epitomen* elegantiſſime conſcripſit , eaque res cauſa fuit, ut ipſi

Trogi libri perderentur, nunquam ſatis dolenda jactura. *S. Auguſtinus*, magni fecit Juſtinum, ex eoque non pauca in libros de Civitate Dei verbo tenus tranſcripſit.

PTOLEMÆVS.

PTolemæus, Ægyptius natione, Aſtrologus ſcientia, claruit temporibus Antonini. Explicuit primus cœli rationem apud Græcos, inventaq; ab *Hipparcho inſtrumenta*, clarius demonſtravit. Scripſit *Geographiæ libros VIII. Libros magnæ conſtructionis Mathematicæ* (Arabes *Almageſtum* vocarunt) id eſt, perfectæ cœleſtium motuum pertractationis, libros XIII. *de Judiciis Aſtrologicis, ſeu quadripartitæ conſtructionis libros IV.* Sunt *& centum ejusdem ſententiæ*, in quibus quæ tradit, ex uſu & experientia ſe habere teſtatur. Extant hæc omnia. Cardanus, Ptolemæo proximas, poſt Archimedem, partes tribuit. Ineptiunt, qui eum unum ex Regibus Ægyptiis fuiſſe exiſtimant.

ATHENÆVS.

ATHenæus, Naucratita, Grammaticus, usque ad Pertinacem, vel Severum vitam extendit. Habemus ipſius *Dipnoſophiſtarum libros XV.* quod opus etſi mutilum tantum ad nos pervenit, eſt tamen egregium, & ſcitu digniſſimarum rerum ac vocabulorum, tum hiſtoriarum ex omnium gentium Scriptoribus excerptarum varietate, maximi æſtimandum. Scripſit idem de *Regibus Syriæ librum*, cujus ipſe l. 5. mentionem injicit, verum is non tulit ſeram ætatem. Ab

hoc *diverſus eſt Athenæus*, *cujus Græcus liber de Machinis Bellicis* hodieque ſupereſt.

HERMOGENES.

HErmogenes, Tarſenſis, annos natus 15. Eloquentiæ laudibus in tantum claruit, ut M. Antoninus Imp. ab ejus ore pependiſſe, & munera egregia illi tribuiſſe feratur; de re enim quaque docte & facunde diſſerebat ex tempore. At, cum virilem ætatem attigiſſet, adeo hebes tactus eſt, ut, quod ab Antiocho Sophiſta non inſipide dictum, inter pueros ſenex, inter ſenes puer videretur, & eſſet. Reliquit *libros duos de Ideis*, doctos, & tanto Rhetore dignos.

JVLIVS POLLVX.

JVlius Pollux, Grammaticus, ſub Commodo Principe, præcipiebat Athenis. Scripſit ad hunc ipſum Cæſarem *Onomaſticon*, non ex ordine literarum, ſed rerum. Scripſit & alia quædam; ea non extant.

APHTHONIVS.

APhthonius, Sophiſta, ſcripſit *Progymnaſmata*, id eſt præexercitationes in Rhetoricam, & *in artem Hermogenis*. Quidam eum non niſi Seculo V. vixiſſe exiſtimant.

OPPIANVS.

OPpianus, *Poëta*, patre Ageſilao, matre *Zenodota*, in Cilicia genitus eſt. Scripſit *Halievtica*, hoc eſt de Piſcibus & Piſcatione libros quinque: *item de Venatione quatuor*, qui extant.

Sed ii, quos de *Aucupio* compoſuit, nondum publicam lucem viderunt, etſi aliqui ajunt, eos ſupereſſe Manuſcriptos. Halievtica tanti feciſſe dicitur Severus Imperator, ut pro quolibet carmine aureum nummum ei dono dederit.

PHILOSTRATVS.

PHiloſtratus, Lemnius, temporibus Seueri Principis vixit, ejusque uxoris *Juliæ*, *Epiſtolarum fuit Magiſter*. Scripſit VIII. *libros de vita Apollonii Tyanei.* In iis, *Damidem* Aſſyrium, *Maximum*, & *Mœragenem*, ut ipſe fatetur, ſecutus eſt. Ille *Philoſtratus, cujus vitas Philoſophorum habemus*, hujus e fratre filius, & gener fuit, vixitque ſub Macrino & Heliogabalo.

ÆMILIVS PAPINIANVS.

PApinianus, *Hoſtilio Papiniano*, & *Eugenia Gracili*, parentibus genitus eſt. Fuit vir excelſi ingenii, ac omnium Jurisperitorum acutiſſimus, unde Spartianus in Severo, eum *juris aſylum* vocat, *doctrinæq; legalis theſaurum*: atque, qui profecerant *juris ſtudioſi*, *Papinianiſtæ* quondam dicti ſunt, ipſius Juſtiniani in præfatione Digeſtorum teſtimonio. Severo Imperatore admodum amico uſus eſt, tum propter communia ſtudia, & quod ambo ab eodem edocti fuerant præceptore, tum quia inter utrosque erat affinitas. Fuit *Fiſci Adminiſtrator*, & deinde *Præfectus Prætorio*, eique Severus moriens filios ſuos commendavit. Enim vero, poſtea *Caracallæ*, Severi filii, juſſu, interfectus eſt, quod ejus parricidium, in Geta fratre commiſſum, nollet defendere, &, facilius

patrari facinora, quam excuſari, dixiſſet. Scripſit *XIX. libros Reſponſorum*, *Quæſtionum XXXVI.* duos *Definitionum*. *XX. Digeſtorum* & quædam alia.

C. JVL. SOLINVS.

SOlinus, librum edidit ex variis Scriptoribus collectum, quem, cum prius *Collectanea rerum memorabilium* vocaſſet, poſtea *Polyhiſtorem* inſcribere maluit. Exiguo, in rebus ſeligendis, quandoque uſus eſt judicio, *unde leviſſimum Scriptorem* Scaliger eum vocat in Animadverſionibus Euſebianis. Plinii, Naturalis Hiſtoriæ ſcriptoris, ſcrinia ſæpe compilat, unde etiam *Plinii ſimia* vocari meruit. Scripſit etiam *Ponticon*, vel, *Carmen de Ponto*; cujus ſolum XXII. primi verſus ſuperſunt. *De ætate qua vixit*, non ſatis conſtat; quidam enim ad Veſpaſiani, alii ad Trajani tempora eum referunt. Sed, ſi ex ſtylo judicium fieri debet, ſeculo & amplius poſt Plinium ipſum vixiſſe, merito judicat Voſſius.

MEMORABILIA.

ECcleſia, imperante Hadriano, QVARTÆ PERSECVTIONI ſubjecta eſt, & adeo illa invaluit, ut Chriſtiani, ad ſolius vulgi clamorem, tanquam magni criminis convicti, condemnarentur. Periere plurimi, inter quos *Zeno*, *Patricius Romanus*, cum mille ducentis, & *Achaicus Princeps*, cum decem millibus. Neque ſub M. Aurelio Antonino quem Philoſophum cognominant, mitiora fata experta eſt Eccleſia. Quippe, inſtigante *Creſcente Philoſopho*, Perſecutio fuit continuata, atque in ea *Juſtinus Philoſophus*, *Praxedis virgo*, *Symetrius Pres-*

Presbyter, *Gervaſius*, *Protaſius*, aliiq; fuere peremti.

Severo imperante, QVINTA PERSECVTIO Eccleſiam afflixit, Plautiano inſtigatore: qua præter multa millia Chriſtianorum, *Leonidas* pater Origenis, & *Irenæus*, Lugdunenſis Epiſcopus, ſanguinem profuderunt.

Sub Hadriano, SECVNDVS, Aſtenſis civis, cum Chriſtianam religionem dimittere nollet, *Sapricium*, urbis Præfectum, ſævum expertus eſt. Hujus enim juſſu caput illius, pice & reſina ferventibus fuit perfuſum, ac quia nihil id nocuerat, iisdem os Secundi opplebatur. Sed ne hoc quidem obfuit: quin potius Secundus liquore ardentiſſimo delectatus, exclamare cœpit: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine.* Quo viſo, Sapricius, ut Secundo caput præcideretur imperavit. Id cum factum eſſet, Angeli viſi ſunt corpus pſallendo & nænias cantando ſepelire.

VITALIS, miles, Sanctorum *Gervaſii* & *Protaſii* pater, una cum *Paulino* judice Ravennam ingreſſus, cum vidiſſet *Vrſicinum* medicum, ob Chriſtianæ fidei confeſſionem ductum ad ſupplicium, paululum in tormentis titubare, exclamavit: *Vrſicine medice, qui alios curare ſolitus es, cave ne te mortis æternæ jaculo conficias.* Qua voce confirmatus Vrſicinus, martyrium fortiter ſubivit. Quare Paulinus incenſus, Vitalem comprehendi jubet, & equuleo tortum, atque in profundam foveam demerſum, lapidibus obrui. Quo facto, quidam *Apollinis Sacerdos*, qui Paulinum in Vitalem incitarat, oppreſſus a dæmone, cla-

mare cœpit: *Tu me nimium, Vitalis, Chriſti martyr incendis*: &, in illo æſtu jactatus, ſe præcipitavit in flumen.

PVDENTIANA, Virgo, *Pudentis* Romani filia, parentibus orbata, una cum ſorore *Praxede*, pecuniam ex vendito patrimonio redactam, pauperibus diſtribuit, ſeque jejuniis & orationibus dedit. Cujus etiam opera, tota ejus familia, in qua erant XCVI. homines, a *Pio* Pontifice baptizata eſt.

SEPTEM FRATRES, FILII S. FELICITATIS, Romæ, in perſecutione *M. Aurelii Antonini*, a *Publio* Præfecto, primum blanditiis, deinde terroribus tentati ut Chriſto renunciarent, Deosq; venerarentur, & ſua virtute, & matre hortante, in fidei confeſſione perſeverantes, varie necati ſunt. *Januarius* plumbatis cæſus: *Felix* & *Philippus*, fuſtibus contuſi: *Sylvanus*, ex altiſſimo loco præceps dejectus eſt: *Alexander*, *Vitalis* & *Martialis*, capite plectuntur. Mater eorum, quarto poſt menſe, eandem martyrii palmam conſecuta eſt.

SYMPHOROSA, Tiburtina, *Getulii* Martyris uxor, ex eo ſeptem filios peperit, *Creſcentium*, *Julianum*, *Nemeſium*, *Primitivum*, *Juſtinum*, *Stacteum*, *Eugenium*: qui omnes, propter Chriſtianæ fidei profeſſionem, una cum matre, comprehenſi ſunt, quibus mater, uti fidei magiſtra, ita dux quoque ad martyrium extitit. Nam, ſaxo ad collum alligato, in profluentem fuit dejecta. Poſtridie ſeptem fratres, ſinguli ad palum alligati, varie ſunt interfecti. *Creſcentio*, guttur ferro transfigitur: *Juliano*, pectus confodi-

foditur: *Nemeſio*, cor transverberatur: *Primitivo*
trajicitur umbilicus : *Juſtinus*, membratim ſeca-
tur : *Stacteus*, telis configitur: *Eugenius*, a pe-
ctore in duas partes dividitur. Ita octo hoſtiæ
Deo gratiſſimæ ſunt immolatæ. Corpora in
altiſſimam foveam projecta fuere in via Tibur-
tina.

SABINA, mulier Romana; *Valentini*, Viri
Clariſſimi uxor, a *Seraphia* virgine, Chriſtianæ
fidei præceptis inſtituta, poſt ſanctæ virginis
martyrium, collectas ejus reliquias piis exequiis
ſepelivit. Quæ, propter eam cauſam compre-
henſa, *Elpidio* judici ſiſtitur. Cui is: Tune illa
Sabina, & genere, & matrimonio nobiliſſima?
At illa: Sum, inquit: ſed Domino meo Jeſu
Chriſto gratias ago, qui me, interceſſione Sera-
phiæ, famulæ ſuæ, e dæmonum poteſtate libe-
ravit. Quam, varie ſolicitatam, ut propoſitum
mutaret, Præfectus, quod Deos contemneret,
capitis damnavit.

FAVSTINVS & JOVITA fratres, nobiles
Brixiani, ob Chriſti confeſſionem in Patria ur-
be diu vinculis conſtricti, feris etiam objecti,
in ignemque conjecti, & a beſtiis, ac a flam-
ma, integri & incolumes ſervati ſunt. Poſt-
ea Romam, & hinc Neapolin miſſi, utrobi-
que crudeliſſime cruciantur, & Neapoli impri-
mis, colligatis manibus pedibusque in mare de-
merguntur. Quos, cum Angeli mirabiliter pe-
riculo eripuiſſent, reducti Brixiam, capitis ſup-
plicium luerunt.

Circa Annum Chriſti 133. imperante Romæ
Hadriano, ingens *Judæorum orta eſt Seditio*, qua
palam

palam a Romanis deficientes, & ad arma verſi, Palæſtinam depopulati ſunt. Dux factionis fuit quidam BAR COCAB, id eſt *Stellæ Filius*, qui in urbe *Bittur* (Hieroſolymis ea vicina fuit, atq; hanc Judæi, urbe Sancta expulſi, & ſtudiorum, & Reip. metropolin conſtituerant) in Regem electus, & coronatus eſt, eique tanquam vero Meſſiæ, ipſe celebris *R. Akiba* adhæſit, armigeri illius munere functus. Tenebat tum Provinciam *Tynius Rufus*, ei ad opprimendos rebelles Adrianus miſit exercitum, atque ſic urbs Bittur, cum toto fere quadriennio obſidione cincta fuiſſet, tandem in poteſtatem redacta, & ſolo æquata eſt, poſtquam in incolas varie quoque fuit ſævitum. Nec minus per Babyloniam etiam, de Judæis promiſcue capta ſunt ſupplicia. Finito bello, ut Judæi ab Vrbis Hieroſolymitanæ ingreſſu arcerentur, Hadrianus, mutata veteri appellatione, Hieroſolymas, de ſuo nomine, *Æliam* vocavit, ac portæ, qua Bethlehemum itur, *Suem* juſſit imponi. Meſſias captus, ſupplicio affectus eſt. Qui quoniam nebulo magnus fuit, & Judæos miſere deceperat, pro *Bar Coçab* deinde *Bar Coſab*, id eſt pro *Stellæ filio, filius Mendacii* dici cœpit, quo nomine in hunc usque diem inter Judæos venire ſolet. Videndus Euſeb. l. 4. c. 6. & Buxtorfius in Lex. Talm. voce Bitter. Poſtea tamen, Hieronymo teſte, Judæi impetrarunt ab Imperatoribus certo pretio, ut liceret ſibi ſemel in anno, die nimirum 10. Auguſti, Hieroſolymam ingredi, ejusque urbis & Templi ruinam deflere, idque, adſtantibus militibus, ad certam usque horam. Quibus plus plorare volupe erat, plus pecuniæ erogandum fuit.

Sub

Sub Antonino Pio, melius cum Judæis actum eſt. Nam is Imperator, R. JVDÆ, qui SANCTVS cognominatur, inſigniter favit, imo ſi Talmudiſtis credimus, ipſe fuit proſelytus. Ergo R. Judas, quia indulgentia Imperatoris pleniſſime utebatur, Judæorum doctiſſimos undecunque congregat, & inito cum illis conſilio, deliberat, qua ratione, rebus ſuis indies magis magisque in pejus ruentibus, conſervari tamen poſſent ſacræ Avorum traditiones, & omnis illa oralis lex, hactenus voce tantum propagata: quippe magnum metum eſſe, ne Judæis ita per orbem univerſum diſperſis, tandem penitus ex hominum memoria effluat. Placuit literarum monumentis conſignare quæ fuerant tradita, ac quisque pro ſeſe, quod didicerat, ediſſeruit. Quæ omnia in ordinem redigens R. Judas, MISCHNAM ſive Talmudis textum concinnavit, ejusque partes VI. conſtituit. *Harum I. eſt* זרעים *Seraim*, agitque de ſeminibus, frugibus, herbis, arboribus; de fructuum uſu privato & publico; de ſeminibus homogeneis & heterogeneis. *II.* מועד *Moëd*, agit de tempore quo Sabbathum aliaque feſta inchoari, finiri, & qua ratione celebrari debeant. *III.* נשים *Naſchim*, in doctrina de mulieribus ducendis vel repudiandis, item de earum affectionibus & morbis occupatur. *IV.* נזיקים *Neſekim*, perſequitur damna, ab hominibus aut beſtiis illata, & quæ pœnæ irrogari debeant. *V.* קדשים *Kodaſchim*, tractatione de Sacrificiis & aliis rebus ſacris abſolvitur. *VI.* טהרות *Taborot*, munditiem & immunditiem tam vaſorum, quam rerum

rum aliarum ediſſerit. Ad iſta retinenda, memoriam juvabit verſus:

Semina, Feſta, Vxor, Nocumentum, Victima, Munda.

Hebraicarum vocum mnemonicum eſt: זִמְן נִקְט:

Sub Antonino Pio, multæ Bithyniæ & Helleſponti urbes, horribili TERRÆ MOTV conciderunt. *Cyzicus* imprimis eſt afflicta, in qva celebre templum, cujus columnæ, ex unico ſaxo, quatuor orgyas craſſæ, in altitudinem 50. cubitorum aſſurrexiſſe feruntur.

Commodo imperante, PACIS TEMPLVM, cum ſpoliis Hieroſolymitani Templi, quæ Veſpaſianus in illud intulerat, conflagravit; ac latius graſſans incendium, *Veſtæ* quoque Ædem corripuit: nec potuit per complures dies reſtingui, donec imbre coorto ceſſavit.

Hadriani ætate, AQVILA PONTICVS, ex gentili Chriſtianus, ex Chriſtiano Judæus factus, Vetus Teſtamentum ex Hebræo in Græcum ſermonem convertit. Idem, ſub Commodo fecit *Theodotion Ponticus*, &, ſub Severo, *Symmachus*.

SECV-

SECVLVM III.

IMPERATORES ROMANI.

CARACALLA & GETA.

SEvero mortuo, *Antoninus Baſſianus Caracalla*, ob genus veſtimenti demiſſi usque ad talos, quod populo dederat, id cognominis ferens, & *Geta* fratres, imperium nacti ſunt. Prior, in Numis M. AVRELIVS ANTONINVS, alter, P. SEPTIMIVS GETA vocatur. Mater utriusque fuit *Julia Syra*, ſtudiis Philoſophiæ tam exercita, ut φιλόσοφος dicatur a Philoſtrato. Atque ambos, ceu indicavimus, ejus filios fuiſſe, e Dione, Philoſtrato, Oppiano & Herodiano fuſe probat Salmaſius contra Spartianum, qui ſcripſerat, Baſſianum e priore matrimonio ſuſceptum, & Getam ex Julia; in quo errore etiam Euſebius hæſit. Cæterum, cum Fratres hi, moribus & ingenio eſſent diſſimillimi, non firma inter eos fuit concordia, & in profeſſa odia eruperunt. Neque potuit *Julia Auguſta* ſedare lites, etiamſi Baſſiano Europam, Getæ Aſiam, illique *ſedem Romam, huic Antiochiam* aſſignaret. Occidit enim tandem Baſſianus Getam, in ipſo Juliæ ſinu, manu quoque matris, quam objecerat, læſa, & dictum ejus ad ſe olim infantulum, cum ovum purpureum, eadem hora qua Geta natus, a gallina poſitum, fregiſſet, implevit: exclamaverat enim: *Maledicte parricida, fratrem tuum occidiſti*: ceu apud Spartianum legitur. Enſem poſtea, quo Fratrem occiderat, conſecravit Caracalla

racalla. *Papinianus vero JCtus*, cum cædem excuſare nollet, capite fuit truncatus, ceu ſupra quoque indicavimus. Sed non in hos ſolum, verum & in alios longe plures ſæviit Caralla, *ac 20. millia hominum ab eo peremta*, Dio autor eſt. Fuit enim homo furioſus, ad omnia præceps, virtutis & illuſtrium virorum hoſtis; bonis exitioſus, vitiis ſuis glorians, omnibus terribilis. *Philoſophos Peripateticos* ſumme averſabatur, cauſam allegans, quod eorum Anteſignanus Ariſtoteles, Alexandro M. cujus animam in ſuum corpus immigraſſe dicebat, mortis cauſa extiterit. Cudebat *Numos adulterinos*, pro argento aurove plumbum argentatum, & æs inauratum parans. *Juliam matrem inceſtis nuptiis duxit* filius nefarius, etſi nec ipſa ab iisdem abhorruit, imo vero, his cauſam præbuiſſe viſa eſt. Cum enim ultro, ſed quaſi per negligentiam maxima corporis ſui parte ſe nudaſſet, & Baſſianus in hæc verba erupiſſet, *Vellem, ſi liceret:* Reſpondit illa: *Si libet, licet. An neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere?* Hinc Alexandrinorum convicium natum, quo *Caracallam*, *Oedipum*, *Juliam* vero, *Jocaſtam* vocarunt: ſed, quod male iis ceſſit. Nam Caracalla, quaſi Legionem lecturus, juventutem omnem extra mœnia evocaverat, moxque militibus ſignum cædis dedit; factaq; tanta ſtrages eſt, ut tam ripa Nili omnis, quam ejus oſtia, ſanguine ruberent. *Artabanum Parthorum Regem*, ſpe affinitatis, & quaſi filiam ejus ducturus, turpiter Caracalla decepit, immenſamque barbarorum multitudinem, nihil minus quam fraudem ſuſpectantem, militum furori trucidandam objecit.

jecit. Cum vero ob tanta flagitia, ſpectris, & præcipue *patris fratriſq; Manibus* terreretur, ad eos placandos, multorum animas, ex inferis, Magorum artibus evocavit. Tandem Caracalla, in Meſopotamia, *inter Carras & Edeſſam*, *Macrini inſidiis*, *per Centurionem pugione trajectus* eſt, cum ſubligacula laxaret, & ventris oneri levando intenderet. Corpus, Juliæ miſſum eſt, quod ipſa in Antoninorum ſepulchro condidit. Vixit Caracalla annis 43. regnavit 6. Fertur, cum Antiochiæ eſſet, vidiſſe per inſomnium quendam imminentem ſibi cum ferro, & comminantem: Vti tu fratrem occidiſti, ſic ego te occidam.

PLAVTILLAM, *Plautiani*, Præfecti Prætorio filiam, Severus pater, Baſſiano Caracallæ filio, in matrimonium collocavit, cui pater Plautianus tantum dotis dedit, quantum quinquaginta Reginis ſuffeciſſet. Et vero, quod apud Zonarum legitur, erat Plautianus Imperii pæne cum Severo particeps: &, præ inſatiabili avaritia, ab omnibus aliquid flagitans, neque gentem, neq; urbem ullam prætermiſit, quam non ſpoliaret. Vnde omnes ei plura, quam ipſi Severo dabant. At Baſſianus, neceſſitate magis, quam amore, ad id matrimonium adductus, & puellam, & patrem averſabatur, quem etiam tandem in conſpectu Severi interfici juſſit. Poſt hæc, Severus, Plautillam, quod videret Baſſianum eam extreme odiſſe, una cum *Plauto* fratre, in Siciliam relegavit, amboq; ibi, Severo mortuo, Baſſiani juſſu, fuere necati.

MA-

MACRINVS.

MAcrinus, obſcuris parentibus ortus, ſed qui *Præfecturam Prætorio* geſſerat, cæſo Baſſiano, una cum filio *Diadumeniano*, a Legionibus Cæſar appellatus eſt. Pater, in Numis vocatur, M. OPELIVS, SEVERVS MACRINVS, Filius vero, M. OPELIVS MACRINVS DIADVMENIANVS: interdum M. OPELIVS ANTONINVS DIADVMENIANVS dicitur. Cæterum Macrinus, *Artabanum* Parthorum Regem, ſtrategematibus vehementer vexavit. Mox ab eo preſſus, cum ſolviſſet centena millia HS. & prædam omnem remiſiſſet, *turpem pacem inivit.* Senatus tamen eum confirmavit, odio Baſſiani, quemvis magis, quam parricidam, quemvis magis quam inceſtuoſum, qemvis magis quam impurum, quemvis magis quam interfectorem Senatus & populi, pati ſe poſſe Rectorem, clamantes. Fuit Macrinus juris peritisſimus, diſciplinæque militaris ſeverisſimus cuſtos. Nam, milites duos qui hoſpitii religionem violaverant, vivos duobus bobus inſui curavit, capite exerto, ut colloqui poſſent. Tribunum, qui excubias deſeri paſſus eſt, carpento rotali ſuperannexum, per totum iter vivum, atque exanimem traxit. Nimius hic rigor, odium militum ei conciliavit, ita ut non Macrinum, ſed *Macellinum* illum vocarent, eo quod macelli ſpecie, domus ejus cruentaretur. Cumque *Mæſa*, Juliæ Auguſtæ ſoror, eos inſuper inſtigaret, rebellavere, victoq; *Juliano* Præfecto Prætorio, Macrinum in fuga, una cum filio Diadumeniano interemerunt, poſtquam poteſtatem per menſes 14. exercuerant.

Vxo-

Vxorem Macrinus habuit NONIAM CELSAM, quæ ei Diadumenianum peperit.

M. AVRELIVS HELIOGABALVS.

VNde nomen *Heliogabalus* natum ſit, magna inter Eruditos eſt diſceptatio. Priorem partem ab Arabico الله *Alah*, quod *Deum* ſignificat, derivandam eſſe, plerique conſentiunt, ſed in poſteriore hærent, nec tam facile ſe expediunt. Fortaſſe tamen Voſſium & Salmaſium audire convenit, qui a جبل *Gabal*, qua voce Arabes *Montem* nominant, originem arceſſunt, ut Elagabalus ſive Alagabalus ſit *Deus Mons*, quippe *Emiſeni, Solem coluere in montis effigie*, quem, montem cœlo delapſum credebant. At, Heliogabali nomen Solem notare, Herodianus, Capitolinus, & Lampridius aſſeverant. Mater Heliogabalo fuit *Julia Soæmias* (*Semeja* vulgo enunciant, ſed in Numis eſt Soæmias) conſobrina, a Baſſiano conſtuprata; hanc enim *Julia Mæſa*, Juliæ Domnæ, uxoris Severi Imp. ſoror, peperit, atque Mæſa, vivente ſorore, multos annos in aula egit, ſed poſt mortem Baſſiani, per Macrini ſuperbiam, inde fuit expulſa. Ejus autem aſtu, ad Imperium pervenit Heliogabalus, namque militibus, eum eſſe Baſſiani filium perſuaſit, largitionibusque profuſis illos corrupit. Hic Imperator in Numis frequenter deſcribitur: IMP. CÆS. M. AVRELIVS ANTONINVS FELIX AVG. SACERDOS DEI SOLIS ELAGABALI, item: M. AVRELIVS ANTONINVS ELAGABALVS.

LVS. Vixit obſcœniſſime & impudiciſſime, eaque fecit ac paſſus eſt, quæ ne dici quidem, aut audiri verecunde poſſunt. Lupanaria noctu frequentavit. Virginem Veſtalem, uxorem duxit, ut ex ſe, ac illa, divini liberi naſcerentur. Non virilia tantum ſibi circumciderat, ſed & ex viro mulier factus, primum *Hierocli*, deinde *Aurelio Zotico*, aliisque nupſit. Matri Soæmiæ in tantum deditus fuit, ut in ejus gratiam, Senatum Mulierum in colle Quirinali inſtitueret. Canes, jecinoribus anſerum paſcebat, Leones, & Leopardos exarmatos, edoctosque per manſuetarios, menſis adhibebat, ſubito ad pavorem, aut ridiculum, excitandum. *Nunquam minus quam centum Seſtertiûm cœnabat*, hoc eſt, argenti libris triginta: quod ex remotiſſimis provinciis, gulæ irritamenta peteret, a carne autem ſuilla abſtinens. Idem, balſamo lampades alebat, & aquis odoris replebat piſcinas. Servos juſſit *aranearum telas* in Vrbe conquirere; ac collegiſſe dicitur decem millia pondo. *Canes* quaternos junxit ad currum, & ſic eſt vectatus intra domum Regiam. Cum prædictum ei eſſet a Sacerdotibus Syris, violenta morte periturum, ſericos ſibi laqueos, gladios aureos, turrim ſubſtratis aureis gemmatisque tabulis paravit, dicens, etiam mortem ſuam pretioſam eſſe debere, &, ut nemo ſic periiſſe deprehenderetur. Cum pulſo ex urbe Senatu, Vlpianoque JCto, vitæ Alexandri Severi inſidias ſtrueret, milites, facta conſpiratione, primum conſcios vario genere mortis trucidant, poſt hæc, in Heliogabalum quoq; faciunt impetum, & una cum matre, quam ille am-

amplexabatur, tollunt e medio. Amborum corpora, per Vrbis vias, more canini cadaveris, tracta fuere, conclamantibus militibus, indomitæ & rabidæ libidinis catulum, Heliogabalum fuiſſe. Poſthæc, matris corpus alio abjectum fuit, Heliogabali cadaver cum cloacæ anguſtum os non admitteret, in Tiberim præcipitatum eſt, addito pondere, ne unquam emergere & tumulari poſſet. Nomen Heliogabali, Senatus juſſu, *ex omnibus monumentis* fuit eraſum. De vitæ ejus, imperiique annis, non convenit inter Scriptores. Certum tamen, non ſupra annos 20. vixiſſe, nec ultra 5. regnaſſe.

Conjuges Heliogabali numerantur, 1. JVLIA CORNELIA PAVLA, cum qua divortium fecit, eo quod maculam, ut dicebat, haberet in corpore: illamque, ademtis honoribus, privatam vitam vivere juſſit. 2. JVLIA AQVILIA SEVERA, Veſtalis, ideo ducta, quod diceret, ſacerdoti congruere ſacerdotis nuptias. Hac dimiſſa, 3. ANNIAM FAVSTINAM, necáto ejus marito, ſibi junxit, quam tamen & ipſam abegit, ad *Severam* rediens. Dicitur & alias pro uxoribus habuiſſe, quarum nomina ignorantur: quin nec de illarum, quas recitavimus, ordine, Scriptores conſentiunt. Quam enim nos, Occonem ſequuti, tertiam fecimus Anniam Fauſtinam, alii, cum Strada, primo loco collocant.

ALEXANDER SEVERVS.

ALexander Severus, *Julia Mamæa*, quæ Mæſæ filia, Socmiæ ſoror, *Vari* uxor fuit, ac, ut fœmina ſancta & bonis moribus prædita celebratur, matre editus eſt. Plenum in Numis nomen

exhibetur: M. AVRELIVS SEVERVS ALEXANDER. In pueritia clarus ingenio, manu promtus, tam civilibus, quam militaribus artibus eſt inſtitutus: itaq; Princeps evaſit optimus: quam dignitatem, conſilio Senatus, &, quod rariſſimum, citra ſanguinem, ne uno, quidem occiſo, impetravit. *Juſtitiæ* ſedulus fuit exactor, inque eos, qui favore aut pretio corrupti, jura adulteraverant, ſevere animadvertit. Adulatores ſcurrasq; aula expulit. Magiſtratus venales eſſe prohibuit, aſſerens non poſſe fieri, quin quod emiſſet aliquis, hoc venderet. *Vetronium Turrinum*, cæteroquin ſibi familiarem, quod Reſponſa Principis accepta mercede fingeret, fumo neci tradidit, edicente palam Præcone: *Fumo punitur, qui fumum vendidit.* Ajunt, *Severum a Chriſto non abhorruiſſe*: cumq; divinos honores illi publice habere, ac templum condere a Senatu prohiberetur, huncServatorem noſtrum privatim in larario coluiſſe. Nihilominus ne ſic quidem plena tranquillitateChriſtiani gaviſi ſunt, ſed multi eorum, & inter cæteros, *Caliſtus*, & *Vrbanus*, Epiſcopi Romani, ad ſupplicium fuere rapti: cujus rei cauſam in *Vlpianum JCtum & Præfectum Prætorio*, vulgo conjicere ſolent, qui ſive connivente, ſive inſcio Severo, odio, quo Chriſtianos proſequebatur, indulſerit. At vero Severus, adverſus *Artaxerxem Perſarum Regem*, qui, *Artabano* Parthico Regno exuto & ad Perſas poteſtate translata Syriæ imminebat, expeditionem ſuſcepit. In ea militarem diſciplinam ſedulo obſervavit, tali dicto raptores milites increpans: *Viſne hoc in agro tuo fieri, quod in alieno facis?* Clamabat idem ſæpe a Chriſtianis perceptam ſententiam: *Quod tibi non*

vis

vis fieri alteri ne feceris. Cæterum, poſt nonnullas acceptas clades, tandem *Artaxerxem ſuperavit*, etiamſi ſeptingentos elephantos, & currus falcatos mille haberet octingentos; captis elephantis trecentis, ducentis interemtis, & præterea cataphractorum millibus decem. Confecto bello Perſico, *novum adverſus Germanos ſuſcepit*, ut eos populos, Gallias infeſtantes conpeſceret. In hoc, conſpiratione paucorum militum, quibus, Herodiano teſte, Maximinus facem ferrumque prætulit, una cum matre Mamæa, cui ſe, quamdiu vixerat, incredibiliter morigerum præbuit in rebus omnibus, interfectus eſt Severus Moguntiæ A. C. 235. Imperavit annos paulo plus 13. vixit 29. cum menſibus tribus.

Alexander Severus inivit primo matrimonium cum MARCIA, *Marciani* filia. Patris inſidiis cum impeteretur, detecta conjuratione ipſum interemit, uxorem expulit. Poſtea duxit SVLPICIAM MEMMIAM, *Sulpicii* Conſularis filiam, ex qua filium ſuſcepit, qui infans extinctus eſt.

MAXIMINVS.

MAximinus, patre *Micca*, Gotho, matre *Hababa*, Alana genitus, in prima pueritia paſtor & opilio in montibus Thraciæ, natali ſuo ſolo, fuerat. Integrum nomen eſt C. JVLIVS VERVS MAXIMINVS. Interfecto Severo, a militibus Auguſtus dictus eſt. Confecto proſpere bello Germanico, apud *Sirmium* hyemavit, ac interim Romæ, crudeliter, per Præfectos graſſatus eſt, nobiliſſimos quosque, imprimis vero conſcios humilis ſuæ proſapiæ, e medio tollens. Erat *forma corporis tam auguſta*, ut proceritate, & oculorum

lorum magnitudine omnes ſuperaret, pedes enim octo exceſſit. Et vero, in magno corpore, magna quoque fuit voracitas, libris *40. carnis & vini amphora Capitolina*, una cœna frui ſolitus. A Senatu Romano, cum ob crudelitatem hoſtis judicatus eſſet, legiones Africanæ, M. ANTONIVM GORDIANVM AFRICANVM, Proconſulem, jam octoginta annos natum, una cum Filio, qui in Numis, ſed iis rarisſimis, C. M. ANTONIVS GORDIANVS AFRICANVS, appellatur, Imperatorem ſalutant; quod factum Senatus approbavit. At, *Capellianus*, Maurorum Præſes, cum a partibus Maximini eſſet, Gordianum filium haud multo poſt vicit peremitque; patrem vero ſenem eo deſperationis redegit, ut laqueo gulam ſibi frangeret. Hujus rei fama cum Romam pervaſiſſet, Senatus, *Pupienum & Balbinum* Auguſtos fecit, iis, Prætoriani, *Gordianum*, ſenioris, ſive ex filio, ſive ex filia nepotem, adjunxere. Oppoſuit quidem ſe illis Maximinus, ſed cum *Aquilejam* fruſtra tentaſſet, fameque, quia Pupienus omnia loca interceperat, laboraret, ac in milites ſæviret, una cum filio C. JVLIO VERO MAXIMO, inſolentiſſimæ ſuperbiæ, in caſtris obtruncatus eſt, cadavera canibus expoſita, & capita, contis affixa, Romam miſſa ſunt. Annos autem duos, & menſes aliquot, ſummam poteſtatem adminiſtrarunt. Filium, tanta Capitolinus dicit fuiſſe pulchritudine, ut caput mortui, etſi jam nigrum & deformatnm, videretur eſſe caput Vmbræ pulcherrimæ.

Obiter indicandum hoc loco, a quibusdam, quamvis minus ex vero, & per meram fabulam, apud

apud Zonaram proditum eſſe, Gordianum patrem ex morbo deceſſiſſe; Filium, eo mortuo, Perſis bellum intulliſſe, dumque in pugna, equo incitato, aciem circumvolitans, ſuos ad rem ſtrenue gerendam cohortatur, ex equi lapſu femur fregiſſe: cumque Romam hanc ob cauſam perferretur, nec mederi ei quisquam poſſet, ibi deceſſiſſe ſexto anno imperii.

Maximini Conjux fuiſſe fertur PAVLINA, cujus armillâ ipſe pro annulo utebatur: *Maximus* vero Filius ejus, JVNIAM FADILLAM, Antonini Pii Imp. Proneptem, uxorem habuit: quæ, poſt ejus cædem, *Toxotio* Senatori nupſit.

Gordianus, *Africani* cognomen ſumſit, non eam ob cauſam, quod in Africa proconſulare gerens munus, Imperator creatus eſt, ſed quia ex *Scipionum familia*, qui Africani cognominati ſunt, genus repetebat. In conjugio vixit cum FABIA ORESTILLA, Antonini pronepte, ex qua Filium ſuſcepit, quem Auguſtum appellavit; itemque *Fabiam Oreſtillam*, nuptam *Junio Balbo*, Viro Conſulari, quæ, ex aliquorum opinione, peperit *Gordianum III.*

PVPIENVS, & BALBINVS, itemque GORDIANVS III.

PVpienus, & *Balbinus*, cum *Gordiano* puerô, Gordiani ſenioris nepote, &, quem *Tertium* cognominant, annum unum tenuere Rempublicam. Primus, in Numis plene, M. CLODIVS PVPIENVS MAXIMVS; alter, D. CÆLIVS BAL-

BALBINVS vocatur, ubi literam D. malim *Decius*, quam cum Strada *Didius* interpretari: tertius, M. ANTONIVS GORDIANVS appellationem habet. *Pupienus*, domi foriſque ſeverus fuit, ita ut & *Triſtis* cognomen acceperit. Juſtitiam coluit, eamque fortaſſe ob cauſam opibus haud abundavit admodum. Cum exercitu contra Maximinum, qui bellum ſummo ſtudio ad Ravennam parabat, proficiſcenti, capita Maximini patris & filii Maximi, miſſa ſunt, quæ ille Romam deferri juſſit. *Balbinus*, ſanctitate & verecundia ingentem favorem ſibi conciliavit; fuitque ſtatura procerus, eloquentia clarus, ſed voluptatibus deditus, quas divitiarum copia adjuvabat. Majores ejus, ex Gadibus Hiſpaniæ, cum Pompejo Magno Romam venerant. Eo in Vrbe Imperium contra Maximinum adminiſtrante, maxima fit *ſeditio inter Prætorianos & Populum*, ita ut potiſſima pars incenderetur & conflagraret, templa fœdarentur, plateæ omnes cruore polluerentur: nec ſedari ea prius potuit, donec Balbinus Gordianum purpuratum produxit. Quo viſo, illius amore, Prætoriani cum Populo in concordiam redierunt, eumq; Imperatorem conſtituerunt. Haud multo poſt, Pupienus & Balbinus *Gordianum* amoliri cupientes, a militibus, quibus, quod a Senatu, ſine ſuo interventú electi eſſent, inviſi erant, trucidati ſunt, atq; ex eo tempore Gordianus ſolus imperavit, haud ultra quam 11. vel, ut ab aliis proditum eſt, 13. annos natus, ſed præditus optima & ad virtutem facta indole, quam *Miſithei*, Præfecti Prætorio, prudentis ac egregii viri, cujus filiam conjugem duxerat, ſa-

pien-

pientia, optime promovit. Cum hoc Miſitheo Gordianus, aperto Jano Gemino, anno quinto Imperii, adverſus *Perſas* profectus eſt, ab iisque *Antiochiam*, *Carras*, *Niſibin*, *aliasq. Vrbes recepit*, *Saporemq.* victum ex Syria ſubmovit. Anno inſequente, cum *Philippi Arabis inſidiis ſublatus eſſet Miſitheus*, idem Philippus, mox etiam militum animos a Principe abalienavit: nam & ſtipendia illorum, Principis juſſionem, etſi falſo, prætendens, minuit, & frumentum in caſtra perferre prohibuit, hoc ipſo facile impetrans, ut Imperatorem, apud Cteſiphontem in Aſſyria, perimerent, cum regnaſſet ſexennium, vixiſſet annos 22. Sepulchrum ei in finibus Perſidis poſitum, hac inſcriptione: *Divo Gordiano, Victori Perſarum, Victori Gothorum, Victori Sarmatarum, Depulſori Romanarum Seditionum, Victori Germanorum, ſed non Victori Philipporum.* Gordiani interfectores, non melior ſors, quam Cæſaris quondam percuſſores manſit: omnes enim, Capitolino teſte, propriis manibus ſuum ferrum in viſcera adegerunt.

Miſithei filiæ, quam Gordianus duxerat, nomen fuit FVRIA SABINA TRANQVILLINA.

PHILIPPVS ARABS.

PHilippus Arabs, in Numis M. JVLIVS PHILIPPVS dictus, patre latronum ductore natus, occiſo ſua fraude Gordiano, Imperium in Oriente arripuit. Senatus quidem percepta Gordiani morte, id M. MARCIO. *cuidam*, ſapientiæ, & Philoſophiæ ſtudiis claro, ac cum is mox e morbo in palatio deceſſiſſet, *Hoſtiliano*, ſive, ut in Numis integrum nomen habet, L. AVRELIO SEVERO HOSTILIANO, detulerat: ſed

cum & hic vena male ſecta celeriter moreretur, toleravit Philippum. Is, facta cum *Sapore* Rege pace, & inſtaurata in Arabia *Bozra* urbe, ac a nomine ſuo denominata, Romam venit, & filium collegam adſcivit, puerum triſtiſſimo animo, &, qui nullo unquam joco in riſum ſolvi poterat, atque adeo patrem, in ludis theatralibus effuſius cachinnantem, averſo vultu quaſi increpabat. Hic, cum prius appellaretur C. JVLIVS SATVRNINVS PHILIPPVS, accepto Imperio, in nomina Patris, quod multi docent Numi, tranſiit. Horum Auguſtorum auſpiciis, *Annus milleſimus Vrbis conditæ*, ſumma ſolemnitate celebratus eſt, in qua exhibiti Elephanti 32. Alces 10. Tigres 10. Leones manſueti 60. Leopardi 30. Hyænæ 10. Gladiatorum paria mille, Rhinoceros unus, Equi feri 40. & alia ejusmodi animalia, quæ Gordianus antea ad triumphum Perſicum paraverat. Populus, (mirum dictu) tribus diebus, totidemque noctibus continuis pervigil, in Pompeji theatro ſcenicos ludos ſpectavit, funalibus atque lychnis tenebras vincentibus. Extant *Numi* varii, hujus celebritatis memoriam ſervantes, quorum aliqui Lupam exhibent, cum Romulo & Remo: in aliquibus eſt Virguncula, dextra globum tenens cum inſidente Phœnice, vero æternitatis ſymbolo: atque adeo, ſi Occoni fides, omnia animalium genera in Numis formata deprehenduntur, quæ in ludis fuere producta.

Multi, Euſebium ſecuti, *Philippum Chriſtianum fuiſſe* perhibent. Sed merito Scaliger in Notis ad Euſebium n. 2260. contrarium defendit, atque *Epiſtolas quæ Origenis nomen præferunt*, & ab

eo

eo ad Philippum ac Conjugem ejus ſcriptæ dicuntur, explodit. Veri ſpeciem habet Baronii conjectura, cui etiam Caſaubonus accedit, confudiſſe quosdam Philippum Arabem, cum Philippo Auguſtali, S. Eugeniæ parente. Autori Anonymo, e quo Excerpta aliqua Ammiano Marcellino in recentibus Editionibus ſubjunguntur, viſum, *ad hoc tantum Philippum a quibusdam conſtitutum fuiſſe Chriſtianum, ut milleſimus Romæ annus, Chriſto potius, quam idolis dicaretur.* Cæterum, cum *ad Scythas compeſcendos* mitteretur *Decius*, hic ſtatim a militibus, quanquam invitus, Imperator ſalutatus eſt. Adverſus quem cum Philippus profectionem ſuſciperet, ipſe Veronæ, filius vero duodecennis Romæ, a Prætorianis, fuere peremti, anno 5. uſurpatæ poteſtatis.

Philippi Imp. uxor, ex qua Philippum filium procreavit, fuit MARCIA OTACILLA SEVERA.

Regnante Philippo, Imperium in Oriente occupavit quidam JOTAPIANVS, quod mox una cum vita amiſit. Eodem tempore, in Pannonia, vel Mœſia, PVBLIVS CARVILIVS MARINVS, a Legionibus præſidiariis Imperator ſalutatus eſt, nec multo poſt trucidatus.

DECIVS.

MEſſius Decius, ſive, CNEVS MESSIVS QVINTVS TRAIANVS DECIVS, ab Illyrico exercitu Imperator ſalutatus, filium *Etruſcum Decium*, vel, ut Numi plene vocant, Q. HERENNIVM ETRVSCVM MESSIVM DECIVM, volente Senatu collegam fecit. Vir erat bonitate Trajano par, omnibusque artibus & virtutibus inſtructus, unde *Optimi* cognomen,

a Senatu promeruit. Idem & *Pater Patriæ* dictus; poſtquam jus Tribunitiæ poteſtatis, quod Auguſtus ſibi in perpetuum vindicaverat, arbitrio Senatus Populique Romani permiſit. Sed illud in vitio ponendum, quod *in Chriſtianos vehementer deſæviit*, ac publico edicto propoſito omnes necare juſſit. Profectus adverſus Gothos, Danubium transgreſſos, eos in Mœſia aliquoties vicit, & in tantas incitas redegit, ut relicta omni præda, ſe Iſtrum trajecturos ultro offerrent. Oppreſſiſſetq; Barbaros, niſi *Trebonianus Gallus*, limitis Mœſiæ Præſes, conſilia Principis hoſti aperuiſſet. Ita circumventus, exercitum magna ex parte, una cum filio amiſit, ipſe vero manus hoſtiles evadere cupiens, *gurgite paludis* ſubmerſus eſt, ſicut ne cadaver quidem inveniri potuerit. Imperavit menſes 30. vixit annos 50.

Hujus Conjugem fuiſſe CNEAM SEIAM HERENNIAM SALLVSTIAM BARBIAM ORBIANAM, quidam ex Numis probare ſatagunt, quam tamen alii, ejus filio, Valenti Hoſtiliano, qui in Numis, C. VALENS HOSTILIANVS MESSIVS QVINTVS vocatur, nupſiſſe perhibent.

VIBIVS TREBONIANS GALLVS, & VOLVSIANVS.

VIvis adhuc Deciis, LVCIVS PRISCVS, Macedoniæ Præſes, Imperator appellatus eſt; ac per eadem tempora M. PERPENNA LICINIANVS ſummam poteſtatem affectavit, peſte paulo poſt extinctus.

Ambobus Deciis e medio ſublatis, *Vibius Trebonianus Gallus*, ejusque filius *Voluſianus*, integre

ex Numis, C. VIBIVS TREBONIANVS GALLVS, &, C. VIBIVS VOLVSIANVS vocandi, rem Romanam per biennium ac menſes 4. moderati ſunt, nulla re geſta memorabiles. Infamant potius hæc tempora *Scytharum* per Thraciam, Dardaniam, Theſſaliam, imo & Cappadociam, depopulationes: *Perſæ* vero, Meſopotamia & Syria vaſtata, Antiochiam expugnarunt. In tanta Barbarorum eluvie, *unus C. IVLIVS ÆMILIANVS*, limitis Sarmatici Præſes, Gothos aggredi auſus eſt: cumque bene rem geſſiſſet, omnemque prædam militibus permiſiſſet, ideo ab iis Imperator ſalutatus fuit. Hunc deturbatum profectus Vibius, in primo congreſſu, a ſuis Legionibus deſertus, una cum filio apud Interamnam trucidatur, A. C. 254.

Patri, HOSTILIA SEVERA, Filio, HERENNIA ETRVSCILLA, Decii Imp. filia, connubio junctæ fuere.

VALERIANVS.

ÆMilianus, cum ſignificaſſet Senatui, ſe Imperatorem lectum eſſe, eique ſimul promiſiſſet, ſe Barbaros Thracia, Perſas Syria & Meſopotamia expulſurum, in poteſtate confirmatus eſt. At, bello illo nondum cœpto, milites in Alpibus, Valerianum, ſive, PVBLIVM LICINIVM VALERIANVM, cui Aurelius Victor, *Colobii* cognomentum inditum fuiſſe ſcribit, Imperatorem crearunt, ſenem ſexagenarium, qui Vrbis Cenſura optime functus erat. Quo audito, reliquus exercitus, ne civili implicaretur bello, & conſiderata humili Æmiliani origine, Valeriani vero nobilitate,

tate, Æmilianum, cum tribus imperaſſet menſibus, obtruncavit. Cæterum Valerianus, GALLIENVM filium, collegam adſcivit, ac per *ſexennium* imperavit. Cum adverſus *Scythas*, a quibus capta Chalcedon, Nicæa ſuccenſa, Epheſinæ Dianæ templum crematum fuerat, iviſſet Valerianus, indeque contra *Saporem*, limites Orientis infeſtantem, profectus eſſet, ab eo captus, & viliſſimi mancipii loco habitus fuit, in tantum, ut equum conſcenſurus Sapor, Valeriano incurvato pro ſcabello uteretur. Tandem vero cute ipſum nudatum, & ſale conſperſum, miſerrimo ſupplicio peremit. Cauſam, quare ita degluptus fuerit Valerianus, non memini me legere præterquam apud Lactantium in libello de Mortibus perſecutorum. Is veró prodidit, direptam & exutam viſceribus pellem, rubro colore infectam fuiſſe, ut in templo barbarorum Deorum, ad memoriam clariſſimi triumphi poneretur, Legatisque Romanis ſemper eſſet oſtentui, ne nimium Romani viribus ſuis fiderent, cum exuvias capti Principis apud Deos ſuos cernerent. Fuit Valerianus ſeptuagenario major cum crudele exemplum in eum ſtatueretur: imperavit annos 15. nec eo quisquam inter Imperatores, miſer magis, magisq; calamitoſus extitit.

Bis Conjugium inivit Valerianus, *primæ* autem *uxoris*, quæ Gallienum peperit, nomen ignoratur. Altera, ex qua *Publius Licinius Valerianus* junior natus eſt, MARINIANA vocabatur.

Antequam Valerianus profectionem contra Perſas ſuſcepiſſet, adverſus eum M. CYRIADES Imperator creatus fuit, mox e medio ſublatus. Rebellavit & in Pannonia D. LÆL. INGENVVS, ſed,

ſed, qui prælio a Gallieno victus, ſeipſum interfecit.

GALLIENVS.

PVBLIVS LICINIVS GALLIENVS, capto patre ſolus rebus præfuit, luxui, & ſocordiæ tantopere deditus, ut de patre liberando nihil cogitaret; imo, quod Pollio obſervat, Patris captivitate ſupra modum lætatus eſt, quia ſic licentius, ac ſine cenſura parentis, quam graviter ferebat, laſcivire poterat. Ob hujus igitur ignaviam, certatim Barbarorum incurſionibus Romana res lacerata eſt. Germanis, non ſatis erat per Gallias in Hiſpaniam decucurriſſe, Tarraconem expugnaſſe, ſed & in Italia, Ravennam usque penetraverunt. Græcia, Macedonia, Pontus, Aſia, Gothorum incurſionibus patebant: Dacia, ultra Danubium provincia, omnis amiſſa: Pannonia a Sarmatis, Quadisque populata: Perſæ, Meſopotamiam Syriamque pervagati, impune prædam agebant. Ad hæc *XXX. quoq; Tyranni* orti, quolibet Præſide ad ſe imperium trahente, dum Gallienus interim defectionem Provinciarum riſu excipiebat, inquiens: *Quid? ſine lino Ægyptio eſſe non poſſumus? quid? ſine deliciis Aſiæ eſſe non poſſumus? num ſine trabeatis ſagis Gallicis tuta eſſe Reſp. non poteſt?* Per hos tamen Tyrannos, in tanta Principis væcordia, ſervatum utcunque fuit Imperium. Cæterum Gallienus, hortatibus *Martiani & Cecropii* Ducum ſuorum, ad compeſcendum AVREOLVM tyrannum excitus, in Galliam iter movens, prope Mediolanum, una cum fratre PVBLIO LICINIO VALERIANO occiſus eſt, cum ſolus octo *annos* tenuiſſet imperium.

HELE-

Helena, prima Gallieni Conjux, nullos ei liberos peperit, nec diu fuit ſuperſtes. Ex altera Cornelia Salonina, *P. Licinium Cornelium Saloninum Valerianum*, qui in juventa obiit, & *Quintum Julium Saloninum Gallienum*, a Gallis necatum, ſuſcepit. Cum Gallienus Aureolum Mediolani obſideret, Salonina quoque in caſtris fuit, eamq; pæne hoſtes cepiſſent. Nam, cum ii vallum a paucis militibus cuſtodiri animadvertiſſent, Imperatoris tabernaculum invaſerunt, Imperatricis rapiendæ cauſa; ſed miles quidam gregarius, ante tabernaculum forte fortuna ſedens, calceum pedi detractum conſuebat. Is, arrepto clypeo & pugione, in eos ferociter irruit, & uno atque altero percuſſo, cæteros perterritos repulit, & ſic plurium concurſu Auguſta erepta eſt. Saloninam, cum Pipara Marcomannorum Regis filia, quam perdite Gallienus amavit, & cujus patri partem ſuperioris Pannoniæ conceſſit, ſed, quæ Concubina tantum erat, quidam confundunt.

Facienda nunc XXX. TYRANNORVM *ordine recenſio.*

I. ODENATHVS, capto Valeriano Imperatore, congregata militum & agreſtium manu, in Syria res Romanas tueri cœpit, ideo Imperator a ſuis ſalutatus. Cum *Zenobia* conjuge, & filio majore natu *Herode*, ex alia uxore ſuſcepto, adverſus *Perſas* profectus, Meſopotamiam & Niſibin iis extorſit; ac Cteſiphontem usque arma proferens, Saporem cum liberis in fugam vertit, gazam regiam & concubinas cepit. Ob res tam proſpere geſtas, Gallienus, prout eſt apud Pollionem in vita ejus, Odenathum participato Imperio Auguſtum

ſtum vocavit, ejusque monetam, qua Perſas captos traheret, cudi juſſit, quod & Senatus, & Vrbs, & omnis ætas gratanter accepit. Poſt hæc vero Odenathus, a Mœonio conſobrino ſuo, indigniſſime fuit occiſus.

II. HERODES, qui & HERODIANVS dicitur, Odenathi filius, cum Patre Imperator ſalutatus eſt, & una cum eodem periit.

III. ZENOBIA, Odenathi Conjux, a *Ptolemæis*, Ægypti Regibus, genus repetens, poſt mariti obitum, Romanorum in Oriente rexit Imperium. Erat ſpecie corporis inſigni, ſubfuſca aliquantulum, & corpus habebat ad bellicos labores induratum, pedes ſæpe cum copiis ſuis inter faciens. Ingenium ei acre, humanitatem & clementiam cum conſtantia, fortitudine, ac morum ſeveritate miſcebat; caſtitatis tantæ, ut viro nunquam niſi prolis ſuſcipiendæ cauſa jungeretur. Græci, Ægyptiiq; ſermonis peritiſſima fuit, nec Latini ignara. Ad conciones galeata procedebat, cum limbo purpureo, gemmis dependentibus. Gente judæa, humaniores literas a Sophiſta *Longino* didicit: avida quoque Chriſtianorum ſacra ſciendi, infelici fato in *Paulum Samoſatenum* incidit. *Orientalem, Alexandrinamq; hiſtoriam* in compendium redegiſſe dicitur. Huic Aurelianus, regiones quas Gallienus conceſſerat, aut quas illa occupaverat, rurſus ademturus, in Aſiam cum exercitu proficiſcitur, & Ancyram, Tyanam, cæterasque urbes usq; ad Antiochiam, ſuæ poteſtatis facit, nec minus Zenobiæ copias, prælio commiſſo, ſtrategemate, dum fugam, quippe Palmyrenis equitatu inferior, ſimulat, fundit fugatque. Zenobia tum Antiochiæ

erat,

erat, quam ut ſalvam, Zabas ejus Dux, antequam ad cives nuncius de clade perferretur, inde educeret, ſemicanum hominem, Aureliano ſimilem, quaſi captum Imperatorem, per urbem duxit, atque ſic ille aſtu victus, Zenobiam pari dolo liberavit, ne a civibus, de quorum fide dubitabat, Aureliano traderetur. Commiſſum deinde alterum prælium, ad Emeſam, Syriæ mediteraneam urbem, in quo non victa tantum rurſus Zenobia, ſed & capta fuit, eamque Romam translatam, Aurelianus cum filiis, in triumpho duxit. Eandem tamen poſtea liberam eſſe juſſit, in Tyburte poſſeſſione ei conceſſa, ubi honeſte ageret. Regnaverat 8. fere annis in Oriente.

IV. HERENNIANVS, a matre Zenobia Cæſar appellatus, cum ea ab Aureliano victus captusque fuit.

V. TIMOLAVS, alter Zenobiæ filius, idem fatum expertus eſt.

VI. VHABALLATHVS, tertius Zenobiæ filius, a Matre ad Romanos defeciſſe dicitur.

VII. MOEONIVS, aliis MÆONIVS, Odenathi conſobrinus, Odenathum, ceu dictum eſt, cum filio Herode vita privavit. Ajunt *Zenobiam* non ignaram cædis fuiſſe, quæ dolenter admodum ferebat, privignum ſuis filiis anteponi. Mœonius per errorem Imperator appellatus, brevi poſt ſcelerum pœnas dedit.

VIII. MANIVS ACILIVS AVRELIVS, qui & AVREOLVS dicitur, Dux exercitus Illyrici, in contemtum Gallieni, a militibus Imperator declaratur, contra quem, ut virum fortem, cum Gallienus ſæpe pugnaſſet, communicato cum eo Imperio,

perio, pacem fecit. Hunc, quia gravior Reip. fuerat, Claudius Imp. & poteſtate, qua per annos 8. gaviſus eſt, & vita, prope Mediolanum exuit.

IX. M. FVLVIVS MACRIANVS, Vir fortis, & minime malus, ſub Valeriano in Oriente bella ſuſcipiens, rem feliciter geſſit cum *Perſis*, eoque ſucceſſu inflatus, purpuram induit. Italiam infeſto exercitu petens, victus ab *Aureolo*, ſive Duce illius *Domitiano*, in Illyrico, vel Thraciæ finibus oppreſſus eſt.

X. Q. FVLVIVS MACRIANVS, a patre, *M. Fulvio* Imperator appellatus, cum eo ſimul occiſus eſt.

XI. CN. FVLVIVS QVIETVS, Quinti frater, & ipſe a patre, Macriano ſeniore, Imperator eſt appellatus. Quem *Odenathus*, de patris fratrisque interitu certior redditus, ſimiliter e medio ſuſtulit.

XII. SER. ANICIVS BALISTA, vir inſignis, eruditus, in conſiliis prudens, in expeditionibus clarus, ad Remp. gerendam ſingularis, in Aſia Imperator appellatus eſt. Sed eum, occiſo jam Quieto, gregarius miles, in Odenathi gratiam, peremit.

XIII. P. VALERIVS VALENS, Proconſul Achajæ, ob invidiam in Macrianum, in Macedonia Imperator appellatus, haud multo poſt fuit occiſus.

XIV. L. CALPVRNIVS PISO, vir Conſularis, ex Piſonum nobili familia ortum trahens, tantæ fuit virtutis, ut ſimilem ei Respub. Romana tum non habuerit. A *Macriano* ad interficiendum *P. Valerium Valentem* miſſus, in Theſ-

ſaliam conceſſit, atque ibi Imperium ſumſit. Sed, miſſis a Valente percuſſoribus, trucidatur paulo ante quam a ſuis Valens occideretur.

XV. TI. CESTIVS ALEXANDER ÆMILIANVS, apud Ægyptios, in Gallieni odium coactus fuit ſuſcipere Imperium, conſentiente exercitu Ægyptio. Thebaidem & Ægyptum peragravit, Barbarorum gentes ſubmovit, & , aliquorum opinione, ob virtutum merita, *Alexander* dictus eſt. Cum in *Indos* pararet expeditionem, a *Theodato* captus, & Gallieno miſſus, in carcere ſtrangulatus fuit, cum haud anno integro poteſtatem uſurpaſſet.

XVI. M. CASSIVS LATIENVS POSTVMVS, quem vulgo perperam *Poſthumium* vocant, occiſo *Q. Julio Salonino Gallieno* Cæſare, altero Gallieni filio, Imperium apud Gallos invaſit, tenuitq; per annos ſeptem. Hic apud illam gentem in ſummo amore fuit & exiſtimatione: quippe, ſubmotis Germanis, ſecuritatem priſtinam reſtituit. Sed, a rerum novarum cupidis occiſus eſt una cum filio.

XVII. C. JVNIVS CASSIVS POSTVMVS, M. Caſſii Latieni Poſtumi filius, adoleſcens fuit omnibus literis inſtructus, & tam diſertus, ut dicendo valeret; ſimul autem, ceu innuimus, cum patre apud Gallos ab equitibus Romanis vita fuit privatus.

XVIII. Q. NONIVS REGILIANVS, in Pannonia creatus eſt Imperator, Dacus patria, Decebali propinquus. Contra *Sarmatas* egregie rem geſſit, ſed a ſuis, ne Gallienus quid gravius in eos ſtatueret, eſt peremtus.

XIX. SEX.

XIX. SEX. JVLIVS SATVRNINVS, in Ægypto a militibus coactus Imperium ſuſcepit. Vir fuit prudentiæ ſingularis, & militaris diſciplinæ obſervantiſſimus. Poſt multa ſtrenue geſta, a militibus, quibus ob ſeveritatem inviſus eſſe cœpit, fuit jugulatus, anno primo exercitæ poteſtatis.

XX. C. ANNIVS TREBELLIANVS, in *Iſauria* Princeps, ipſe ſe Imperatorem dixit, atque anguſtiis locorum munitus, aliquandiu apud *Cilices* poteſtatem adminiſtravit. Tandem a *Cauſiſoleo*, Gallieni Duce, natione Ægyptio, Theodoti, qui Æmilianum ceperat, fratre, in plana evocatus, victus & occiſus eſt, cum biennium imperaſſet.

XXI. T. CORNELIVS CELSVS, in Africa Imperator factus eſt, ob corporis magnitudinem, & juſtitiæ ſtudium. Sed mox die abhinc 7. inſidiis *Gallienæ*, Gallieni conſobrinæ, periit. Cadaver canes dilacerarunt.

XXII. AP. CLAVDIVS CENSORINVS; Conſulatu & Præfectura functus, ſenex, & altero pede, ob vulnus quod in Perſico bello acceperat, claudus, in agro ſuo, degens, a militibus raptim Imperaror creatus fuit: qui tamen haud multo poſt illum interemerunt, cum rigorem diſciplinæ ejus ferre non poſſent.

XXIII. SPVRIVS SERVILIANVS LOLLIANVS, *Poſtumum* in Gallia interemit, ac in ejus locum a militibus imperator deſignatus eſt, qui tamen cum nimium laboris videretur imponere, iis odio eſſe cœpit, ita ut vita illum dejicerent.

XXIV. L. POMP. ÆLIANVS, *Moguntiaci*, in Germania, Imperium arripuit, quo, quin & vita pariter, milites, haud anno integro eum frui paſſi ſunt.

XXV. M. AVRELIVS VICTORINVS, in *Gallia* Imperator appellatus eſt, vir fortis, multisque abundans virtutibus. Sed, quia corrumpendis militum uxoribus operam dabat, breve ſibi imperium fecit, & a milite quodam, Coloniæ Agrippinæ occiſus eſt.

XXVI. L. AVRELIVS VICTORINVS, a patre Imperator appellatus, cum eodem interficitur.

XXVII. M. AVRELIVS MARIVS. Fuit fabro ferrario natus, &, cum Imperator in Gallia factus, ad milites verba faceret, his omnino verbis uſus eſt: *Scio, commilitones, mihi objici poſſe artem priſtinam. Nihil refert. Vtinam ſemper ferrum tractem, non floribus, non popinis, non mulierculis deditus; qualis Imperator Gallienus eſt. Cladibus ſuis diſcant exteræ gentes, Romanorum populum ferreum eſſe, ſub Principe, qui nihil melius tractare ſciat quam ferrum.* Vir fuit roboris inuſitati, ita ut digito ſalutari currus ſiſteret, ejusque contactu haud minorem dolorem inferret, quam alii fuſtis percuſſione. Occiſus eſt a milite, triduo poſt evectionem in dignitatem, cum hac exprobratione priſtinæ conditionis: *Hic eſt gladius, quem ipſe feciſti.*

XXVIII. P. PIVESVS TETRICVS, Galliæ Præſes, ſuadente *Aurelia Victoria*, M. Aurelii Victorini matre, Imperium ſuſcepit. Sed, cum militum inſolentiam ferre non poſſet, maluit

Aure-

Aureliano ſeſe dedere, quam perfidis imperare, literis occultis, adventum ejus, Virgiliano illo,

Eripe me his, invicte, malis,

ſolicitans. *Aurelianus*, quamvis eum in triumpho duxiſſet, tamen poſtea in ſummo honore habuit.

XXIX. C. PIVESVS TETRICVS, cum Patre Imperator appellatus eſt, & cum eodem in triumpho ductus. Poſtea vero omnibus Senatoriis honoribus perfunctus fuit.

XXX. VICTORIA: ea, VICTORINA quoque dicitur. M. Aurelii Victorini mater fuit, quanquam aliqui Conjugem faciunt. Hæc, ubi *Filium* & *Nepotem*, *Poſtumum* quoque, *Lollianum* & *Marium* interemtos vidit, *Tetricum* ad Imperium capeſſendum adhortata eſt. Id honoris meruit, ut *Mater caſtrorum* vocaretur. Tetrico imperante peremta fuit; quidam tamen mortem obiiſſe perhibent.

Notandum, nonnullos *Victoriam*, una cum *Zenobia*, ob ſequiorem ſexum, e catalogo Tyrannorum expungere, atque ut tricenario numero ratio conſtet, earum loco, CYRIADEM & DECIVM LÆLIVM INGENVVM inſerere, quos nos in Valeriani vita recenſuimus.

CLAVDIVS.

OCciſo Gallieno, M. AVRELIVS CLAVDIVS, Gordiano, ut multi ſcribunt, ſatus, in *Illyria*, vel, ut aliis placet, in *Dalmatia*, obſcuris parentibus genitus, Gallieni morientis ſententia, a militibus, ad imperium vocatus eſt, eiq; per *biennium* fere præfuit. Princeps erat ſtaturæ proceræ, oculis ardentibus, vultu lato, manu robu-

robuſtus, ut qui ſæpe equis & mulis, ictu pugni, dentes excuſſerit. Erat quoq; integer vitæ, benignus omnibus, adverſus nemini. Reip. inſigniter utilis extitit. Leges enim optimas condidit, Scytharum ac Gothorum in Mœſia, Thraciave, ad trecenta viginti quinque millia delevit, GOTHICVS, ideo cognomento, etiam in Numis dictus. Nec minus & *Alemannorum* ad Benacum lacum, in Italia, magnam ſtragem edidit. Poſtea *Aureolo*, Illyrici tyranno, ad Mediolanum victo & cæſo, in Oriente *Zenobiam*, quæ Ægyptum ſubjugare ſatagebat, repreſſit. Quibus peractis, *Sirmii*, in Pannonia, peſte correptus deceſſit, tanto cum dolore Senatus, ut ei ſtatuam auream, prope ipſum Jovis ſimulacrum, in Capitolio, in Curia Clypeum aureum expreſſa vultus ejus imagine, poneret, & *Divum* appellaret. Eſt in Claudio memorabile, quod accepto imperio, cum in Senatu variarent ſententiæ, utris prius bello occurrere deberet, Tyrannisne an Gothis, ipſe *Gothos* cenſuit invadendos, quod hi Reipublicæ hoſtes, Tyranni, tantum Principis eſſent. At, fabuloſum eſt, quod uterque Victor prodidit, vetus *Deciorum exemplum*, qui pro ſalute Reip. ſe devoverunt, a Claudio eſſe renovatum, eumque ſic periiſſe. *Conjugis Claudii* nomen nos latet. Sterilis fuit, nec ullius prolis eum parentem fecit.

AVRELIANVS.

POſt Claudii obitum, M. AVRELIVS QVINTILLVS, frater ejus, vir morum ſanctiſſimorum, omnium judicio delatum ſibi Imperium ſuſcepit, quo tamen haud ultra XVII. dies gaviſus eſt. Nam *Aureliano* Imperatore creato, tum ejus cona-

conatibus impar Quintillus, neceſſitate coactus, aut, quod Zoſimus ſcriptum reliquit, ſponte Imperio ceſſit, venasq; ſibi incidit: vel, ceu apud alios legitur, a militibus obtruncatus eſt. Cæterum L. DOMITIVS AVRELIANVS, Sirmii, Pannoniæ obſcuro loco, vel, ut alii volunt, in Dacia Ripenſi, aut Mœſia, natus, inter meliores Principes locum ſibi vindicat, etſi ad *crudelitatem* paulo fuit propenſior, quippe qui multos Senatores leviſſimis de cauſis, e medio ſuſtulit. Ab eo victi ſunt *Alemanni & Marcomanni*, a quibus maximam cladem Romani prius acceperant, ita, ut Sibyllinos libros adeundos Aurelianus cenſuerit. Porro, *Thyanam* urbem, in Bithynia captam, a direptione, per ambiguitatem, qua uſus fuerat, ſermonis, liberavit: cum enim dixiſſet, *Canem in hoc oppido non relinquam:* capta urbe milites vim facere prohibuit, inquiens: canem negavi in hac urbe me relicturum; canes igitur occidite, ſed parcite civibus. Idem Aurelianus, ſuperavit in Gallia *Tetricum*, qui a militibus Imperator electus fuerat: *Zenobiam* quoque, haud longe ab Antiochia, non ſine gravi prælio cepit. Romam reverſus, *egit nobilem triumphum*, quaſi Receptor Orientis & Occidentis; currum præcedentibus Zenobia & Tetrico, quos ambos vivere permiſit, *Tetricum* Lucaniæ Correctorem faciens, *Zenobiam* vero in urbe retinens. Ab hac Regina familiam propagatam fuiſſe Eutropius & Hieronymus autores ſunt, eamque ſuam eſſe, ii, qui etiamnum Veronæ habitant, & quorum conſuetudine uſi ſumus, *Zenobii Comites*, pro certo nobis quondam aſſeverarunt. Apud Aurelium Victorem legitur, pri-

primum e Romanis Imperatoribus Aurelianum, innexuiſſe *Diadema* capiti ſuo, ac gemmis & aurata uſum eſſe veſte. Nec ſilentio prætereundum, *dilataſſe eum muros urbis, compeſcuiſſeq; turbas Monetariorum, quas, Feliciſſimo, Fiſci Procuratore interjecto, excitaverant*, ſeptem millium collecto exercitu. Tandem adverſus Perſas profectus Aurelianus, *Mneſthei* Scribæ perfidia, qui literas Imperatoris imitatus, multorum magnorum virorum nomina, quaſi ſupplicio deſtinata, in catalogum conjecerat, inter Byzantium & Heracleam a militibus trucidatus eſt, anno imperii vertente 5. Patefacta fraude in crucem actus eſt Mneſtheus; cadaver beſtiis pabulo fuit: Aurelianus *Divis* adſcribi meruit.

Vxorem Aurelianus habuit, SEVERINAM. Ejus Numus parvus ex ære, in noſtris conditur veteris Romanæ monetæ loculis. In adverſa parte caput eſt Imperatricis galeatum, cui circumſcribitur SEVERINA AVG. Pars averſa monſtrat Deæ imaginem, Veneris nimirum, nam addita habet verba VENVS FELIX. Siniſtra haſtam tenet, dextræ, Pomum ineſſe credidit Adolphus Occo. Sed eſt omnino, natus in uſum lætitiæ Scyphus, quem philtro repletum exiſtimaverim.

Aureliano imperante, FIRMIVS, Seleuciæ natus, Zenobiæ amicus & ſocius, Ægyptum occupavit, purpuram ſumſit, &, percuſſa moneta, Auguſtus appellatus eſt. *Cyclopem* plerique vocabant, ob corporis magnitudinem & robur, quod tantum erat, ut incudem ſuperpoſitam pectori, aliis tundentibus, conſtanter pertulerit. Ab Aureliano, Carris redeunte, victus & occiſus eſt.

CLAV-

CLAVDIVS TACITVS.

SVblato e medio Aureliano, *Interregnum fuit menſium circiter ſeptem*, *ob amicam raramq; in hanc diem contentionem*, quæ inter Senatum & milites orta erat, utriſque mutuo eligendi partes ſibi deferentibus. Tandem vero Imperator dictus eſt M. CLAVDIVS TACITVS, vir bonus, & Reip. adminiſtrandæ idoneus, quique (quod Lipſius ſuſpicatus eſt) ad celebrem *Romanorum Annalium conditorem genus* referebat, quem, *decies quotannis* deſcribi, & in publicis archivis collocari præcepit. Cæterum, electus, ſupplicio de Aureliani percuſſoribus ſumto, in *Aſiam* iter ſuſcepit, & *Scythas* per Mœotida paludem in Pontum & Ciliciam illapſos, redire domum compulit. Legem tulit, ut ſi argento publico privatoque æs, ſi auro argentum, ſi æri plumbum quis miſcuiſſet, id capitale eſſet, cum omnium bonorum publicatione. Plura meditantem, mors prævenit, quam ei febris *Tarſi* intulit, poſtquam menſes 6. in imperio fuerat. Ajunt hunc vitæ fuiſſe parciſſimæ, iiſdemq; tunicis ac togis Imperatorem uſum eſſe, quibus privatus induebatur.

Hoc quoque proditum eſt, vixiſſe Tacitum in conjugio cum Vxore fœcunda, ſed tam illius, quam liberorum nomina ignorantur. Fertur, maritum eam gemmarum uſu prohibuiſſe.

FLORIANVS.

POſt Tacitum, M. ANNIVS FLORIANVS, frater illius, ſed ex matre tantum, nullo Senatus arbitrio & quaſi hereditario jure ſibi debitum imperium invaſit, verum 60. diebus poſt,

a militibus, Tarſi, qui Probum electum eſſe inaudiverant, trucidatus eſt. Alii, ſponte inciſis venis eum occubuiſſe prodiderunt. De *Vxoris*, Liberorumque nominibus non conſtat.

PROBVS.

M. AVRELIVS PROBVS, Sirmio Pannoniæ oriundus, ob egregios mores, eximiamque virtutem, tam privatus, quam Imperator, valde enituit, ut, ſi non illi fuiſſet Probi nomen, cognomento hoc appellari debuerit. Cum ab Orientali exercitu, poſt Tacitum Imperator ſalutaretur, multum reſtitit, inquiens: *Non vobis expedit milites: non mecum bene agitis, vobis, enim blandiri non poſſum.* Tandem accedente Senatus autoritate, nomen Cæſaris & Auguſti admiſit. Is vero in Aureliani percuſſores animadvertit, *Germanorum*, Gallias infeſtantium, quadringenta millia occidit, 70. urbes recepit, & novem Reges ad ſuos pedes projectos habuit. Amplius, *Copton*, & *Ptolemaidem*, Barbaris ereptas, Romanis denuo vindicavit, Aſiam a latronibus purgavit, in Syria P. SEMPRONIVM SATVRNINVM tyrannum, qui invitus & flens purpuram ſumſerat, oppreſſit, *Perſarumq;* Regem, ad petendam pacem, ſola nominis ſui fama compulit. Q. BONOSIVS quoque, homo bibaciſſimus, ita ut de eo Aurelianus diceret, non ut viveret natum eſſe, ſed ut biberet, tyrannidem moliens, a Probo victus, ſeipſum laqueo ſuffocavit. Vxorem ejus *Humillam*, ex regio Gothorum genere prognatam, Probus in pretio habuit, ut non parceret tantum illi poſt mariti fata, ſed & magnis muneribus ipſam afficeret. Pari ratione T.

ÆLIVS

ÆLIVS PROCVLVS, ab aliquibus Imperator creatus, vir fœdus, & aperte malus, quique vitiis ſe contaminare, id demum credebat eſſe illuſtrem perſonam agere, a Probo prælio ſuperatus & occiſus eſt. Incitaverat eum ad Imperium aſſumendum, conjux *Viturgia* alio nomine *Sampſo*, virilis animi mulier, quæ ei *Herennianum* peperit. Inter Probi pacis opera, illud commendandum, quod *Almum* montem, apud Sirmium, genitale ſolum, & *Aureum montem*, apud Mœſiam ſuperiorem, militari opere vineis conſevit, & provincialibus colendos dedit. Fertur, cum *equus, qui ad centum* milliaria uno die currere poterat, Probo offerretur, hunc, ſpreviſſe illam beſtiam, tanquam quæ fugitivo militi potius quam viro forti conveniret. Cum in Italiam rediens, per Illyricum iter faceret, Sirmii, *ubi lucem aſpexerat, a militibus eſt occiſus*, quod diceret, brevi exercitus non neceſſarios futuros, nec milites annonam gratis comedere debere. Imperavit *annos 7.* menſes 3.

In conjugio habuit JVLIAM PROCLAM, illuſtri natam loco, & prudentia multa præditam, quæ aliquot liberos peperit, quorum nomina non tenemus.

CARVS, CARINVS, & NVMERIANVS.

PRobo ſurrogatus eſt M. AVRELIVS CARVS, Narbonæ in Gallia genitus, qui ſtatim M. AVRELIVM CARINVM, & M. AVRELIVM NVMERIANVM, filios, ex ignoti nominis conjuge ſuſceptos, Cæſares creavit, & Ca-

rino

rino ad tuendam Galliam ablegato, cum Numeriano adverſus *Perſas* tetendit in Orientem. Ibi, *recepta Meſopotamia*, ad Cteſiphontem usque progreſſus, vel morbo, vel fulminis ictu, vel ex vulnere, (variant enim ea de re Scriptores) diem obiit ſupremum, cum haud ultra *unum annum* rebus præfuiſſet. *Numerianus*, moribus optimis præditus, & Miles, Orator, ac Poëta egregius, patris mortem impatienter ferens, fletu nimio oculos ſibi corrupit, nec multo poſt, inſidiis ARRII APRI, Præfecti Prætorio & ſoceri ſui, lectica vectus, qua utebatur, ne ventus oculos offenderet, oppreſſus eſt: &, cum dolo occultaretur ipſius mors, quousque Aper invadere poſſet Imperium, fœtore cadaveris prodita eſt. Milites enim qui eum ſequebantur, fœtore commoti, diductis lecticulæ palliis, fato functum deprehenderunt. *Carinus*, patri fratrique diſſimilis, & moribus contaminatiſſimus vixit. Quippe matrimonia Nobilium corrumpebat, plurimos innoxios occidebat, cauſas ipſe allegare non veritus, quod ſe adoleſcentem, cum orationem haberent, non eſſent admirati; quod non laudarent formam ſuam; quod coram ſe riſiſſent. Quamobrem omnibus inviſus, biennio poſt patris obitum, apud *Murgum*, Mœſiæ oppidum, a ſuis proditus, ab exercitu Diocletiani victus & interemtus eſt. Hunc ipſe pater, niſi morte fuiſſet præventus, ob nimiam libidinem, Cæſareo nomine vitaque ipſa privare decreverat.

Carinus *Vxores novem* habuiſſe dicitur, quarum nomina notitiam noſtra effugerunt.

Nume-

Numeriano nupſit ARRIA, Arrii Apri Præfecti Prætorio filia. Hac tempeſtate SABINVS JVLIANVS invadens Imperium, a Carino in campis Veronenſibus occiditur.

DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS.

C. VALERIVS DIOCLETIANVS, *Salonis* Dalmatiæ, patre ſcriba, vel, quod a nonnullis proditum eſt, *Annulini Senatoris liberto*, matre *Dioclea*, unde & ipſe privatus *Diocles* audiebat, genitus, ut imperium, ſecundum *Druidæ* prædictionem, conſequeretur, *crebro in venationibus Apros mactabat.* Nam, quod eſt apud Vopiſcum, cum in hoſpitio parcius ſolveret, *Diocletiane*, dicebat Druida, *nimium avarus, nimium parcus es.* Subjecit ipſe joco: *Tum ero largus, cum Imperator fuero.* Ad quæ illa: *Jocari noli: nam Imperator futurus es, cum Aprum occideris.* Quamobrem, cum quaſi vana ſpe deluſus, diu queſtus eſſet, *ſe quidem apros occidere, alios vero pulpamento veſci*, poſtremo, cum exercitus accuſaret Arrium Aprum cædis Numeriani, ſuis illum manibus interemit, jactans: *Nunc vero tandem occidi fatalem Aprum.* Imperator factus, profligato *Carino*, M. AVRELIVM VALERIVM MAXIMIANVM, virum militarem, ſed ferocem, agreſtem ac libidinoſum, poſt adoptionem collegam fecit, & eum in Galliam, adverſus Germanos, & ruſticos *Bagaudas*, qui Ducibus AMANDO & ÆLIANO, rebellaverant, ablegavit: ipſe interim in Thracia, Pannoniaque, Gothos domuit, Ægyptumque, L. EPIDIO ACHILLEO autore, deficientem, ad obſequium reduxit. Achilleus

beſtiis

beſtiis objectus eſt, Diocletianus, victoria acerbe utens, totam Ægyptum, gravibus proſcriptionibus cædibusque fœdavit, ita tamen, ut ea occaſione, provide multa, & ſapienter diſponeret. Apud Suidam legitur, ipſum veterum ſcripta de fuſione argenti atque auri conquiſita, combusſiſſe, ne ex illa arte ditati Ægyptii, & pecuniæ freti copiis, impoſterum rebellarent. Cæterum *Maximianus*, *pacata Gallia*, in Africa quoq; *Quingentianos*, inſtigatore JULIANO, tumultuantes, compeſcuit. Cum vero motus ex motibus naſcerentur, & tumultuum magnus proventus eſſet, convenit inter Imperatores, de creandis Cæſaribus; atq; Diocletianus, C. GALERIUM VALERIUM MAXIMIANUM, in Dacia, haud procul Sardica natum, quique quod armentorum paſtor fuiſſet, *Armentarius* cognominatus eſt, Maximianus vero, FL. VALERIUM CONSTANTIUM CHLORUM, Cæſares fecerunt, ea tamen lege, ut ſuas filias uxores ducerent. Ergo *Galerius*, GALERIAM VALERIAM, Diocletiani filiam, matrimonio ſibi jungit, Chlorus, cum jam haberet HELENAM, & ex ea Conſtantinum, ſuperinduxit FL. MAXIMIANAM THEODORAM, Maximiani privignam, quæ illi ſex filios peperit. Sic itaq; quadrifariam partito bello, obvenit *Chloro Hiſpania*, *Gallia*, *Britannia*. Atque in Britannia quidem CARAUSIUS, Belgicæ Procurator, ad Francos coërcendos miſſus, cum ob rapinas illum interfici juſſiſſet Cæſar, imperium arripuerat, eodemq; poſt 7. annos una cum vita privaverat illum ALECTUS, ſocius ejus; ſed hoc per *Aſclepiodorum* Præfectum Prætorio oppreſſo,

Bri-

Britannia recepta eſt. Ipſe Chlorus, cum in Lingonibus, a Francis & Alemannis pulſus eſſet tam præcipiti neceſſitate, ut urbe clauſa, in murum funibus tolleretur: ibi hortatus cives, ut arma caperent, & ignominiam illatam ulciſcerentur, vix quinque horis elapſis, aperta urbe erumpens, tanta ſtrage Barbaros rurſus vicit, ut ad millia LX. occumberent, perdomitum igitur Belgium & Rhetiæ, Gallia liberata. *Galerius*, principio limitis Danubii cuſtos, poſtea adverſus *Narſem* Regem Perſarum miſſus, tertio prælio inter Callinicum, & Carras, univerſo exercitu amiſſo, victus, redux, inclementius a Diocletiano fuit exceptus. Cum enim in itinere illi, ad quem jam fama adverſi belli venerat, occurriſſet, ante carpentum ejus, per aliquot millia paſſuum purpuratus currere cogebatur, nec auditus eſt. Quamobrem, recollecto milite, noctu, ex improviſo, Narſem invadens, ingenti clade eum ſuperavit, caſtris exuit, uxores, ſorores, liberos, & infinitam prædam abduxit. Vxor, ſorores, & filiæ, quia benigne & pudice apud Romanos habitæ, faſſi ſunt Perſæ mirabundi, ſe Romanis non tantum armis, ſed & moribus inferiores eſſe, ac *Meſopotamiam*, cum *Transtigritanis quinq; regionibus* reddiderunt. Ictum deinde *fœdus* eſt, ea lege, ut Perſæ ab Armeniis, Meſopotamia, Aſſyria, & quinq; trans Tigrim provinciis abſtinerent.

Poſt tot victorias reportatas, tot gentes debellatas, ſubjugatas nationes, viſum Diocletiano & Maximiano, *Romæ triumphum agere*, quod ea pompa ac magnificentia peractum eſt, qualem nunquam ante Roma vidit, & quæ idcirco digna,

ut

ut quaſi in brevi tabella, ex Pomponio Læto, qui in his effigiandis ſe Veterum fidem ſequutum eſſe teſtatur, oculis ſpectanda ſubjiciatur. Simul inde, magna, parvis, aut mediocribus componendo, conſtabit, qualis & aliorum triumphorum, quorum ſæpe hactenus facta mentio, fuerit ratio. Scilicet, Templa Deorum immortalium tota Vrbe patebant, ornata ſertis ac floribus, ſpirantia Arabicos odores: in vias hinc & hinc menſæ diſpoſitæ cernebantur, in quas fercula oppipara, pocula vini falerni plena, magna copia congeſta erant, ut feſſi victores ſe recrearent. Currus & carpenta devehebant tabulas, ſigna, coloſſos, hoſtium galeas, thoraces, ocreas, peltas, ſcuta, vexilla, pharetras, tela, arcus, enſes, fræna, & equorum picturata ſtrata, opes, tapetes, tentoria Babylonici operis, & quæ pretioſa, & digna ſpectaculis, devictis hoſtibus ablata erant. Sequebatur ingens hominum turba, qui in vaſis ferebant aurum argentumq; purum & ſignatum; vaſa ſingula validi juvenes humeris geſtabant. Succedebant argentei & aurei crateres, pelves, phialæ, calices, veſtes, vaſa ſolida ex gemmis, & tota ſupellex Regum devictorum. Hæc excipiebant tibicines, claſſica perſonantes. Deinde boves, auro, ſertis, vittisque ornatos, ad ſacrificandum ſuccincti popæ agebant, alii pateras argenteas manibus tenebant. Poſtea incedebant Regum devictorum uxores, ſorores, liberi, cum ancillis, ſervis, nutricibus, miniſtrantium cœtu; patrio more veſtiti omnes, ſed pullati. Mox proponebantur ſpectandæ tabulæ duæ, in una Perſis ſuppliciter tollebat manus, & exorabat

rabat a Populo Romano pacem; altera Narſen Regem in ſolitudinem fugientem monſtrabat. Inſequebatur captivorum Ducum militumque multitudo mœſta, & plorans. Dehinc præferebantur aureæ coronæ, & munera victoribus data. Jam curru toto aureo & undique gemmato, quem quatuor equi, quorum candor cum nivibus certabat, trahebant, vehebantur Imperatores laureati, ſedentes in ſellis curulibus. Pone currum incedebant homines cum ſudibus & ſtipitibus accenſis, ſummovendæ plebi. Triumphantium capitibus imminebant Victoriæ alatæ. Agmen claudebant captivitate liberati, raſo capite, pileati, laureatorumque Equitum cohortes.

Haud multo poſt triumphum actum, *viſum Diocletiano ad privatam vitam redire*; cujus rei exemplum, quia in eam usque diem inauditum ac incognitum fuerat, ideo monſtri ſimile videbatur, præſertim in eo Imperatore, qui talem ſe gerebat, ut alto faſtu turgidum eſſe veriſimile evaderet. Nam, cum antea ſola purpurea chlamys Imperii inſigne eſſet, ipſe ornamenta gemmarum veſtibus, & adeo calceis addebat. Cum priores Imperatores in ſola ſalutatione acquieſcerent, ipſe, Perſarum more, adorare ſe juſſit, & primus poſt Caligulam ac Domitianum, ſe *Dominum* palam appellari paſſus eſt. Cumque anteriores manus exoſculandas Nobilibus præberent, quos ſuis deinde manibus ſublevabant ad oris oſculum, vulgo autem hominum genua oſculanda exponerent, ipſe, edicto propoſito, omnes, ſine diſcrimine promiſcue, pedes ſuos oſculari proſtratos præcepit. Nihilo ſecius hanc æquitatem animo ſuo im-

peravit, ut omnem honorem, cujus tam cupidum ſe monſtraverat, exuendi caperet conſilium. *Perſuaſit eandem mentem facile Maximiano quoque:* erat enim perpetua inter utroſque concordia, ita ut alter alteri nunquam repugnaret. Lactantius in libello de mortibus perſecutorum dicit, fuiſſe in utroque *mentem unam, eandem cogitationem, parem voluntatem, æquam ſententiam.* Maximianus imprimis, Diocletianum haud ſecus ac parentem verebatur, eique ad omnia deſtinata, inhumana etiam & aſpera, exequenda, miniſtrum ſe præbebat. Prætexebat autem Diocletianus inſtituti ſui cauſam, quod tutela Reipublicæ, non amplius effœtos & fatiſcentes, ſed ſolos juventæ viribus floridos, & quibus genua adhuc virent, animi ſuccique plenos Imperatores requireret. *Sic ambo Auguſti, una & eadem die, ſceptrum depoſuere, Maximianus quidem Mediolani, & Diocletianus Nicomediæ:* quod factum anno 20. Imperii Diocletiani, nati vero Chriſti 304. atque *Diocletianus, Salonas* in patriam, ut ibi hortos coleret, *Maximianus in Lucanos* conceſſit.

Diocletianus in propoſito conſtans manſit, ac integrum decennium in humili conditione, rurſus *Diocles factus*, exegit, neque ab illa, quamvis ſolicitatus, ſe abſtrahi paſſus eſt. *Maximianum pœnituit facti,* & Romam ſe contulit, ſimulans ſe Filio auxilio futurum. Id cum militum animos exaſperaret, dixit, ſe hoc tantum figmento experiri voluiſſe, num Maxentius amaretur, atque iſta excuſatione tumultuantes ſedavit. Inde profectus ad Conſtantinum generum ſuum in Gallias, huic inſidias ſtruere cœpit. Sed res a *Fauſta*, quæ mari-

maritum patri præferebat, Conſtantino prodita eſt, itaque juſſu generi captus, reſti vitam finivit, ætatis anno 60. Rei geſtæ ſummam tantum eloquuntur Scriptores communiter: ordinem ſeriemque ne ignoremus, ſolus ſubvenit Lactantius in libello de mort. perſec. c. 30. Narrat ergo Maximianum humilitatis impatientem, Conſtantino genero inſidias machinari cœpiſſe, vocaſſeque ad ſe filiam Fauſtam, eamque nunc precibus, nunc blandimentis ſolicitaſſe, ad proditionem mariti, pollicendo, digniorem ſe maritum daturum, ac oſtendendo, haud alia re opus eſſe, quam ut cubiculum patens relinquat, & negligentius cuſtodiri ſinat. Illa pollicetur ſe id facturam, & refert protinus ad maritum. Componitur ſcena, ut manifeſto facinus teneretur. Supponitur quidam vilis eunuchus, qui pro Imperatore moriatur. Surgit Maximianus nocte intempeſta, videt omnia inſidiis opportuna. Rari excubitores erant, & ii quidem longius, quibus tamen dicit, vidiſſe ſe ſomnium, quod genero ſuo narrare vellet. Ingreditur armatus, & ſpadone obtruncato, proſilit gloriabundus, ac profitetur quid admiſerit. Repente ſe ex altera parte Conſtantinus oſtendit, cum globo armatorum. Profertur e cubiculo cadaver occiſi, hæret manifeſtarius homicida, & mutus ſilet, quaſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautis: impietatis ac ſceleris incuſatur. Poſtremo datur ei poteſtas liberæ mortis, ac nodum informis lethi trabe nectit ab alta. Quamobrem, ſi Lactantium audimus, non ab immiſſis lictoribus, ceu vulgo creditur, ſtrangulatus eſt Maximianus, ſed ipſe ſibi laqueo fauces eliſit, quod etiam Suidas ſcri-

ſcriptum reliquit, immerito eam ob cauſam a quibusdam reprehenſus.

Diocletianus, annos natus 68. aliquorum ſententia, morbo aquæ intercutis, aliorum, ex propinato veneno periit. Non defuere, qui linguæ pædorem, & ex faucibus erumpentes vermes ac ſaniem exitio fuiſſe aſſererent. Peſſime Suidas a Senatu jugulatum eſſe ſcripſit. Lactantius audiendus, qui nos docet, ipſum vitæ tædio, æſtuante anima, per dolorem, nunc huc nunc illuc, nunc in lecto nunc humi ſe jactaſſe, poſtremo fame atque angore confectum eſſe. Diocletianus, quantum apparet, a Senatu in numerum Deorum relatus eſt, Maximianum, Maxentius filius conſecravit.

Maximianus qualis fuerit, paulo ante paucis verbis diximus. Lactantius, fuſius, aſſerit fuiſſe in ea beſtia naturalem barbariem, & efferitatem a Romano ſanguine alienam: habuiſſe quoq; corpus moribus congruens, ſtaturam celſam, carnem ingentem, ac in horrendam magnitudinem diffuſam & inflatam: denique, & verbis, & actibus, & aſpectu terrorem omnibus ac formidinem incuſſiſſe. *Diocletianus*, ut a Suida depingitur, erat ingenio vario & callido, ſed ſingulari prudentia & acumine. Vitia naturæ ſæpe celabat; res omnes aſperiores in alios conferebat, diligentem tamen ſe præſtans, & in rebus gerendis ſtrenuum. Diocletiano cognomentum JOVII, Maximiano, HERCVLEI inditum. *Cauſa appellationis, in Diocletiano quidem*, quod ſicut Jupiter Gigantes perdiderat, ut cœli regiam defenderet, ſic a Diocletiano, in orbis terrarum tutelam, Tyrannos

nos deletos eſſe. Atque ſicut Jupiter turbata pacavit elementa, ſic Diocletianum Imperium confuſum ac commotum compoſuiſſe, ac tranquillaſſe. Vt Jupiter bona ſua prodige inter mortales diſpenſat, ſic Diocletianum quoque liberalitatem pæne divinam exercere, nec in minore clementia. Denique, ut Jupiter ex ſummo æthere Numen ſuum undique diffundit, ſic Diocletianum omnibus rebus ſapientia ac proviſu adeſſe. *In Maximianum Herculei appellatio quadrabat*, quia, quemadmodum Hercules Jovis erat filius, ſic ille Diocletiani. Hercules, ſylvas, urbes, agros, regiones, horrendis & pernicioſis monſtris, aërem infeſtis alitibus liberaverat, idcirco ἀλεξίκακος, & cuſtos humani generis dictus. Sic Maximianus, Imperii aſſertor, conatus malorum hominum adverſus illud diſpulit, latrones peremit, nec niſi procurata pace ac ſalute quievit.

Diocletiani Conjugem quia Martyrologia *Serennam* vocant, ideo nomen hoc Baronius, Occo, aliique, qui uxorem tyranni nominare volebant, expreſſere. Sed ne eundem errorem committamus, Lactantii de mortibus perſecutorum libellus facit, e quo liquido conſtat, Diocletiani Conjugi PRISCA nomen fuiſſe. Ea peperit marito filiam unicam, *Galeriam Valeriam*, Galerii Maximiani Cæſaris Conjugem; atque matrem, æque ac filiam, Chriſtiana ſacra amplexas eſſe, idem ſignificare videtur Lactantius; ac legi velim, quæ ad libellum laudatum præclare annotarunt, Viri in tantum laudandi, in quantum virtus & eruditio æſtimari poſſunt, *Gisbertus Cuperus* & *Stephanus Baluzius*, ille quidem ad caput 50

hic vero ad caput 18. commentans, quorum poſtremus, pro candore ſuo, agnoſcit ingenue, quin & probat, *Martyrologia, multa, eaq; magna, ſuppoſitionis indicia habere.* Certe, nulla quoque fuit Diocletiani filia *Arthemia*, quam Martyrologia illi tribuunt.

Maximiano Herculeo matrimonio juncta fuit GALERIA VALERIA EVTROPIA, Syra natione, ex hac ſuſcepit filium, *Maxentium* Imperatorem, & *Fauſtam* filiam, conjugem deinde Conſtantini M. Imperatóris. Ediderat partu in prio matrimonio *Theodoram*, quæ Conſtantio Chloro Cæſari uxor obtigit.

PONTIFICES ROMANI.

ZEPHERINVS.

ZEpherinus, alii ſcribunt *Zephyrinus*, item *Sepherinus*, Romanus natione, habuit patrem *Abundìum*. Dicitur præcepiſſe, *ut conſecratio divini ſanguinis in vitreo vaſe, non vero, ceu hactenus uſu receptum erat, in ligneo, fieret.* Huic tamen præcepto, *aliis conſtitutionibus* Eccleſiaſticis deinde derogatum fuit, quibus vetatur fieri conſecratio in ligno, ob ejus materiæ ſorbitionem; in vitro, propter fragilitatem; in ære, propter tetrum ſaporem, ſed ſolius auri argentique uſus conceditur. Sàncivit quoque Zepherinus, ut qui *ordinandi* eſſent, multis præſentibus clericis & laicis ſacris initiarentur; & ut rem divinam faciente Epiſcopo, Sacerdotes omnes aſtarent. Amplius ajunt imperaſſe Zepherinum, *ut fideles omnes, annos pubertatis adepti, ſingulis annis*

annis in feſto paſchatis Sacra Cœna fruerentur. Obiit martyr, Severo, ut apud Platinam legitur, vel Antonino imperante, ceu eſt in Breviario Romano, cum annis 18. ſediſſet.

CALIXTVS I.

CAlixtus, & ipſe Romanus, *Domicii filius*, *Jejunium quatuor temporum* inſtituit, ut pro frugum felici proventu Deo fierent ſupplicationes. *Iisdem temporibus etiam deinde ſacri ordines conferri cœperunt*, quod prius tantum fiebat menſe Decembri. Ab hoc Calixto, tanquam a notiore, & amplificatore, nomen habent celebratiſſimæ illæ *Catacumbæ*, ſive Roma Subterranea, *Cœmeterium Calixti dicta.* Occultæ specus ſunt, & humiles cryptæ, labyrintheis flexibus inter ſe implexæ, & ad aliquot milliaria extenſæ, quarum in parietibus, inciſi loculi & ſacella ſunt. Iſtic hoſtium metu deliteſcentes olim Chriſtiani, exercuere religionem, ibidemq; *174. millium martyrum* & inter hos *46. Pontificum*, condita corpora eſſe vulgo aſſeverant. Certe ſi quis alius in Orbe locus, hic utique, qui ſpectetur dignus eſt, & merito S. Hieronymus, ſingulis diebus Dominicis, has cryptas, cum Sociis frequentavit, ceu ipſe de ſe in Comment. ad Ezech. c. 40. prodidit. Calixtus, *Sacerdotes univerſos conjugio prohibuiſſe dicitur*, & circumferuntur in eam rem verſiculi antiqui:

O bone Calixte, nunc omnis Clerus odit te,
Olim Preſbyteri poterant uxoribus uti,
Hoc deſtruxiſti, tu Papa quando fuiſti.
Ergo tuum feſtum nunquam celebratur honeſtum.

Poſtquam Calixtus per annos 6. menſes. 10. Eccleſiam Romanam rexit, martyrio vitam finiit.

VRBANVS I.

VRbanus, gente Romanus, Patre *Pontiano* natus eſt. Ejus inſtitutum ferunt, *ut Eccleſia, prædia ac fundos a fidelibus oblatos, reciperet*, partireturque proventus Clericis omnibus viritim, ita ut nihil cujusquam privatum eſſet. Sed ab hac integritate, poſtea, hominum rapacitate & libidine, vehementer receſſum eſſe, agnoſcit ipſe Platina. Conſtitutionis verba hæc recitat Breviarium Romanum: *Ipſæ res fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in aliis uſibus, quam eccleſiaſticis, & Chriſtianorum fratrum, vel indigentium converti: quia vota ſunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonium pauperum.* Sedit Vrbanus annos 6. menſes. 7. martyriique palam tandem promeruit.

PONTIANVS.

POntianus, *Calphurnii* filius, Romanus, dicitur autor *Faſciculi Temporum.* Eidem & duæ *Epiſtolæ Decretales* affinguntur. Impulſu gentilium Sacerdotum, *in Inſulam Sardiniam relegatus eſt, una cum Philippo* Presbytero; ibique poſt multas calamitates, & gravia tormenta, quibus ob Chriſti fidem fuit objectus, tandem diem clauſit ſupremum, cum annis 5. ſediſſet.

Pontiano quidam ſucceſſorem aſſignant

CYRIACVM,

Britannum gente, eique communiter, tribuunt annos 2. menſes 3. ac dies 13. Fecere id

id Joh. Nauclerus, Jacobus Philippus Bergomenſis, Henricus de Erfordia, Martinus Polonus, Romanæque Eccleſiæ addicti alii. Sed a plurimis omittitur. Vtrorumque inſtituti cauſam, totamque, quæ huc pertinet, S. Vrſulæ hiſtoriam, nonnihil tamen abbreviatam, docebimus Vincentii Bellovacenſis, Dominicani Monachi, qui A. 1256. vita defunctus eſt, verbis propriis.

Vrsula, unica filia *Dyonochi*, nobiliſſimi & ditiſſimi Britannorum Principis, cum nondum nubilis, ab *Eucherio*, *Agrippini*, *Regis Angliæ filio*, ad nuptias peteretur, & patrem ſuum valde chriſtianum ſuper hoc anxiari videret, qui Deum metuebat, ſi filiam ſuam jam Deo devotam nubere cogeret, & tyranni pagani feritatem timebat, ſi ei filiam denegaret, divinitus inſpirata, patri ſuaſit, ut tyranno aſſentiretur, ea tamen illi propoſita conditione, ut ipſe, & tyrannus, X. virgines, genere, forma, & ætate electas, ſibi traderent, & tam ſibi, quam ſingulis earum, mille virgines ſubſcriberent, & comparatis ad numerum ipſarum XI. triremibus, inducias triennii ſibi darent, ad dedicationem virginitatis ſuæ, & ipſe juvenis baptizatus in his tribus annis inſtitueretur in fide. Novo uſa conſilio, ut aut difficultate propoſitæ conditionis animum ejus a ſe averteret, aut hac opportunitate, omnes coævas ſuas ſecum Deo dedicaret. Hac conditione libenter accepta, juvenis protinus baptizatus, cuncta accelerari, quæ Virgo petierat, imperavit. Tunc Pater Virginis, accepto conſilio, caute præordinavit, ut Filia ſua, quam tenerrime diligebat, viros, quorum ſolatio tam ipſa, quam ejus exer-

exercitus indigebat, in comitatu ſuo diſcedens haberet. Cumque congregari cœpiſſent, multi ad ſpectandum eas undique confluxerunt, ita etiam, ut quidam Epiſcopi Britanniæ ſecum irent, inter quos *Pantalus*, *Epiſcopus Baſileenſis*, eas Romam usque perduxit, & inde reverſus, martyrium cum eisdem ſuſcepit. Sancta quoque *Geraſina, Regina Siciliæ*, quæ Virum, ſive Regem crudeliſſimum, quaſi de lupo fecerat agnum, ſoror *Mauriſii* Epiſcopi, & *Dariæ*, Matris Sanctæ Vrſulæ, cum Pater ipſius Vrſulæ ſecretum illud ei per literas intimaſſet, illa ſtatim ſuſpirando, cum quatuor filiabus ſuis, *Babila*, *Juliana*, *Victoria*, & *Aurea*, & parvulo filio *Adriano*, qui, amore ſororum ſuarum, ultro ſe ingeſſit peregrinationi, relicto Regno in manu unius filii ſui, & duarum filiarum, usque in Britanniam Anglicam navigavit, ejusque conſiliis ſacræ virgines collectæ & ordinatæ ſunt, & ſemper ductrix earum, ad ultimum, cum eis paſſa eſt martyrium. Juxta condictum igitur, virginibus, triremibus, & ſumtibus comparatis, per triennium, belli præludia, cunctis mirantibus, facientes, dum concurſibus, modo diſcurſibus, interdum fugam, interdum bella ſimulant, omnique genere ludorum exercitatæ, nihil, quod animo occurriſſet, intentatum reliquerunt, tandem, ſub uno die, agente vento, ad portum Galliæ, qui *Chicla* dicitur, & inde *Coloniam* ſunt appulſæ, ibique ex Angeli monitu, qui eis futura prædicebat, Romam tendentes, ad urbem *Baſileam* navibus, a Baſilea usque Romam pedibus profectæ, ibi aliquamdiu moratæ ſunt. Quarum adventu, *Papa Cyriacus* valde lætatus,

cum

cum omni clero ſuo, eas cum honore ſuſcepit. Nam & ipſe de Britannia natus, plures conſanguineas inter ipſas habuit, & ipſe ſemper virgo permanſit. In ipſa nocte fuit ei divinitus revelatum, ſe cum eiſdem virginibus palmam martyrii percepturum. Ipſe vero celans hoc apud ſe, multas earum baptizavit, quæ nec dum baptizatæ erant. Cum autem opportunum tempus adeſſet, manifeſtavit voluntatem ſuam, & coram Eccleſia reſignavit officium dignitatis ſuæ, cum poſt Poncianum Papam, rexiſſet Eccleſiam anno uno & XI. ſeptimanis, nonus decimus poſt B. Petrum. Sed cum in hoc reclamarent omnes, & maxime Cardinales, qui eum delirare putabant, quod quaſi poſt fatuas mulierculas declinaret, neſcientes monitionem Angeli quæ eum urgebat, ipſe conſtanter permanens in loco ſuo, Virum ſanctum qui *Anteros* dictus eſt, ordinavit. Vnde, quia Sedem Apoſtolicam, invito Clero reliquit, nomen ipſius de Catalogo Romanorum Pontificum idem Clerus eraſit, &, ab illo tempore, omnem gratiam quam prius in Romana Eccleſia habuerat, ſacer ille Virginum conventus amiſit. Cum autem ſic eſſent Romæ, *Maximus* & *Africanus*, duo iniqui Principes Romani, videntes magnam virginum multitudinem, & quod multi ad eas confluerent, timuerunt, ne forte per eas creſceret religio Chriſtiana. Vnde, cum exploraſſent iter earum, quo ire debebant, miſſis nunciis ad *Julium* cognatum ſuum, Principem gentis Hunnorum, monuerunt eum, ut educto contra eas exercitu, ipſas, cum venirent Coloniam, trucidaret. Sic ergo Roma diſ-

ceſſerunt ſacræ Virgines, quas *B. Cyriacus Papa, Vincentius Presbyter Cardinalis*, & *Jacobus*, qui, de Britannia patria, Antiochiam profectus, Archiepiſcopatus ibi 7. annis dignitatem tenuit, quique Romam ad B. Cyriacum Papam viſitandum venerat, comitati ſunt. His in itinere conſtitutis, divinitus nunciatum fuit *Eucherio*, ut exiret de terra ſua, & occurreret Sponſæ ſuæ, ut cum ea in urbe Colonia palmam martyrii obtineret. Qui, confeſtim divinis monitis acquieſcens, matrem ſuam (pater enim Agrippinus interea mortuus fuerat,) baptizari fecit, & cum ipſa, & ſorore ſua parvula, *Florentina*, jam Chriſtiana, eis obvians, martyrium ſuſcepit, cum *Clemente Epiſcopo*, quem ſecum adduxit. Simul itaq; omnes iſti, cum multis ſociis ſuis, & ſacris Virginibus, ipſo, quo prius, eundi tenore, reverſæ ſunt Coloniam, ab Hunnis undique jam obſeſſam: ſtatimque Barbari, explorata re, ſubito ſuper eas cum clamore irruunt, & quaſi lupi in ovibus ſævientes, totam illam multitudinem occiderunt. Cum autem, ad B. Vrſulam, cæteris jam jugulatis veniſſent, ſtupentes ejus pulchritudinem, manum & animum repreſſerunt. Ipſe quoq; princeps ſceleris, in ejus amore ſuccenſus, putavit quod eam blanditiis deliniret, & confortans eam de nece Virginum, promiſit, quod eam ſibi in conjugio copularet. Sed cum hoc illa libere reſpuiſſet, ille non ferens repulſam, directa eam ſagitta transfixit, & ſic illa martyrium conſummavit. Erat autem inter illas quædam Virgo, nomine *Cordula*, quæ cæteris Virginibus trucidatis, humano timore, ſola, in alveo navis illa nocte delituit; &

in

in craſtinum ſe ſponte morti offerens, mox ictum tyranni ferientis excepit. Vnde & ipſa, longo poſt tempore, cuidam recluſæ apparens, quia una nocte ſupervixerat, ejusque feſtivitas cum aliis Virginibus non fiebat, præcepit, ut ſicut pridie Beatarum Virginum celebritas agitur, ita ſequens dies, B. Cordulæ laudibus impendatur. Paſſæ ſunt autem Beatæ Virgines tempore Antheros Papæ, & Maximini Imperatoris, Anno Domini CCXXXVII. His a Bellovacenſi traditis, addendum, *extare Coloniæ proprium templum,* dicatum honori S. Vrſulæ, ejusque Virginum, in quo omnes tumulatæ creduntur. Illi tumbæ, quæ ipſius Vrſulæ corporis exuvias tenet, inſcriptum legitur:

SEPVLCHRVM S. VRSVLÆ
INDICIO COLVMBÆ DETECTVM.

Virginum plebs, aliis ſepulchris condita jacet, earumque aliquammulta oſſa oſtenduntur. Memoriam ſacri hujus cœtus Eccleſia Romana quotannis colit die XXI. Octobris, atque inter cæteras, has peculiares, eam ob cauſam Breviario quoq; inſertas preces, recitare jubet: *Da nobis quæſumus Domine Deus noſter, ſanctarum Virginum & Martyrum tuarum, Vrſulæ & ſociarum ejus, palmas inceſſabili devotione venerari: ut quas digna mente non poſſumus celebrare, humilibus ſaltem frequentemus obſequiis. Per Dominum noſtrum &c.*

ANTHERVS.

ANtherus, Græcus natione, *Romulum* patrem habuit. Is in Sedem evectus, præcepit,

cepit, *ut res geſtæ Martyrum, diligenter a Notariis conſignarentur*, quin & veniam dedit Epiſcopis, ut neceſſitate flagitante, *relicta una parœcia, alterius* præfecturam ſuſcipere poſſent. Vbi non negligenda inſignia Platinæ Cardinalis verba, in quæ, dum hanc rem narrat, erupit. *Antherus*, inquit, *cenſuit, Epiſcopum, omiſſo primo Epiſcopatu, ad alium, neceſſitatis cauſa & utilitatis, non ſui ipſius, ſed creditarum ovium, poſſe transferri, interpoſita Summi Pontificis autoritate; quod hodie a plerisq; contra fit. Ad utilitatem enim propriam reſpicientes, imo voluptatem, ut habeant unde expilent, ad uberiorem ſemper reſpiciunt: non, quod oves, & qua ratione paſcendæ ſint, quærentes, quod eſt officium boni paſtoris, ſed ſciſcitantes quantum ſingulis annis inde excerpi poſſit. De cura animarum parva fit mentio, de augendis proventibus magna: quo multa jumenta, plures ſervos, ac eos quidem ignavos & ſtolidos domi alant.* Hactenus Platina; quibus graphice omnino, mores Epiſcoporum, quos recentiora æva tulerunt, multis depinxiſſe videtur. Antherus, priusquam martyr factus eſt, annos 3. pro quibus tamen alii 11. computant, rexit Eccleſiam.

FABIANVS

CVm Anthero ſucceſſor quæreretur, in Fabiani, plebeji hominis, qui tum adſtabat, caput, columba cœlitus delapſa dicitur; eam ob rem communibus ſuffragiis in illum itum eſt. Ferunt hunc *Oratoria* condidiſſe ſuper tumulis Martyrum, ſtatuiſſeque præterea, ut quibusque annis, *in feria Cœnæ Dominicæ, Chriſma renovaretur*, veteri

veteri combuſto. Affectus eſt ſupplicio ſub De-
cio, cum ſediſſet annos 15. Poſt hunc, Sedes va-
cavit anno integro, &, in magna perturbatione
erat Eccleſia vidua, ob Decii perſecutionem.

CORNELIVS.

ADverſus hunc, in *Schiſmate*, quod inter Epi-
ſcopos Romanos omnium primum fuit, ele-
ctus eſt *Novatianus* Presbyter. Sed Novatianus,
quod Lapſos, etſi pœnitentes, nunquam ad com-
munionem iterum admittendos contenderet, a
Concilio, quod hanc ob rem coactum, excom-
municatus eſt. Cornelii, multæ ad *S. Cyprianum
Epiſcopum Carthaginienſem epiſtolæ ſuperſunt.* Ar-
rogabat ſibi Cornelius jurisdictionem quandam
in Africanas Eccleſias, verum Cyprianus, nullam
prorſus ſuperioritatem in illas Cornelio concedit.
Hic vero, cum *Centumcellis* aliquandiu exul egiſ-
ſet, Romam revocatus, juſſu Decii, quod Mar-
tis ſimulacro ſacrificare nollet, plumbatis cæſus,
capite plexus eſt. Sedit annis 2.

LVCIVS I.

LVcius, natione Romanus, Martyr, per annum
unum ſedit. Hunc *Voluſianus* exulatum ire
juſſerat, Romam tamen iterum reverſus eſt. Di-
citur inſtituiſſe, *ut Diaconi duo, Presbyteri tres,
Epiſcopum aſſidue, tanquam vitæ ejus teſtes, ſecta-
rentur.*

STEPHANVS I.

STephanus, patria Romanus, *Julio* patre geni-
tus, *Cypriano*, & Eccleſiis Africanis, bapti-
ſmum

ſimum hæreticorum tanquam invalidum rejicientibus, ſe oppoſuit. Sub Valeriano martyr factus eſt. Cum enim ab infidelibus ad templum Martis, ut ibi ſacrificaret, raperetur, libere teſtatus eſt, ſe dæmonibus illum honorem tribuere non poſſe, qui uni Deo deberetur. Ad quæ, dicta *Martis ſtatua* terræmotu concidit, templumque contremuit. Quare omnibus, qui ipſum captivum tenebant, aufugientibus, ad ſuos revertitur. Mox tamen iterum miſſi milites, caput ei præſciderunt, in ſua ſede ſedenti. Corpus, cum eadem ſede, conſperſa Martyris ſanguine, a Clericis ſepultum eſt in cœmeterio Calliſti: atque de his Breviarium Romanum teſtatur. Præfuerat Stephanus Eccleſiæ annos 3. Inſtituit, *ne Sacerdotes & Levitæ, veſtibus ſacris aliter, quam in Eccleſiis, & functionibus divinis uterentur.*

SIXTVS II.

Sixtus II. patria Athenienſis, e *Philoſopho* gentili Chriſtianus, & denique Romanus Epiſcopus factus eſt, *inq. Cerinthianorum & Sabellianorum hereſibus confutandis* ſedulum ſe præbuit. Ab hæreticis accuſatus in perſecutione Valeriana, cum 7. Diaconis trucidatus eſt, poſtquam duos annos ſediſſet. Breviarium Romanum ei tantum aſſignat menſes 11. & dies 12. memoratque cum ad martyrium duceretur, occurriſſe ei S. Laurentium, & dolenter hunc in modum interrogaſſe: *Quo progrederis ſine filio pater? quo Sacerdos ſancte ſine miniſtro properas?* Reſpondiſſe vero Sixtum: *Poſt triduum me ſequeris Sacerdotem, Levita. Interea ſi quid in theſauris habes, pauperibus diſtribue.*

DIO-

DIONYSIVS.

DE Dionyſii natalibus parum conſtat: ſed illud conſenſu Scriptores tradunt, e *Monacho* factum eſſe Pontificem, ipſoque ſuperſtite, *Sabellium*, & *Paulum Samoſatenum*, Hæreſiarchas Eccleſiam afflixiſſe. Per quantum temporis ſpatium Eccleſiæ Romanæ præfuerit, varietas magna ſe offert. Aliqui annos 8. menſes 10. ei aſſignant. Marianus Scotus ponit annos 6. Platina unum. In ſumma hac diſcrepantia, Sabellicus nihil affirmare audet.

FELIX I.

FElix, patria Romanus erat. Hunc ajunt præcepiſſe, ne alibi, *quam in conſecrato loco, ſacra celebrarentur*, & ut quotannis ſacrificia in memoriam Martyrum fierent. Amplius præcepit, ut nuſpiam, niſi in ſacro loco, Miſſæ fiat celebratio, ita tamen ut neceſſitatis caſum exciperet. Quod ſi de conſecratione templi, ob vetuſtatem aut abolitionem monumentorum, non conſtaret, illud iterum conſecrari mandavit, quia, ut ipſe ajebat, *iteratum haud dicitur, quod factum eſſe neſcitur*. Obiit martyr, cum annos tres Epiſcopatu functus eſſet.

EVTYCHIANVS.

EVtychianus, gente Tuſcus, temporibus Aureliani, Romanam Eccleſiam rexit. Huic tribuunt *ritum, fruges, imprimis vero uvas & fabas, benedicendi*: multoſque Martyres, ſuis manibus ſepeliviſſe dicitur, ipſe denique martyr quoque factus, cum ſecundum Damaſum, annum unum & men-

& menſem unum ſediſſet: alii tamen totos octo, alii 10. annos illi tribuunt: ſic enim Chronologia Romanorum Pontificum nihil eſt incertius.

CAJUS.

CAjus, natione *Dalmata*, Diocletiano Imperatori cognatus fuit, ſeditque annos 12. & menſes 4. ac poſt eorum decurſum eſt occiſus. Proditur illum conſtituiſſe, ut ad Epiſcopatum nemini pateret aditus, niſi prius per ordines *ſacros gradatim* aſcendiſſet, atque primo *Oſtarii, deinde Lectoris, hinc Exorciſtæ, mox Acoluthi, tum Subdiaconi, porro Diaconi, & deniq; Presbyteri*, muneribus functus eſſet. Mnemonicum quatuor primorum Ordinum (nam in cæteris memoria retinendis non laboramus) vox OLEA eſto.

MARCELLINUS.

MArcellinus Papa, *Romanus* fuit, ſeditque annos 8. Hunc conſtat *minis gentilium territum, in Veſtæ templo thus adoleviſſe.* Eam ob rem, cum in Synodo, quæ in *Sinueſſa*, Campaniæ urbe, habita eſt, corriperetur, non tantum ſerio de impietate doluit, ſed & Romam reverſus, in Diocletianum, tanquam peccati ſui autorem, acerrime invectus fuit: qua re offenſus Imperator, ipſum necare præcepit. Marcellinus, inter eundum ad martyrium, Marcellum presbyterum, quem deinde ſucceſſorem habuit, monuit, ne corpus ſuum ſepulturæ traderet, quod ſe illo honore, ob negatum Salvatorem, indignum reputaret. Cum autem corpus 36. dies in via publi-

publica inſepultum jacuiſſet, Marcellus a Petro Apoſtolo in ſomnio admonitus, illud, Presbyteris ac Diaconis, hymnisque ac luminibus adhibitis, honorifice ſepelivit.

SCRIPTORES SACRI.

TERTVLLIANVS.

Q. Septimius Florens Tertullianus, ortu gentilis, patrem habuit *Centurionem*, virum Proconſularem, patriam vero *Carthaginem*, in eaq; adultior factus, *Rhetoricam docuit*, & cauſarum aliquandiu fuit Patronus. Sed deinde ad Chriſtianiſmum converſus eſt, motus præcipue *Scripturæ S. autoritate*, quam vel ipſi Gentilium Dii comprobabant. At, cum principio pure & ſincere orthoxam religionem profeſſus eſſet, poſtea, invidia, ut ſcribit Hieronymus, & contumeliis Clericorum Romanæ Eccleſiæ commotus, *ad Montani dogma delapſus*, in multis libris novæ Prophetiæ meminit. Sunt, qui addant alias cauſas, *Epiſcopatum* nimirum *Carthaginienſem*, cujus ſpe exciderat, & rigidam Montaniſtarum diſciplinam, quæ, horridioris cultus viro, placebat nimium. Eſt Tertullianus, *omnium Patrum Latinorum, quorum ingenii monumenta extant, antiquisſimus*. Libri ejus dividuntur vulgo, in *Certos, Dubios, & Suppoſititios*. *Certi*, iterum ſunt vel Orthodoxi, vel Hæretici. Inter *Orthodoxos*, celebratur libellus de *Pallio*, quem ante cæteros omnes edidiſſe videtur, adverſus calumniatores Pallii, ad quod, Chriſtianus factus, a toga tranſierat. Eum libellum, obſcuriſſimum cæteroquin, & ceu

Scaliger ad Euſ. fol. 210. ait, ſcholaſtico Afrorum charactere ſcriptum, inter cæteros, Claudius quoq; Salmaſius, inſignis vir, & cui Muſæ ætatem multum debebunt, elegantiſſimo Commentario illuſtravit. Commendantur & *Libri V. adverſus Marcionem, & Apologeticus*, e quo multa, quæ ad ſtatum veteris Eccleſiæ, ceremonias, & diſciplinam attinent, diſci poſſunt. Pro *Hæreticis* ſcriptis ipſe S. Hieronymus agnoſcit *Librum de Fuga in Perſecutione*, quam Tertullianus negabat eſſe licitam, utpote quod perſecutio ex divina voluntate proveniat: *Librum de Jejunio adverſus Pſychicos*, per quos ipſe orthodoxos Catholicos intelligebat; item Libros *de Exhortatione caſtitatis*; de *Monogamia*, & *de Pudicitia*. Cæterum, *Dubia* Tertulliani Scripta ſunt, *Liber de Trinitate, & Liber de Cibis Judaicis*: *Suppoſititia* vero: *Libri, de vera Circumciſione*: *Ad amicum ægrotum*: *& de Definitionibus Fidei*. De Tertulliano notandum S. Hieronymi in lib. de Script. Eccleſ. teſtimonium: *Vidi ego*, inquit, *quendam Paulum, Concordiæ, quod oppidum Italiæ eſt, ſenem, qui ſe B. Cypriani jam grandis ætatis, notarium, cum ipſe admodum eſſet adoleſcens, Romæ vidiſſe diceret, referreq; ſibi ſolitum, nunquam Cypriano absq; Tertulliani lectione unam diem præteriiſſe: ac ſibi crebro dicere, da mihi Magiſtrum: Tertullianum videlicet ſignificans.* Idem Hieronymus alibi ait: *Quid Tertulliano eruditius? quid acutius? Apologeticus ejus, & contra gentes libri, cunctam ſeculi obtinent diſciplinam.* Non tamen prætereundum & illud quoque Hieronymi judicium in Apol. adv. Ruffinum: *In Tertulliano laudamus ingenium, ſed damnamus hæreſin.* Itaque libros Tertulliani cum

judi-

judicio legendos, quippe ab erroribus non immunes, etiam Bellarminus in lib. de Script. Eccleſ. monuit. Genus ſermonis pariter, quo Tertullianus uſus eſt, multi culpant, & in his Lactantius l. 5. Divin. Inſt. c. 1. *Septimius Tertullianus*, inquit, *fuit omni genere literarum peritus, ſed in eloquendo parum facilis, & minus comptus, & multum obſcurus fuit.*

Clemens Alexandrinus.

Titus Flavius Clemens Alexandrinus, pleriſque patriam *Athenas* habuiſſe dicitur, *Alexandrinus autem vocatus eſt, a loco in quo docuit*, ad differentiam aliorum, qui eodem nomine indigitabantur. Cæterum noſter Clemens, *Pantæni*, primum Stoici Philoſophi in Academia Alexandrina, deinde vero Chriſtiani & Martyris, fuit Diſcipulus, atque eidem poſtea, in docendi munere ſucceſſit, præterquam quod etiam Presbyteratu functus eſt. Scripſit multa eruditiſſima, uti erat inexhauſtæ doctrinæ vir, ſed nonniſi *Oratio exhortatoria ad Gentes*, ejusque *Pædagogus*, in quo tribus libris rationem honeſte vivendi tradit, & *Octo libri Stromatum*, varia eruditione refertiſſimi, ad nos pervenerunt. Quæ *de Nuptiis, de Reſurrectione, de Continentia*, commentatus eſt, cum aliis multis perierunt. Non diſſimulandum, *reperiri in Clemente Alexandrino quædam duriora*. Uti cum l. 7. Stromat. *Judæis Legem Moſis, Gentibus Philoſophiam, ante Chriſti adventum, ad ſalutem ſuffeciſſe tradit.* Non deſunt tamen inter Eruditos, qui tum iſtud dictum, tum alia ejus generis, excuſant.

Minutius Felix.

M. Minutius Felix, Romæ inſignis fuit cauſidicus, ſcripſitque *Dialogum* egregium, in quo Ethnicus ſub *Cæcilii*, &, Chriſtianus, ſub *Octavii* nominibus, inter ſeſe diſputant, eumque *Octavium* appellavit; qui liber, olim, cum verus Autor ignoraretur, Arnobio fuit adjudicatus. Lactantius in lib. 5. Divin. Inſt. c. 1. tale fert judicium: *Minutius Felix, non ignobilis inter cauſidicos loci fuit. Hujus liber, cui Octavio titulus eſt, declarat, quam idoneus veritatis aſſertor eſſe potuiſſet, ſi ſe totum ad id ſtudium contuliſſet.*

Hippolytus Episcopus & Martyr.

Hippolytus, *Epiſcopus Portuenſis*, Clementis Alexandrini diſcipulus, multa ſcripſit, quæ Euſebius l. 6. Hiſt. c. 16. & S. Hieronymus in lib. de Script. Eccleſ. enumerant. Ad nos devenere tantum *Excerpta quædam, ex Libris de Theologia & Incarnatione*, apud Henricum Caniſium tomo 5. Antiquæ Lectionis: itemque in Bibliotheca Sanctorum Patrum, *Oratio de Conſummatione Mundi, de Antichriſto, & Secundo adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Reperti quoque ſunt ſuperioribus annis Baſileæ, *Commentarii quidam in Apocalypſin*, Hippolyto inſcripti, quorum tamen, uti & Libelli *de LXXII. Diſcipulis*, ac *Demonſtrationis adverſus Judæos*, adhuc dubia fides eſt. Martyrologium, hoc de S. Hippolyto habet Elogium: *In Portu Romano S. Hippolyti Epiſcopi eruditione clariſſimi, qui ſub Alexandro Imperatore, ob præclaram fidei confeſſionem, manibus pedibusq; ligatis, in altam foveam, aquis plenam,*

nam, præcipitatus, martyrii palmam accepit; cujus corpus a Chriſtianis apud eundem locum ſepultum fuit. Hæc ibi. Polita eſt *Hippolyto ſtatua*, ſimulacrum marmoreum viri ſolio inſidentis, in quo circumcirca literis Græcis inſcripti *ſunt Cycli Paſchales annorum XVI.* quod antiquitate collapſum monumentum, tandem rurſus effoſſum eſt, *inq; Vaticanam Bibliothecam cura Marcelli II. Pontificis* translatum, in qua etiamnum aſſervatur, & illam luſtrantibus ſolet oſtendi. Joſephus Scaliger, & Ægidius Bucherus, in eo explicando laudabilem præſtitere operam.

JVLIVS AFRICANVS.

SExtus Julius Africanus, ſcripſit *librum de Temporibus ab Origine Mundi, usq; ad Macrinum Imperatorem*, ſub quo ipſe vivebat. Quam provinciam ut ſuſciperet, honeſta æmulatio, & aliæ cauſæ, ſed ante omnia amor Dei, virum impulerunt. Non enim ſe ad hanc ſcriptionem contulit, ut Gentium duntaxat pertinaciam obtunderet, ſed & præcipue, ut Chriſtianorum errori ſuccurreret, quibus nulla ſacræ hiſtoriæ certa conſtabat ratio, &, quantum temporis a primo homine ad ſuum ævum interfluxerat, non magis ipſis exploratum erat, quam quantum a ſe, ad Seculi συντέλειαν ſupereſſet: quod Joſephi Scaligeri in proleg. ad Euſeb. de Africano eſt judicium; qui ſimul quoque affirmat, nihil Euſebium in Chronicis luculentum, vetuſtum, aut excellens habere, quod ex Africano non mutuatus ſit, etſi, per ſummam ingratitudinem, ipſius non meminit, niſi cum diſſentit. Cæterum, *interciderunt Afri-*

Africani ſcripta; nec, præter fragmenta aliqua, quæ Euſebius & Baſilius ſervarunt, aliud, quam ſola *Epiſtola ad Origenem de Hiſtoria Suſannæ* extat, quam ipſe fabuloſam eſſe contendit: habeturque tom. 2. Operum Origenis, una cum hujus reſponſo.

AMMONIVS ALEXANDRINVS.

Ammonius, ad aliorum diſcrimen, *Alexandrinus* dictus, ſub Alexandro Cæſare floruit, &, ex Philoſopho Platonico ac Rhetore, Chriſtianus factus eſt. Scripſit de *Conſonantia Moſis & Jeſu*, item *Canones Evangelicos*, quos, teſte Hieronymo, poſtea ſecutus eſt Euſebius Cæſareenſis. Eos Canones, alii *Harmoniam* vocant; quippe in illis, Matthæi ordinem ſervando, ex reliquis Evangeliſtis inſerit, quæ eadem, vel ſimilia ſcripſerunt. *Commendatur mirifice Autor, ab inſigni eruditione*, cujus teſtimonium perhibet ipſe quoque Porphyrius Ethnicus, qui in vita Plotini, neminem alium Plotino ſatisfacere potuiſſe indicat, præter Ammonium. *Porphyrius ſcripſerat, Ammonium a Chriſtiana religione ad Gentilium ritum ſe contuliſſe*, ſed Euſebius l. 6. Hiſt. Eccleſ. c. 19. contradicens, ſerio teſtatur, ipſum divinæ Philoſophiæ præcepta, ad extremum usque terminum vitæ, integra atque immota retinuiſſe.

ORIGENES.

Origenes, teſte Hieronymo, usque ad *Gallum* & *Voluſianum* Cæſares, vitam produxit, & anno 69. ætatis ſuæ, *mortuus eſt Tyri*, ibidemq;

demque fuit ſepultus. Photio autore, Origenes dictus eſt, quaſi in *Monte natus*; *Adamantii* autem cognomen illi tributum, quod rationes quas colligaret, adamantinis quibusdam vinculis non abſimiles viderentur: alii tamen, hoc cognomen, de indefeſſo & impigro Origenis labore explicant. *Patrem* Origenes habuit *Leonidem*, quo, ob Chriſti nominis profeſſionem, interempto, quod una cum Matre, & aliis ſex fratribus, ob proſcriptionem paternorum bonorum magna inopia premeretur, pia quædam matrona ſuis ſumtibus ejus egeſtatem ſublevavit, quos ille bene collocans, ſummos in humanis diviniſque literis fecit profectus, Hebraicam quoque linguam addiſcens; quod eo ſeculo apud Chriſtianos, rarum, & propemodum monſtri loco erat. Scripſit Origenes longe plurima, adeo ut Epiphanio in Hæreſ.64. teſte, ejus opera ad *ſena millia librorum* aſcenderint. Vſus enim eſt, referente Euſebio, *Notariis ſeptem*, vel pluribus, nec non puellis quoque, ſcite pingentibus. Vnde non immerito de eo dixit Hieronymus: *Quis noſtrum tanta poteſt legere, quanta ille ſcripſit?* Interim maxima pars illius ſcriptorum periit: quæ nunc extant, *in duos Tomos* ſunt diſtributa, & habentur fere tantum Latina. *Octo* tamen *contra Celſum libros*, Græce nobis dedit Doctiſſimus David Hœſchelius, ex Palatina & Auguſtana Bibliothecis erutos. Johannes quoque Tarinus, Andegavenſis, edidit An. 1619. Lutetiæ Pariſiorum *Origenis Philocaliam*, de obſcuris Scripturæ locis, a Baſilio Magno, & Gregorio Theologo, ex variis Origenis Commentariis excerptam. Inter reliqua

Origenis ſcripta, celebrantur imprimis *Tetrapla*, *Hexapla*, & *Octopla*, quæ paraverat. *Tetrapla*, erant Veteris teſtamenti Verſiones quatuor, in totidem columnas diſtinctæ; Verſio nimirum LXX. Interpretum, itemq; *Verſiones Aquilæ*, *Symmachi*, & *Theodotionis*. *Hexapla*, præter dictas quatuor, habebant duas alias Græcas verſiones, alteram literis Hebraicis deſcriptam, quæ *Quinta* dicebatur, & in Hierichunte, Palæſtinæ urbe, inventa fuerat; alteram Græcis literis expreſſam, quam Nicopoli, in littore Actiaco, dolio incluſam repererunt, & *Sextam* vocarunt. *Octopla*, erant prædictæ Verſiones ſex, & aliæ inſuper duæ, quæ ſine nomine extabant: quibus omnibus, ipſe Origenes, novam translationem ex LXX. & Theodotionis verſionibus concinnatam, ſuperaddidit, obeliſcis & aſteriſcis notatam. Cæterum, & *ſuos Manes paſſus eſt Origenes*, erroresque fovit fœdiſſimos. Nam, ut ex Hieronymi Ep. 59. ad Avitum, & Epiſt. 65. ad Pam. quorundam tantum mentionem faciamus, dicitur docuiſſe, Trinitatis tres perſonas, inter ſe inæquales eſſe: Reſurrectura olim hominum corpora orbicularia & rotunda: Chriſtum in ſeculo futuro, pro dæmonibus crucifixum iri: *Omnes animas* ſimul creatas eſſe: *Lunam*, *Solem* & *Stellas* vivere: & quæ alia ibi Hieronymus recenſet. Non igitur male de Origene Veteres: *Vbi bene*, *ibi* (ab Apoſtolorum ſcil. tempore) *nemo melius*. *Vbi male*, *ibi nemo pejus*. Sunt tamen Viri Eruditi, *qui non ipſum Origenem ita ſenſiſſe*, verum ejus libros, poſt mortem, per hæreticos tam male corruptos & adulteratos eſſe opinantur.

Atque hoc quidem omnino eſt, veriſimile, quippe vivo & ſuperſtite adhuc Origene, jam talia acciдиſſe, ex Rufini pro eo Apologia pateſcit. De reliquo, non prætereundum, Origenem ſibi ipſi virilia amputaſſe. Cujus rei cauſam quidam allegant, Chriſti apud Matthæum XIX. 12. verba: *Sunt eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum:* perperam intellecta. Alii, id eapropter illum feciſſe contendunt, ne moleſtam Venerem experiretur, & ut minus ſuſpecta eſſet ſua, cum matronis virginibusque, quas Theologiam non minus ac mares docebat, converſatio: ut ſic Hierophantas, Athenienſium Sacerdotes imitatus ſit, qui ſorbitione cicutæ ſe caſtrabant, quo caſtius in ſacerdotio viverent. Apud Nicephorum, & alios, proditum eſt, Origenem in Deciana perſecutione, ne exquiſitiſſimis quidem cruciatibus ad abnegandam Chriſtianam religionem perduci potuiſſe, ſed cum ei poſtremo optio proponeretur, ut aut idolis ſacrificaret, aut ab æthiope, qui coram adducebatur, nefanda in corpore pateretur, ipſum, ut erat caſtimoniæ amator, prius eligere maluiſſe. Hunc tamen lapſum mox Hieroſolymæ publice in Eccleſia deflevit. Cum enim rogaretur, ut ad populum verba adhortationis faceret, evoluto Bibliorum libro, quod incidiſſet in verba Pſalmi qui ſecundum Latinos eſt 49. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu vero odiſti diſciplinam: & projeciſti ſermones meos retrorſum:* iis perlectis, vehementi dolore perculſus, complicato libro, e ſuggeſtu deſcendit, totus in lacrymas

crymas ſe reſolvens. Quin nec diu admodum poſt hæc ſuperfuit.

GREGORIVS THAVMATVRGVS.

GRegorius Thaumaturgus, qui & *Neo-Cæſareenſis* dicitur, quod *Neocæſaream*, Cappadociæ in Ponto Polemoniaco urbem, patriam habuit, religione primum gentilis fuit, poſtea vero Origene præceptore uſus, Chriſtianamq; fidem amplexus, propter inſignem eruditionem, etſi juvenis adhuc, Neo-Cæſareenſis Epiſcopus factus eſt. Scripſit varia, quæ adhuc Hieronymi ævo extabant. Nos habemus illius *Metaphraſin in Eccleſiaſtem*; *Panegyricum ad Origenem*; *Brevem Confeſſionem*, quam didiciſſe fertur ex B. Johanne Baptiſta, ſibi cum Diva Virgine Deipara apparente. Porro habemus *Epiſtolam illius Canonicam*, & *Expoſitionem Fidei adverſus Ælianum*. His adjunxit Gerardus Joh. Voſſius *duodecim Anathemiſmos*, qui extant Græce & Latine apud Henricum Caniſium To. 3. antiquæ lectionis; de quorum tamen, aliorumque etiam nonnullorum, quæ Gregorii hujus nomine inſuper circumferuntur, fide, adhuc ambigitur. Cæterum Gregorius, adeo miraculorum dono valuiſſe dicitur, ut ſigno Crucis Diabolos repellere, quin & eosdem, ſi e re eſſet, revocare potuerit, ſcriptis tantum verbis: *Gregorius, Satanæ: Ingredere. Montem*, qui Eccleſiæ ædificationem impediebat, alioverſus tranſtulit. *Paludem*, inter fratres cauſam diſcordiarum, exſiccavit, *Lycum* fluvium, pernicioſe agros inundantem, defixo ad ripam, quo ſuſtentabatur, baculo, qui ſtatim viren-

virentem crevit in arborem, coërcuit. Sentiens Gregorius fatalem horam ſibi imminere, univerſam urbem ſcrutatus eſt, cumque non niſi *ſeptendecim Paganos* in ea reperiſſet, egit Deo gratias, quod ſuo Succeſſori non plures relinqueret ſimulacrorum cultores, quam quot ipſe, ejus Eccleſiæ curam ſuſcipiens, ibi inveniſſet Chriſtianos. Nihilo minus *Sabellianiſmi ſuſpectus* nonnihil fuit Gregorius, quod Patrem & filium hypoſtaſi unum eſſe diceret: quam tamen maculam ut eidem abſtergat Baſilius in Epiſt. 64. ad Eccleſiam Neo-Cæſareenſem, multum contendit, etſi haud negare poteſt, quædam incommoda verba & phraſes ei excidiſſe, e quibus Hæretici ſequentes, ſua dogmata confirmare anniſi ſunt.

CYPRIANVS.

Cyprianus, *e nobili apud Carthaginienſes familia* natus, ibidem diu & Rhetorem, & cauſarum Patronum egit; ſeneſcentem, *Cæcilii* Carthaginienſis Presbyteri converſatio & hortationes, nec non *lectio Prophetæ Jonæ*, ad Chriſti fidem perduxerunt, unde poſtea, ſummo Cleri & Populi conſenſu, Carthaginienſis Eccleſiæ Epiſcopus factus eſt, *mortuo Donato*. In perſecutione *Deciana*, *ad ſupplicium* quæſitus Cyprianus, non quidem ex metu, ſed ut diuturniore vita Eccleſiam juvaret, latebras petiit, corpore quidem abſens, animo tamen eidem ſemper præſens. Priusquam reſtitueretur, capta hac occaſione *Feliciſſimus Presbyter*, infelix ſchiſma contra ipſum excitavit, de qua lite videndus ipſe Cyprianus ep. 38. & 40. Interceſſit quoque Cypriano acris con-

controverſia, cum *Stephano* Romano Epiſcopo, de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati erant, cujus ſupra quoque mentionem fecimus, & de qua legenda Epiſtola Cypriani ad Pompejum. Atque Stephanum quidem, negativam defendentem, eo usq; fervor diſputationis abripuit, ut Cyprianum, *Pſeudo-Chriſtum, Pſeudo-Apoſtolum, & doloſum operarium* vocaret, dignumque arbitraretur, qui tanquam apoſtata ſubjiceretur excommunicationi. Legendus Auguſtinus de unico baptismo c. 14. *Scripta Cypriani dividuntur in Epiſtolas, Tractatus, Sermones, & Libros:* quorum ſcriptorum ſi res ſpectes, pietatem & martyrium, ſi verba, venerandam ſermonis elegantiam ſpirant, judicante ita Hieron. in Catal. Script. Eccl. Multa tamen Cypriani nomine circumferuntur ſuppoſititia. Cæterum Cyprianus, tandem *martyrii palmam animoſe meruit*, cui cum ſententia prælecta eſſet: *Cyprianus gladio feriatur: Amen,* ſubjeciſſe dicitur.

ARNOBIVS.

ARnobius, Afer fuit, natus in urbe *Sicca* Numidiæ. Docuit Rhetoricen, Chriſtianorumque quondam hoſtis erat infenſiſſimus, itaque cum Chriſto nomen dediſſet, non prius perſuadere potuit Epiſcopis ſe ſerio agere, quam *Gentes, ſeptem adverſus eos ſcriptis libris* oppugnaſſet: ii etiamnum extant, & a Viris Eruditiſſimis Notis ac Commentariis ſunt illuſtrati.

LACTANTIVS.

LActantius Firmianus, Arnobii, de quo modo diximus, diſcipulus, floruit ſub Diocletiano Prin-

Principe, & *Nicomediæ* Rhetoricen docuit: a Conſtantino quoque Magno ſtudiis Criſpi Cæſaris præfectus fuit. Reliquit nobis libros VII. *Divinarum Inſtitutionum; librum de Ira; librum de Opificio Dei, & Divinarum Inſtitutionum epitomen.* Carmina, *de paſſione Domini, Reſurrectione, & Paſchate*, quæ Lactantio vulgo tribuuntur, Voſſius, *Venantii Fortunati* eſſe judicat. *Carmen de Phœnice*, hominis gentilis eſſe Bellarminus credidit. *Libellum Lactantii de Mortibus Perſecutorum*, cum diu mortalium notitiam effugiſſet, ante annos haud adeo multos *Stephanus Baluzius*, Vir Clariſſimus, primus e veteri Codice MS. Bibliothecæ Colbertinæ vulgavit, palam felicem; quippe ad eum illuſtrandum, continuo Viri Docti certatim ingenium & operam contulere. Ludovici Vivis in notis ad l. 18. Auguſt. de C.D. c. 23. judicio, *nullus inter Chriſtianos Scriptores, tam vicinus eſt dictioni Tullianæ* ac Lactantius.

HÆRETICI.

NOVATIANI.

NOvatiani, utrum a *Novato*, an *Novatiano* ita dicti ſint, lis eſt inter Eruditos. Nos, iis accedimus, qui a Novato nomen id derivatum eſſe, exiſtimant, nam ſic ipſe S. Auguſtinus Hæreſi 38. ſcribit: *Novatum ſectantes hæreticum, unde & Novatiani appellantur.* Interim non negamus, Novatianum Novato fuiſſe amiciſſimum, atque ipſo præceptore uſum eſſe, unde Euſebius in Chronico: *Novatus, Presbyter Cypriani, Romam veniens, Novatianum & cæteros confeſſores ſibi ſociat, eo quod Cornelius, pœnitentes apoſtatas rece-*

recepiſſet. Nimirum, ut rem ab ovo repetamus, cum B. *Cyprianus* Eccleſiæ Carthaginienſis factus eſſet Epiſcopus, male ea res habuit *Feliciſſimum*, Presbyterum quendam, & a Cypriani cōmunione ſe ſeparavit, eique *Novatus*, & ipſe Carthaginienſis Presbyter, ſe conjunxit. Cumq; Romæ *Novatianus* in Epiſcopatu *Cornelium* ſibi antelatum doleret, huic quoque currenti Novatus poſtea calcar addidit ad injuriam vindicandam, & faciendam a Cornelio ſeparationem. *Sed alius quæſitus prætextus eſt*, & id vitio datum Cornelio, quod eos qui in perſecutione Deciana, ex Chriſtianis, metu ſuppliciorum, ſacræ religionis deſertores facti erant, in communionem rurſus admitteret, & hac ratione feneſtram apoſtaſiis, & aliis ſceleribus aperiret. Fuit igitur *Novatianorum error præcipuus, quod lapſos, etſi pœnitentes, in Eccleſiæ ſinum iterum recipiendos eſſe vehementer negarent*, quam ob rem *Catbari* quoque dicti ſunt, quaſi qui cœtum ex meris piis, purisque hominibus conflatum, ſe habere, jactabant. Cæteros Novati, ſive Novatiani errores, ſic in compendium redegit Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium l. 7. Hiſtor. c. 8. *Novatianus Eccleſiam diſcidit, & quosdam ex fratribus ad impietatem blaſphemiamq; pertraxit; qui nefariam de Deo doctrinam invexit, & clementiſſimum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum quaſi implacabilem calumniatur : qui præterea ſacrum lavacrum obliterat : fidemq; ac confeſſionem quæ baptiſmum præcedunt, evertit : & Spiritum S. penitus ab illis fugat, tametſi ſpes aliqua ſubſit, vel quod in illis adhuc maneat, vel quod ad eos reverſurus ſit.* Hactenus ille.

SABEL-

SABELLIANI.

SAbellianorum dux & anteſignanus fuit *Sabellius*, *Afer*, in *Ptolemaide* urbe natus, & *Noëto* præceptore uſus, unde & iidem Hæretici alio nomine *Noëtiani* vocantur. Dicti quoque ſunt *Patripaſſiani*: docebant enim in Deitate unam tantum eſſe perſonam, quæ tria habeat nomina, Patris, Filii, & Spiritus S. atque illam unicam perſonam, in V. T. ut Patrem, tuliſſe Legem; ut Filium, in N. T. paſſam eſſe; &, ut Spiritum S. ſuper Apoſtolos deſcendiſſe. Erroris ſocios habuit Sabellius, *Praxeam*, & *Hermogenem*.

SAMOSATENIANI.

P*Aulus Samoſatenus*, ab oppido *Samoſata*, in Syria, ad Euphratis fontes ſito, cognominatus, *Eccleſiæ Antiochenæ fuit Epiſcopus*, & ingenio ſubdolo ac ſuperbo erat præditus, adeo, ut *per forum incedens, epiſtolas legere & dictare*, magna hominum frequentia ſtipatus, ſoleret. Revocavit Paulus Samoſatenus *Cerinthi* & *Artemonis* errores in lucem, *abjecte de perſona Salvatoris noſtri ſentiens*, quem terrenum & humi natum fuiſſe, calumniabatur. De eo Philaſtrius c. 65. de hæreſ. *Paulus Samoſatenus*, inquit, *Chriſtum, non Deum verum prædicabat, judaizans potius; qui & circumciſionem docebat: unde & Zenobiam, quondam Reginam in Oriente, tunc temporis ipſe docuit judaizare.*

MANICHÆI.

MAnichæi, a *Manete* nomen acceperunt, qui idem & *Mannicheus* dictus eſt: nam, ut in-

DOMITIVS VLPIANVS.

VLpianus, ex *Tyro* urbe oriundus, *Papinianum* Præceptorem habuit, eidemque poſtea in præfectura Prætorii ſucceſſit. Summam in juris ſcientia, poſt Præceptorem, laudem conſequutus eſt, eumque Modeſtinus in libro de Excuſationibus, *præſtantiſſimum*, & *JCtorum coryphæum*, Juſtinianus vero Imp. in l. un. C. de caducis tollendis, *Summi ingenii virum*, appellant. Sed tandem a Prætorianis, quorum odium adverſus ſe concitaverat, eſt occiſus. *Scripſit plurima*, quorum Catalogum Valentinus Forſterus in Hiſtoria juris Civilis Romani l. 2. c. 77. inivit.

JVLIVS PAVLVS.

JVlius Paulus, & ipſe Papiniani diſcipulus, *Patavium* patriam habuit, &, Vlpiano interfecto, *Præfectus Prætorio* creatus eſt, autoritate, Vlpiano par, librorum multitudine ſuperior fuit, quos enarrare nimis longum foret; quare ſeriem diſcere volentibus, Valentinus Forſterus iterum conſulendus eſt, & numerus fere ad 70. volumina conſurgit. Sed extant tantum *V. libri Sententiarum ad filium*. Cæterorum Jureconſultorum hujus ævi, qui pariter ex Papiniani Schola, tanquam ex equo Trojano, uti Cicero de Iſocrate dixit, exiverunt, *Hermogenis* nempe, *Africani*, *Herennii*, *Modeſtini*, *Celſi*, *Alpheni Junioris*, *Calliſtrati*, *Venuleji*, *Triphoniani*, *Metiani*, & *Proculi*, ſola nomina recitaſſe ſufficit.

Herodianvs.

Herodianus, Alexandrinus Grammaticus, *Apollonii* Grammatici filius, *libros VIII. Hiſtoriæ Romanæ*, Principum ſui ævi, a M. Aurelii Antonini Philoſophi exceſſu orſus, & in morte Balbini, Maximiq;, ac imperio Gordiani nepotis deſinens, Gtæcanica lingua compoſuit, ſingulorum Imperatorum res geſtas diligenter, perſpicue, ac ordinate ediſſerens. Concionibus quoque gaudet, ſed brevibus, ita ut acumine, brevitate, & ſententiarum gravitate, cum Latinorum Salluſtio comparari poſſit. Veritati ſtuduit, niſi quod in *Alexandro & Maximino* fidem nutare, Viri Docti admonent.

Dio Cassivs.

Dio Caſſius, qui & *Coccejus* ſive *Coccejanus* vocatur, in *Nicæa*, Bithyniæ urbe natus, ab Imperatore *Alexandro Mamææ filio*, *ad Conſulatum* fuit evectus: ſed cum ætate provectior eſſet, impetrata ab Imperatore venia, in patriam reverſus, quod vitæ reliquum erat, ibidem tranſegit. Interea temporis *Hiſtoriam Romanam*, ab Vrbe condita, ad ſuam usque ætatem *LXXX. libris* complexus eſt, e quibus primi 34. & poſteriores 21. deſiderantur, intermedii 25. interitum evaſerunt, incipientes a Luculli geſtis, & in Claudii Cæſaris deſinentes obitu. Sed bene eſt, quod *Johannis Xiphilini Eclogas*, *ſive Excerpta*, inde a Pompejo & Julio Cæſare, ad finem usque operis, id eſt, ad Alexandrum Mamææ filium habemus. Vtitur dictione gravi, ſed perſpicua, &, in Concionibus, videtur æmulari voluiſſe Thucydidem.

PLOTINVS.

PLotinus, Philoſophus Platonicus, *Ægyptius* natione fuit, &, in urbe *Lyco* natus eſt. Præceptorem habuit *Ammonium*, ipſe poſtea inter cæteros, Porphyrium & Origenem, erudivit. *Scripſit Libros L I V.* Platonicorum placita ſubobſcure complectentes, qui, quod per novenarios digeſti ſunt, *Enneades* quoque appellantur. Qui hunc audit, (inquit de eo Marſilius) Platonem audire ſe putet: aut enim in Plotino Plato revixit, aut dæmon idem, prius Platonem, deinde Plotinum afflavit. Sub Philippo Imp. Romæ docuit, non idololatras modo, ſed & Chriſtianos habens auditores, a quorum religione non multum abhorrere creditus eſt. Civitatem conditurus ad Platonis ideam, Gallieni Imp. opem imploravit, quem tamen Conſiliarii ejus abſterruerunt. Vitam Plotini accurate deſcripſit Porphyrius, qui, Draconem ſub morientis lecto viſum refert; quod, de familiari, ut vocant, Genio, ei tribuendo, occaſionem præbuiſſe videtur.

CENSORINVS.

CEnſorinus, circa A. C. 238. floruiſſe dicitur, cujus extat *liber de Die Natali.* Scripſit & *librum de Accentibus*, cujus mentio apud Caſſiodorum, & Priſcianum, a quo, *doctiſſimus artis Grammaticæ* appellatur.

PORPHYRIVS.

POrphyrius, Philoſophus, *Tyrius* patria, clara ortus proſapia, à puero uſus eſt præceptore

Lon-

Longino, viro doctiſſimo. Prius *Malchus* vocabatur, deinde, ob veſtem Regiam purpuream, qua, ob nobilitatem, induebatur, Porphyrius appellari cœptus eſt. Romam poſtea profectus, *Plotinum* audivit, a quo, cum aliquando ægrotaret, philoſophica oratione adeo confirmatus eſſe dicitur, ut ſtatim convaluerit. Fuit *Chriſtianæ religionis hoſtis infenſiſſimus*, unde præter cæteros, etiam XV. *libros Chriſtianis oppoſitos* reliquit, quos *Methodius*, *Euſebius*, & *Apollinaris*, ceu Hieronymus teſtatur, prolixe confutarunt. Cætera Porphyrii ſcripta, enarrat Holſtenius, in peculiari libro de vita & ſcriptis Porphyrii. Baronius in Annal. ipſum reſipuiſſe, & ex gentili Chriſtianum factum exiſtimat.

CAPITOLINVS.

IVlius Capitolinus, *omnium Principum Romanorum vitas, in duas partes diſtinctas*, conſcripſit, ac priorem Diocletiano, alteram Conſtantino dicavit. Sed ſolum extant *Pii*, *Marci*, *L. Veri*, *Pertinacis*, *Macrini*, *Albini*, *duorum Maximinorum*, *Gordianorum trium*, *itemq; Maximi & Balbini* vitæ, reliqua perierunt. Nec ordo, nec dictio ejus ſe commendant, uti, poſt Antoninos, magis magisque, ac pæne præcipiti gradu, imminui Hiſtoriæ, & omnis prope literarum honos cœpit.

LAMPRIDIVS.

ÆLius Lampridius, & ipſe ſub Diocletiano, *Romanorum Impp. vitas recenſuit*, ſed nobis tantum, *Commodus*, *Heliogabalus*, & *Alexander* ſuperſunt.

TREBELLIVS POLLIO.

EAdem ætate, Trebellius Pollio, *omnes Imperatores, qui a duobus Philippis; uſq; ad Claudii fratrem, M. Aurelium Quintillum, fuerunt, hiſtoria complexus eſt.* Deſunt, *quæ a Philippis ad Valeriaum* commentatus fuerat, cætera tulerunt ætatem.

FLAVIVS VOPISCVS.

FLavius Vopiſcus, ſimiliter horum temporum ſcriptor fuit, & ad Celſum quendam, *vitas eorum Principum ſcripſit, qui ab obitu Claudii, & ejus fratris Quintilli, uſq; ad initium imperii Diocletiani imperarunt.* Extant quidem omnia, ſed Librariorum erroribus referta.

ÆLIVS SPARTIANVS.

ÆLius Spartianus, tempore Diocletiani claruit, &, non ſolum *Imperatorum omnium*, qui in Romano Imperio principem locum obtinuerunt, & Auguſti appellati ſunt, verum & illorum, qui vel Cæſarum nomine, vel quolibet alio genere, ſive in famam, (ut ejus verbis utamur) ſive in ſpem principatus venerunt, vitas enarravit. *Hadrianus, L. Ælius, Julianus, Severus, Niger, Caracalla & Geta* ejus, tantum extant, deſideramus cæteros.

VVLCATIVS GALLICANVS.

VVlcatius Gallicanus, pariter ſub idem tempus, *Imperatorum vitas enarravit*, qui tamen, *Aurelii Caſſii vita tantum excepta*, cætera totus periit.

MEMO-

MEMORABILIA.

HOc Seculo, Cacodæmon, ultimam rabiem adverſus Chriſtianos exercere volens, quod per ipſos, ſuum regnum indies majus majusque detrimentum pati animadverteret, PERSECUTIONES crudeliſſimas excitavit. Eam quæ ſub *Maximino* mota eſt, vulgo SEXTAM faciunt; atque hac, non promiſcue omnes Chriſtiani, ſed fere ſoli *Epiſcopi & Sacerdotes* petiti ſunt. Creditum enim eſt, iſtis e medio ſublatis, rudem plebem ultro ad priſtinas ſuperſtitiones facile reverſuram.

SEPTIMA SUB DECIO PERSECUTIO, omnium fuit atrociſſima, ita, ut Nicephoro teſte, facilius quis numerum arenæ maris, quam Martyrum ſub hoc Tyranno inire poſſit. Nimirum, quæ Cypriani l. 4. Ep. 4. verba ſunt: Deo chari, domo privabantur, patrimonio ſpoliabantur, catenis premebantur, carceribus includebantur, beſtiis objiciebantur, ignibus puniebantur. Euſebius, ex Dionyſio Alexandrino, his ſuppliciis præterea addit, Picem ferventem, lapidationem, calamos acutos in faciem & oculos impulſos; tractiones per ſtrata viarum, illiſiones ad lapides, verbera, flagellationes, exuſtiones, transverberationem viſcerum per ſudes, gladium, membrorum confractionem, e ſublimi præcipitationem. Nec minus addere inſuper oportet, equuleos, lacerationes per uncos ferreos, lampades ardentes lateribus admotas, ſuſpendia, &, quavis morte graviores, damnationes ad metalla. Aliud inſuper horum temporum atrociſſimum tormentum,

tum, ex Lactantii de Mortibus Perſecutorum libello, deſcribendum nobis. Scilicet, *deligatorum pedibus ſubdebatur primo lenis flamma, tamdiu donec callum ſolorum contractum igni* (exiſtimaverim legendum *ſolearum contactu ignis*) *ab oſſibus revelleretur. Deinde incenſæ faces & extinctæ admovebantur ſingulis membris, ita ut locus nullus in corpore relinqueretur intactus. Et inter hæc ſuffundebatur facies aqua frigida, & os humore abluebatur, ne areſcentibus ſiccitate faucibus, cito ſpiritus redderetur: quod poſtremo accidebat, cum per multum diem, decocta omni cute, vis ignis ad ima viſcera penetraſſet. Hinc, rogo facto cremabantur. Corpora jam crεmata, lecta oſſa; & in pulverem jam comminuta, jactabantur in flumina ac mare.* In perſecutione Deciana totæ multitudines, in deſerta & montes profugerunt, ibique oberrarunt, & alii, fame, ſiti, frigore confecti, alii a beſtiis dilaniati, alii a barbaris capti ſunt. Inter hos *Chæremon, Epiſcopus Nilopoleos*, grandævus, & ætate prope exacta, una cum uxore ſua, ad montem Arabiæ confugiens, nusquam apruiſſe legitur: & licet fratres aliquoties eum cum uxore quærerent, tamen neque ipſi, neque corpora illorum amplius comparebant; unde quidam conjectarunt, eos vivos in cœlum ſublatos eſſe.

Deciana Perſecutio, primam occaſionem VITÆ EREMITICÆ dedit, ex qua poſtea *Monaſtica* originem ſumſit. Quippe PAVLVS THEBÆVS, juvenis annorum 15. ut periculum evaderet, in ſolitudinem confugit, ac reperta grandi ſpelunca, quæ, regnante Cleopatra, adulterinæ monetæ officina fuerat, 90. *annos* ibidem in oratione & precibus exegit, cibum ipſi & veſtimentum palma præbente.

bente. Ejus exemplum imitatus eſt *Antonius*, qui & ipſe per 90. fere annos, vitam in ſolitudine egit. Ab his duobus, omne Eremitarum ac Monachorum genus, exortum eſt: ac plura de utroq; mox penſiculate narrabuntur.

In Decianæ Perſecutionis hiſtoria, fit mentio LIBELLATICORVM, & TRADITORVM. Atque priori nomine deſignantur ii, qui, formidine cruciatuum, data pecunia, *ſibi parabant libellum*, quo ipſos idolis ſacrificaſſe ſignificabatur. Etiamſi vero id non feciſſent, erat tamen hæc deſertionis ſpecies. *Traditores* dicebantur, *qui libros ſacros tradebant*, ignibus comburendos.

OCTAVAM PERSECVTIONEM, *Valerianus* movit, a Magis Ægyptiacis ad eam rem exſtimulatus. Cum enim Imperator præſtigiis illorum hominum vehementer caperetur, easque ſufflaminari videret a Chriſtianis, eo dementiæ progreſſus eſt, ut Chriſtianos Deaſtris ſuis ſacrificaret, & recens in lucem editorum infantum viſcera ſcrutaretur.

NONÆ VNIVERSALIS PERSECVTIONIS *Aurelianus* autor fuit; ſed haud diu duravit, imo potius, in ipſo conatu a Deo eſt repreſſa. Cum enim jam edicto promulgando Aurelianus ſubſcripturus eſſet, prope Byzantium eſt occiſus.

VLTIMAM eamq; DECIMAM PERSECVTIONEM, *Diocletianus* concitavit, quæ & univerſos decem annos duraſſe legitur. *Initium* ejus factum ipſo Paſchatis feſto, quod tempus a Tyranno callide electum eſt, ut Chriſtianos, magno numero in templis collectos, ſimul poſſet opprimere. Cum vero non ubique eodem tempore Paſcha

recepiſſet. Nimirum, ut rem ab ovo repetamus, cum B. *Cyprianus* Eccleſiæ Carthaginienſis factus eſſet Epiſcopus, male ea res habuit *Feliciſſimum*, Presbyterum quendam, & a Cypriani comunione ſe ſeparavit, eique *Novatus*, & ipſe Carthaginienſis Presbyter, ſe conjunxit. Cumq; Romæ *Novatianus* in Epiſcopatu *Cornelium* ſibi antelatum doleret, huic quoque currenti Novatus poſtea calcar addidit ad injuriam vindicandam, & faciendam a Cornelio ſeparationem. *Sed alius quæſitus prætextus eſt*, & id vitio datum Cornelio, quod eos qui in perſecutione Deciana, ex Chriſtianis, metu ſuppliciorum, ſacræ religionis deſertores facti erant, in communionem rurſus admitteret, & hac ratione feneſtram apoſtaſiis, & aliis ſceleribus aperiret. Fuit igitur *Novatianorum error præcipuus, quod lapſos, etſi pœnitentes, in Eccleſiæ ſinum iterum recipiendos eſſe vehementer negarent*, quam ob rem *Cathari* quoque dicti ſunt, quaſi qui cœtum ex meris piis, purisque hominibus conflatum, ſe habere, jactabant. Cæteros Novati, ſive Novatiani errores, ſic in compendium redegit Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium l. 7. Hiſtor. c. 8. *Novatianus Eccleſiam diſcidit, & quoſdam ex fratribus ad impietatem blaſphemiamq; pertraxit; qui nefariam de Deo doctrinam invexit, & clementiſſimum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum quaſi implacabilem calumniatur: qui præterea ſacrum lavacrum obliterat: fidemq; ac confeſſionem quæ baptiſmum præcedunt, evertit: & Spiritum S. penitus ab illis fugat, tametſi ſpes aliqua ſubſit, vel quod in illis adhuc maneat, vel quod ad eos reverſurus ſit.* Hactenus ille.

SABEL-

SABELLIANI.

SAbellianorum dux & anteſignanus fuit *Sabellius, Afer*, in *Ptolemaide* urbe natus, & *Noëto* præceptore uſus, unde & iidem Hæretici alio nomine *Noëtiani* vocantur. Dicti quoque ſunt *Patripaſſiani*: docebant enim in Deitate unam tantum eſſe perſonam, quæ tria habeat nomina, Patris, Filii, & Spiritus S. atque illam unicam perſonam, in V. T. ut Patrem, tuliſſe Legem; ut Filium, in N. T. paſſam eſſe; &, ut Spiritum S. ſuper Apoſtolos deſcendiſſe. Erroris ſocios habuit Sabellius, *Praxeam, & Hermogenem*.

SAMOSATENIANI.

PAulus Samoſatenus, ab oppido *Samoſata*, in Syria, ad Euphratis fontes ſito, cognominatus, *Eccleſiæ Antiochenæ fuit Epiſcopus*, & ingenio ſubdolo ac ſuperbo erat præditus, adeo, ut *per forum incedens, epiſtolas legere & dictare*, magna hominum frequentia ſtipatus, ſoleret. Revocavit Paulus Samoſatenus *Cerinthi & Artemonis* errores in lucem, *abjecte de perſona Salvatoris noſtri ſentiens*, quem terrenum & humi natum fuiſſe, calumniabatur. De eo Philaſtrius c. 65. de hæreſ. *Paulus Samoſatenus*, inquit, *Chriſtum, non Deum verum prædicabat, judaizans potius; qui & circumciſionem docebat: unde & Zenobiam, quondam Reginam in Oriente, tunc temporis ipſe docuit judaizare.*

MANICHÆI.

MAnichæi, a *Manete* nomen acceperunt, qui idem & *Mannichens* dictus eſt: nam, ut in-

 quit

quit Auguſtinus Hæreſ. 46. *in Græcia diſcipuli ejus vitantes nomen inſaniæ, quaſi doctiores & eo ipſo mendaciores , geminata N litera , Mannicheum quaſi Manna fundentem, pro Manichæo, id eſt inſano appellaverunt.* Inſuper & *Cubricus*, Maneti nomen fuit, ſed cum adhuc ſervus eſſet. Sciendum enim, quendam *Buddam*, Philoſophum Pythagoræum, & magum , Cubricum iſtum pro ſervo habuiſſe, eique morientem , opes non exiguas , magnamque copiam peſſimorum librorum reliquiſſe. Iis Cubricus acceptis , falſis opinionibus animum imbuit , atque ita ſui juris & Doctor factus , Manes vocari voluit: atque, ut famam ſibi conciliaret, & in vulgus errores ſpargere poſſet, *Diſcipulos XXII. vel ſecundum alios XII. præcipue ſelegit.* Interea loci, cum ipſe *Regis Perſici filium*, cui mederi volebat, interemiſſet, a *Perſis arundine excoriatus* eſt, ac cadaver beſtiis fuit objectum. Atque hinc Diſcipuli ejus, *Mattarii* quoq; dicti ſunt, quod in mattis, ex arundine contextis, in memoriam ſupplicii cui præceptor ſubjectus fuerat, decumberent. *Inter magis delira hominis dogmata, ſunt:* Quod ſe Paracletum a Chriſto promiſſum jactabat. Quod duo rerum æterna principia, bonorum alterum, alterum malorum fontem, ſtatuebat, abutens illo dicto Servatoris Matth. VII. Non poteſt arbor bona malos fructus ferre, neque arbor mala bonos fructus facere: quodque Vetus Teſtamentum Principio malo , Novum vero bono , acceptum ferendum eſſe, contendit. Similiter, bonum Deum, creaſſe omnium hominum, beſtiarum, & plantarum animas, eſſentia plane ſimiles, ſoloque numero differentes, ajebat;

Ma-

Malum autem Deum formaſſe corpora, materiam, tenebras, corruptionem. Chriſtum, per ſummam blaſphemiam, dicebat Serpentem illum fuiſſe, qui Adamum & Evam decepit, eumq; tantum ſimulate paſſum eſſe, cum interim corpus ejus lucido Solis globo infunderetur. Admittebat animarum in alia ſubinde corpora migrationem; damnabat S. Johannem Baptiſtam; Euchariſtiam ex farina, eo, quo homines procreantur, humore imbuta, parabat; Magiſtratus & & Reipub. formas ſublatas volebat; omne bellum illicitum reputabat; veſci carnibus nefas dixit: quin & nefas habuit vinum bibere, tanquam quod fel eſſet Principis tenebrarum. Sed, de his, aliisq; Manichæorum erroribus, plura videri posſunt apud Epiphanium *Hær. 66.* Auguſtinum Hær. 46. itemque in ejusdem libro adverſus Fauſtum Manichæum.

SCRIPTORES PROFANI.

ALEXANDER APHRODISÆVS.

Alexander Aphrodiſæus, primus omnium, antea viris doctis magis laudatum, quam intellectum *Ariſtotelem, Commentariis enarravit*, & imprimis *Topica* egregie expoſuit, nec quisquam, ſi Voſſio credimus, Ariſtotelis mentem melius eſt aſſequutus. Claruit tempore Septimii Severi, & Antonini Caracallæ Imperatorum, quibus *libellum de Fato* inſcripſit. Vſus eſt præceptoribus *Ariſtocle Meſſenio*, & *Soſigene*. Ex ejus Schola, *Themiſtius*, *Ammonius*, *Simplicius*, *Philoponus*, *Olympiodorus*, omnes Interpretes Ariſtotelis, prodierunt.

Domitius Ulpianus.

VLpianus, ex *Tyro* urbe oriundus, *Papinianum* Præceptorem habuit, eidemque poſtea in præfectura Prætorii ſucceſſit. Summam in juris ſcientia, poſt Præceptorem, laudem conſequutus eſt, eumque Modeſtinus in libro de Excuſationibus, *præſtantiſſimum*, & *JCtorum coryphæum*, Juſtinianus vero Imp. in l. un. C. de caducis tollendis, *Summi ingenii virum*, appellant. Sed tandem a Prætorianis, quorum odium adverſus ſe concitaverat, eſt occiſus. *Scripſit plurima*, quorum Catalogum Valentinus Forſterus in Hiſtoria juris Civilis Romani l. 2. c. 77. inivit.

Julius Paulus.

JVlius Paulus, & ipſe Papiniani diſcipulus, *Patavium* patriam habuit, &, Vlpiano interfecto, *Præfectus Prætorio* creatus eſt, autoritate, Vlpiano par, librorum multitudine ſuperior fuit, quos enarrare nimis longum foret; quare ſeriem diſcere volentibus, Valentinus Forſterus iterum conſulendus eſt, & numerus fere ad 70. volumina conſurgit. Sed extant tantum *V. libri Sententiarum ad filium*. Cæterorum Jureconſultorum hujus ævi, qui pariter ex Papiniani Schola, tanquam ex equo Trojano, uti Cicero de Iſocrate dixit, exiverunt, *Hermogenis* nempe, *Africani*, *Herennii*, *Modeſtini*, *Celſi*, *Alpheni Junioris*, *Calliſtrati*, *Venuleji*, *Triphoniani*, *Metiani*, & *Proculi*, ſola nomina recitaſſe ſufficit.

Herodianvs.

HErodianus, Alexandrinus Grammaticus, *Apollonii* Grammatici filius, *libros VIII. Hiſtoriæ Romanæ*, Principum ſui ævi, a M. Aurelii Antonini Philoſophi exceſſu orſus, & in morte Balbini, Maximiq;, ac imperio Gordiani nepotis deſinens, Gtæcanica lingua compoſuit, ſingulorum Imperatorum res geſtas diligenter, perſpicue, ac ordinate ediſſerens. Concionibus quoque gaudet, ſed brevibus, ita ut acumine, brevitate, & ſententiarum gravitate, cum Latinorum Salluſtio comparari poſſit. Veritati ſtuduit, niſi quod in *Alexandro & Maximino* fidem nutare, Viri Docti admonent.

Dio Cassivs.

DIo Caſſius, qui & *Coccejus* ſive *Coccejanus* vocatur, in *Nicæa*, Bithyniæ urbe natus, ab Imperatore *Alexandro Mamææ filio*, *ad Conſulatum* fuit evectus; ſed cum ætate provectior eſſet, impetrata ab Imperatore venia, in patriam reverſus, quod vitæ reliquum erat, ibidem tranſegit. Interea temporis *Hiſtoriam Romanam*, ab Vrbe condita, ad ſuam usque ætatem *LXXX. libris* complexus eſt, e quibus primi 34. & poſteriores 21. deſiderantur, intermedii 25. interitum evaſerunt, incipientes a Luculli geſtis, & in Claudii Cæſaris deſinentes obitu. Sed bene eſt, quod *Johannis Xiphilini Eclogas*, *ſive Excerpta*, inde a Pompejo & Julio Cæſare, ad finem usque operis, id eſt, ad Alexandrum Mamææ filium habemus. Vtitur dictione gravi, ſed perſpicua, &, in Concionibus, videtur æmulari voluiſſe Thucydidem.

PLOTINVS.

PLotinus, Philoſophus Platonicus, *Ægyptius* natione fuit, &, in urbe *Lyco* natus eſt. Præceptorem habuit *Ammonium*; ipſe poſtea inter cæteros, Porphyrium & Origenem, erudivit. *Scripſit Libros L I V.* Platonicorum placita ſubobſcure complectentes, qui, quod per novenarios digeſti ſunt, *Enneades* quoque appellantur. Qui hunc audit, (inquit de eo Marſilius) Platonem audire ſe putet; aut enim in Plotino Plato revixit, aut dæmon idem, prius Platonem, deinde Plotinum afflavit. Sub Philippo Imp. Romæ docuit, non idololatras modo, ſed & Chriſtianos habens auditores, a quorum religione non multum abhorrere creditus eſt. Civitatem conditurus ad Platonis ideam, Gallieni Imp. opem imploravit, quem tamen Conſiliarii ejus abſterruerunt. Vitam Plotini accurate deſcripſit Porphyrius, qui, Draconem ſub morientis lecto viſum refert; quod, de familiari, ut vocant, Genio, ei tribuendo, occaſionem præbuiſſe videtur.

CENSORINVS.

CEnſorinus, circa A. C. 238. floruiſſe dicitur, cujus extat *liber de Die Natali.* Scripſit & *librum de Accentibus*, cujus mentio apud Caſſiodorum, & Priſcianum, a quo, *doctiſſimus artis Grammaticæ* appellatur.

PORPHYRIVS.

POrphyrius, Philoſophus, *Tyrius* patria, clara ortus proſapia, à puero uſus eſt præceptore *Lon-*

Longino, viro doctiſſimo. Prius *Malchus* vocabatur, deinde, ob veſtem Regiam purpuream, qua, ob nobilitatem, induebatur, Porphyrius appellari cœptus eſt. Romam poſtea profectus, *Plotinum* audivit, a quo, cum aliquando ægrotaret, philoſophica oratione adeo confirmatus eſſe dicitur, ut ſtatim convaluerit. Fuit *Chriſtianæ religionis hoſtis infenſiſſimus*, unde præter cæteros, etiam XV. *libros Chriſtianis oppoſitos* reliquit, quos *Methodius*, *Euſebius*, & *Apollinaris*, ceu Hieronymus teſtatur, prolixe confutarunt. Cætera Porphyrii ſcripta, enarrat Holſtenius, in peculiari libro de vita & ſcriptis Porphyrii. Baronius in Annal. ipſum reſipuiſſe, & ex gentili Chriſtianum factum exiſtimat.

CAPITOLINVS.

IVlius Capitolinus, *omnium Principum Romanorum vitas, in duas partes diſtinctas*, conſcripſit, ac priorem Diocletiano, alteram Conſtantino dicavit. Sed ſolum extant *Pii*, *Marci*, *L. Veri*, *Pertinacis*, *Macrini*, *Albini*, *duorum Maximinorum*, *Gordianorum trium*, *itemq; Maximi & Balbini* vitæ, reliqua perierunt. Nec ordo, nec dictio ejus ſe commendant, uti, poſt Antoninos, magis magisque, ac pæne præcipiti gradu, imminui Hiſtoriæ, & omnis prope literarum honos cœpit.

LAMPRIDIVS.

ÆLius Lampridius, & ipſe ſub Diocletiano, *Romanorum Impp. vitas recenſuit*, ſed nobis tantum, *Commodus*, *Heliogabalus*, & *Alexander* ſuperſunt.

TREBELLIVS POLLIO.

EAdem ætate, Trebellius Pollio, *omnes Imperatores, qui a duobus Philippis, usq; ad Claudii fratrem, M. Aurelium Quintillum, fuerunt, hiſtoria complexus eſt.* Deſunt, *quæ a Philippis ad Valerianum* commentatus fuerat, cætera tulerunt ætatem.

FLAVIVS VOPISCVS.

FLavius Vopiſcus, ſimiliter horum temporum ſcriptor fuit, & ad Celſum quendam, *vitas eorum Principum ſcripſit, qui ab obitu Claudii, & ejus fratris Quintilli, usq; ad initium imperii Diocletiani imperarunt.* Extant quidem omnia, ſed Librariorum erroribus referta.

ÆLIVS SPARTIANVS.

ÆLius Spartianus, tempore Diocletiani claruit, &, non ſolum *Imperatorum omnium*, qui in Romano Imperio principem locum obtinuerunt, & Auguſti appellati ſunt, verum & illorum, qui vel Cæſarum nomine, vel quolibet alio genere, ſive in famam, (ut ejus verbis utamur) ſive in ſpem principatûs venerunt, vitas enarravit. *Hadrianus, L. Ælius, Julianus, Severus, Niger, Caracalla & Geta* ejus, tantum extant, deſideramus cæteros.

VVLCATIVS GALLICANVS.

VVlcatius Gallicanus, pariter ſub idem tempus, *Imperatorum vitas enarravit*, qui tamen, *Aurelii Caſſii vita tantum excepta*, cætera totus periit.

MEMORABILIA.

HOc Seculo, Cacodæmon, ultimam rabiem adverſus Chriſtianos exercere volens, quod per ipſos, ſuum regnum indies majus majusque detrimentum pati animadverteret, PERSECVTIONES crudeliſſimas excitavit. Eam quæ ſub *Maximino* mota eſt, vulgo SEXTAM faciunt; atque hac, non promiſcue omnes Chriſtiani, ſed fere ſoli *Epiſcopi* & *Sacerdotes* petiti ſunt. Creditum enim eſt, iſtis e medio ſublatis, rudem plebem ultro ad priſtinas ſuperſtitiones facile reverſuram.

SEPTIMA SVB DECIO PERSECVTIO, omnium fuit atrociſſima, ita, ut Nicephoro teſte, facilius quis numerum arenæ maris, quam Martyrum ſub hoc Tyranno inire poſſit. Nimirum, quæ Cypriani l. 4. Ep. 4. verba ſunt: Deo chari, domo privabantur, patrimonio ſpoliabantur, catenis premebantur, carceribus includebantur, beſtiis objiciebantur, ignibus puniebantur. Euſebius, ex Dionyſio Alexandrino, his ſuppliciis præterea addit, Picem ferventem, lapidationem, calamos acutos in faciem & oculos impulſos; tractiones per ſtrata viarum, illiſiones ad lapides, verbera, flagellationes, exuſtiones, transverberationem viſcerum per ſudes, gladium, membrorum confractionem, e ſublimi præcipitationem. Nec minus addere inſuper oportet, equuleos, lacerationes per uncos ferreos, lampades ardentes lateribus admotas, ſuſpendia, &, quavis morte graviores, damnationes ad metalla. Aliud inſuper horum temporum atrociſſimum tormen-

tum, ex Lactantii de Mortibus Perſecutorum libello, deſcribendum nobis. Scilicet, *deligatorum pedibus ſubdebatur primo lenis flamma, tamdiu donec callum ſolorum contractum igni* (exiſtimaverim legendum *ſolearum contactu ignis*) *ab oſſibus revelleretur. Deinde incenſæ faces & extinctæ admovebantur ſingulis membris, ita ut locus nullus in corpore relinqueretur intactus. Et inter hæc ſuffundebatur facies aqua frigida, & os humore abluebatur, ne areſcentibus ſiccitate faucibus, cito ſpiritus redderetur: quod poſtremo accidebat, cum per multum diem, decocta omni cute, vis ignis ad ima viſcera penetraſſet. Hinc, rogo facto cremabantur. Corpora jam crimata, lecta oſſa; & in pulverem jam comminuta, jactabantur in flumina ac mare.* In perſecutione Deciana totæ multitudines, in deſerta & montes profugerunt, ibique oberrarunt, & alii, fame, ſiti, frigore confecti, alii a beſtiis dilaniati, alii a barbaris capti ſunt. Inter hos *Chæremon, Epiſcopus Nilopoleos*, grandævus, & ætate prope exacta, una cum uxore ſua, ad montem Arabiæ confugiens, nusquam apruiſſe legitur: & licet fratres aliquoties eum cum uxore quærerent, tamen neque ipſi, neque corpora illorum amplius comparebant; unde quidam conjectarunt, eos vivos in cœlum ſublatos eſſe.

Deciana Perſecutio, primam occaſionem VITÆ EREMITICÆ dedit, ex qua poſtea *Monaſtica* originem ſumſit. Quippe PAVLVS THEBÆVS, juvenis annorum 15. ut periculum evaderet, in ſolitudinem confugit, ac reperta grandi ſpelunca, quæ, regnante Cleopatra, adulterinæ monetæ officina fuerat, *90 annos* ibidem in oratione & precibus exegit, cibum ipſi & veſtimentum palma præbente.

bente.

bente. Ejus exemplum imitatus eſt *Antonius*, qui & ipſe per 90. fere annos, vitam in ſolitudine egit. Ab his duobus, omne Eremitarum ac Monachorum genus, exortum eſt: ac plura de utroq; mox penſiculate narrabuntur.

In Decianæ Perſecutionis hiſtoria, fit mentio LIBELLATICORVM, & TRADITORVM. Atque priori nomine deſignantur ii, qui, formidine cruciatuum, data pecunia, *ſibi parabant libellum*, quo ipſos idolis ſacrificaſſe ſignificabatur. Etiamſi vero id non feciſſent, erat tamen hæc deſertionis ſpecies. *Traditores* dicebantur, *qui libros ſacros tradebant*, ignibus comburendos.

OCTAVAM PERSECVTIONEM, *Valerianus* movit, a Magis Ægyptiacis ad eam rem exſtimulatus. Cum enim Imperator præſtigiis illorum hominum vehementer caperetur, easque ſufflaminari videret a Chriſtianis, eo dementiæ progreſſus eſt, ut Chriſtianos Deaſtris ſuis ſacrificaret, & recens in lucem editorum infantum viſcera ſcrutaretur.

NONÆ VNIVERSALIS PERSECVTIONIS *Aurelianus* autor fuit; ſed haud diu duravit, imo potius, in ipſo conatu a Deo eſt repreſſa. Cum enim jam edicto promulgando Aurelianus ſubſcripturus eſſet, prope Byzantium eſt occiſus.

VLTIMAM eamq; DECIMAM PERSECVTIONEM, *Diocletianus* concitavit, quæ & univerſos decem annos duraſſe legitur. *Initium* ejus factum ipſo Paſchatis feſto, quod tempus a Tyranno callide electum eſt, ut Chriſtianos, magno numero in templis collectos, ſimul poſſet opprimere. Cum vero non ubique eodem tempore Paſcha

Paſcha celebraretur, inde evenit, ut in Ægypto citius, tardius in Palæſtina perſecutio cœperit. Ab hac Perſecutione, Ægyptii peculiarem *Æram* condiderunt, quæ *Martyrum, vel Coptitarum* vulgo appellatur. Nimirum Anno 19. Diocletiani, edicta de affligendis Chriſtianis, per omnes Romano Imperio ſubjectas provincias, promulgata ſunt; quibus imperatum, ut templa eorum ſolo æquarentur, libri undique conquiſiti comburerentur, &, quacunq; ratione, homines univerſi ad victimas Diis immolandas adigerentur. Imo, nec vendere, nec emere, nec molere, nec adeo aquam haurire cuiquam licebat, niſi prius thuris grana idolo publice propoſito adoleviſſet. In Gallia tamen, Hiſpania, Britannia & Germania, mitius actum eſt cum Chriſtianis. Quippe illis regionibus *Conſtantius Chlorus* præerat, qui non tantum affectu erga Chriſtianos inſigniter propendebat, ſed & natura ſua a crudelitate erat alieniſſimus. At alibi tanto majores vires ſumebat perſecutio. Conſtat, durante ea, in ſola Ægypto occiſa eſſe hominum 144. millia, in exilium ejecta millia ſeptingenta. Ex quo ratio iniri poteſt de reliquis provinciis, quantum ibi ſanguinis fuſum ſit. Hac ergo *tempeſtate*, (quæ Sulpitii Severi verba ſunt) *omnis fere ſacro martyrum cruore, orbis infectus eſt. Quippe certatim glorioſa in certamina ruebatur: multoq; avidius tum martyria, glorioſis etiam mortibus quærebantur, quam nunc Epiſcopatus pravis ambitionibus appetuntur; nec ullis unquam bellis mundus magis exhauſtus eſt, neq; majori unquam triumpho Chriſtiani vicerunt, quam cum decem annorum ſtragibus vinci non potuerunt.*

PRODIT NVNC IN SCENAM, IPSA SANCTORVM MARTYRVM TVRBA, *piis Juvenum oculis, cum religione ſpectanda, quin & cum voto, ut ſibi quoq; tam felicibus eſſe liceat, pro Chriſti gloria ſanguinem ſuum profundendi. Reddet eos Martyribus pares hæc optatio, modo æque ac illi, cum Diabolo, cum vitiis, cum voluptate, acriter confligant, & victoriam referre ſtudeant: memores ſemper aurei dicti, quod flos Martyrum, S. Cyprianus, in libello de Habitu Virginum iis ingerit:* Durus & arduus limes, qui tendit ad gloriam. Per hunc viæ limitem, Martyres pergunt, eunt Virgines, juſti quiq; gradiuntur. Lata & ſpatioſa itinera vitæ lethalis: illic illecebræ, & mortiferæ voluptates: illic Diabolus blanditur, ut fallat: arridet, ut noceat: illicit, ut occidat. *Sed in his, pro* itinera vitæ lethalis: illic illecebræ, *ceu legunt libri excuſi, in noſtro MS. Codice, aptius fortaſſe eſt,* itinera vitate: lethales illic illecebræ: *quanquam ego, ob τὴν ἐξ ἐναντίας λόγον, nam,* viæ limitem, *præceſſerat,* itinera viæ lethalis: illic. *S. Cyprianum ſcripſiſſe, aliquando conjectabam.*

MARTINA, Virgo Romana, patre Conſulari, illuſtri genera nata, teneris adhuc annis orbata parentibus, Chriſtianæ pietatis ardore ſuccenſa, divitias, quibus affluebat, mira in pauperes liberalitate diſtribuit. Sub *Alexandro Principe*, cum Deos inanes colere juberetur, immane facinus ſumma libertate deteſtatur. Quapropter iterum atq; iterum affecta verberibus, uncis, ungulis ferreis, teſtarum fragmentis lacerata, acutiſſimis gladiis membratim conciſa, adipe ferventi peruncta, demum in amphitheatro damnatur ad beſtias: a quibus illæſa divinitus evadens, in ardentem rogum

rogum injecta, incolumis pari beneficio ſervatur. *Ex ejus tortoribus* nonnulli, miraculi novitate correpti, Dei aſpirante gratia, Chriſti fidem amplexi, poſt cruciatus, glorioſam martyrii palmam, capitis abſciſſione promeruere. Ad ejusdem preces, nunc terræmotibus exortis, nunc ignibus e cœlo tonante delapſis, Deorum templa proſtrata ſunt, & ſimulacra conſumta. Interdum ex vulneribus lac cum ſanguine erupit, ſplendorque nitidiſſimus, ac ſuaviſſimus odor e corpore emanavit. Interdum ſublimis cœleſtis regia, una cum cœlitibus adeſſe viſa eſt. Hisce prodigiis, ejusque imprimis conſtantia, acriter permotus Judex, caput Virgini amputari præcepit. Qua peremta, auditaque de cœlo voce, Vrbs tota contremuit, ac multi idolorum cultores, ad Chriſti fidem converſi ſunt.

Cæcilia, virgo Romana, nobili genere nata, a prima ætate Chriſtianæ fidei præceptis inſtituta, virginitatem ſuam Deo vovit. Sed cum poſtea, contra ſuam voluntatem, data eſſet in matrimonium Valeriano, prima nuptiarum nocte, hunc cum eo ſermonem habuit: *Ego Valeriane, in Angeli tutela ſum, qui virginitatem meam cuſtodit. Quare ne quid in me committas, quo ira Dei in te concitetur.* Quibus verbis commotus Valerianus, illam attingere non eſt auſus: quin etiam addidit, *ſe in Chriſtum crediturum, ſi eum Angelum videret.* Id, cum Cæcilia, ſine baptiſmo fieri poſſe negaret, incenſus cupiditate videndi Angelum, ſe baptizari velle reſpondit. Quare, hortatu Virginis, ad *Vrbanum Papam*, qui, propter perſecutionem, in Martyrum ſepulchris via Appia latebat,

bat, veniens, ab eo baptizatur. Inde ad Cæciliam reverſus, orantem, & cum ea Angelum, divino ſplendore fulgentem, invenit. Quo aſpectu obſtupefactus, ut primum ex timore confirmatus eſt, TIBVRTIVM, fratrem ſuum arceſſit: qui, a Cæcilia Chriſti fide imbutus, & ab eodem Vrbano baptizatus, ipſe etiam ejusdem Angeli, quem frater viderat, aſpectu dignatus eſt. Vterque autem paulo poſt, Almachii Præfecti juſſu, conſtanter martyrium ſubiit. Qui mox Cæciliam comprehendi imperat, ab eaque primum, ubi Tiburtii & Valeriani facultates ſint? exquirit. Cui cum Virgo, omnia illorum pauperibus diſtributa eſſe, reſpondiſſet, eo furore concitatus eſt, ut illam in ipſius ædes reductam, in balneo comburi juſſerit. Quo in loco, cum diem noctemq; ita fuiſſet, ut ne flamma quidem illam attingeret, eo immiſſus eſt carnifex, qui ter ſecuri ictam, cum caput abſcindere non potuiſſet, ſemivivam reliquit. Illa, triduum adhuc ſuperſtes, omnia, quæ habebat, pauperibus Chriſtianis tradidit; quosque ad fidem converterat, Vrbano Papæ commendavit, dicens: *Triduanas a Domino mihi poſtulavi inducias, ut hanc domum meam Eccleſiam conſecrares.* His dictis, ſpiritum emiſit; corpus autem ejus, Vrbanus inter Epiſcopos ſepelivit, & domum in Eccleſiam conſecravit.

CATHARINA, nobilis virgo Alexandrina, a prima ætate ſtudia liberalium artium cum fidei ardore conjungens, brevi ad eam ſanctitatis & doctrinæ perfectionem pervenit, ut 18. annos nata, eruditiſſimum quemq; ſuperaret. Quæ, cum

Maxi-

Maximini Imperatoris juſſu, multos, propter Chriſtianæ religionis profeſſionem, varie tormentis cruciatos, ad ſupplicium rapi videret, confidenter ipſum adiit Maximinum, eique nefariam immanitatem objiciens, ſapientiſſimis rationibus, Chriſti fidem ad ſalutem neceſſariam eſſe confirmavit. Cujus prudentiam Maximinus admiratus, retineri eam jubet, accerſitis undique doctisſimis hominibus, magna propoſuit præmia, ſi convictam Catharinam, a Chriſti fide ad idolorum cultum perducerent. Sed contra accidit. Nam, 50. Philoſophi, qui ad eam coarguendam convenerant, vi ac ſubtilitate ejus diſputationis, tanto Jeſu Chriſti amore ſunt incenſi, ut pro illo mori non dubitaverint. Quamobrem Maximinus, blanditiis ac promiſſis Catharinam a ſententia abducere aggreditur. Verum id fruſtra fieri intelligens, verberibus affectam plumbatisque contuſam, dies 11. ſine cibo ac potu incluſam tenet in carcere. Hoc tempore *Maximini uxor*, & *Porphyrius belli Dux*, viſendæ Virginis cauſa carcerem ingreſſi, & ejusdem prædicatione in Chriſtum credentes, poſtea martyrio coronati ſunt. Interim Catharina educitur e cuſtodia, & rota expeditur, crebris & acutis præfixa gladiis, ut Virginis corpus crudeliſſime dilaceraretur. Ea machina, ad Catharinæ orationem, fulmine disjecta eſt. Hinc Maximinus, in impietate & crudelitate obſtinatior, Catharinam ſecuri percuti imperat. Quæ, fortiter dato capite, ad duplicatum virginitatis & martyrii præmium evolavit. Corpus, Angeli confeſtim rapientes, in montem Sinai detulerunt, ibi-

ibique divinis obſequiis honorificentiſſime ſepeliverunt.

PAVLVS, Eremitarum autor & magiſter, apud inferiorem Thebaidem natus, cum 15. eſſet annorum, amiſit parentes. Poſtea, Decianæ perſecutionis declinandæ, & Deo liberius inſerviendi cauſa, in eremi ſpeluncam ſe contulit, ubi palma ei victum & veſtitum præbente, vixit ad 113. annum, quo tempore *ab Antonio* nonagenario, Dei admonitu inviſitur. Iis, cum antea ſe non noſſent, invicem propriis nominibus ſeſe ſalutantibus, ac multa de regno Dei colloquentibus, *Corvus*, qui prius Paulo ſemper dimidiatum panem attulerat, integrum affert. Poſt Corvi diſceſſum, *Eja*, inquit Paulus, *Dominus nobis prandium miſit, vere pius, vere miſericors. Sexaginta jam anni ſunt, cum accipio quotidie dimidii panis fragmentum, nunc ad adventum tuum, militibus ſuis Chriſtus duplicavit annonam.* Quare, cum gratiarum actione ad fontem capientes cibum, noctem in divinis laudibus conſumunt. Diluculo facto, Paulus, de morte quæ ſibi inſtaret, Antonium admonens, hortatur, ut *pallium*, quod ab Athanaſio acceperat, ad involvendum ſuum corpus afferret. Ille abiens, & reverſus, videt inter Angelorum choros, inter Prophetarum & Apoſtolorum cœtus, Pauli animam in cœlum aſcendere. Cumque ad ejus cellam perveniſſet, invenit genibus complicatis, erecta cervice, extenſiſque in altum manibus, corpus exanime. Id pallio obvolvens, hymnosque & pſalmos decantans, cum ſarculum quo terram foderet, non haberet, *duo leones*, ex interiore eremo, rapido curſu, ad beati

ſenis corpus feruntur, &, quomodo poterant, ploratum edunt. Dehinc, certatim pedibus terram effodientes, foveam, quæ hominem commode caperet, effecerunt. Vbi diſceſſerant, Antonius ſanctum corpus in eum locum intulit, & injecta humo tumulum compoſuit; *tunicam* vero *Pauli*, quam in ſportæ modum, ex palmæ foliis ille ſibi contexuerat, ſecum auferens, eo veſtitu, diebus ſolemnibus Paſchæ & Pentecoſtes, quoad vixit, uſus eſt.

AGATHA, virgo Sicula, nobilibus parentibus nata, & ipſa in perſecutione Decii, martyrii palmam meruit. Ea, cum pari pulchritudinis & caſtitatis laude commendaretur, *Quintianus*, *Siciliæ Prætor*, amore ejus captus eſt. Sed, cum illam in ſuam ſententiam perducere non poſſet, Chriſtianæ ſuperſtitionis nomine comprehenſam, *Aphrodiſiæ*, cuidam mulieri, depravandam tradit. Quæ, cum diu in vanum operam navaſſet, nunciat illa Quintiano, ſe hactenus fruſtra fuiſſe. Quare ille Agatham ad ſe adduci jubet, &, *annon*, inquit, *te pudet*, *nobili genere natam*, *humilem & ſervilem Chriſtianorum vitam agere?* Cui Agatha: *Multo præſtantior eſt Chriſtiana humilitas*, *& ſervitus*, *Regum opibus ac ſuperbia.* Quamobrem iratus Prætor, illam, colaphis cæſam, ducere jubet in carcerem. Inde poſtridie educta, cum in ſententia permaneret, admotis candentibus laminis, in equuleo torquetur, deinde mamillæ ei abſcinduntur. Hoc in vulnere Quintianum appellans Virgo, *crudelis*, inquit *tyranne*, *annon te pudet amputare in fœmina*, *quod ipſe in matre ſuxiſti?* Mox conjecta in vincula, ſe-

quenti nocte a ſene quodam, qui ſe Chriſti Apoſtolum dicebat, ſanata eſt. Rurſum evocata a Prætore, & in Chriſti confeſſione perſeverans, in acutis teſtulis, & carbonibus ei ſubjectis, volutatur. Sub illud tempus ingenti terræ motu urbs tota contremuit, ac duo parietes corruentes, *Silvinum* & *Falconium*, intimos Prætoris familiares, oppreſſerunt. Quare vehementer commota civitate, veritus populi tumultum Quintianus, Agatham ſemimortuam clam reduci imperat in carcerem. Quæ, ſic Deum precata: *Domine, qui me cuſtodiſti ab infantia; qui abſtuliſti a me amorem ſeculi; qui me carnificum tormentis ſuperiorem præſtitiſti, accipe animam meam.* Dum ita precatur, anima in cœlum commigrat.

DOROTHEA, virgo, ex *Cæſarea* Cappadociæ, Decio ſæviente, propter Chriſti confeſſionem, ab *Apricio* Præſide comprehenſa, *Cryſtæ*, & *Calliſtæ*, ſororibus, quæ a fide defecerant, tradita eſt, ut eam a propoſito removerent. Sed alia omnia acciderunt, illaſque Dorothea, ad cultum Chriſtianæ religionis reduxit, propter quam etiam martyrium ſuſceperunt. Ergo, equuleo diu torta, & flagris cæſa Dorothea, capitis damnatur. Cum ad locum ſupplicii deduceretur, ait illi *Theophilus*, cauſidicus, & cujus conſiliis in affligendis Chriſtianis Apricius utebatur, forte occurrens, per jocum: *Heus ſponſa Chriſti! mitte mihi, quæſo, ex horto ſponſi tui poma aliquot, roſaſq;*: ad quem converſa Dorothea, ſe id facturam pollicetur. In locum ſupplicii delata, preces concipit, & mox ad illam accedit floridus puellus, in ſportella roſas tres, & poma totidem porrigens. Huic

Huic Dorothea, *obſecro te*, inquit, *defer hæc ad Theophilum, & dic illi meo nomine, mittere me illi quod ipſe expetierat, & quod ego daturam me receperam mnemoſynon;* atque ſic deinde exporrecto collo, ictum carnificis intrepide excepit. Interim adit Theophilum puer, qui, viſo munere, totus expaveſcens, tremensque, continuo exclamat: *Eſt omnino Chriſtus verus Deus, atq; hunc ego colendum mihi propono.* Male habuit ea res Apricium, cumque nullis minis, tormentis nullis, Theophilum a Chriſtiana religione revocare poſſet, ſimiliter caput ei præcidere juſſit.

Apollonia, virgo Alexandrina, & ipſa ſub Decio martyr evaſit. Cum enim ingraveſcente ætate ad idola ſiſteretur, ut illis cultum deferret, in ea conſpuens, ſolum Jeſum Chriſtum colendum eſſe dicebat. Hanc ob cauſam, omnes ipſi *dentes* contuſi ac evulſi fuere, accenſoq; mox rogo, vivicomburium minantur carnifices, niſi actutum Chriſto maledicat. Illa, quaſi paulisper deliberans quid agendum ſit, delapſa ex manibus ſe tenentium, ſancti ſpiritus flamma accenſa, ultro in ignem inſilit.

Abdon, & Sennen, Perſæ, Decio imperante accuſati, quod corpora Chriſtianorum, quæ inhumata projiciebantur, in ſuo prædio ſepeliviſſent, juſſu Imperatoris comprehenduntur, & Diis jubentur ſacrificare. Quod cum facere tergiverſarentur, & Jeſum Chriſtum Deum conſtantiſſime prædicarent, conjectos in ſqualidum carcerem, Romam poſtea abiens Decius, ſecum aſſumſit, vinctosque duxit in triumpho. Qui, cum in Vrbe, ad ſimulacra vi pertraherentur,

igno-

ignominioſe illa deteſtati ſunt. Quamobrem urſis ac leonibus objecti, cum illis feræ parcerent, poſtremo gladiis trucidati, & ante Solis ſimulacrum abjecti fuerunt. Eorum corpora clam ſublata, *Quirinus Diaconus* in ædibus ſuis ſepelivit.

LAVRENTIVS, natione Hiſpanus, Diaconus Romanus, cum a Decii Imperatoris Præfecto Vrbis, juſſus eſſet theſauros Eccleſiæ exhibere, tridui ſpatium petiit ad eos colligendos. Interea loci omnes mendicos, pauperes, & ægrotos convocans, eos conſtituto tempore Præfecto oſtendit, dicens: *Hi ſunt Eccleſiæ Chriſtianæ theſauri; quibus ſi quid detur, non id perit, ſed cum ampliſſimo fœnore in cœlo redditur.* Quam rem cum iniquiſſime ferret tyrannus, Laurentius, in crate, ſubjectis carbonibus, lento igne toſtus eſt. Is vero, cum alacritate animi gloriabatur, non torreri ſe, ſed ſuaviter refrigerari: Præfectoque adſtanti, *Heus tu*, ajebat, *unum latus jam ſatis aſſatum eſt, ergo illud cape, comede, & aſſaturam verte.* Tandem commendans animam ſuam Chriſto Servatori, moritur, atque ſic *Sixtum Pontificem*, prout ille prædixerat, eſt conſectatus.

TRYPHON, cum Jeſu Chriſti fidem prædicans, omnes ad ejus cultum perducere conaretur, a Decii Imperatoris ſatellitibus comprehenſus, primum equuleo torquetur, & ungulis ferreis excarnificatur, deinde ſublimis pedibus candentibus clavis confixus, fuſtibus cæditur, & admotis facibus ardentibus aduritur. Quæ cum omnia fortiter ferentem vidiſſet *Reſpicius Tribunus*, ſe quoque Chriſtianum eſſe palam profitetur. Qui, varie cruciatus, una cum Tryphone, rapi-

rapitur ad Jovis ſimulacrum. Ea ſtatua, Tryphone orante, concidit. Quare plumbatis crudeliſſime contuſi, nobiliſſimum martyrium conſecuti ſunt.

HIPPOLYTUS, ad Valerianum Imperatorem perductus, & ab eo de religionis ſuæ profeſſione interrogatus, libere ſe Chriſtianum eſſe confitetur. Eam ob rem cum fuſtibus cæderetur, fides ejus robur accepit. Ergo Præfecto occidendus traditur. Qui, cum in domum Hippolyti veniſſet, ut facultates ejus publicaret, totam familiam Chriſtianam eſſe deprehendit. Omnes igitur ante oculos Hippolyti fuere jugulati; imprimis vero CONCORDIA, nutrix ejus, quæ cæteros confirmabat, crudeliter tractata eſt. Hippolytus indomitis equis, per loca tribulis & carduis conſita, raptatus, lacerato corpore ſpiritum Deo reddidit.

Eadem die, ad forum Syllæ, atroci ſupplicio confectus eſt CASSIANUS Martyr. Vinctus enim poſt terga manibus, pueris, quos erudiebat, ferreis ſtylis pungendus, atque excarnificandus tradebatur.

AGAPITUS, Præneſtinus, annorum 15. juvenis, Valeriani Imperatoris juſſu, primum nervis cæſus, & quatridui inedia cruciatus fuit. Deinde, pedibus ſuſpenſi, os, ex ſuppoſito igne, fumo replebatur, ventri aqua fervens ſuperfundebatur, maxillæ confringebantur. Quia vero aſſidens Judex, inter hæc exanimis in terram collapſus eſt, juſſu Imperatoris, capur Agapito fuit amputatum.

RUFI-

RVFINA & SECVNDA, ſorores, virgines Romanæ, rejecto connubio *Armentarii*, & *Verini*, quibus a parentibus deſponſæ fuerant, quod Jeſu Chriſto virginitatem voviſſent, Gallieni Imperatoris juſſu comprehenduntur. Quas, cum nec promiſſis, nec terrore, *Junius Præfectus*, a Chriſti amore poſſet abducere, *Rufinam* primum virgis cædi jubet. Ibi *Secunda*, Judicem ſic interpellat: *Quid eſt, quod ſororem meam honore, me afficis ignominia? jube ambas ſimul cædi, quæ ſimul Chriſtum Deum confitemur.* Quibus verbis ira incenſus Judex, imperat utramque detrudi in tenebricoſum & fœtidum carcerem. Is locus, cum ſtatim clariſſima luce, & ſuaviſſimo odore compleretur, ferventi balneo includuntur. In eo quoq; cum ſalvæ manerent, ſaxis ad collum alligatis, projiciuntur in Tiberim. Inde ab Angelo extractæ, extra Vrbem, in via Aurelia, plectuntur capitibus.

PRISCA, nobilis virgo Romana, 13. annos nata, Claudio Imperatore, Chriſtianæ fidei accuſata, ejusdem juſſu ducta ad *Apollinis* templum, ut idolis immolaret, cum rem deteſtaretur, colaphis cæſa, in carcerem truditur. Inde emiſſa, cum in fidei conſtantia perſeveraret, affecta verberibus, ferventique adipe delibuta, rurſus in carcerem includitur. Poſt triduum in amphitheatrum producta, leoni objicitur; qui, ſuæ feritatis oblitus, humiliter ſe ad ejus pedes abjecit. Priſca, poſtea in ergaſtulo tridui inedia macerata, in equuleo ſuſpenditur, & ungulis ferreis excarnificata, in rogum injicitur. Etiam ex hoc mirabiliter evaſit incolumis; & denique extra

tra Vrbem, abſciſſo capite, martyrii palmam reportavit.

MARIVS, Perſa, nobili loco natus, cum MARTHA conjuge, & *Audiface* ac *Abacho* filiis, eodem Claudio imperante, Romam venit, ut Martyrum ſepulchra venerarentur. Ibi Chriſtianos in vincula conjectos fovebant, ſuſtentabantque opibus ſuis, & Sanctorum corpora ſepeliebant. Quamobrem comprehenſi omnes, cum nec impiorum minis, nec terrore commoverentur, ut Diis ſacrificarent, primum fuſtibus cæſi, deinde candentibus laminis uſtulati, poſtremò præciſis manibus, iisque ad collum alligatis, per mediam urbem extra eandem ducti, necantur, corpora in ignem conjecta fuere.

NICOLAVM, illuſtri loco *Pataræ* in Lycia natum, parentes a Deo precibus impetrarunt. Cujus viri ſanctitas, quanta futura eſſet, jam ab incunabilis apparuit. Nam infans, cum reliquos dies lac nutricis avide ſugeret, quarta & ſexta feria id ſemel duntaxat, nec niſi veſperi admittebat: quam jejunii conſuetudinem, in reliqua vita conſtanter tenuit. Adoleſcens, parentibus orbatus, facultates ſuas pauperibus diſtribuit, cumque *civis egens, tres filias jam nubiles, in matrimonia collocare non poſſet*, earumque pudicitiam proſtituere cogitaret, re cognita, Nicolaus, noctu per feneſtram, tantum pecuniæ in pauperis domum injecit, quantum uni virgini dotandæ ſufficiebat: quod, cum iterum & tertio feciſſet, tres illæ virgines, honeſtis viris in matrimonium datæ ſunt. Cum vero totum ſe Deo dediſſet, in Palæſtinam profectus eſt, ut loca ſancta viſitaret.

Qua

Qua in peregrinatione navim conſcendens, ſereno cœlo, & tranquillo mari, horribilem nautis tempeſtatem prædixit: moxque ortam, cum eſſent omnes in ſummo periculo, ſedavit. Domum reverſus, Dei monitu, *Myram*, Lyciæ metropolin venit. Eo tempore, urbis Epiſcopo mortuo, provinciales de ſucceſſore eligendo conſultabant. Moniti vero ſunt divinitus, ut eum eligerent, qui poſtridie mane primus in templum ingrederetur, Nicolaus nomine. Qua obſervatione adhibita, in templi janua deprehenſus eſt Nicolaus, factusque eſt, ſummo omnium conſenſu, Epiſcopus. Cum vero contra edictum Diocletiani & Maximiani, Chriſtianæ fidei veritatem Myræ prædicaret, ab Imperatorum ſatellitibus comprehenſus, & procul abductus, in carcerem conjectus fuit, e quo tamen poſtea Conſtantino imperante liberabatur.

CHRYSANTHUS, Romæ, virorum, ejusque conjux DARIA, innumerabilem mulierum multitudinem ad Chriſtum converterant. Quare *Celerinus Præfectus*, comprehenſos tradidit *Claudio Tribuno*. Is juſſit Chryſanthum vincire, & torquere, ſed, cum vincula omnia & compedes confringerentur, in carcerem detruditur. Daria in lupanar deducta, lenonem corporis & pudicitiæ ſuæ cuſtodem habuit. Denique ambo in terram defoſſi, & lapidibus fuere obruti.

EUPHEMIA, LUCIA, & GEMINIANUS, in perſecutione Diocletiani, non eodem loco, ſed eodem die, martyrio coronati ſunt. Euphemia virgo, apud Chalcedonem, *Priſco Proconſule*, varia tormentorum genera, virgarum, equulei,

rotarum, ignis, conſtanter paſſa, demum cum beſtiis objiceretur, cæteris pedes ejus lambentibus, una ex iis lethalem morſum ſancto corpori intulit, atque ſic illa ſpiritum Deo creatori reddidit. *Lucia*, vidua Romana, a *filio Eutropio*, quod Chriſtum multos annos coluiſſet, accuſata, in ollam pice ac plumbo ferventem, demiſſa fuit. Inde cum incolumis exiviſſet, *Geminianus*, nobilis vir, miraculo tactus, ad Chriſtum ſe convertit, eumque Lucia, in capitis ſupplicio, cui denique ſubjiciebatur, ſocium habuit.

FELIX, Nolanus Presbyter, cum in idola vehementius inveheretur, ab infidelibus varie vexatus, in carcerem conjicitur. Inde ab Angelo nocte eductus, quærere juſſus eſt MAXIMIANUM, Nolæ Epiſcopum. Qui, cum ſenio confectus, deſperaret ſe ferre poſſe ſupplicia perſequentium, ſe abdiderat in ſylvam. Quo, cum Felix, Deo duce perveniſſet, ſanctum Epiſcopum, humi jacentem, pæne mortuum invenit. Quem recreatum, ac ſublatum in humeros, apud fidelem viduam reficiendum curavit. Cum vero Felix, rurſus idolorum cultores impietatis argueret, fit in eum impetus. Ibi fugiens, in anguſto duorum parietum intervallo, ſe occultavit. Is aditus, cum repente aranearum telis pertextus conſpiceretur, nemini recentis latebræ ſuſpicionem præbuit. Inde poſtea evadens Felix, in ædibus piæ mulieris, per menſes tres delituit, ac denique, cum Eccleſiæ Nolanæ pax redderetur, ad eam eſt reverſus.

SEBASTIANUS, patre Narbonenſi, matre Mediolanenſi genitus, ob generis nobilitatem & virtu-

virtutem, Diocletiano carus fuit, Dux primæ cohortis ab eo conſtitutus. Hunc, cum Imperator Chriſtianæ religioni adhærere animadverteret, ad ſe vocatum, vehementius objurgat, ac omnibus artificiis conatur a Chriſti fide avertere. Quia vero nihil quicquam,aut pollicendo aut terrendo proficiebat, ad palum alligatum ſagittis conficere jubet. Quem, omnium opinione mortuum, noctu, ſancta mulier *Irene*, cum ſepeliendi gratia juſſiſſet auferre, vivum repertum, domi ſuæ curavit. Itaque, paulo poſt recuperata valetudine, Diocletiano obviam factus, ejus crudelitatem increpavit. Ad cujus aſpectum cum Imperator primum obſtupuiſſet, quod extinctum crediderat, rei novitate,& acri Sebaſtiani reprehenſione excandeſcens, illum virgis cædere juſſit ad necem. Corpus in cloacam dejectum, *Lucina*, a Sebaſtiano per quietem admonita, ad Catacumbas ſepelivit.

Agnes, virgo Romana, 13. annos nata, cum ſe Chriſtianam profiteretur, *Semproniani*, Vrbis Præfecti juſſu, in lupanar nuda deducta fuit, ut ibi pollueretur. Huc delata, *Angelum Domini* paratum invenit, qui eam immenſo lumine circumfudit, ita ut nemo eam intueri, nedum attingere poſſet. Auſus tandem illac ſe conferre Præfecti filius, ſed ſubito fuit exanimatus, quem tamen Beata Virgo, poſtmodum vitæ reſtituit. Martyrio coronatæ ſepulchrum, aſſidue parentes frequentabant. Iis, quadam nocte, filia, innumerabilibus comitata Virginibus, in veſte lucida apparuit, ſic ad eos locuta: *Ne me mortuam lu-*

geatis,

geatis, nam, una cum his virginibus, vivo apud illum in cœlis, quem in terris tota mente dilexi.

EMERENTIANA, virgo Romana, collactànea B. Agnetis, adhuc catechumena, idolorum cultoribus inſultans, a concitata multitudine lapidibus obruta eſt. Quæ, in cruciatibus orans, ad ſepulchrum S. Agnetis, proprio ſanguine, quem pro Chriſto conſtanter effudit, baptizata, exſpiravit.

VINCENTIVS, Oſcæ in Hiſpania natus, *Valerii Cæſarauguſtani Epiſcopi* vices, in prædicando Evangelio peragebat, quod ipſe Epiſcopus, ob linguæ difficultatem, illo munere defungi non poſſet. Hac re, ad *Decianum*, provinciæ a Diocletiano & Maximiano præpoſitum, delata, ipſius juſſu, in equuleo fuit tortus, verberibus cæſus, craticulæ, cui ardentes carbones ſubjecti erant, impoſitus, & nudus per ſpinas & aculeos volutatus eſt. Occiſi corpus, cum projectum eſſet inhumatum, corvus, & a volucribus, & a lupo, unguibus, roſtro, alisque, mirabiliter defendit. Id cum innotuiſſet, Daciani præcepto, mari ſubmergebatur: a quo in litus ejectum, a Chriſtianis ſepulturæ fuit traditum.

PANCRATIVS, in Phrygia nobili genere natus, puer annorum 14. Romam venit Diocletiano & Maximiano imperantibus, ibique a Pontifice baptizatus, cum idolis ſacrificare nollet, graviter tortus, neci datus eſt.

BONIFACIVS, civis Romanus, quod cum *Agl[illegible]* nobili matrona, impudice verſatus eſſet, tanto illius intemperantiæ dolore captus eſt, ut, pœnitentiæ cauſa, Martyrum corpora ad ſepulturam

ram conquireret. Comprehenſus igitur, ferreis uncinis excarnificatus eſt; eidem, inter manuum ungues, & carnem, acuti calami ſunt infixi, plumbumque liquefactum in os infuſum. Mox, in ollam ferventis picis, demiſſo capite conjectus eſt. Quibus in cruciatibus, ea vox tantum Bonifacii exaudiebatur: *Gratias tibi ago Domine Jeſu Chriſte.* Cum caput ei præcideretur, terræ motus ingens exortus: cujus metu, multi Chriſtianam religionem fuere amplexi.

ERASMVS, Epiſcopus, ſub Diocletiano & Maximiano, in Campania plumbatis fuſtibus cæſus, reſina quoque, ſulphure, plumbo liquefacto, pice, item cera, oleoque ferventibus, perfuſus, ſalvus tamen & illæſus manſit. Deinde *Formiis*, a Maximiano, variis affectus ſuppliciis, tunicaque ærea candenti amictus, illa etiam tormenta divina virtute ſuperavit. Denique, plurimis & in fide confirmatis, & ad fidem converſis, martyrii palmam adeptus eſt.

MAVRITIVS, Dux fuit Thebææ Legionis. Ea, cum Chriſtianam fidem, quam tota profitebatur, deſerere nollet, Maximiani Imperatoris juſſu, prope *Sedunum*, (quæ urbs nunc eſt Valeſiæ primaria, & incolis, Gallis etiam, ac Italis, *Sion*, Germanis Sitten dicitur,) ſemel atque iterum decimata, denique tota cum Mauritio Duce conciſa eſt.

JANVARIVS, Beneventi Epiſcopus, Diocletiano & Maximiano in Chriſtianos ſævientibus, ad *Timotheum Campaniæ Præſidem*, ob Chriſtianæ fidei profeſſionem, *Nolam* perducitur. Ibi ejus conſtantia varie tentata fuit: ſed in ardentem

tor-

fornacem conjectum, ignis non læſit. Cum in amphitheatro beſtiis dilaniandus proponeretur, feræ ad illum velut notum cœperunt alludere, ejusque pedes oſculari: aut ſe coram ipſo proſternere. Hoc miraculo ſpectatoribus attonitis, eorum millia quinque Chriſti fidem ſuſceperunt. Ob id Judex ita commotus, ut præ iracundia vix apud ſe eſſet, Januario caput amputare præcepit. Caput hoc Neapoli aſſervatur: aſſervatur item ſanguis ejus concretus, in ampulla vitrea, ſed in locis diverſis & ſeparatis: nam, cum junguntur invicem, ſanguis, ceu fama eſt, continuo liqueſieri & effervеſcere occipit.

Basilides, Cyprinus, Nabor, & Nazarius, Romani milites, nobiles genere, Chriſtiana religione ſuſcepta, cum Chriſtum Dei filium, Diocletiano imperante, prædicarent, ab Aurelio, Præfecto Vrbis, comprehenſi, & ut Diis ſacra facerent juſſi, ejus mandatum contemnentes, conjecti fuere in carcerem. Quibus orantibus, cum ſubito clariſſima lux carcerem colluſtraſſet, *Marcellus, commentarienſis*, multique alii, Chriſto nomen dederunt. Poſtea ad Maximianum Imperatorem deducti, cum unum Chriſtum in ore haberent, ſcorpionibus cruciati, & denique ſecuri fuere ſubjecti. Illorum corpora, feris objecta, nec ab illis contacta, Chriſtiani terræ mandarunt.

Vitus, admodum puer, inſcio patre baptizatus eſt. Quod cum ille reſciviſſet, nihil prætermiſit, quo filium a Chriſtiana religione abduceret. In ea permanentem, *Valeriano Judici* caſtigandum tradidit. Sed Vitus, nihilominus

in

in ſententia perſiſtens, patri redditus eſt. Cum vero ille gravius in filium animadvertere cogitaret, Vitus, Angeli monitu, comitibus Modesto & Crescentia, educatoribus ſuis, peregre abit, atque exul degens, eam ſanctitatis laudem adipiſcitur, ut illius fama ad Diocletianum perlata, ipſum Imperator accerſeret, eique filium ſuum, a dæmone vexatum, liberandum committeret. Quo liberato, cum Vito, ampliſſimis præmiis propoſitis, Imperator ingratus perſuadere non poſſet, ut Idola coleret, una cum Modeſto & Creſcentia in carcerem illum detrudit. Quos ubi conſtantiores evadere comperit, conjicere eos præcipit in ingens vas, liquato plumbo, ferventi reſina ac pice plenum. In quo, cum trium Hebræorum puerorum exemplo, divinos hymnos canerent, inde extracti, leoni objiciuntur, qui, proſternens ſe, eorum pedes lambere cœpit. Quare ira ſuccenſus Imperator, quod multitudinem videbat miraculo commoveri, eos in cataſta ſternere, & tam diu cædere jubet, quoad membra fuere diſſoluta. Dum iſta peraguntur, tonitrua, fulgura, magnique terræ motus oriebantur, templa Deorum corruebant, multique illorum ruinis opprimebantur.

Marcvs, & Marcellianvs, fratres Romani, propter Chriſtianam fidem, a *Fabiano Duce* comprehenſi, ſtipiti clavis fuere afflixi. Quibus, cum Judex diceret: *Reſipiſcite miſeri, & vos ipſos ab his cruciatibus eripite*: reſponderunt: *nullæ unquam epulæ nobis tam dulces fuerunt, ac iſta ſtipiti affixio: utinam tam diu hanc patiamur, quam diu hoc corruptibili corpore veſtiti erimus*. Diem ergo noctemque

que cum in divinis laudibus conſumſiſſent, tandem exſpirarunt.

PANTALEON, Nicomedienſis, nobilis medicus, ab *Hermolao Presbytero*, in Jeſu Chriſti fide eruditus, & baptizatus eſt, idemque mox patri *Euſtorgio* perſuaſit, ut Chriſtianus fieret. Quare cum Nicomediæ poſtea Chriſti fidem libere prædicaret, a Diocletiano Imperatore, primum in equuleo tortus, deinde capite plexus eſt.

CYRIACUS, Diacônus, poſtquam cum SISINIO, LARGO, & SMARAGDO, diu in carcere concluſus fuiſſet, multa edidit miracula: inter cætera etiam *Arthemiam*, Diocletiani filiam, a dæmone liberavit. Miſſus ad *Saporem* Perſarum Regem, ſimiliter *Jobiam*, filiam ejus, a nefario ſpiritu eripuit, cumque Regem, patrem illius, & 430. alios baptizaſſet, Romam rediit. Tum Maximiani Imp. juſſu comprehenſus, catenis vinctus, poſt varia tormenta, una cum Siſinio, Largo, & Smaragdo, ſecuri percuſſus eſt.

CYPRIANUS, primum magus, cum JUSTINAM, Chriſtianam virginem, ardenter amaret, & veneficiis ac incantationibus ſuis nihil proficeret, dæmonem conſuluit, qua ratione virgine potiri poſſet. Ei dæmon reſpondit, nullam artem ejus profuturam, adverſus illos, qui vere Chriſtum colerent. Quo reſponſo commotus Cyprianus, relictis magicis artibus, ſe ad Chriſtum convertit. Vnde, cum virgine Juſtina comprehenſus, ambo colaphis flagellisq; cæſi, & in ſartaginem, plenam ferventis picis, adipis, & ceræ, conjecti, denique ſecuri feriuntur.

Cosmas & Damianvs, fratres Arabes, in *Ægea* urbe nati, nobiles Medici, imperantibus Diocletiano, & Maximiano non magis medicinæ ſcientia, quam Chriſti virtute, morbis etiam inſanabilibus medebantur. Eos, *Lyſias Præfectus*, cum Chriſtum abnegare nollent, vinctos in mare projicere, & cum inde ſalvi evaſiſſent, ardenti rogo imponere juſſit. Sed ibi recedens flamma, illæſos illos præſtitit. Tandem, gladii pœna in ipſos fuit animadverſum.

Hilarion, ortus Tabathæ in Palæſtina, cum Chriſto nomen dediſſet, fama *Antonii* excitatus, ad eum videndum in Ægypti ſolitudinem contendit, & duobus menſibus apud illum commoratus, ejus vitæ inſtitutum didicit. Domum reverſus, mortuis parentibus, facultates ſuas pauperibus dilargitus eſt, & nec dum 15. annos natus, rediit in ſolitudinem. Ibi, exſtructa exigua caſa, quæ vix ipſum capiebat, humi cubabat; nec ſaccum, quo ſe induerat, unquam mutavit. Paucis ficubus, ac ſucco herbarum, victitabat, &, nec iſtis, ante Solis occaſum fruebatur. His, aliisque virtutibus, varias horribilesque tentationes Diaboli ſuperavit, & innumerabiles dæmones in multis orbis partibus, ex hominum corporibus, ejecit. Octogeſimum ætatis annum agens, in morbum incidit, cum quo graviter conflictabatur: unde in hæc verba ſe reſolvit: *Egredere, anima mea: quid times? egredere, quid dubitas? ſeptuaginta prope annos ſervivisti Chriſto, & mortem times?* Quæ, cum dixiſſet, exſpiravit.

Mennas, Ægyptius, Chriſtianus miles, in perſecutione Diocletiani & Maximiani, cum pœ-

nitentiæ cauſa in ſolitudinem receſſiſſet, natali die Imperatorum, quo populus celebri ſpectaculo tenebatur, in theatrum proſiliens, libera voce gentilium ſuperſtitionem inſectatur. Quamobrem comprehenſus, loris crudeliter cæditur. Deinde, equuleo tortus, lampadibus ardentibus ad corpus admotis uſtulatus, vinctus per tribulos tractus, plumbatis etiam contuſus, noviſſime in ignem conjicitur.

BARBARA, Virgo e Thuſcia nobiliſſima, poſt carceris ſqualorem, lampadum exuſtionem, mamillarum præciſionem, aliorumque innumerabilium tormentorum cruciamenta, ad extremum, gladio percuſſa, martyrium conſummavit.

ANASTASIA, viri inter Romanos nobiliſſimi, conjux, proprio marito operam dante, cum 200. viris, & 700. fœminis, in *Palmarias inſulas*, exulatum ire coacta, ibidem cum univerſo comitatu ſuo, variis ſuppliciorum generibus confecta, martyrii palmam conſecuta eſt.

SEPTEM DORMIENTIUM, Epheſi natorum, nomina ſunt: *Maximianus*, *Malachus*, *Martinianus*, *Dionyſius*, *Johannes*, *Seraphion*, & *Conſtantinus*. Atque hi, etiamnum dormiunt apud Epheſum, in monte Celio, ſine ulla corporum aut veſtium corruptione. Venerat aliquando Epheſum *Decius* Imperator, cumque ſeptem illi, quod Chriſtiani ſint, apud eum accuſarentur, quia abitum iterum maturabat, dedit illis ſpatium reſipiſcendi, ad ſuum usque reditum. At illi, patrimonia ſua, quæ, tanquam viri nobiliſſimi, habebant ampliſſima, inter pauperes dividentes, in vicinum *Celium montem*, conceſſerunt, ut in ejus ſpecu aliqua, ſe abſconderent. His *Malachus* miniſtrabat, & in urbem

ad

ad cibos emendos ſe conferens, mendici habitum ſemper induebat. Reverſus Decius, ſeptem illos perquiri juſſit. Erat tum forte Epheſi Malachus, ut panem emeret, qui, ad ſodales reverſus, ipſos de furore Decii certiores reddidit. Illi pavefacti, ſe mutuo ſolantur, &, ita volente Domino, obdormiunt, jacueruntque ſoporati, usque ad annum 30. Theodoſii Junioris per annos 196. Decio, cum ex parentibus ſeptem dormientium, per tormenta quæſitis innotuiſſet, ubi filii latitarent, os ſpeluncæ lapidibus ille obſtruxit, ut Viri Sancti; inedia ibi perirent. Cæterum, *imperante Theodoſio, prodiere quidam Hæretici, negantes reſurrectionem mortuorum*: quæ res, Imperatorem in magnum moerorem conjecit, rogavitque ille Dominum, cum lacrymis & jejunio, ut hunc errorem, ex animis hominum tolleret. Interim, Dei providentia factum eſt, ut quidam Epheſinus civis, ibi ſtabulum condere vellet, ubi dormientes cubabant. Cum ergo os ſpeluncæ apertum fuiſſet, ſurgunt, in intimo receſſu latitantes, Viri Sancti, credentes ſe unam tantum noctem dormiviſſe, &, eorum, quæ Malachus de Decii ſævitia, illorum opinione, pridie retulerat, memores, decernunt, velle ſe martyrium, pro Chriſti nomine, conſtanter ſubire. Porro rogant Malachum, ad emendos panes urbem ingrederetur, & exploraret ſimul, quomodo Decius ſe gerat. Malachus, aſſumto, pro more, mendici habitu, & acceptis quinque ſolidis, timidus *Epheſum* verſus progreditur. Cum autem ſignum crucis portæ impoſitum, & civitatem totam mutatam cerneret, rapitur in ſtuporem, &, ubi ſigno crucis ſe muniviſſet, quærit, num illa ci-

vitas Epheſus ſit? accepto vero reſponſo, eſſe Epheſum, volebat reverti ad ſodales, & illis, portenta quæ ſibi objecta fuerint, narrare. Ingreditur tamen, & accedens ad eos qui panem vendebant, cum argenteos ſuos protuliſſet, mirati venditores monetam incognitam, dicebant invicem, neceſſe eſſe, ut ille homo theſaurum invenerit. Malachus, cum ſecreto colloquentes videret, exiſtimans, ipſos ad Decium ſe pertrahere velle, obſecrat, ut ſe dimittant, & panes ac numos retineant. Piſtores, manus ei injicientes, quærunt, ubi veterum Imperatorum theſauros repererit? ſed ille, præ timore, verbum nullum eloqui poterat. Concurſu incolarum facto, *Marinus Epiſcopus*, & *Antipater Proconſul*, ad quos fama rei pervenerat, hominem ad ſe adduci imperant. Malachus, cum ad Eccleſiam duceretur, ad Decium ſe trahi exiſtimabat. Epiſcopus, poſtquam Malachus, ad illum delatus fuit, quærit, ubi theſauros antiquos nactus ſit? Malachus reſpondet, ſe nihil inveniſſe, ſed e loculis parentum numos habere. Quæſitus ergo de nomine parentum, ut teſtimonium perhibere poſſent, nominabat aliquos, quos nemo noverat. Tum Proconſul dicebat, pecuniam illam parentum ipſius eſſe non poſſe, cum ſubſcriptio ſignificet, ante ducentos annos cuſam fuiſſe, quo tempore parentes ejus vivere non potuerint; volebat igitur, tanquam ex impoſtore, per tormenta veritatem perquirere. Ibi Malachus, in genua provolutus, petit, ut ſibi dicant, ubi Decius ſit? Ad hæc Epiſcopus reſpondit, neminem eſſe in toto Orbe, qui Decius vocetur, nec alium

hoc

hoc nomine gaviſum eſſe, niſi, exactis ſeculis, Imperatorem aliquem. Malachus reſponſum miratus, narrat, quomodo cum ſociis ad effugiendum Decii furorem, in monte Celio ſe abdiderit. Ergo Epiſcopus, Proconſul, & plebs univerſa, Malacho duce, in Celium montem ſe conferunt, & offendunt Viros Sanctos in ſpecu ſedentes, faciebus fulgentiſſimis. Poſtquam totam rem didicit Epiſcopus, omnia ad Theodoſium perſcripſit, qui illico Epheſum ſe conferens, adiit Sanctos Viros, eosque amplexatus eſt, agnoſcens ideo hæc ſic eveniſſe, ut de reſurrectione mortuorum conſtaret. Poſt hæc obdormiverunt iterum Sancti, quos Imperator deoſculans, amare flevit, voluitq; cuique parare grabatum aureum. Sed illi apparuerunt Imperatori per quietem, rogantes, ut ſic eos pateretur jacere, prout jacuiſſent hactenus, quoad rurſus in ſupremo die evigilaturi ſint. Sic juſſit Imperator locum auratis lapidibus ornare, omnesque Epiſcopos, qui reſurrectionem mortuorum negabant, de Sede depoſuit.

Decii ætati ſuppar quoque fuit S. CHRISTOPHORVS, cui, ante baptiſmum, *Reprobus* nomen. Is, in Chananæa genitus, vultu & ſtatura terribilis, pedes 12. longus erat. Hunc cœpit deſiderium, ſerviendi Regi omnium in orbe maximo: igitur ad eum ſe contulit, de quo paſſim ferebatur, quod mundus majorem Dominum non habeat, illique ſe addixit. Accidit autem die quadam, ut, cum Muſicus Regi aſſiſtens, cantionem modularetur, in qua frequenter Diabolum nominabat, Rex, qui Chriſtianus erat, ſigno cru-

cis ſe muniret. Id cum notaſſet Chriſtophorus, quæſivit ex Rege, quid ſibi illa geſticulatio manuum vellet? Rex, etſi ægre, reſpondit, illa ſignatione crucis, abigi Diabolum, a quo ſibi vehementer metuat. Hac re percepta, cognovit Chriſtophorus, fruſtra ſe hactenus credidiſſe, Regem ſuum neminem ſuperiorem habere, quod Diabolum ille formidet. Ergo Regi valedicens, *Diabolum* quærere inſtituit. In ſolitudinem delato, magna manus militum obviam venit, quorum anteſignanus, præ cæteris aſpectu teter & ſævus, illum, quo tenderet, percontatus eſt? Reſpondet Chriſtophorus ſe Diabolum quærere, atque huic ſervire velle; cumque Centurio ille ſe Diabolum eſſe dixiſſet, ut ſe ſervum reciperet rogavit Chriſtophorus. Cæterum, ambobus una pergentibus, offert ſe crux erecta in via: ibi Diabolus, ſemitam fugiens, in nemus ſe proripit. Miratus rem Chriſtophorus, interrogat Diabolum, quare tantis ambagibus utatur, & non recto itinere quo deſtinaverat pergat? Diu tergiverſatus Diabolus, tandem coactus, fatetur, quendam, Chriſtum dictum, pependiſſe in cruce ſimili, atque iſtum ſe odiſſe, & formidare. Hinc conjectans Chriſtophorus, neceſſe utique eſſe, ut Chriſtus Diabolo longe major ſit, Diabolum continuo miſſum faciens, *Chriſtum* perveſtigare cœpit. Eum cum invenire non poſſet, ad Eremitam tandem defertur, qui illi Chriſtum prædicavit, eumque Chriſtiana religione imbuit, & baptizavit. Cum autem inſuper, jejunium & orationem, pro ſatisfactione peccatorum, ipſi impoſuiſſet, atque Chriſtophorus ſe nihil horum perficere poſſe dixiſſet,

xiſſet, eùm tandem Eremita, ad fluvium, ponte deſtitutum, deduxit, atque cum ſtaturæ ſit exceliſſimæ, per illum homines, qui hactenus vadum magno cum periculo, & ſæpe fruſtra quærere coacti fuerant, in adverſam ripam gratis transportare juſſit, meriturum hoc bono opere, vitam cum Chriſto Domino ſuo æternam. Fecit longo tempore Chriſtophorus, quod fuerat imperatum, atque ſtipitem arboris dextra manu geſtans, quo ſe ſuſtentabat, omnes, qui ejus opem implorabant, ſuis humeris deferebat in ulteriorem ripam. Cum autem quadam nocte quieſceret, audivit ter vocem pueruli obſecrantis ut ſe traduceret. Chriſtophorus, ſemel ac iterum e caſa egreſſus, neminem reperit, tertia autem vice, puerum, qui ſe offerebat, in humeros tollit, & cum eo flumen ingreditur. Vix aquam ille attigerat, & tum illa ſubito magis magisq; creſcebat, puer vero tam gravis evadebat, ut Chriſtophorus ſibi totum mundum geſtare videretur. Cum feſſus & anhelans, puerum in adverſa ripa depoſuiſſet, quærit ex illo, quis ſit, & unde hæc ei gravitas, qualem in nullo unquam mortalium expertus eſſet? Tum puer illi faſſus eſt, ſe Chriſtum eſſe, totius mundi dominum & creatorem, itaque non mirari eum debere, quod onus, mundo gravius, ſibi portare viſus ſit. In rei fidem, jubet Chriſtophorum, ſtipitem, quem manu tenebat, in terram defigere, qui ſtatim in arborem mutatus, fronduit, floruit, ac mox fructibus totus repletus fuit, puero interim evaneſcente. Dehinc in Amanam civitatem ſe conferens Chriſtophorus, cum linguam incolarum non intelligeret, preci-

 bus

bus a Deo impetravit, ut omnium loquentium dicta non percipere tantum, ſed & cum iis ſermocinari poſſet, atque ſic illico octo hominum millia ad Chriſtum convertit. Id cum innotuiſſet, Rex, qui in his oris imperabat, *Dagnus*, milites ducentos ad Chriſtophorum capiendum miſit; cumque iſti, illum comprehendere non ſuſtinerent, totidem alios prioribus adjunxit, a quibus cum ad Regem perduceretur, ille, videns hominem immodicæ ſtaturæ, præ timore, de ſede ſua corruit in terram. Cæterum, a Miniſtris ſublevatus, Chriſtophorum de nomine, & religione percontatur. Cum vero ille, ſe Chriſtophorum vocari, gente Chananæum, religione Chriſtianum eſſe reſpondiſſet, & idolis ſacrificare nollet, Rex ipſum in carcerem conjecit. In eo dum captivus detinetur, puellæ duæ, ſorores, forma pulchræ, ſed pudoris proſtituti, juſſu Regis illum acceſſerunt, ejus pudicitiam variis illecebris pertentantes, quas ipſe ad bonam frugem, & Chriſtianam fidem perduxit, ut martyrium deinde pro veritate agnita, conſtanter paſſæ ſint. Chriſtophorus, in religione erga Chriſtum perſeverans, virgis ferreis cæſus, aliiſque tormentis cruciatus fuit. Denique, juſſu Regis, ad ſtipitem alligatum, trecenti milites, ſagittis petierunt: quorum ſagittæ omnes, ſuſpenſæ manſere in aëre. Cum autem Rex ad locum ſupplicii ſe conferret, ut Chriſtophorum extinctum intueretur, una, ex ſagittis in aëre pendentibus, in ipſum involans, oculum ei eruit. Tum ſuaſit Regi Chriſtophorus, ut ſanguine ſuo, quem craſtina die ſupplicium ultimum maneat, oculum obliniat, pollicens,

licens, hunc, iſta medicina reſtitutum iri. Mane
facto, Rex Chriſtophoro caput amputatare jubet,
& per jocum ſanguinem oculo illinit. At vero,
cum bona fide convaluiſſet, pœnitens facti, Chri-
ſto nomen dedit.

GEORGIVS, e Cappadocia oriundus, Diocle-
tiani & Maximiani Imperatorum Tribunus mili-
tum fuit. Erat tunc temporis in provincia Libyæ,
juxta civitatem *Lyſiam*, ſtagnum, adinſtar maris,
in quo Draco ingens latitabat, qui ſæpenumero
egreſſus, urbem halitu ſuo afflabat, unde peſtis, &
morbi fœdi, ac hominum jumentorumque ſtrages
conſequebantur. Etſi autem armati cives ſæpius
adverſus illum prodierunt, tamen maligni affla-
tus vehementia victi, re infecta retrocedere co-
acti ſunt. Ergo pactionem cum Dracone fece-
runt, ut ſingulis diebus duas oves illi vorandas
traderent. Id, cum ad bene longum tempus eſ-
ſet factum, denique tanta penuria ovium exti-
tit, ut amplius promiſſum exſolvere non poſſent.
Rurſus igitur pepigerunt, ut in quoquo die, o-
vem unam cum homine uno darent. Hic, ut
jure agi res tota videretur, ſors conjecta eſt quo-
tidie, ut is, quem illa tetigiſſet, una cum ove
ad Draconem educeretur. Accidit autem ali-
quando, ut ipſam Regis filiam unicam, virgi-
nem totius regionis pulcherrimam, ſors tange-
ret. Ergo Rex, auri & argenti copiam ingentem
populo offerebat, ut filiam ejus dimitterent: po-
pulus vero furens, Regi reſpondebat, quod o-
mnes filii eorum extincti fuerant, & quod ipſe
Rex hoc edictum poſuerat, unde filiam ejus ab hac
lege immunem nullatenus eſſe volebant, alioquin

Regem,cum palatio,& omni familia,ſe incenſuros comminabantur. Cum autem multis precibus Rex ab eis ſpatium 8. dierum obtinuiſſet, ut interim filiam ſuam lugere poſſet, tandem, regalibus veſtibus indutam, eis tradidit, quam populus Draconi expoſuit, omnesq; ad ſpectaculum in mœnibus accurrebant. Illac tranſiens S. Georgius, cum virginem flentem vidiſſet, quærit, quæ ſit ejus triſtitiæ cauſa? Ipſa, cum omnia expoſuiſſet, obſecrat, ut velociter recedat, ne una ſecum pereat. Georgius eam bono animo eſſe jubet, atque dum ita colloquuntur, advolvitur Draco, quem ille aggreditur, &, lancea vulnerato, caput deinde uno ictu amputat: cadaver vix quauor boum paria traxerunt in ignem. Quo miraculo viſo, ad S. Georgii prædicationem, baptizata ſunt X. virorum millia, exceptis parvulis & mulieribus. Inde recedens Georgius, in urbe *Miletana* Tribunus factus eſt. Eum *Dacianus Præſes*, quod a Chriſtiana religione diſcedere nollet, exquiſitiſſimis tormentis cruciavit. Corpus enim ejus laceravit, vulnera facibus aduſſit, ſale perfricuit: Chriſto tamen, plagis medente. Tandem Georgius, ſimulans ſe Gentilium ſuperſtitiones amplecti velli, jubet ut omnis populus conveniat, quo teſtatior ſit ejus rei memoria. Adeſt tota civitas, Georgius vero templum Apollinis ingreſſus, Apollini imperat, ut qualis Deus ſit enunciet. Nec mora, Apollo, ſe, & omnia gentium Numina, malos dæmones eſſe dixit, in id intentos, ut homines decipiant, & in infernum conjiciant. Statim etiam ignis de cœlo deſcendit, & omnia idola, cum Sacerdotibus, cremavit. Quod videns *Alexandria*, Daciani uxor,

in

in Chriſtum credidit, quam maritus e crinibus ſu-
ſpendit, & flagellavit ad necem: Georgius in ſarta-
ginem pice, & ſulphure liquefactis plenam, conje-
ctus fuit. Exinde cum illæſus exiiſſet, denique
gladio caput ei fuit amputatum. Dacianus, do-
mum, ex loco ſupplicii, cui interfuerat, reverſus,
una cum ſuis, igne cœleſti fuit conſumtus.

Rejeci de Septem Dormientibus, Chriſtophoro, & Georgio Hiſtorias, in quibus recenſendis non Breviarium Romanum, uti fere in cæteris, ſed præcipue Petri de Natalibus Catalogum Sanctorum, Venetiis excuſum, ſequuti ſumus, in poſtremum locum, quia, ne quid diſſimulem, earum fidem, aliqui etiam in Eccleſia Romana, ſolicitant. Et vero, quæ de Chriſtophoro, & Georgio olim in Breviario legebantur, Paulus III. Pontifex expunxit, in Præfatione profeſſus, ſe ſuſtuliſſe Legendas non veras. *Indicamus obiter, Turcas quoq;, prout Busbequius epiſt. 1. de rebus illorum, tradidit, Georgium, ſub nomine* Chederle *colere, ac de eo prodere, quod vaſti horrendiq; draconis cædi ſervaverit expoſitam virginem. Addunt inſuper, quod peregrinari ſolitus, ad fluvium poſtremo pervenerit, cujus aquæ, bibentibus præſtant immortalitatem. Chederlem igitur, mortis lege ſolutum, huc illuc in equo præſtantiſſimo, qui ſimiliter ejusdem aquæ hauſtu, mortalitatem exuerit, divagari, gaudentem præliis, & opem ferentem melioribus, aut iis, qui ejus auxilium imploraverint, idq; religionis nullo habitu reſpectu.*

SECV-

SECVLVM IV.

IMPERATORES ROMANI.

CONSTANTIVS CHLORVS, & GALERIVS.

DIocletiano,& Maximiano, ad privatum vitæ genus redactis, FL. VALERIVS CONSTANTIVS CHLORVS, ad Claudium Imperatorem familiam referens, & C. GALERIVS VALERIVS MAXIMIANVS Junior, ex Cæſaribus Auguſti creati, ſucceſſerunt; diviſusque inter eos eſt Orbis Romanus, ita, ut *Hiſpaniis*, *Britannia*, *Gallia*, *Conſtantius* contentus viveret, reliquum, in Occidente & Oriente Imperium, *Galerius* obtineret. Atque *Galerius* quidem, in Dacia ripenſi, parentibus agrariis genitus eſt, unde illi cognomen *Armentarius*, quod & ſupra indicatum fuit. Pulcher erat corpore, & bellator fortiſſimus, ſed ſupra modum *ſuperbus*; ut qui matrem ſuam, a Dracone compreſſam jactaret, quo de eo crederetur, quod de Alexandro M. ſcriptum eſt. Idem, graviſſimus *Chriſtianæ religionis hoſtis* erat, & perſecutor. Cum illi Imperii moli, quam nactus erat, regendæ, ſe ſolum neutiquam ſufficere arbitraretur, adoptavit, Cæſaresque appellavit, C. GALERIVM VALERIVM MAXIMINVM, & FL. VALERIVM SEVERVM, quos Zoſimus, a Conſtantio Chloro quoque Cæſares appellatos ſcribit. Ex iis Maximinus, Galerii Maximiani, e ſorore nepos, *Daza* ante imperium dictus eſt. De Severi

veri natalibus nihil reperitur, præterquam in Illyrico natum eſſe, & Maximini popularem fuiſſe. Huic Italia, Maximino Oriens conceſſus eſt, ipſe Galerius in Illyrico reſedit. *Conſtantius Chlorus*, cum per aliquot annos, placide tranquilleque res adminiſtraſſet, *Eboraci*, in Britannia, diem obiit, & ſucceſſorem reliquit filium CONSTANTINUM, hunc enim ſtatim exercitus Britannicus Imperatorem ſalutavit. Ejus rei nuncius, cum Romam perlatus eſſet, M. AVREL. VAL. MAXENTIVS, Maximiani Herculei Imperatoris, ex Eutropia filius, prætorianorum auxilio ſubnixus, nec abnuente Senatu, ibidem imperium invaſit. Hunc deturbaturus Severus, cui Italia commendata erat, cum eo prope Ravennam conflixit, ſed infeliciter, nam & caſtris, & deinde vita a Maxentio exutus eſt. Ibi *Maximianus* pater, quaſi motus hos ſedare vellet, revera autem, ut Imperium reſumeret, è Lucania Romam proficiſcitur. Sed a militibus pulſus, in Galliam, ad Conſtantinum ſe contulit, & apud illum, eum vitæ finem habuit, quem ſupra narravimus. Interim *Galerius*, cum exercitu Romam petens, fruſtraque *Maxentium* generum ſuum, per Legatos hortatus, ut precibus potius, quam armis, mereretur Imperium, a ſuis deſertus, in Illyricum abiit, ubi PVBL. VALERIO LICINIO Cæſare conſtituto, fœdo morbo periit, ulcere inguinibus innato, conſumtis genitalibus, & vermibus ubique erumpentibus; in cujus mali teterrima diritate deſcribenda, multus eſt Lactantius, in libello de mortibus perſecutorum c. 33. Inter hæc Conſtantinus, a Senatu Romano in auxilium

xilium vocatur, ad Maxentium, qui Vrbem, libidinibus & tyrannide graviter affligebat, pellendum. Ergo, Alpes transgreſſus, victis ad Veronam Maxentii Ducibus, eundem non longe ab Vrbe ſuperavit: qui, per pontem Milvium raptim properans, ejus ruina oppreſſus, ac in Tiberi demerſus periit.

Euſebius l. 1. de vita Conſtantini c. 27. graviter teſtatur, hunc ipſum Imperatorem, non tantum narraſſe ſibi, ſed & ſacramenti religione ſermonem confirmaſſe, ante iſtam, adverſus Maxentium expeditionem, horis diei meridianis, Sole in occaſum vergente, viſum ſibi, ac militibus, qui ſe ſequebantur, omnibus, crucis tropæum in cœlo, ex luce conflatum, Soli ſuperpoſitum, cum hujusmodi inſcriptione: IN HOC VINCE. Cogitanti vero ſibi, & diu multumque reputanti, quid hoc oſtentum portendat, tum Chriſtum dormienti ſibi apparuiſſe per quietem, cum ſigno illo quod in cœlo oſtenſum fuerat, præcepiſſeque, ut militari ſigno, ad ſimilitudinem ejus quod in cœ o vidiſſet, fabricato, eo tanquam ſalutari præſidio in præliis uteretur. Addit Euſebius, viſum ſibi eſſe ipſum illud Signum, quod Imperator, medius inter artifices ſedens, ſecundum cœleſtem archetypum, effingi curaverat. *Erat autem*, inquit, *ejusmodi. Haſta longior, auro contecta, tranſverſam habet antennam inſtar crucis. Supra in ipſa haſtæ ſummitate, corona erat affixa, gemmis & auro contexta. In hac, ſalutaris appellationis ſignum; duæ videlicet literæ, nomen Chriſti primis apicibus deſignabant, litera P. in medio ſui decuſſata. Quas quidem literas, Imperator in galea geſtare poſt*

hæc

hæc etiam conſuevit. Porro, ex antenna, quæ oblique per haſtam trajecta eſt, velum quoddam dependebat; textum videlicet purpureum, pretioſis lapidibus inter ſe junctis, & luminis ſui fulgore oculos præſtringentibus coopertum, multoq; intertexto auro, inexplicabilem quandam pulchritudinis ſpeciem, intuentibus præbens. Atq; hoc velum, antennæ affixum, latitudinem longitudini æqualem habuit. Ipſa vero recta haſta, ab infima ſui parte, in magnam longitudinem producta, in ſuperiori parte, ſub ipſo crucis ſigno, ad ipſam veli, variis coloribus depicti, ſummitatem, auream, Deo cari Imperatoris, & liberorum ejus, imaginem, depictam pectore tenus ſublimem geſtabat. Ad hujus ſimilitudinem, quod idem docet Euſebius, expreſſa ſigna alia, cunctis exercitibus præferri Conſtantinus juſſit. Quin & ex ejus lib. 4. c. 21. & Lactantii quoq; libello de mortibus perſecutorum, diſcimus, hieroglyphicam lliam notam, quæ ex literarum P. & X. combinatione formabatur, etiam in ſcutis militum fuiſſe depictam. Prudentius, primus Poëta Chriſtianus, qui ſub Theodoſio ſeniore, & ejus filiis floruit, hactenus dicta, ſic breviter & argute extulit:

Chriſtus, purpureum, gemmato textus in auro,
Signabat Labarum, clypeorum inſigna Chriſtus
Scripſerat, ardebat ſummis crux addita criſtis.

Principio, Conſtantii ſocia thori fuit, FLAVIA JULIA HELENA, circa quam mire variant Autores. Quidam enim obſcuris natalibus ortam aſſerunt, atque ſic aut cauponariam, aut Bithynam mulierum faciunt; quidam, *Cœlo*, Britanniæ Rege, genitam fuiſſe contendunt. Pariter, multis

tis Concubina Conſtantii dicitur, quam aliqui, legitimam uxorem appellitant. Filius tamen Conſtantinus, quem illa peperit, ad Imperium evectus, ſolemni edicto, tanquam Imperatricem eam colere juſſit: itaque & in Numis, ſemper Auguſtæ elogium, nomini ejus adjungitur. Fœmina erat ſanctis moribus prædita, quæ Chriſtianam religionem ante filium amplexa eſt: multa templa, Chriſti Servatoris honori, conſtruxit, & pauperibus munem ac beneficam ſeſe exhibuit. Obiit octogenaria, & Conſtantinopoli fuit ſepulta a filio.

Sed Conſtantius, coactus eſt repudiare Helenam, ejusque loco ducere, FLAVIAM MAXIMIANAM THEODORAM, Maximiani Herculei privignam. Ex hac, ſex illi fuerunt liberi: 1. *Conſtantinus.* 2. *Delmatius Cenſor*, cognomine *Hanniballianus.* 3. *Julius Conſtantius.* 4. *Anaſtaſia*, Baſſiani Conjux 5. *Flavia Valeria Conſtantia*, uxor Licinii. 6. *Eutropia*, Nepotiani Conjux.

Galerius conjugem habuit, GALERIAM VALERIAM, filiam Diocletiani Imperatoris.

CONSTANTINVS MAGNVS.

Conſtantinus, devicto Maxentio, a Senatu P.Q.R. *Arcu triumphali*, qui etiamnum Romæ viſitur, ornatus, LICINIVM, data ei in uxorem *Conſtantia* ſorore, collegam fecit. Mox, MAXIMINVS AFRICANVS, contra ambos Imperatores expeditionem cum ſuſcepiſſet, in Illyriis a Licinio victus, in Aſiam aufugit, & apud Tarſum, Ciliciæ urbem, contabuit. Sed nec inter Conſtantinum, & Licinium diuturna concor-

cordia fuit, atque odium in apertum bellum erupit. Pugnatum & terra & mari, favente ſemper fortuna Conſtantino. Noviſſimum ad *Chalcedonem* prælium commiſſum eſt, in quo Licinius ipſe, in victoris poteſtatem pervenit, a quo, deprecatrice Conſtantia conjuge, vitam pactus, ac *Theſſalonicam* relegatus, paulo poſt, quod novas res moliretur, in eadem urbe peremtus eſt. Conſtantino, hoſtili ſic defuncto metu, *turbæ domeſticæ* negotium faceſſivere. CRISPVS, Cæſar, ex priori conjuge MINERVINA ejus filius, egregiæ indolis adoleſcens, cum in ſuſpicionem FAVSTÆ novercæ ad ſtuprum ſolicitatæ, veniſſet, occiſus eſt. At, innocentis ultionem, haud diu Deus ſuſtulit, quippe Conſtantinus, certior factus, Fauſtam, privignum falſo accuſaſſe, eam balnei calore ſuffocari præcepit. Rebus in Occidente probe diſpoſitis, cum *Sarmatæ* & *Gothi* Thraciam vexarent direptionibus, ſedem Imperatoriam, ex Italia, *Byzantium*, in Thraciam, Conſtantinus tranſtulit, quam urbem inſtauratam, ac pæne totius orbis locupletatam ſpoliis, ſic ut Romam exæquaret, *Novam Romam* appellari juſſit, quæ eadem & *Conſtantinopolis*, ſecundum illius nomen, dicta eſt. Tandem, Conſtantinus jam ſenex, (exceſſerat enim annum ætatis ſexageſimum, & Imperii triceſimum,) *in expeditione contra Perſas*, in morbum incidit, non ſine veneni ſuſpicione. Quo, vires ſumente, *Nicomediam translatus eſt*, ubi *baptiſmum* accepit, ceu pleriq; Veterum conſenſu tradunt: Euſebius nimirum l. 4. de vita. Hieronymus in Chron. Rufinus l. 1. c. 11. Socrates l. 1. c. 39. Sozomenus lib. 2. c. ult. Theodoretus l. 1. c. 32.

Ambroſius lib. 1. de obitu Theodoſii. Diſtulerat Baptismum tam diu, quia, quod ab iisdem Scriptoribus proditum eſt, ex pietate & religione erga ſacrum hoc myſterium, illud non niſi in *Jordane*; ubi Chriſtus baptizatus fuerat, admittere decrevit. Erat interim, ante hanc luſtrationem, totus Chriſtianus, totus Chriſto Servatori devotus. Siquidem, paganas ſuperſtitiones prohibuit, ſacrificiorum & victimarum uſum, in urbibus, agris, & lucis interdixit; fana Numinum ſolo æquavit, idola comminuit, aut pro ridiculo expoſuit oſtentui. Contra, edicta de perſequendis Chriſtianis revocavit; exules, ſuis ſedibus, exulibus, bona amiſſa reſtituit, &, muneribus publicis, ac dignitati, Chriſtianos promiſcue admovit. Ad hæc, templa multa in honorem Chriſti conſtruxit, memoriam Martyrum coluit, Epiſcoporum conſuetudine ita delectatus eſt, ut menſæ ſuæ illos adhiberet; ſacros libros aſſidue legit; ad componenda circa religionem enata diſſidia, Synodos, quibus ipſe interfuit, convocavit: denique, eam votorum ſuorum ſummam eſſe profesſus eſt, ut Chriſtus pura ſemper mente toto orbe colatur. In horum veritate commonſtranda, occupantur libri 4. quos de vita ejus ſcribit Euſebius, ac in rerum teſtimonia adducuntur, ſuprema inter mortales fidei argumenta, ipſiusmet Conſtantini Edicta, Reſponſa, Orationes, Epiſtolæ, precumque formulæ. Quapropter, jure bono Lactantius, in *Divinarum Inſtitutionum*, quibus Chriſtianæ religionis veritas, futilitas vero ethniciſmi egregie oſtenditur, dedicatione, ſic Imperatorem hunc affari potuit: *Quod opus nunc nominis tui auſpi-*

auſpicio inchoamus, Conſtantine, Imperator Maxime. Qui primus Romanorum Principum, repudiatis erroribus, majeſtatem Dei ſingularis, ac veri, & cognoviſti, & honoraſti. Et vero, omnium prope mortalium, qui ullis unquam, a Conſtantini memoria, ſeculis vixere, conſenſu, ſic creditum ſemper eſt, Conſtantinum primum bona fide fuiſſe Chriſtianum Imperatorem, eundemque deinde, ſolo Juliano excepto, honniſi Chriſtianos habuiſſe ſucceſſores.

Orta tamen aliquando, in Amici mei animo, cum veteres Numos, & illorum, qui de iis ſcripſere, Commentarios, verſare occiperet, dubitatio, quam, me conveniens, profitebatur, quomodo nimirum fieri queat, ut Conſtantinus, citra dubitationem prædicetur Chriſtianus Imperator, cujus Numi averſi, palam referant lemmata:

GENIO POP. ROM. SA.
BONO GENIO PII IMPERATORIS.
HERCVLI CONSERVAT. CAESS.
MARTI PATRI.
MARTI PATRI PROPVGNATORI.
MARTI PATRI SEMP. VICTORI.
MARTI CONSERVATORI.
MARTI PATRI CONSERVATORI.
JOVI CONSERVATORI.
JOVI CONSERVATORI AVGVSTI.
SOLI INVICTO COMITI.

Addebat, cum in Conſtantini Numis, ejus Conſecratio, ſive Apotheoſis memoretur, ſaltem illud indubie conſequi, minime Conſtantinum, Gentilium ſacra, iiſque addictos odio habuiſſe, aut ullo

modo exſtirpare ſtuduiſſe, quia ratio non patiatur credere, eum Deorum ſuorum numero a Gentibus fuiſſe illatum, qui Numina illa execrabatur, omnemque ipſorum memoriam, penitus extinctam, & in animis hominum abolitam volebat.

Reſpondebam, quosdam ex Numis illis, quibus paganitas ineſt, cuſos fuiſſe, Conſtantino gentilium ſuperſtitionibus adhuc addicto, &, ante decretoriam cum Maxentio pugnam: ejusq; rei claram notam eſſe, literas NOB. CÆS. quibus *Nobilis*, aut *Nobiliſſimus Cæſar*, tantum vocatur, iis impreſſam. Alios ſane confictos eſſe, Conſtantino jam *Imperatore* & *Auguſto*, hoc eſt Chriſtiano, ſed extra Romam, in provinciis, ubi multæ erant officinæ monetales, atque has etiam, literis, quæ in averſa parte Numorum, imum locum occupant, perſpicue ſignificari. Quippe, pergebam, Conſtantinus benigne agebat cum gentilibus, citra vim, citra minas, leniter, verbis bonis, hæc tria tantum imperans, ut impoſterum a ſacrificiis & victimis deteſtandis, per urbes & agros abſtineant; ut ſtatuas ullas Deorum erigere deſinant; &, ut divinationibus, haruſpicinæ, aliisque malis artibus ejusmodi, operam dare ſuperſedeant, cujus rei teſtem habemus Euſebium l. 2. c. 44. & 45. in vita. His legibus ſalvis, poterant Præfecti Monetales, per Aſiam, Gallias, Pannoniam, & remotiſſimas regiones alias, agentes, pravæ ſuæ ſuperſtitioni adhuc indulgere, & aliquandiu in Numis effingendis, obtinere, ceu fieri ſolet, antiquum. Itaque, quod mirere, eſt penes me etiam ipſius Conſtantini junioris, quem ullo unquam tempore paganiſmo infectum fuiſſe,

ſe, nemo arbitrabitur, Numus, elegantiæ & artificii, plane ultra ævum ſuum, ſingularis, isque rariſſimus, qui, in uno latere, exhibet imaginem ejus, cum inſcriptione: DN. FL. CL. CONSTANTINVS NOB. C. in altero, Jovem ſtantem, & ſiniſtra haſtam, dextra Victoriam tenentem commonſtrat, cui circumſcriptum: JOVI CONSERVATORI CÆSS. Quæ, vidente & probante Conſtantino M. confecta fuerere nominis ejus monumenta, ita ſe habent, ut nullam paganitatem redoleant, ſpirent Chriſtianismum. Fallor, an referenda huc, ipſa Arcus triumphalis, poſt devictum Maxentium, in honorem Conſtantini erecti, quam nondum vetuſtas delevit, Romæ Inſcriptio? his omnino concepta verbis:

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO MAXIMO
P. F. AVGVSTO S. P. Q. R.
QVOD INSTINCTV DIVINITATIS MENTIS
MAGNITVDINE CVM EXERCITV SVO
TAM DE TYRANNO QVAM DE OMNI EIVS
FACTIONE VNO TEMPORE JVSTIS
REMPVBLICAM VLTVS EST ARMIS
ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

In his, inſolens illa, nec temere, quod equidem ſciam, in aliis Inſcriptionibus adhibita formula, *Inſtinctu Divinitatis*, eorum, quæ Conſtantino, ante prælium, cœleſti providentia contigerunt, indicium mihi facere videtur. Sed aperte, & citra circuitionem, id præſtitit Inſcriptio alia, quam Euſebio l. 1. de vita c. 40. autore, Conſtantinus, Crucis ſigno, imagini ſuæ, in cele-

berrimo Vrbis Romæ loco poſitæ, addito, hac verborum conceptione ſubjicere juſſit:

HOC SALVTARI SIGNO
VERO FORTITVDINIS INDICIO
VESTRAM CIVITATEM
TYRANNICÆ DOMINATIONIS JVGO
LIBERATAM SERVAVI
S. P. Q. ROMANO IN LIBERTATEM ASSERTO
PRISTINVM DECVS NOBILITATIS
SPLENDOREMQVE RESTITVI.

Jam, quales Numos procuderit Conſtantinus, ediſſerentem audiamus Euſebium lib. 4. de vita cap. 15. *In aureis Numis, exprimi ſe juſſit, vultu in cœlum ſublato, & manibus expanſis inſtar precantis. Et hujus quidem formæ Numi, per univerſum orbem Romanum cucurrerunt.* Taceo Numos cum Labaro, & in iis Chriſti nomine, qui non exigua copia extant, & aliquos ejusmodi dabimus videre, quoties voles cernere.

Enim vero, iis, quæ, ô noſter, de Conſecratione, ſubjiciebam ego porro, dixiſti, parum abeſt, quin mihi ſcrupulum injeceris, cui par eſſe non poſſum: &, utique monſtri ſimile eſt, Gentiles, publica ceremonia, inter Numina, illum colendum propoſuiſſe, cui omnis ipſorum religio erat abominationi: qui Pythium & Sminthium Apollinem, ipſumniet Tripodem Delphicum, Muſas Heliconidas, & alia celeberrima quæque ſimulacra Deorum, Conſtantinopoli, per fora, compita, & circos, ludibrio & contumeliæ mortalium ſtatuebat, aut, reſtibus vincta, in luto trahere

here jubebat per urbem: qui, Veneris apud A-
phaca, in Libano monte, Ædem, & Æſculapii
in Cilicia Fanum, quibus nihil toto propemodum
orbe erat famoſius, indigna cenſuit, quæ Solis
radiis colluſtrarentur, ac ideo funditus evertit,
veſtigium nullum eorum relinquens: hæc enim
ipſum feciſſe, Euſebius l. 3. de vita, memoriæ pro-
didit. Quem credimus ſenſum (ſi is omnino il-
lis inerat) tum fuiſſe Manium ipſius, cum iſta fie-
ret conſecratio? qui, ceu rurſus eſt apud Euſebium
l. 3. de vita c. 16. lege lata vetuit, vel imagines
ſuas in idolorum templis dedicari, ne forte, ſpe-
cie tenus, errore yetitæ ſuperſtitionis inquinaren-
tur. Equidem ſcio, ſcripſiſſe Eutropium l. 10. *me-
ruiſſe Conſtantinum ut inter Divos referretur*, ſed
idem Autor, hoc ipſum Conſtantio quoque, Con-
ſtantini filio, & Joviano Imperatori, accidiſſe aſ-
ſeruit, quod, ſi de gentilium apotheoſi quis acci-
piat, ridiculum evadit, non tantum a vero ali-
enum. Itaque, aut de Chriſtianorum exequiali-
bus ceremoniis verba intelligenda, aut pro non
dictis illa habere oportet. Sed enim de Moneta
nobis ſermo eſt, & obſecro, quibus Numis fidem
facies, illam Conſtantini apotheóſin omnino eſſe
peractam? Ibi tum provocabat Amicus, ad *Ca-
roli Patini* V. C. librum, in quo Imperatorum
Romanorum Numiſmata ex ære, mediæ & mi-
nimæ formæ, deſcripſit, & enarravit, hoc in ma-
nus ſumto, oſtendebat ille mihi p. 465. inter alios,
ectypum Numi averſi, in quo Conſtantinus in
quadriga ſtans, & dextra habenas regens, ſini-
ſtram, manui, quæ ex cœlo ei fit obvia, offert.
Legebamus deinde, quod de illo commentatus

eſt Patinus: *Quintus Numus, apotheoſin refert Conſtantini, in cœlum rapti. An id paganiſmum non redoleat, non definivit Baronius. Rudes adhuc iſtis temporibus Chriſtiani, Imperatorem piiſſimum, ſummis etiam honoribus venerabantur, quem orbis pacatorem, pacis fundatorem, religionis aſſertorem noverant. Conjectura eſt, filios hunc ſibi quæſiviſſe honorem, per parentis gloriam.* Cum me aliquantisper intra ſilentium tenuiſſem, & Numum ipſum prius e loculis depromſiſſem, poſtea, ego vero, inquiebam, definire auſim illud, in quo aqua hæſit Baronio, & magna aſſeveratione tueri, nihil eſſe in in hoc Numo, quod paganiſmum redoleat, nihil quod innuat apotheoſin. Secus ſi foret, &, ſi a Gentilibus, apotheoſin factam confirmantibus, proveniret Numus, non deficeret verbum CONSECRATIO, quod, niſi quid me decipit, in apotheſeos ritu ſemper compareret, aut ſaltem aliqua figura fuiſſet expreſſa, quæ ad apotheoſin innuendam erat accommodata, ac in negotio ſimili alias quoque fuit adhibita. Nam hæc quidem apotheoſeos deſignandæ ratio, inſueta eſt, nec unquam prius uſurpata. Jam, haud ullus alius Numus, circa vivum aliquem Imperatorem apotheoſin ſusceptam commonſtrat. Qui conſecrati oſtenduntur Cæſares, mortui ſimul & exanimes exhibentur, nec ulli unquam actioni intenti ſunt, quippe, quæ appoſita in hanc rem Taciti verba ſunt, quibus XV. Annalium librum obſignavit: *Deum honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines deſierit:* quod de conſecratione imprimis verum eſt. At enim, Numus quem contemplamur,

vivum

vivum certe repræſentat Conſtantinum, cum in curru ſtet auriga, lora manu corripiens. Quanquam, quid verbis opus eſt? Fecit hujus Numi Euſebius l. 4. de vita c. 73. non mentionem tantum, & picturam, ſed & non ignorare nos patitur, quid ſibi voluerit. Scilicet, poſtquam quæ ad obitum & funus Conſtantini, quod ſecundus ex filiis curavit, attinent, narraverat, atque in his illud quoque præcipue, defunctum Conſtantinum, cum in templum Apoſtolorum, quod Conſtantinopoli ipſe vivus exſtruxerat, eſſet illatus, & ibi in alto ſuggeſtu jaceret, miniſtros Dei, *cum turbis, & tota fidelium plebe*, τοὺς τοῦ Θεοῦ λειτουργοὺς σὺν αὐτοῖς πλήθεσι, πανδήμῳ τε Θεοσεβείας λαῷ, divini cultus ceremonias peregiſſe, prædicaſſe mortuum laudibus, myſticam Liturgiam, & ſanctas preces inſtituiſſe: deinde, paucis tantum, quibus Conſtantini felicitatem extollit, interjectis, illico addit: *Quin etiam nummi hujusmodi forma ſignati ſunt: anteriore quidem parte, beatum Principem obtecto capite præferentes: altera vero parte, in quadrijugo curru, aurigæ inſtar ſedentem, & porrecta ipſi cœlitus dextra, ad Superos aſſumtum.* Quæ omnia vere ſecum reputanti, nunquam profecto in mentem veniet, a Gentilibus excuſum eſſe Numum, illumque paganam apotheoſin ſpectandam nobis proponere, ſed, quid Chriſtiani cœptarint oſtenditur. Illi nimirum, ſi quid ego perſpicio, nobis repræſentant, ut Conſtantinus, Eliæ in modum, currui inſidens, ex mortalium conſortio, in cœlos, a Deo ſuſtollatur, certe declarant, dignum illum fuiſſe, cui hæc beatitudo obtingeret. Itaque & Sanctorum, a Chri-

a Chriſtianis, (Deorum vero, a Gentilibus minime) catalogo Conſtantinus fuit adſcriptus, ejusq; memoria, annua feſtivitate colebatur, quod ne in hunc quidem diem Græci facere intermittunt; in Romanæ tamen Eccleſiæ Sanctorum laterculo, Conſtantinus neutiquam reperitur. Quæ cauſa fortaſſe fuit, quod Baronius circa Numum anceps fuit, & tam gentilibus, quam Chriſtianis, eum nos acceptum ferre poſſe, cenſuit. De reliquo, eſt utique Elias, ad æthera ſublatus, pulchrum ἐυθανασίας Conſtantini ſymbolum, quod alii frequenter ſuum fecere. Aſſervo Numum argenteum, majorum, quantum apparet, memoria, in viri, ceu in occulto conjecturamus, alicujus potentis & divitis, non ejus tamen dignitatis, ut nominis expreſſionem facere liceret, funere fuſum, & inter eos qui exequias ibant, pro memoriæ teſſera diviſum. Ejus unum latus exhibet Eliæ venerabile caput, tiara, ornatus vetuſti, obtectum, cui adduntur verba: HELIAS * AVRIGA * ISREHELIS. In altero latere, ſedet Elias in biga,

— viamq; affectat olympo

effuſis habenis. Circumſcriptum: HAEC * MERCES * EST * PIORVM *.

Retuleram, ad GISBERTVM CVPERVM, Virum Illuſtrem, & qui omnes omnium laudum ac doctrinarum Genios familiares habet, more meo, cum indulgentiam ejus pleniſſimam experiar, & ipſe rerum ejusmodi narratione, inter arduas de Republica curas, delectetur, dubium quod circa Conſtantinum, num, perfectiſſimæ, ceu Caſſiodorus alicubi loquitur, Chriſtianitatis ille

ille fuerit, erat obortum. Accepi reſponſum, dignum, quod non a me ſolo, ſed ab aliis quoque legatur. Sic autem ipſe reſcripſit eruditiſſime: *Conſtantinus, num Chriſtianus fuerit, dignum eſt quod inquiratur diligentius, quia talia inſervire poſſunt illuſtrandæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Sed arbitror, nummos parum profuturos illud negantibus. Nam Monetarii, absq; dubio maximam partem fuerunt gentiles, cum Imperii gubernacula regeret; illos a veteri more revocare, propter novitatem regni, & ne gentiles ſibi magis infeſtos redderet, noluit Conſtantinus; potueruntq; etiam illi homines, inſcio Imperatore, Deorum vultibus nummos ſignare. Illis omnibus ego opponere ſoleo* SPEM PVBLICAM, *& Serpentem, quem premit Labarum, & divinum Monogramma in uno, & idem Monogramma, in variis aliis Conſtantini nummis obvium. Quod ſi exiſtimemus, profectos eos eſſe a Monetariis Chriſtianis, & inde eos nihil probare, certe nec ex aliis, ullum argumentum ſimiliter peti poterit, atq; ita ad illius temporis auctores decurrendum eſt, qui affirmant uno ore omnes, Conſtantinum, Chriſtianorum ſacra amplexum fuiſſe: &, niſi fallor, eo digitum etiam intendit Aurelius Victor, gentilis ſuperſtitionis auctor, in lib. de Cæſar.* Quo (Calocero) excruciato, ut fas erat, ſervili aut latronum more; condenda urbe, formidandisq; religionibus animum avocavit, *nimirum Conſtantinus, qui Conſtantinopolim condidit, & publice religionem Chriſtianam amplexus eſt. Erat nonnunquam, ut ſcribendum putarem,* formandisq;, *ita, ut reſpiciat, ad compoſitas controverſias, quæ tunc Chriſtianos dividebant. Sed, nec iis repugnavero, qui, per* formidandas religiones, *intelligunt Chriſtianam, quippe cujus ſacra*

ſacra peragebantur, miſſis catechumenis, aliisq;, & notum eſt, horrorem & formidinem *ſacris tribui.*

Sed, hæc obiter. Prima Conſtantini uxor fuit MINERVINA, quæ peperit filium *Criſpum*, quam multum dilexit. Altera fuit, FLAVIA MAXIMIANA FAVSTA, Maximiani Herculei Imp. filia, ex hac ſuſcepit *Conſtantinum juniorem*, *Conſtantium* & *Conſtantem*: item filias, *Helenam*, & *Conſtantiam.* Fauſtæ fraude, quod, jamdum diximus, periit Criſpus privignus: unde ipſa, a marito, calido in balneo ſuffocata eſt.

Licinii uxor, fuit CONSTANTIA, Conſtantii Chlori, ex Theodora, filia, Conſtantini M. ſoror, e qua nati, *Licinius junior*, & *Hanniballianus*, pater Delmatii.

Tyranni, Cæſaresq; horum temporum fuerunt:

ALEXANDER, Phryx natione, ſenex, timidus, & tardus, Propræfectus Prætorio, per Africam a militibus, contra Maxentium, Imperator ſalutatus eſt. Eum Conſtantini copiæ, victum peremerunt.

C. JVLIVS VALENS. Hunc Licinius Cæſarem appellavit. Pace dein facta inter Licinium & Conſtantinum, inter alias conditiones hæc fuit, ut Valens iterum privatus viveret. Illum Licinius e medio ſuſtulit.

M. MARTINIANVS. Hunc quoque Licinius Cæſarem creavit. Occiſus eſt, victo Licinio, Conſtantini juſſu.

BASSIANVS. Habuit Anaſtaſiam, Conſtantii Chlori filiam, in matrimonio.

FL.

FL. JVL. CRISPVS, Conſtantini M. ex Minervina filius, a patre Cæſar dictus.[r] Eum, ut hoc iterum dicamus, Fauſta noverca deperibat, & ad libidinem ſæpius tentabat. Renuentem, ad maritum detulit, quaſi ſuo pudori vim intentaverit. Illi, Conſtantinus fidem habens, injuſta nece filium apud Polam, Iſtriæ urbem, perimere juſſit.

VALERIVS LICINIANVS LICINIVS; P. Valerii Liciniani Licinii Imperatoris filius, eodem anno Cæſar factus, & interfectus quoq; quo Criſpus.

FL. DELMATIVS, Delmatii Cenſoris, ſive Hanniballiani, fratris Conſtantini M. filius, Conſtantii Chlori & Theodoræ nepos. A patruo Conſtantino M. haud multo ante obitum, Cæſar appellatus eſt; verum non longe poſt, patruelis Conſtantii Imp. inſidiis, militari tumultu periit.

FL. CLAVDIVS HANNIBALLIANVS; Delmatii frater, eodem tempore, quo iſte Cæſar, Ponti, Cappadociæ, & Armeniæ minoris Rex, a Conſtantino conſtitutus fuit.

CALOCÆRVS, anno ante mortem Conſtantini, res novas in Cypro molitus, & ſtatim oppreſſus eſt.

CONSTANTINVS, CONSTANTIVS & CONSTANS.

MOrtuo Conſtantino, tres ejus filii, quos ex Fauſta, Maximiani filia, ſuſtulerat, Romanum Orbem inter ſe partiti ſunt, ita ut FL. CLAVDIVS CONSTANTINVS JVN. natu maximus, Gallias, & quicquid trans Alpes erat,

obti-

obtineret; FL. JVLIVS CONSTANS, minimus natu, Romam, & Italiam, Africam, Siciliam, Inſulasque reliquas, Illyricum, Thraciam, Macedoniam, & Græciam, nanciſceretur: FL. JVLIO CONSTANTIO, Propontis, Aſia, & Oriens, cum Ægypto, relinquerentur. *Sed primus, non contentus* ſua parte, &, de diviſione, velut iniqua, queſtus, miſſis ad Conſtantem Legatis, petiit, ut vel parte aliqua Imperii, Africa ſcilicet, aut Italia, ſibi cederet; vel ſane, ut diviſio nova inſtitueretur. Ipſe etiam, cum maximo comitatu Italiam petiit, de ea re cum fratre coram acturus. Sed *Conſtans*, peſſimorum hominum conſilio, qui ipſum ad bellum concitabant, militares copias adverſus Conſtantinum mittit: atque ſic prælio ad Aquilejam commiſſo, *necatus eſt Conſtantinus*, nondum expleto in adminiſtratione poteſtatis triennio. Hac ratione Gallias adeptus Conſtans, cum *Francis* bellum geſſit, qui victi, pacem petere coacti ſunt. Exinde in *Britanniam* trajecit, ut barbaros coërceret, qui Inſulam infeſtabant. Poſt hæc C. MAGNENTII, qui Rhætiæ Præfectus erat, dolo & perfidia, cum ex venatione feſſus in tentorio dormiret, extinguitur, cum 13. annos imperaſſet. Simul vero imperium invadebat Magnentius, & fratres ſuos, DECENTIVM, & DESIDERIVM, Cæſares facit.

Sub idem tempus, Auguſtum ſe dixit, VETRANIO, (alii *Veteranio* ſcribunt,) Magiſter militum, grandævus jam vir, & antiqua virtute ac fide, ſed ſimplex, & omnium liberalium artium expers, adeo ut ne elementa quidem prima litera-

literarum niſi jam ſenex & Imperator didicerit. Huic Conſtantius Imperium abrogavit, atque, novo inuſitatoque more, conſenſu militum, Imperii inſignia deponere coëgit. Grandævæ ætati, non vita modo, ſed & otium voluntarium conceſſum.

Eadem tempeſtate FL. POPILIVS NEPOTIANVS, Romæ Imperator creatus eſt. Fuit Conſtantii Chlori, ex Eutropia filia, nepos, & ideo dignior ſibi videbatur Magnentio. Sed mox miſſi a Magnentio Duces, *Heraclide* Senatore prodente, factionem ejus oppreſſere. Caput cæſi, pilo per Vrbem circumlatum eſt, ſecutæque graviſſimæ proſcriptiones & cædes, ac, inter reliquos, ipſa *Eutropia*, Nepotiani mater, fuit peremta.

Non multo poſt, ad *Murſam* Pannoniæ, gravi prælio victus eſt *Magnentius*. Cæſa fuere utrinque LIV. millia, atque Magnentius XXX. millia e ſuis deſiderabat. Ea pugna, attritæ fuerunt Imperii Romani vires, nam ii qui perierunt, & numero & robore, ad quævis externa bella ſuffeciſſent. Magnentius abjectis inſignibus, in habitu equitis aufugit, equum quoque dimiſit, ut qui viderent, exiſtimarent ſeſſorem eſſe mortuum. Hoc bello *Conſtantius* Reipub. exitioſum plane conſilium arripuit, Germanos invitando, ut in Romanum limitem irrumperent: ſic enim ſperabat, ſe Magnentii vires diſtrahere poſſe. At, non erant evocandi, qui ad hos ludos ultro venire ſolebant. Ergo, irruptione facta, XL. Vrbes Romanas, ad Rhenum ſitas, devaſtant.

Cæterum, prælium ad Murſam, bellum minime confecit. Nam *Magnentius*, reliquias attriti

exer-

exercitus in Italiam reduxit. Ibi, alienatos omnium animos expertus, deſperatis rebus ſuis, ſuperavit Alpes, &, cum in Galliam perveniſſet, re infeliciter geſta, Lugdunum ſe recepit, ac manus ſibi intulit, gladio, cujus ictum, impulſu parietis juvarat, per latus adacto. Periit tum quoque, qui cum eo erat, *Deſiderius* frater; alter vero frater *Decentius*, audito fratrum caſu, ſibi metuens, laqueo gulam fregit apud Senonas.

Similiter SILVANUS, in Gallia res novas molitus, ante trigeſimum diem occiſus fuit. Erat is ingenio blandus, & quanquam barbaro patre progenitus, tamen inſtitutione Romana ſatis cultus & patiens.

Conſtantius, pericula, quæ imperio Romano impendebant, ſecum perpendens, de Cæſare creando conſilium capit, hancque dignitatem transfert, in C. GALLUM, *Conſtantii*, Conſtantini M. fratris, quem Conſtantio Chloro Theodora peperit, & Gallæ, filium, bello *contra Parthos* eundem præficiens: ſed, cum poſtea autoritate per vim & libidinem abuteretur, Conſtantii juſſu, motus eſt officio. Immiſſi percuſſores, manus poſt terga revincto, cervicem abſciderunt, truncus in foro relictus fuit. Interea loci, quia *Sapores* Perſarum Rex, *Meſopotamiam* & *Armeniam* a Conſtantio ſibi reddi volebat, atque ſic Perſicum exoriebatur bellum, Conſtantius alium ſocium adſciſcere coactus eſt, delegitque JULIANUM, trucidati Galli, ſed quem *Baſilina*, Juliani Præfecti Prætorio filia, peperit, fratrem, eique ſororem *Helenam*, matrimonio junxit. Julianus, rebus deinde in Gallia præclare & felici-

ter

citer geſtis, cum Coloniam Agrippinam, & alias 40. urbes recepiſſet, totum pæne *Alemannorum* exercitum prope Argentoratum delevit. Erat ea victoria ingens, & LX. millia hoſtium cæſa fuiſſe, a Zoſimo, cujus tamen autoritatem, quidam, etſi immerito fortaſſe, ſolicitant, proditum eſt. Certe Victor ſcribit, ſtetiſſe acervos interfectorum, montium ſimiles; fluxiſſe cruorem, fluminum modo; captum eſſe Regem nobilem *Chonodomarium*; fuſos omnes Optimates; redditum limitem Romanæ poſſeſſionis. Ob res tam proſpere geſtas, milites *de Juliano Auguſto creando* conſentiunt. Renuit dignitatem Julianus, metuens, ne idem fatum, quod frater expertus fuerat, ſe maneret. Hinc tumultus militum ortus eſt, nudatis enſibus cogentium, meritum cognomen accipere. Itaque, ut illi quieſcerent, dedit aſſenſum. Non reperiebatur diadema: facere tentaverunt ex mundo muliebri. Julianus vetuit, aſſerens, non eſſe boni eventus augurium. Tribunus, coronam attulit, non longe differentem ab ea, quæ ſolet in xyſto victoribus dari. Nonnulli ſcribunt, *Marcellinum*, comitem ordinis, detraxiſſe ſibi torquem, & capiti Principis aptaſſe. Harum rerum fama cum ad Conſtantium perlata eſſet, ægerrime id tulit, ac, Armenia & Meſopotamia pacatis, adverſus Julianum expeditionem movere cœpit: ſed febri A. C. 361. inter Ciliciam & Cappadociam extinctus, non potuit deſtinata perſequi. Fuit Conſtantius *Arianæ hæreſi* addictus, & Athanaſium, multoſque alios orthodoxos, in exilium pepulit, nec minus *Sirmii*, pro Arianis Concilium congregavit. Ejus obi-

tu, ceſſavit Ariana tempeſtas. Sub Conſtantio, Ethnici ex urbibus in pagos fuere relegati, unde *Paganorum* nomen exortum. Vixit Conſtantius annos 40. regnavit 24.

Conſtantinus Junior, num in conjugio vixerit, incertum eſt. *Conſtantii*, prima uxor fuit EUSEBIA, ſoror *Euſebii* & *Hippatii*, Virorum Conſularium, a marito maxime adamata, venefica tamen. Effecit enim, ut mariti ſoror, *Helena*, Juliani uxor, abortum faceret. Duxit deinde FLAVIAM MAXIMAM FAUSTINAM, quam gravidam reliquit, & quæ *Conſtantiam* peperit, Gratiani deinde, cum adoleviſſet, conjugem.

Conſtantis Imperatoris ſponſa fuit OLYMPIA, *Ablabii*, Præfecti Prætorio filia. Eam poſtea Conſtantius uxorem dedit *Arſaci, Armeniorum Regi*, ut eum ſibi majori amicitiæ & fœderis vinculo obligaret, contra Perſarum Regem Saporem.

JULIANUS.

FL. CLAUDIUS JULIANUS, patrem *Conſtantium*, Conſtantini M. fratrem, matrem habuit *Baſilinam*, nobiliſſimam fœminam, quæ gravida, ſomniavit ſe parituram Achillem, fuitque præſtanti ad arma & literas ingenio, inque victu, ſomno, ac Venere temperantiſſimus. Adoleſcens, *Euſebio, Nicomedienſi Epiſcopo*, erudiendus traditus eſt, a quo doctrinam Chriſtianam didicit. Sed, cum clam audiret *Libanium Rhetorem*, & alios ethnicos Philoſophos, ad gentilium impietatem ac ſuperſtitiones ſeductus eſt, unde *accerrimus deinde Chriſtianorum hoſtis* extitit, adeo, ut nihil eorum, quæ ad impediendam doctrinam Chriſtianam facere videbantur, intentatum reli-

liquerit. Nimirum, idolorum templa a Conſtantino M. & hujus filiis clauſa, aperuit, ſcholas Chriſtianorum clauſit; Eccleſiaſtica bona ad ſe rapuit, addito ſarcaſmo, ſe hoc ideo facere, ut Chriſtianos ad regnum cœlorum perduceret, quod Galilæus (ſic per contemtum Chriſtum vocabat) dixiſſet: *Beati pauperes, quia illorum eſt regnum cœlorum.* Porro, in Chriſtianorum odium, *Judæis conceſſit poteſtatem reædificandi templum Hieroſolymitanum:* quod cum molirentur, omne opus, dehiſcente terra, disjectum eſt, & multa millia Judæorum perierunt: metuendique, quod ipſe Ammianus Marcellinus, gentilis ſcriptor, teſtatur, flammarum globi, prope fundamenta, crebris aſſultibus erumpentes, fecere locum, exuſtis aliquoties operantibus, inacceſſum. Poſtremo, Julianus *Perſarum Regi* bellum intulit, a quo victus, & in anguſtias redactus, dum per vaſta deſerti incautius vagatur, ab obvio quodam equite, conto ictus interiit. Fertur, moriens, exceptum cava manu cruorem, in cœlum jeciſſe, addita voce: *viciſti Galilæe.* Cadaver Tarſum perductum, in ſuburbana villa ſepultum eſt, cum hoc Epitaphio:

Rex bonus & ſævis bellator fortis in armis,
Julianus jacet hic ad Cydni fluminis undas:
Dum ferus Euphrates & Perſica tela, cruenti
Martis opus, cœptosq; negatur inire triumphos.

Extinctus eſt anno 7. Imperii, ætatis 32.

Fuit ſtatura exigua & gracili, majeſtate conſpicuus, promiſſa barba: ſimilis exiſtimabatur Tito, ut frater ejus Gallus, Domitiano. Bellorum ſucceſſibus comparatus eſt Trajano, mo-

deratione M. Aurelio; literarum peritia magnis Philoſophis. A Conſtantio patruele adoptatus, & Cæſar factus, cum in expeditione eſſet adverſus barbaros, & in quandam ingrederetur civitatem, corona laurea, inter columnas pendens, rupto fune ſuper caput ejus decidit, eumq; aptiſſime coronavit, quod cuncti, clamore ſuo, Imperii ei fore ſignum interpretati ſunt. Inter vitia referendum, quod gloriæ nimis cupidus, arrogans, audax, & præſagiorum ſciſcitationi vehementer deditus fuit: cumq; Pythagoream *μετεμψύχωσιν* crederet, ſe Alexandrum eſſe ſibi perſuadebat. Quamobrem, cum illius ſimilem victoriam de Perſis ſperaret, bellum ſuſcepit, ſed cum totius Imperii detrimento, ſuoque proprio exitio.

Superſunt *Juliani ſcripta*, quæ ingenium, doctrinamque ejus referunt. *Epiſtolæ* nimirum, & *Orationes*: *liber de Regno*: *Miſopogon* adverſus Antiochenos; *Hymnus in Solem*, & alia, quæ junctim edidit Dionyſius Petavius. *Juris Romani* in eo cognitionem non vulgarem fuiſſe, declarant Reſcripta, quæ in libris juris crebro ſe offerunt.

Vxor Juliano fuit Fl. Julia Helena, Conſtantini M. filia, cui *Euſebia*, Conſtantii Imp. conjux, quia ipſa ſterilis vixerat, venenum propinavit, ut, quotieſcunq; concepiſſet, immaturum abjiceret partum.

JOVIANVS.

POſt Juliani obitum, cum Romanus exercitus in ſummis eſſet anguſtiis, feſtinata deliberatione FL. JOVIANVS, *Varroniani* Pannonici, ſtrenuiſſimi viri, filius, Imperator a militibus, ex ſimiltudine nominis cum Juliano bonum

omen

omen captantibus, acclamatus eſt. Quo reluctante, & ſeſe, *quod Chriſtianus eſſet*, ac militibus ethnicis præeſſe nollet, excuſante, ipſi reſponderunt, & ſe Chriſtianos eſſe.

Ferunt, Joviani patri, cum liberos crebros amiſiſſet, præceptum per quietem eſſe, ut eum, qui jam inſtante uxoris partu edendus foret, *Jovianum*, ſive *Juvianum* vocaret, ſic enim ætatem victurum, atque purpuræ futurum compotem. Poſt adeptum Imperium, pacem Jovianus cum *Sapore* Perſarum Rege, turpibus quidem, ſed neceſſariis, (exercitus enim inopia laborabat, & Perſæ nunc a tergo, nunc a lateribus eum incurſabant,) conditionibus fecit, quinque Transtigritanis provinciis, quas Galerius Maximianus Romanis vindicaverat, Niſibi quoque, & maxima Meſopotamiæ parte, hoſti conceſſis: quod ante eum, annis mille centum & duobus de viginti, ex quo Romanum Imperium conditum erat, nunquam accidiſſe Eutropius confirmat, ut ſcilicet de finibus, aliquid hoſtibus traderetur. Acceſſit & alia ignominia. Vetitus eſt populus Romanus, Arſaci, Regi Armeniæ, amico & fido, auxilium contra Perſas ferre, qui ſimiliter antea haud ullo tempore ad talia coactus fuit. Sic ergo viſa libertas victricium armorum corruiſſe. Poſt hæc Jovianus Conſtantinopolim petens, *Dadaſtanæ*, in confinio Galatiæ, & Bithyniæ moritur, ſeu cruditate, (inter cœnandum enim epulis indulſerat) ſeu recenti tectorio, gravique prunarum nidore, exanimatus, menſe imperii octavo, vitæ, anno 33.

Joviani uxor, CHARITO fuit, quæ, marito, Imperatori facto, properavit in occurſum. Sed

antequam ad eum perveniret, diem obiit ſupremum. Pepererat hæc filium *Varronianum*, quem pater infantem ſecum Conſulem creavit.

VALENTINIANVS, & VALENS,

EXtincto Joviano, FLAVIVS VALENTINIANVS, qui in Pannonia, humili loco, patre *Gratiano, Funario*, ſic dicto, quod funem quem tenebat, quinque milites extorquere non poterant, natus erat, apud Nicæam Imperator electus eſt: vir ſolers ingenio, & corpore decorus. Die poſt ſuſceptum Imperium 30. FLAVIVM VALENTEM fratrem, Collegam & Auguſtum fecit, cui, Oriente commiſſo, ipſe ad res Occidentis componendas abiit. Et Valens quidem, ipſo imperii ſui initio, PROCOPIVM, qui genus ad Conſtantinum referebat, Cilicem, Juliani propinquum, arrepta Conſtantinopoli tyrannide, infeſtum habuit. Verum is tandem in Phrygia oppreſſus, & duarum arborum verticibus inclinatis alligatus, medius diſcerptus eſt, plurimi ejus partis cæſi aut proſcripti ſunt. Procopio interfecto, MARCELLVS PROTECTOR, ejusdem cognatus, *Chalcedone* purpuram ſumit; ſed, ab *Equitio*, Duce exercitus captus, miſereque excruciatus interiit.

FIRMVS quoque, apud Mauritaniam regnum invadens, pœnam capite luit. Similiter VALENTINVS, (quidam *Valentinianum* vocant) ob delicta in Britanniam relegatus, ibidem tyrannidem affectans, in ipſo conatu oppreſſus eſt.

Valentinianus, in Occidente morbo correptus, GRATIANVM, filiolum, Auguſtum creavit; cum convaluiſſet, bellum contra *Alemannos*, *Saxones*

xones aliosque populos geſſit. *Quadis* demum, ſive Sarmatis incurſantibus, cum expeditionem adverſus eos pararet, atque illi legatos ad eum ſupplices miſiſſent, in eos acrius invehens, apoplexia ſubita correptus, interiit. Quidam tamen mortis cauſam, in cibi intemperantiam ac ſaturitatem, qua artus oppleverat, conjiciunt. Periit autem anno ætatis 55. Imperii duodecimo. *Valens* poſtea, in bello contra Gothos, ad Hadrianopolin dimicans, amiſſo exercitu, ſagitta confoſſus, in deſertam cum refugiſſet caſum, a barbaris deprehenſus, ſubjecto igne, cum tugurio vivus exuſtus eſt, poſtquam tenuiſſet imperium annos 14. Valentinianus orthodoxus fuit, vim tamen nulli faciebat, qui diſſentiret in religione. Valens, Ariana infectus lue, graviſſimam contra orthodoxos excitavit perſecutionem.

Prima *Valentiniani* Conjux, fuit SEVERA, quæ peperit *Gratianum* filium. Hæc, commendans JVSTINÆ, viduæ Magnentii, formam, effecit, ut eam Imperator ſuperinduceret; lege promulgata, quæ bina matrimonia permittebat. Ex Juſtina ſuſcepit *Valentinianum juniorem*, & filias tres, *Juſtam*, *Gratam* & *Gallam*.

Vxor *Valentis*, erat DOMINICA, raræ pudicitiæ fœmina. Ea, Hunnis, Alanis, & Gothis, victricibus ſignis Conſtantinopolin obſidentibus, viriliter reſtitit.

GRATIANVS, & VALENTINIANVS II.

FL. GRATIANVS, Valentiniano patre mortuo, Occidentis Imperium adeptus, FL. VALENTINIANVM JVNIOREM, fratrem,

quadrimum tum, collegam adſcivit. Inter bonos numerandus eſt Principes: quippe, qui parcus cibi, libidinis victor, & literis haud mediocriter eruditus fuiſſe deprehenditur. Valente mortuo, *cum Gothi Thraciam*, aliasque Romani Imperii Provincias impune percurſarent, THEODOSIUM, genere Hiſpanum, eximium belli Ducem, Orientis Imperatorem cooptavit. Ipſe, Alemannorum 30. millia, in Gallias irrumpentium, circa Argentoratum fudit. Proditum eſt, eum Pontificis Maximi ſtolam, titulumque, a præceſſoribus geſtum, abjeciſſe. Fuit literis haud mediocriter imbutus. Nam & carmen faciebat, & ornate loquebatur, & controverſias Rhetorum more explicabat. Deſtinata jaculis ferire, ſummæ voluptatis duxit, cibi ſomnique parcus, ac libidinis victor. At vero, dum exercitum fere negligit, & paucos ex *Alanis*, quos ingenti auro ad ſe tranſtulerat, antefert veteri ac Romano militi; odia contra ſe legionum excitavit.

Illo tempore FL. MAGNUS MAXIMUS, ex proſapia Conſtantini M. oriundus, vir in militari expeditione adverſus Francos, Germanos, Gothosque ſtrenuus, indignatus nullos ſibi honores haberi, in Britannia rapit principatum, transgreſſusque in Galliam, & ab infenſis Gratiano militibus exceptus, Gratianum fugavit, ac per *Andragathium*, apud Rhodanum fluvium aſſecutus, extinxit, cum vixiſſet annis 28.

Imperavit Gratianus cum patre annos 5. cum patruo & fratre, annos 3. & cum eodem fratre ac Theodoſio 4.

Vxo-

Vxorem habuit, FL. MAXIMAM CONSTANTIAM, *Conſtantii* Imperatoris, & Fauſtinæ filiam. Hac defuncta, LÆTAM duxiſſe dicitur, *Piſamenæ* filiam, quæ, poſt illius fata, diu ſuperſtes fuerit.

THEODOSIVS.

FL. THEODOSIVS, cognomento MAGNVS, matrem habuit *Thermantiam*, patrem *Theodoſium*, Hiſpanum, Magiſtrum militum, a Trajano oriundum, atque huic Imperatori, eum, & moribus, & corporis quoque habitu, quantum ex pictura noſcatur, ſimilem fuiſſe, Aurelius Victor prædicat. Erat enim domi clemens, miſericors, liberalis, militiæ ſtrenuus. *Valentinianum Juniorem*, a Maximo tyranno, Italia pulſum, in Imperium reſtituit; *Maximum*, Aquilejæ obſedit: quem, cum milites ei vinctum adduxiſſent, atque Theodoſius veniam daturus videretur; eundem rurſus abſtrahentes; confeſtim abſciſſo capite necaverunt. Superavit quoq; Theodoſius, multis atque ingentibus præliis, *Gothos*, & Thracia eos ejecit. *Athanaricum*, Gothorum Regem, a ſuis pulſum, honorifice excepit, &, eodem, quo venerat, menſe, mortuum, ſepelivit tam ſuperbo funere, ut obſtupefacti barbari, domum redierint, nec Romanos ultra infeſtarint, bonitatem Principis admirati. Idola evertit, & orthodoxam religionem promovit. Quia *Arianos* urbe ejicere diſtulit, illum *Amphilochius* ſenex, Iconii Epiſcopus, non honorando ejus filium, eum ipſum ſumme veneraretur, ad id induxit: quod enim ægre id ferret Theodoſius, pariter Cœleſtem Patrem, ob ſui Filii contemtum, indignari, Amphilochius docuit. In Republica quoq; multa emen-

davit Theodoſius; inter cætera, legibus latis, *nuptias cum conſobrinis*, item miniſteria laſciva, & pſaltriarum in comeſſationibus uſum prohibens. At, *ſævitiem, quam erga Theſſalonicenſes exercuit*, illi vitio dant. Hi, ludos celebraturi, aurigam quendam, propter adulterium, a Theodoſii Præfectis in carcerem conjectum, quo nemo erat aurigationis peritior, liberatum volebant. Id cum denegaretur, fit tumultus, in quo *Botbericus* fuit occiſus. Theodoſius, qui tum in Italia erat, graviter hanc injuriam tulit, cumque ejus ulciſcendæ mandatum dediſſet, nulla habita inquiſitione autorum, trium horarum ſpatio, *ſeptem millia civium*, promiſcuis cædibus fuere occiſa. Hanc ob cauſam, *Ambroſius*, Theodoſium ingreſſu Eccleſiæ Mediolani prohibuit octo menſium ſpatio: quod ille non ſolum æquo tulit animo, verum etiam ſic pœnitentiam egit, ut, quæ S. Auguſtini verba ſunt, populus pro illo orans, magis fleret videndo Imperatorem proſtratum, quam timeret peccando iratum. Inſuper Theodoſius, hortatu Ambroſii, legem ſancivit, ut, latæ in reos *ſententiæ executio, in dies 30. differretur*.

Interea temporis, *Valentinianus*, ab *Arbogaſto* Duce exercituum, qui *Eugenium* Scribam, Imperatorem creare ſuſceperat, ſtrangulatus eſt, poſtquam vixiſſet annos 26. imperaſſet 16. Inde novum Theodoſio bellum ortum. In eo, Eugenium, non tam humana vi, quam cœli ac tempeſtatis favore, & vehementi procella, quæ hoſtium jacula retorquebat, adjutus, victum captumque ſuſtulit, *Arbogaſtes ſuis manibus* periit. Sunt, de

Theo-

Theodoſii adverſus Eugenium prælio, noti Claudiani verſus:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Ita victor Mediolanum regreſſus Theodoſius, relictis Arcadio & Honorio filiis, obiit ſexagenarius, cum præfuiſſet imperio annos 17.

Valentinianus Junior, num in conjugio vixerit, incertum eſt.

Theodoſii prima uxor fuit ÆLIA PLACILLA, fœmina piiſſima, e qua *Arcadium* & *Honorium* filios ſuſcepit. Ea defuncta, duxit GALLAM, Valentiniani ſenioris ex Juſtina filiam, Junioris ſororem, quæ, *Gallam Placidiam*, & *Serenam*, uxorem Stiliconis, filias periit.

ARCADIVS, & HONORIVS.

THeodoſius moriens, heredes imperii, ceu jam innuimus, reliquit filios duos, FL. ARCADIVM, cui Orientem conceſſit, & FL. HONORIVM, cui Occidentem attribuit. Sed, cum ambo adhuc pueri eſſent, illi, FL. RVFFINVM, huic FL. STILICONEM tutores dedit, Africæ, GILDONEM præpoſuit, homines infideles. *Ruffinus* enim, ſpe Imperii potiundi illectus, muneribus Gothos ſibi conciliavit, Regique *Alarico*, ut arma contra Arcadium caperet, perſuaſit; ſic enim fore ſperabat, ut ab Arcadio in ſocietatem principatus aſſumeretur, & evaderet Imperator. Enim vero, decepit eum opinio, & detectis oc-

cultis

cultis illius artibus, Honorii juſſu interfectus eſt. Haud diſpar *Stiliconis*, cujus filias Honorius etiam ſibi deſponderat, fatum fuit, poſtquam idem in Occidente, quod Ruffinus in Oriente tentavit, machinatus erat. *Alanos* enim, *Suevos*, *Burgundiones*, & *Vandalos*, e quibus ipſe prodiit, ſedibus ſuis excivit, & ad invadendum Gallias Hiſpaniasque inſtigavit, eo conſilio, ut in illis turbis, EVCHERIO filio pararet Imperium. Nimirum, Stilico quoque, deprehenſa ejus fraude, una cum filio, juſſu Honorii, a militibus obtruncatus eſt: *Gildonem* quoque, qui Africam invaſerat, *Maſcelzer*, ſive, ut alii vocant, *Maſcizel*, aut, *Maſcozel*, frater, cujus duos filios occiderat, exiguis copiis vicit, ex fuga retractum, ſtrangulari curavit; poſt & ipſe, cum ſimiliter Africæ inhiaret, a militibus ſuis fuit trucidatus.

Interim, ſublatis etſi malorum autoribus, non tamen mala tolli potuerunt funditus. Siquidem, Gothi adhuc inſtare, & Imperio moleſtias creare cœperunt, tanto uſi ſucceſſu, ut ipſam urbem Romam, poſt biennii obſidionem, redigerent in poteſtatem. Capta tum etiam eſt *Placidia*, Honorii ſoror, quæ, *Athaulpho*, Gothorum Regi, nubere coacta fuit, quod quidem ceſſit feliciter. Quippe, efferatum barbari Regis ingenium adeo mitigavit, ut ex hoſte amicum Romanis redderet. Sed, dum de pace penitus componenda agitat Athaulphus, apud Barcinonem a ſuis eſt interfectus. Inter hæc *Arcadius* vitam clauſit, anno principatus ſui 13. vitæ 31. atque moriens, *Theodoſio* filio, Imperium per manus tradidit. Cumque timeret, ne

Hono-

Honorius quid inſidiarum ei moliretur, *Isdegerdi*, Perſarum Regi, quo cum fœdus pridem inierat, ejus tutelam commiſit. Fuit Honorius corpore admodum deformi, niger, ſtatura parva. Cæterum, Honorium, Ravennæ agentem, ut erat vecordi ingenio, haud admodum affligebant clades, quas fuerat paſſus: acceptoque de capta Vrbe Roma nuncio, de gallina, quam prægrandem habebat eo nomine, narrari aliquid opinabatur. Interim FL. CONSTANTIVM, Magiſtrum militiæ, conſortem Imperii appellat, ingentis animi virum, cui ſororem etiam *Placidiam*, poſt Athaulphi interfectionem remiſſam, uxorem dedit. Is, Tyrannos, GRATIANVM in Britannia, CONSTANTINVM, cum filio CONSTANTE, in Galliis ſuſtulit: Barbarorum impetus, qui Gallias, Hiſpanias, & Britanniam infeſtabant, domuit; ſed eum immatura mors, poſt 7. menſes, rebus humanis exemit. Deceſſit etiam haud multo poſt *Honorius*, aqua intercute laborans, ætatis año 40. & 30. Imperii, nulla prole ſuperſtite relicta.

Arcadii Conjux, fuit JVLIA EVDOXIA, faſtuoſa mulier, quæ Chryſoſtomum in exilium egit. Peperit ea *Theodoſium juniorem* Imperatorem, & *Flaccillam*, *Pulcheriam*, *Arcadiam*, ac *Martinam*. Obiit Conſtantinopoli, tribus menſibus poſt Chryſoſtomum, una cum fœtu extincta in partu.

Honorius ſibi deſpondit MARIAM, Stiliconis ex Serena filiam, quæ virgo obiit. Sepulta eſt Romæ, in via triumphali, cum pretioſiſſimis ornamentis: cujus ſepulchrum, ſub Julio II. Pontifice fuit repertum. Poſt Mariæ obitum, ejus ſororem ger-

germanam THERMANTIAM, Honorius ducere inſtituit, quæ, & ipſa, ante nuptias fato functa eſt.

PONTIFICES ROMANI.

MARCELLVS.

MArcellus, natione Romanus, a Maxentio Imp. ad *equos in ſtabulo curandos*, compulſus eſſe dicitur, ſediſſeque annos 2. & menſes 7.

EVSEBIVS.

EVſebius, Græcus gente fuit. Ajunt ſub eo *Crucem* Domini noſtri, ab Helena Conſtantini matre, quinto Nonas Maji repertam eſſe, monſtrante illam *Juda*, homine Hebræo, quem baptismum admiſiſſe, &, mutato nomine, *Cyriacum* dictum volunt. Tribuuntur huic Pontifici anni 6. menſesque duo.

MELCHIADES.

MElchiades, ex Africa oriundus, inſtituiſſe perhibetur, *ne die dominico, & quinta feria jejunium fieret*. Sedit annos 3. & ſub Maxentio denique, martyrio vitam finiit, *ultimus inter Pontifices martyr*.

SYLVESTER.

MElchiadi, Sylveſter ſucceſſit, qui, cum aliquandiu in *Soracte* monte, præ metu perſecutionis latitaſſet, ceſſante ſub Conſtantino Tyrannorum ſævitia, Romam reverſus eſt. De hoc Sylveſtro, multa memorant Scriptores Romani, præcipue vero illud, *Conſtantinum M. Imperato-*

ratorem, donaſſe ei, immani liberalitate, *Vrbem Ro-
mam, totumq; Occidentis Imperium*, ſimul coronam
ſuam auream, & ſceptrum, & reliqua Impera-
toria inſignia, ut majorem dignitatem Papa Ro-
manus haberet, quam ipſe Imperator. Atque
hujus quidem donationis inſtrumentum *in Diſt.
96. Canon*, cujus initium, *Conſtantinus*, nobis exhi-
bet; ibique, ſub finem imprecatur Conſtantinus
Succeſſoribus ſuis, usque ad finem mundi, con-
cremationem in inferno inferiore, cum Diabolo,
& impiis, niſi eam donationem ratam habeant,
& obſervent. Ne vero iſta ſuſpecta evaderent,
ſi ſine cauſa accidiſſe narrarentur, commodum
ea conficta eſt, traditumque, *Conſtantinum labo-
raſſe lepra*, periculi vero magnitudine, conſuluiſſe
Sacerdotes Capitolinos, qui eum ex occiſorum
infantum ſanguine parare balneum juſſerint: ve-
rum *Petrum Apoſtolum*, in ſomnis ei apparuiſſe, præ-
cepiſſeq;, ſe Sylveſtro, Papæ Romano, purgandum
traderet. Cui monito cum paruiſſet, a Sylveſtro
baptizatus, illico cum valetudine in gratiam re-
diiſſe dictitant. Sed, placeat hoc commentum
ſuis autoribus, nobis, nulla veriſimilitudine ſe
id commendat, quandoquidem *neq; Euſebius*, qui
vitam Conſtantini univerſis quatuor libris accu-
rate deſcripſit; *neq; Zoſimus*, qui religionis odio,
Conſtantinum, quibus poteſt, contumeliis exa-
gitat; *neq; Paulus Diaconus*, neque quisquam ex
Antiquioribus, vel minimam ejus rei mentionem
feciſſe deprehenduntur.

Eodem argumento corruit quoque, tam la-
bili fundamento ſuperſtructa Conſtantini Do-
natio. Nec deſunt falſitatem jactatæ donationis
pro-

probantia argumenta alia, plurima numero. Nam, ut aliquorum tantum breviter & ſtrictim mentionem faciamus, docet nos Euſebius lib. 4. de vita Conſtantini, hunc Imperatorem, perexiguo ante obitum tempore, talem Imperii ſui inter filios diviſionem feciſſe, ut natu maximo Occidentem, ſecundo Orientem, tertio interjectam regionem aſſignaret. Et vero conſtat quoque inter omnes Chronographos, non tantum Italiæ, verum etiam Romæ Vrbis imperium, penes Conſtantini ſucceſſores fuiſſe, ad Auguſtulum usque, in quo Romanum Imperium in Occidente defecit. Jam, ex ſupra in recenſione rerum Conſtantini dictis, patet, Conſtantinum neutiquam Romæ, ſed, haud multo ante obitum, Nicomediæ baptizatum eſſe, atque, etſi Scriptores diſſentiunt, quis Conſtantinum ſacro hoc ritu initiarit, tamen pro certo haberi debet, non id feciſſe Sylveſtrum, qui, quod ex Socrate, Theodoreto, Sozomeno, evincitur, toto quinquennio, antequam Conſtantinus baptizaretur, mortuus fuerat. Receptior autem ſententia, quæque Hieronymum in Chronico autorem habet, illa eſt, *Euſebium, Nicomedienſem Epiſcopum*, Conſtantini luſtrationem peregiſſe. Accedit his, quod genus dicendi, quo inſtrumenti ſcriptor uſus deprehenditur, barbarie ſua penitus alienum eſt a loquela ſeculi in quo Conſtantinus vivebat, & legum quoque Conſtantini, quæ in Theodoſiano & Juſtinianeo Codice habentur. Quid? quod complures Pontificii dominatus patroni & defenſores, ac in his nominatim Antoninus Florentinus Epiſcopus, Vola-

terra-

terranus, ac Nicolaus Cuſanus, teſtantur, totum illum Canonem de Conſtantini donatione, ab antiquis Gratianici Decreti Codicibus abeſſe. Jure igitur bono *Æneas Sylvius*, (is qui poſtea Papatum adeptus, Pius II. dictus eſt) in Dialogo quodam quem adhuc Cardinalis ſcripſit, aperte inſtrumentum, quod jactatur, donationis, falſitatis arguit, & ſtolidos Legiſtas appellat, qui tantopere diſputando ſudent, an ea donatio valeat, ut quæ nunquam fuerit facta. In Breviario Romano legitur, Conſtantinum M. Imp. Vaticanam, quæ Romæ eſt, Eccleſiam condidiſſe, atque cum fundamenta jacienda eſſent, ſumto ligone ac bidente, terram eruiſſe; indeque XII. terræ cophinos, in honorem XII. Apoſtolorum ſuis humeris abſportaſſe: *conditam Eccleſiam dedicaſſe Sylveſtrum*, & in ea altare lapideum chriſmate delibutum erexiſſe, facta lege, ne deinceps altaria, præterquam lapidea, fierent. Cæterum Sylveſter per 21. annos Eccleſiæ Romanæ præfuit.

MARCVS.

MArcum, quidam ajunt ſediſſe annis duobus, menſibus 8. cum alii ejus Pontificatui menſes tantum, quos expreſſimus, aſſignent. Inſtituiſſe dicitur, *ut recens electus Romanus Epiſcopus*, ab Oſtienſi Epiſcopo conſecrari debeat, quem, eum in finem, Pallio decoravit. Juſſit inſuper, *Symbolum Nicænum, diebus ſolemnibus*, in publicis ſacris, ſtatim poſt Evangelium, Clerum & populum alta voce decantare.

JVLIVS I.

JVlius, Romanus, ſedit annos 16. Exſtruxit *tria Cœmeteria*, in viis totidem, Flaminia ſcilicet, Aurelia, & Portuenſi: itemque *Baſilicas duas*, alteram juxta forum Romanum; trans Tiberim alteram: conſtituit præterea, *ne Sacerdos alibi quam apud Judicem Eccleſiaſticum cauſam diceret.* Voluit item, ut res Chriſtianorum, per Notarios literis conſignarentur.

LIBERIVS.

LIberius, patria Romanus, quod Arianis reſiſteret, & S. Athanaſium damnare nollet, a *Conſtantio Imperatore* in exilium pulſus eſt, & triennium ab urbe abfuit. Ejus in locum, Sacerdotes, coacta Synodo, FELICEM II. ſubſtituerunt. Interea loci exilii tædio *victus Liberius, Arianæ hæreſi, & damnationi Athanaſii ſubſcripſit*, quare Romam redeundi poteſtas ei fuit conceſſa, ſed non prius in Sedem eſt reſtitutus, quam Felix, juſſu Conſtantii, quem hæreſeos damnaverat, eſt occiſus. Plerique Liberium, ob communicationem cum Arianis ſerio pœnituiſſe ſcribunt; ſed aliis, quibus ipſe Platina accedere videtur, haud animum mutaſſe creditur. Pontificatui hujus tribuunt vulgo annos 15.

DAMASVS.

LIberio mortuo, in electione Pontificis magnæ contentiones ortæ ſunt. Ii enim, qui Felicis partes olim ſequuti erant, VRSICINVM, alii, qui Liberio adhæſerant, *Damaſum* elegerunt: atque tantis certaminibus res geſta eſt, ut uno die, in

Sicinij

Sicinii baſilica, 137. cadavera reperta fuerint: quas turbas Ammianus Marcellinus, Gentilis ſcriptor, Chriſtianis quoque vitio dedit. Duravit Schiſma annum integrum, donec *Prætextatus*, cauſa cognita, *Vrſicinum urbe expulit, & Neapoli Epiſcopum* fecit. Damaſus, *B. Laurentio* Baſilicam, prope Theatrum Pompeji, ædificaſſe dicitur, & conſtituiſſe, ut Pſalmi per omnes Eccleſias, die noctuque alternis canerentur, ac ut in fine cujusque Pſalmi diceretur, Gloria Patri, & Filio & Spiritui S. &c. Sedit annos 17.

SIRICIVS.

SIricius, natione Romanus, Valentiniani temporibus vixit, & per annos 13. Romanæ Eccleſiæ præfuit. Hic primus, *Conjugium Clericorum*, in Occidente, lege lata, abrogare niſus eſt, cujus decretis tamen *Jovianus* ſe oppoſuit. Idem *Monachos*, qui hactenus in Laicorum numero erant, ſacris ordinibus initiari poſſe cenſuit.

ANASTASIVS I.

ANaſtaſii I. decretum fertur, *ne debiles membris, & manci*, ad ſacros ordines admitterentur, &, ut Evangelium in templis ſtando audiretur. Conſtituit inſuper, ut *nulli peregrini*, maxime transmarini, ad Clericatus honorem ſuſcipientur, niſi quinque Epiſcoporum ſigillis obſignatum exhiberent chirographum, idque propter Manichæos; qui tum in Africa in magno erant pretio. Sedit annos. 4.

SCRIPTORES SACRI.

Euſebius Cæsariensis.

EVſebius Pamphili, Epiſcopus Cæſatienſis, temporibus Conſtantini M. floruit. De ejus parentibus, & pueritia, nihil extat, *Pamphili* autem cognomen tulit, ob ſummam amicitiam, quæ cum illo martyre ei interceſſit. Scripſit plurima, quorum aliqua perierunt. Tenemus *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros X*. in quibus initium facit a Chriſto nato, & progreditur usque ad ſua tempora. Addidit, etiam *quinq;* (quatuor aliqui numerant) *libros de vita Conſtantini.* Extat ſimiliter *Chronicon*, in quo propoſitum ipſi fuit, oſtendere, Moſaicas origines, initiis omnium Gentium & Regnorum longe eſſe antiquiores. Hoc Chronicon Joſephus Scaliger notis illuſtravit, quibus, Voſſio judice, nihil eruditius ſub ſole viſum eſt. Superant amplius *Commentarii de Præparatione Evangelica*, quibus maxime veritatem religionis Chriſtianæ defendit Euſebius, & ad quos componendos, omnia Philoſophorum, Hiſtoricorum, & Theologorum, non Græcorum modo, ſed & Ægyptiorum ac Phœnicum monumenta exploravit. *Faviſſe Euſebium Arianis*, S. Athanaſius in libro de Decretis Nicænæ Synodi, & Hieronymus prodiderunt, qui poſtremus, etiam Arianorum Principem, in utroque adverſus Ruffinum libro, eum ſæpe appellat.

Juvencus.

JVvencus, Hiſpanus gente, ſub Conſtantino vixit, & *quatuor libros Carminum*, quibus Evangeli-

gelicam hiſtoriam verſu Hexametro complexus eſt, compoſuit; unde Hieronymus Epiſt. ad Magnum: *Juvencus Presbyter, Hiſtoriam Domini Salvatoris verſibus explicuit, nec petuit Evangelii majeſtatem, ſub metri leges mittere.*

ANTONIVS ABBAS.

AVguſtinus in prol. l. 1. doctr. Chriſt.* teſtis eſt, ita traditum fuiſſe, Antonium ſine ulla ſcientia literarum, Scripturas divinas, & memoriter audiendo tenuiſſe, & cogitando intellexiſſe. Secundum Hieron. in Catal. dictavit *Epiſtolas VII.* lingua Ægyptiaca, ad fratres Arſenoitas, ſenſu & ſpiritu Apoſtolico. Has, ex Græco in Latinum converſas, *Syphorianus Camperius* ſeſe edere ſibi viſus eſt. Rivetus tamen, de earum fide dubitat. *Abrahamus Ecchellenſis*, Maronita, XX. Epiſtolas Antonii, ex Arabico Latinas fecit, ac Lutetiæ edidit.

S. ATHANASIVS.

S. Athanaſium, patria *Alexandrinum fuiſſe certum eſt*, etſi de parentibus ejus nihil conſtat. Dignam memoria rem de illo refert Sozomenus l. 2. c. 16. Scilicet, ipſum puerum adhuc ludentem ad litus maris, a cæteris Epiſcopum factum eſſe, peregiſſeq; Epiſcopi munera, ita, ut inter reliqua, Baptiſmum quoque adminiſtraret. Quibus cum interveniſſet *Alexander*, Epiſcopus Alexandriæ, ſedulo perquiſivit, qua ratione baptizaſſet: cumq; omnia rite peracta deprehendiſſet, haud pueros illos porro baptizandos eſſe cenſuit. Dehinc, *Alexander Epiſcopus, fato proximus*, Athanaſium nominavit ſucceſſorem, quam is electionem, etſi diu tergiverſatus, tandem approbavit, ſummaq; pie-

tate & fide, muneri illi præfuit. Merito, vitam ejus, ludo ſcenico comparare licet, ita modo aſpera, modo mitiora expertus eſt fata, ſemper Arianos inimicos habens. Ii, in Concilio, quod Tyri coactum fuerat, &, quod magna ex parte, illis faventes Epiſcopi conſtituebant, ſubornarunt *muliérculam*, quæ accuſaret Athanaſium, quod hoſpitio exceptus, ſtuprum ſibi per vim intuliſſet. Introductus igitur eſt Athanaſius, & una cum eo Timotheus presbyter; qui, ſimulans ſe eſſe Athanaſium, egone, inquiebat, mulier, apud te ſum diverſatus? egone te violavi? Cui illa petulanter: tu mihi vim intuliſti, idque jurejurando confirmans, Judicum fidem obteſtabatur, ut tantum flagitium non inultum relinquerent. Qua cognita fraude, rejecta eſt mulieris impudentia. Haud multo poſt, apud Conſtantinum M. falſo accuſatus Athanaſius, *Treviros*, in Galliam, exulatum ire debuit. Inde a Conſtantino morituro revocatus, & Alexandriam reverſus eſt. Mox, invaleſcente factione Arianorum, rurſus pellitur, Romamque ad *Julium Epiſcopum* fugit. Sed, intercedente *Conſtante*, Conſtantii fratre, priſtinam recipit dignitatem, quæ jam *Gregorio* cuidam collocata fuerat. Mortuo Conſtante, cum mitteretur a Conſtantio Dux *Sebaſtianus*, militum manu comitatus, ut Athanaſium trucidaret, miro modo liberatus eſt, punitis ſubita cæcitate militibus, qui ad eum necandum venerant. Dehinc a *Juliano* iterum pulſus, a *Joviano* reſtitutus eſt. Quo mortuo, *Valens* Imperator, in orthodoxos ſæviit, & Athanaſium ſede ſua movit. Quare iterum 4. menſes *in paterno monumento*

mento ei latendum erat. Quod, cum indigne fer-
ret populus Alexandrinus, nec motus ejus com-
primi aliter poſſet, toleravit Imperator, ut Atha-
naſius ad Eccleſiam rediret, quam ipſi deinde,
ad obitum usque, qui in A. C. 371. incidit, pla-
cide & quite regere fuit permiſſum. *Ex libris,*
quos ſcripſit Athanaſius. *IV. nunc Tomi* extant,
ſed, illorum vix ſemiſſis, viri Sancti genium &
ingenium redolet, cætera pleraque, vel ipſo
Eraſmo judice, ſunt ſuppoſititia. Juvabit et-
iam legiſſe, quæ Bellarminus, in libro de Scripto-
ribus Eccleſiaſticis obſervat. Sane, Neſtorianos
& Eutychianos, multos *Apollinarii libros*, Athana-
ſio ſubjeciſſe, etiam Evagrius teſtatur. Quod ad
Symbolum illud, cui Athanaſii nomen vulgo præfi-
gitur, attinet, de eo multa in Diſſert. de Symbolis
diſputat Gerhardus Johannes Voſſius, atque hunc
fœtum illi patri abjudicat. Rationes allegans, *tum*
quod veriſimile ſit, non ſcripturum fuiſſe Atha-
naſium novum Symbolum poſt Nicænum; tum,
quia nec in veteribus Codicibus, nec apud ipſum
Athanaſium, neque apud quenquam hujus ævi
Scriptorem extat, imo nec in vita Athanaſii
ejus injicitur mentio: & denique *quia Orientales*
illud haud admittunt. His rationibus ſubductis,
judicat Voſſius, eſſe id Symbolum, *vel Anaſtaſii,*
vel Euſebii Vercellenſis. Quicquid de ea re ſit,
illud tamen apud omnes in confeſſo eſt, magnam
hujus Symboli in Eccleſia ſemper fuiſſe autori-
tatem. Epiſcopatum annis 46. geſſit *S. Athana-*
ſius, quas literas conjungentes, qui cane pejus
ac angue eum oderunt, Photiniani, *Sathanaſium*

ipſum appellant. *Vitam Athanaſii*, Gregorius Theologus deſcripſit.

JULIUS MATERNUS FIRMICUS.

FRagmentum quoddam libelli; *Julii Firmici Materni, Viri Conſularis, de errore profanarum religionum, ad Conſtantium & Conſtantem Auguſtos*, in Tomo 4. Biblioth. SS. Patrum extat. Eſt is, ceu pleriſque Eruditis videtur, alius, a *Julio Materno Firmico, Aſtrologo*, cujus *VIII. libros habemus Matheſeon*: nam hic gentilis erat; ſynchroni tamen fuerunt. Quidam, eosdem faciunt.

LUCIFER CARALITANUS.

LVcifer, Epiſcopus Caralitanus, ſeu, ut vulgo plerique, etſi, doctiſſimo Voſſio lib. 1. de Vitiis Serm. c. 9. judice, nimis perperam enunciant, *Calaritanus*, Athanaſii æqualis, & tantopere zelo fidei catholicæ ardens fuit, ut a Patribus, etiam poſt Schiſma factum, & ſectam Luciferianam excitatam, nihilo ſecius timide, & dubitanter corripiatur. S. Hieron. in Dial. contra Luciferianos prope finem: *Ventum eſt*, inquit, *ad aſperrimum locum, in quo adverſum voluntatem & propoſitum meum, cogor de B. Lucifero ſecus quicquam, quam & illius meritum, & mea humanitas poſcit, æſtimare.* Sanctus tamen Auguſtinus, liberius errores Luciferi impugnat, tum in libro de hæreſibus, tum in libro de agone Chriſti c. 30. Extant Luciferi varia, quæ Joh. Tilius, Meldenſis Epiſcopus An. 1568. Pariſiis edidit. Caſaubonus, ad Spartianum, vocat Scriptorem ingenio & ſtylo durum.

VICTO-

VICTORINVS AFER.

C. Marius Victorinus, in Africa natus, Romæ Rhetoricen profeſſus eſt, ingeniique claritate ſtatuam in foro Trajani meruit. Ad fidem Chriſti in extrema ſenecta fuiſſe converſum Hieron. in Catal. ſcribit, ſimulque enarrat Opera, quæ de fide Chriſtiana edidit. Superſunt *Commentarii in libros Rhetoricorum Ciceronis*; item, *liber contra Arianos*, & *Commentarius in Epiſtolas S. Pauli*. Sed poſteriores, caute legere jubent Eruditi, eo quod majorem Oratoriæ, quam Sacrarum Literarum, notitiam prodant.

S. HILARIVS.

S. Hilarius, Pictavium, Galliæ urbem, habuit Patriam, & juvenis, gentiles Philoſophos ſectatus eſt. Ætate provectior in libros Moſis & Prophetarum incidens, ad Chriſtianiſmum animum transtulit, &, defuncto patriæ Epiſcopo, magno omnium bonorum conſenſu, eidem ſurrogatus eſt. Maximum illi certamen fuit cum Arianis, qui tandem obtinuerunt, ut, edicto Imperatorio, in exilium pelleretur, in quo tamen mirificam piorum in ſe benevolentiam & ſtudium eſt expertus. Scripſit in hoc exilio *libros XII. de Trinitate*, adverſus Arianos & alios hæreticos, eosque Conſtantio Imperatori cum obtuliſſet, veniam in patriam redeundi ab illo impetravit. Reperit vero Eccleſiæ ſuæ ſtatum miſerum, & vehementer ab Arianis turbatum, quare ad eum emendandum, nullis pepercit ſudoribus. Monent Theologi, *eſſe in ſcriptis Hilarii quædam duriora*,

riora, inter quæ eminet illud, quod l. 10. de Trinit. in Chriſto, cum pateretur, nullum fuiſſe ſenſum doloris, aſſeruit. Mortuus eſt Pictavii A. 369. S. Hieronymus, Hilarium, Romani ſermonis tubam, latinæque eloquentiæ Rhodanum appellat.

OPTATVS MILEVITANVS.

OPtatus, Milevi, Numidiæ urbe, Epiſcopatu functus eſt. Scripſit ſub Valentiniano & Valente Principibus, adverſus *Parmenianum Donatiſtam; libros VI.* ut refert Hieron. in Catal. quare *ſeptimus qui nunc additur*, habetur pro ſuppoſititio.

CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS.

S. Cyrillus, Conſtantio imperante, Hieroſolymæ Epiſcopus factus, ſæpe loco motus, & eidem poſtliminio reſtitutus, tandem, ſub Theodoſio, diem clauſit ſupremum. Scripſit in adoleſcentia *Catecheſes*, quæ nunc Latinè & Græce exſtant; ſed Rivetus opinatur eſſe interpolatas.

APOLLINARIVS.

APollinarium, ſive, ut alii enunciant, *Apollinarem*, Laodicenum Epiſcopum, S. Hieronymus ep. 72. nimis promtum fuiſſe ait ad ſcribendum, & mundum totum ſuis repleviſſe libris, parum conſiderate ſcriptis. Floruit ſub Valentiniano & Valente Imperatoribus, & inter cætera ſcripſit *XXX. libros adverſus Porphyrium.* Nihil ejus ad hanc ſeram ætatem pervenit, præter *Davidis Pſalmos, quos Heroico carmine expreſſit.*

EPHRÆM

Ephræm Syrus.

Ephræm, ſeu, ut alii ſcribunt, *Ephraim*, Syrus, Edeſenæ Eccleſiæ fuit Diaconus, & ſub Conſtantino natus, vitam ad Valentis usque tempora prorogavit. *Multa, Syro ſermone compoſuit*, tantæ apud veteres æſtimationis, ut in quibusdam Eccleſiis, publice poſt *Scripturarum lectionem*, recitarentur. Sed interciderunt nihilominus pleraque: quæ enim nunc Ephræmi nomine Græce extant, ſunt illo indigna.

Basilius Magnus.

Baſilius, Nyſſæ, Cappadociæ oppido, natus, primum ibi Ludimagiſter, poſtea Presbyter, & tandem mortuo Euſebio, *Cæſarienſis*, in Cappadocia, Epiſcopus factus eſt. Juvenis, *Athenis operam* literis dedit, ibique in *Nazianzenum incidit*, quem, propter morum & ſtudiorum affinitatem, ſic complexus eſt, ut una mens unusque animus utrique fuerit. Narrat Nazianzenus, in Oratione de Baſilio, receptum fuiſſe conſuetudine Athenis, ut qui ſtudiorum gratia illuc veniſſent, a turba reliquorum ſcholaſticorum, verbis factisque nonnihil laceſſerentur, deinde in balneum, cujus fores fanatico clamore pulſabantur, deducti, ſic denique in gregem a cæteris reciperentur. Verum eam præbuiſſe opinionem de ſe eruditionis & gravitatis Baſilium, ut ſolus fere ex omnibus, ab hac communi lege fuerit exceptus, nec quicquam gravius in eum ſtatutum ſit. Cæſareæ Epiſcopum factum, *Valens* Imperator, qui Arianis favebat, in exilium pellere inſtituit.

ſtituit. Sed, quod eſt in Breviario Romano, ſella ejus, in qua facturus decretum, ſedere volebat, confracta eſt; &, tribus ab eo calamis adhibitis, ad ſcribendam exilii legem, nullus eorum reddidit atramentum, & cum nihilominus in propoſito ſcribendi perſiſteret, ipſius dextra, diſſolutis nervis, tota contremuit. Vxor quoque Valentis, ſummis cruciata eſt doloribus, & filius unicus, in gravem morbum incidit. Quibus Valens perterritus, Baſilium accerſivit, quo præſente, puer cœpit convaleſcere: verum, vocatis a Valente, ad viſendum puerum, hæreticis, is paulo poſt deceſſit.

Obiit Baſilius A. 387. & tanto funere a Cæſareenſibus elatus eſt, ut, in illo hominum concurſu, multi fuerint ſuffocati. *Opera Baſilii* præclara ſunt, *& in IV. Tomos digeſta*, qui tamen quædam ſpuria videntur continere. Opus *Hexaëmeron* dictum, usque adeo admirandæ dictionis cura, & orationis majeſtate elaboravit Baſilius, ut Gregorius Nazianzenus non immerito dixerit, tantum Baſilii orationem omnes hominum ſermones antecedere, quantum divina vox humanas. De *Libero arbitrio*, *& Originis peccato*, duriores ejus locutiones, jam Auguſtinus in libris adverſus Julianum mitigavit. Quibusdam, *Monachiſmum*, nimiis laudibus extollere videtur.

GREGORIUS NAZIANZENUS.

GRegorius Nazianzenus, cui ob autoritatem id tributum, ut primus poſt Johannem Evangeliſtam *Theologi* cognomen tulerit, Nazianzum, Cappadociæ oppidum, habuit patriam, patrem

vero

vero Gregorium, Nazianzenæ Eccleſiæ Epiſcopum, matrem *Nonnam*; fœminam piiſſimam, a quibus ab ineunte ætate, literarum ſtudiis mancipatus eſt. Delectabatur præcipue Eloquentia; &, ad eam parandam, Cæſaream primum, deinde Alexandriam, poſtremo Athenas ſe contulit, ibique Baſilio uſus eſt amiciſſimo. Anno ætatis demum 20. baptiſmate initiatus fuit, cumque, hortatu patris, ſacerdotio aliquandiu functus eſſet, ad *Baſilium*, vitam aſceticam in Ponto agentem, profectus eſt. *Sub perſecutione Juliani Apoſtatæ*, cum Scholarum Philoſophicarum acceſſu Chriſtianorum liberi prohiberentur, hiſtorias ſacras, & alia pia argumenta, *carminibus Græcis* complexus eſt, & pueris illa ediſcenda propoſuit. Adjuvit Gregorius patrem ſenem in regenda Nazianzena Eccleſia; poſt cujus obitum, *Epiſcopus* fuit electus; quo tamen munere ipſe deinde ſe abdicavit, privatam vitam agere magis expetens. Obiit imperante Theodoſio; & *Orationes*, *Epiſtolas*, ac *Carmina* nobis reliquit, in quibus Sapientia, Eloquentiæ egregie copulata deprehenditur. Fertur in Eccleſia tanta autoritate fuiſſe, ut quicunque teſtimonio ejus refragaretur, ſtatim in hæreſeos ſuſpicionem incideret.

EPIPHANIUS.

EPiphanii patria, fuit Beſanduce, ignobilis Palæſtinæ pagus; eumque Monachi Ægyptii pietate & bonis literis ſedulo imbuerunt; ita ut præter Philoſophiæ ſtudia, quinque Linguarum quoque, Hebrææ nimirum, Græcæ, Syriacæ, Ægyptiacæ ac Latinæ, habuerit notitiam, eam ob cau-

ſam

ſam Πεντάγλωσσος a S. Hieronymo dictus. Ex Ægypto in Palæſtinam redux, Monaſticam aliquandiu vitam profeſſus eſt, ſed poſtea urbis *Salaminæ* in Cypro, Epiſcopatum adminiſtravit. Extant hodie *Opera ipſius duobus Tomis* comprehenſa, inter quæ eminent, *Opus Panarium*, adverſus 80. hæreſes ſcriptum, quod æque Hiſtoricum eſt, ac Theologicum; itemque *Ancoratus*, ita dictus, quod uti anchoræ naves fluctuantes in mari firmant, ita iſte liber, hominis Chriſtiani fidem ſtabilire debeat.

AMBROSIUS.

DE Ambroſii patria, non convenit inter Scriptores, quidam enim Trevirenſem, Arelatenſem alii ipſum faciunt. Patrem tamen Galliæ Præfectum fuiſſe conſtat, etſi & de ejus nomine lis eſt. In cunis dormientis pueri os, *apes* frequentes viſæ ſunt ambire, felici, futuræ ejus doctrinæ ac eloquentiæ, auſpicio. Cum adoleſcens Romæ literis operam navaſſet, cauſarum primo Patronum egit; deinde Liguriæ præfectus conſtitutus eſt. Cum vero mortuo Mediolani *Auxentio* Epiſcopo, eo ſe contuliſſet ex muneris ratione, ut motus & diſſidia, quæ inter orthodoxos & Arianos, ſucceſſorem deſignaturos, oriebantur, compeſceret, ipſe, communi omnium ſuffragatione, Epiſcopus fuit electus. Etſi vero vehementer reſtitit Ambroſius, cauſam prætendens, quod nec baptizatus adhuc, nec divinis literis ſatis eruditus eſſet, tamen, Imperatore & Synodo electionem approbantibus, paruit, &, poſt ſuſceptum baptiſma, Mediolanenſi Eccle-

ſiæ præeſſe cœpit, eamque rexit ſemper fideliſſi-
me. Vnde &, cum ab Imperatore *Valentiniano ju-
niore*, quem mater *Juſtina* Arianiſmo infecerat, tem-
plo exire, & Arianis locum dare juſſus eſſet, ma-
gno animo ſe oppoſuit. Nec minus ſupra in vi-
ta Theodoſii Imperatoris mentionem fecimus, quo
fervore hujus peccata Ambroſius corripuerit. A-
junt *tria hæc Ambroſium in omni vita ſedulo* obſer-
vaſſe, primo ut nemini uxorem quæreret; deinde,
ut nulli militiam ſuaderet; & denique, ut ad convi-
vium invitatus, non accederet. Mortuus eſt Am-
broſius anno ætatis 64. cum per 22. Eccleſiæ ſuæ
præfuiſſet. *Opera ejus in VI. Tomos* diſtributa poſ-
ſidemus, in quibus tamen quædam dubiæ autori-
tatis deprehenduntur.

GREGORIVS NYSSENVS.

GRegorius Nyſſenus, Baſilii M. frater, ex
Rhethorices Profeſſore, Nyſſæ, Cappadociæ
urbis, Epiſcopus factus eſt, eumque Græci, *Patrem
Patrum*, honoris cauſa appellarunt. Interfuit
A. 378. *Concilio Antiocheno*, in quo, cum aliis
præclarioris nominis Epiſcopis, viſitationem &
emendationem Eccleſiarum Orientalium, juſſu
Patrum, ſuſcepit. Poſtea, in *Concilio Conſtanti-
nopolitano Oecumenico*, quod An. 381. habitum,
ſcripſit Symbolum, additumque fuit Symbolo Ni-
cæno, poſt verba, *Et in Spiritum Sanctum:* nunc por-
ro: *Dominum & vivificatorem, ex Patre proceden-
tem, cum Patre & filio coadorandum, & conglori-
ficandum, qui locutus eſt per Prophetas. Opera
Gregorii Nyſſeni*, quæ extant, ſive Græce, ſive
quorum originalis textus non ſuperat, Latine
tan-

tantum, edidit Pariſiis Fronto Ducæus Jeſuita; ſed non omnia ejusdem ſunt certitudinis. Sixtus Senenſis autor eſt, Gregorii Nyſſeni *Commentarios in Pſalmos*, in Vaticana Bibliotheca aſſervari.

DIDYMVS ALEXANDRINVS.

Didymus, Alexandriæ natus; vix quinque agens annos, *viſum amiſit*, ſed nihilominus auſcultando prælegentes, non ſolum Theologiæ & Philoſophiæ ſapientiam, verum & Mathematicas artes, quæ imprimis oculos exigere videntur, ad miraculum addidicit. Supereſt *Commentarius ejus de Spiritu S.* quem Hieronymus latinitate donavit; ſuisque operibus inſeruit: itemque *liber contra Manichæos* in To. 5. antiq. lect. apud Caniſium. Reprehenditur in Didymo, *quod Origenis erroribus patrocinatus eſt.*

HIERONYMVS.

S. Hieronymus Euſebii filius, Stridonem, quod in confinio Dalmatiæ & Pannoniæ oppidum fuit, nactus eſt patriam. Juvenis, Romæ *Donatum* audivit; ac more Scholaſtico declamavit. Poſtmodum, ut *Gregorium Nazianzenum* audiret, Conſtantinopolim, ut Didymum cæcum videret, Alexandriam profectus eſt. Hieroſolymis, *Judæo Barrabane*, præceptore nocturno uſus; linguam Hebræam ita excoluit, ut nemo Patrum, in hoc eruditionis genere, ei comparari queat. Rogatu Damaſi Epiſcopi Romani Romam abiit; ibique talem ſe præbuit, ut ab omnibus Romano Epiſcopatu dignus judicaretur. Mortuo vero Damaſo, ob quorundam Clericorum invidiam & obtre-

obtrectationes, Roma diſceſſit, in Palæſtinam commigrans. Ibi in agri Bethlehemitici quodam Monaſterio, quod *Paula*, Romana fœmina, ei excitaverat, *Biblia ſacra interpretari cœpit, primusq; omnium Chriſtianorum, Scripturæ Divinæ, latinam interpretationem ex Hebræo dedit.* Mortuus eſt Hieronymus, admodum ſenex, Bethlehemi, A. C. 420. ibidemque fuit ſepultus; multos libros, *quos in IX. Tomos* Editores digeſſerunt, Eccleſiæ Chriſtianæ relinquens. *Damaſus Pontifex*, & *S. Auguſtinus*, quod Breviarium Romanum agnoſcit, ſæpe Hieronymum de locis Scripturæ difficillimis conſuluerunt.

RVFINVS.

RVfinus, Presbyter Aquilejenſis, S. Hieronymi primo amiciſſimus, deinde & æmulus, quoniam Græce & Latine doctus erat, *Græcorum ſcripta in Latinum ſermonem tranſtulit.* Sic *Origenis librum* περὶ ἀρχῶν, *Flavium Joſephum*, *Clementis Romani Recognitiones*, itemq; *Euſebii Hiſtoriam Eccleſiaſticam convertit. Euſebio duos libros de ſuo adjecit. Scripſit etiam Explicationem Symboli Apoſtolici; duas invectivas in Hieronymum*, & alia.

AVSONIVS POETA.

AVſonius, Burdegalenſis, Gratiani Imperatoris Magiſter, a Diſcipulo ad Conſulatum evectus eſt. Scripſit multa profana: ac *Moſellam* ejus ita prædicant nonnulli, ut illam dignam putent, quæ libris Maronis adjungatur. Extat quoq; ſub ipſius nomine *Carmen egregium de Reſurrectione Dominica*, ex quo Chriſtianus fuiſſe intelligitur, unde & Bellarminus Scriptoribus Eccleſiaſticis eum

accenſet. Quidam tamen, inter quos Voſſius, carmen illud habent pro ſuppoſititio.

AVRELIVS PRVDENTIVS.

PRudentius, Cæſarauguſtæ, in Aragonia natus, Poëtarum Chriſtianorum facile princeps, floruit ſub Theodoſio ſeniore, ejusque filiis, *cujus multa extant divina carmina*. Obſervatum eſt, *illum peccare interdum adverſus leges de ſyllabarum quantitate*, præſertim in Græcis dictionibus. Adoleſcentiam, & juventutem, incontinenter ſibi actam, fatetur ipſe, & dolet.

JOHANNES CHRYSOSTOMVS.

JOhannes Chryſoſtomus, Antiochiæ, ex familia nobili natus, Rhetoricen a *Libanio*, Philoſophiam ab *Andragathio* didicit. Primum *cauſas oravit in foro*, poſtea totum divinis ſe ſtudiis tradens, initio, Lector Antiochenæ Eccleſiæ, poſtea Presbyter, ac tandem, defuncto *Nectario*, Epiſcopus Conſtantinopolitanus factus eſt. Propter admirandam eloquentiam cognomen illud *Chryſoſtomus*, ſive *Aureum os* tulit: atq; lactea illa ſermonis ubertas, ſatis adhuc in ſcriptis ejus, quæ in *V. Tomis* habemus, deprehenditur. Multas calamitates, & perſecutiones, incomparabilis hic Doctor, non ab *Eudoxia* tantum Auguſta, Arcadii conjuge, ſed & ipſis Eccleſiaſticis pertulit. Scilicet, invenerat Eccleſiam Conſtantinopolitanam ſcandalis Clericorum, Aulam paganicis moribus, civitatem hæreſibus infectam, itaque zelo reformationis multos ſibi inimicos conciliavit, præcipue, quod Presbyteris virgines, quas domi habere, & *Agapetas*, quaſi *religioſo amore dilectas*, vocare

vocare conſueverant, ademit. Eudoxiam adverſus ſe irritavit, quia, ad argenteam ejus ſtatuam, in foro ludos fieri prohibuit, quodque ejus mores, pro concione ſæpe reprehendit.

Nec minus ſevere corripiebat *Eutropium*, Aulæ Arcadii ſupremum Præfectum, & *Gainam*, Arſiani-exercitus Ducem. Hi ergo cum inſenſi eſſent Chryſoſtomo, atque ſuis quoque partibus adhærentem haberent *Theophilum* Alexandrinum Epiſcopum, itemque Epiſcopos alios, quos ſuis ſumtibus Conſtantinopoli Eudoxia, tantum ut Chryſoſtomo incommodarent, ſuſtentabat, ſemel atque iterum loco motus fuit Chryſoſtomus, ſed ob deprecationes plebis reſtitutus. Tandem, cum concioni aliquando initium feciſſet, verbis ex 1. Reg. XVIII. deſumtis: *Congregate ad me Sacerdotes dedecoris, qui comedunt menſam Jezabel:* id de ſe interpretata Auguſta, deponi eum fecit in Concilio Epiſcoporum. Quamobrem in exilium actus, in hoc, ærumnis confectus, diem obiit ſupremum. Legitur de illius morte in Breviario Romano, ipſi, cum per Armeniam, à militibus qui eum cuſtodiebant, duceretur, apparuiſſe per quietem S. Baſiliſcum Martyrem, in cujus templo antea oraverat, atque ſic illum affatum eſſe: *Johannes frater, craſtinus dies nos loco conjunget.* Quare Chryſoſtomum, cum evigilaſſet, ſumſiſſe Euchariſtiæ Sacramentum, ſeque crucis ſigno muniviſſe, atque ſic reddidiſſe Deo animam: illa vero die Conſtantinopoli horribilem grandinem cecidiſſe, ac quatriduo poſt, Eudoxiam fato functam eſſe.

VLPHILAS.

VLphilas, Gothus, Valentis tempore claruit. Is primus *Gothorum literas adinvenit*, primusque, *ſacras literas, e Græco, in Gothicum ſermonem tranſtulit*. Videndus Sozomenus lib. 6. Hiſt. Eccl. c. 36. Philoſtorgius, *Vrphilam* eum vocat, & ſub Conſtantino M. collocat. Refert inſuper, ipſum cum cæteros Scripturæ ſacræ libros, in Gothicam linguam vertiſſet, *non tamen vertiſſe libros Regum*; quod Gothica gens ad bella prona eſſet, frænoque magis, quam incentivo, ad bella (quod libri Regum præbere queant) opus haberet. Quidam *Arianum factum*, Arianorum religionem inter Gothos diſſeminaſſe affirmant.

HÆRETICI.

ARIANI.

ARius, gente Afer, Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter, cum in ejus Vrbis Epiſcopatu *Alexandrum* ſibi antelatum videret, ambitione & invidia concitatus, hæreſin horribilem, qua, eſſe Chriſtum Dei filium, non ejusdem, ſed ſimilis tantum ſubſtantiæ cum Patre, & quidem creaturam ante primordia mundi factam, prodidit. Nullus error unquam magis, quam iſte, Eccleſiam afflixit, ſive magnitudinem incommodorum, ſive temporis diuturnitatem quis reſpiciat, & adeo totum fere Orientem & Occidentem eſt pervagatus, orthodoxam Eccleſiam velut diluvio quodam inundans. Sed, Autor ſectæ peſtiferæ, *ad diſputandum cum Alexandro Epiſcopo iturus*, cum

in

in via ventris dolore urgeretur, exonerandæ alvi cauſa cloacam ingreſſus, vitam cum inteſtinis effudit.

DONATISTÆ.

DOnatus, & ipſe Afer, Ario cætera quoq; ſimilem ſe præſtitit, & in Carthaginienſi Epiſcopatu *Cæcilianum* ſibi prælatum dolens, ab Eccleſiæ ſe communione ſegregavit, tria imprimis peſſima diſſeminans dogmata. Quorum *primum erat*, eam demum veram reputandam eſſe Eccleſiam, quæ omni macula & peccato careat, ac Angelicam puritatem imitetur; atque talem omnino ſuam exiſtere. *Deinde* Sacramentorum vim & efficaciam, ex miniſtri illa præbentis dignitate & ſanctitate, metiebatur, ab orthodoxis baptizatos, iterum baptizans, cauſando, a pollutis initiatos, Spiritum S. accipere non potuiſſe. *Deniq;*, Patre, Filium, & hoc, Spiritum Sanctum, minores eſſe fuit commentus.

EVNOMIANI.

EVnomius, Arii diſcipulus, & Dialecticæ artis peritiſſimus, magiſtrum ſequendo, perſonas *Divinitatis ſtatuebat inæquales, ac Baptiſmum una tantum merſione* peragendum eſſe contendit. Hunc quatuor Orationibus confutavit Baſilius.

MACEDONIANI.

MAcedonius, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, præter reliquos, quos tuebatur, Arianorum errores, imprimis *Deitatem Spiritus S. ſummo ſtudio oppugnavit*, docens, Spiritum S. non eſſe hypoſtaſin, ſed vim creatam, Dei potentia initio

productam, quæ, diviſione eſſentiæ, in omnes creaturas ſit diffuſa, & interveniat creaturarum compoſitioni. Ejus ſectatores, dicti quoque ſunt *Pneumatomachi*.

PRISCILLIANISTÆ.

PRiſcillianus, Abilæ, civitatis Hiſpaniæ, Epiſcopus, ex errore Gnoſticorum & Manichæorum permixtum dogma compoſuit, & magiæ fuit ſuſpectus. Ejus præcipui errores ſunt: *Animam ante infuſionem in corpus peccaſſe; carnibus veſci nefas eſſe; tres Divinitatis Perſonas ſolis nominibus differre; Diabolum ſua natura malum eſſe: omnia fatali aſtrorum regi influxu.*

PHOTINIANI.

PHotinus, Syrmii Epiſcopus, in eo cum Arianis convenit, quod juxta cum illis *Divinitatem Chriſti impugnabat*, ſed hactenus ab iis rurſus diverſus, quod eum, ante conceptionem in utero B. Mariæ virginis factam, extitiſſe pernegaret.

ANTHROPOMORPHITÆ.

ANthropomorphitæ, nimis craſſo, & ridiculo errore, Deum membra corporea habere fabulabantur, abutentes, dogmati huic defendendo, illis Scripturæ locis, quibus Deo brachia, pedes, oculi, artusq; alii tribuuntur; quodq; eadem Scriptura dicat, homines ad imaginem Dei conditos eſſe.

HELVIDIANI.

HElvidius, B. Mariam Virginem, poſt editum Chriſtum Servatorem, virginem permanſiſſe

ſiſſe negavit, eo quod Chriſtum Scriptura primogenitum vocet, quodq; ejus quosdam fratres memoret.

COLLYRIDIANI.

COllyridiani, ita dicti ſunt, quod ſtatis quibusdam diebus, B. Virgini Mariæ, *collyridem*, ſive, tortilis placentæ genus, offerrent, atque ſic Deam facerent.

LVCIFERIANI.

LVcifer, Caralitanus Epiſcopus, mundum hunc univerſum Diaboli opus eſſe, animasq; humanas, carnis eſſe ſubſtantiam, & carnali modo propagari delirabat. Clericos lapſos, in Eccleſiam, etſi pœnitentes, recipiendos eſſe negavit, laicis tamen præbens ſe benigniorem.

JOVINIANI.

JOviniani, Romæ Vrbis monachi, ineptiæ fuerunt, B. Virginem Mariam in partu virginem eſſe deſiiſſe, atque poſtea a Joſepho fuiſſe cognitam; eſſe omnia peccata æqualia, ac manere olim omnes æqualem mercedem: Baptiſmate regeneratos, nec peccare amplius, nec acceptam gratiam unquam poſſe amittere.

APOLLINARISTÆ.

APollinares, pater & filius, Apollinariſtis nomen dederunt, quorum hæreſis fuit, Chriſtum aſſumſiſſe corpus anima rationali deſtitutum, ejusque vicem Deitatem ſuppleviſſe; male intelligentes illud Johannis Evangeliſtæ: *Verbum caro factum eſt.*

SCRIPTORES PROFANI.

JAMBLICHUS.

JAmblichus, in Chalcide, Syriæ urbe, natus, Philoſophus fuit Pythagoricus, Porphyrii diſcipulus, floruitq; ſub Conſtantino, cujus vitam Eunapius recenſuit. Extat ejus *liber de vita Pythagoræ*, integer; Fragmenta vero aliorum librorum, multa apud Suidam ſuperſunt.

MAXIMUS.

MAximus, Juliani Præceptor, profeſſione Philoſophus, ſcripſit, & Juliano dicavit, *Commentarium in Ariſtotelem.* Hunc *Julianus*, jam Imperator, tantopere coluit, ut ei obviam procederet, illumque cenſorem operum ſuorum conſtitueret. Poſt Julianum, & apud *Jovianum* in honore fuit, ſed, a *Valente* promulgato edicto, ut Philoſophi magi ad pœnam raperentur, & ipſe Epheſi ſupplicium luit. Ab aliquibus tamen proditum eſt, Maximum, fidem Chriſtianam, quam deſeruerat, denuo admiſiſſe.

DONATUS.

DOnatus, Grammaticus doctiſſimus, B. Hieronymi præceptor fuit; ſcripſit *Commentarios in Terentium & Virgilium*, nec non *Artem Grammaticam*, quam etiamnum pueri diſcunt contractam.

THEMISTIUS.

THemiſtius, Philoſophus, Juliani floruit temporibus, a quo præfectus fuit Prætorio Conſtantinopoli, a facundia *Ephradas* cognominatus.

In

In *Ariſtotelis Phyſico & Analyticos libros, paraphraſin elucubratus eſt*, &, *Valentem* Imperatorem Arianum, in orthodoxos ſævientem, ſuis *Epiſtolis* reddidit mitiorem.

VEGETIVS.

FLavius Vegetius, Comes Conſtantinopolitanus, ſcripſit *de Re Militari libros quinq;*, eosq; dicavit *Valentiniano* Imperatori. Barthius Adv. lib. 2. c. 11. librum Vegetii, prout hodie habetur, tantum *compendium* eſſe exiſtimat grandioris voluminis: quia, in vetuſto Codice, Epitome expreſſe vocatur, & Priſcianus quoque ex Vegetiano opere nonnulla allegat, quæ nunc non comparent. Huic, *quatuor libros Mulomedicinæ*, quos Sambucus in lucem protulit, aliqui quoque acceptos ferunt, aliis diſſentientibus.

LIBANIVS.

LIbanius, Sophiſta, fuit natione Syrus, patria Antiochenus, vixit Juliani Imperatoris temporibus, &, non minus ac ille, Chriſtianæ religionis hoſtis fuit acerrimus. Hunc *Antiochiæ Rhetoricen profitentem*, Gregorius Nazianzenus, & Baſilius audiverunt. Scripſit *Lamentationem Juliani, & librum alium de Ira Imperatoris*: edidit & *Argumenta in omnes orationes Demoſthenis*, itemq; *Orationes duas de laudibus Juliani*, nec non, *Epiſtolas* CCCC.

AMMIANVS MARCELLINVS.

AMmianus Marcellinus, græcus miles, latine *Hiſtoriam Romanam* ſcribere aggreſſus eſt, ab

ab obitu Domitiani, ad Valentis Imperatoris, ſub quo vixit, interitum, e libris vero *XXXI. quibus* eam complexus fuerat, *XIII. priores nobis deſunt.* Vbi temporum ſuorum res geſtas, quæ libris qui extant, continentur, attingit, omnia diligentiſſime, atque optima fide perſequitur, ſed ſermone incomto, duro, & plane barbaro, ut ſæpe quid velit, aſſequi non liceat.

EVNAPIVS.

EVnapius, Sophiſta, Medicus ac Hiſtoricus inſignis, Valentiniani, Valentis, & Gratiani temporibus vixit, ſcripſitque *de Vitis Sophiſtarum* opus elegans & venuſtum, ſed in quo paſſim aperit, quantus Chriſtiani nominis fuerit hoſtis. Idem, *res geſtas Cæſarum*, inde, ubi Herodianus deſierat, orſus, easdem ad ſua usque tempora perduxit, ex quo opere, ſolum *de Legationibus fragmentum* lucem vidit, reliqua, ajunt ſupereſſe in Bibliotheca Veneta.

CLAVDIANVS.

CLaudianus, poëta, Alexandrinus, ſub Arcadio & Honorio Imperatoribus floruit, a quibus etiam ſtatuam in foro Trajani meruit; in cujus inſcriptione dictus *præglorioſiſſimus Poëtarum*. Scripſit *de Raptu Proſerpinæ libros IV.* quorum unus periit. Scripſit item *Panegyricos*, *Epigrammata*, *de Nuptiis Honorii*, *laudes Stiliconis*, *de Nilo fluvio*, *Sphæram Archimedis*, & alia. Carmen ejus non modo ſonorum, ac elegans, ſed & floridum eſt; ingenium felix, dictio candida. Quidam Chriſtianum factum affirmant, quod alii, Auguſtinum & Oroſium ſequuti, inficiantur.

SYM-

SYMMACHVS.

SYmmachus, Orator fuit Romanus, natus illuſtri loco, magnusq; gentiliſmi extitit propugnator, utpote quem luculentiſſima *Oratione, ad Theodoſium & Valentinianum* Imperatores, defendit, quæ Epiſtolis ejus inſeritur. Eidem vero ſe oppoſuerunt S. Ambroſius, & Aurelius Prudentius, atque Chriſtianam fidem adverſus illum aſſeruerunt. Cæterum, habemus quoque Symmachi *Epiſtolas familiares*, quæ, ob elegantiam concinnam, cum brevitate amabili, viris doctis in pretio ſunt.

MACROBIVS.

MAcrobius, ſcripſit in *Somnium Scipionis libros duos: & libros alios ſeptem Saturnaliorum*, varia eruditione refertos, *Gellii exemplo*, cujus fur dictus eſt, quod ex eo multa deſcripſit, ſuppreſſo tamen illius nomine. Eraſmus in Ciceroniano: *Macrobius, Æſopica cornicula, ex aliorum pannis, ſuos contexuit centones. Itaq; ſua lingua non loquitur, &, ſi quando loquitur, Græcum latine balbutire credas.*

SEXTVS AVRELIVS VICTOR.

SExto Aurelio Victori, vulgo tribuunt *librum de Origine gentis Romanæ, librum de Viris Illuſtribus*, item *de Imperatoribus Romanis a Cæſare ad Julianum.* Quidam tamen, ob ſtyli & dictionis diverſitatem, non credunt hæc ejusdem eſſe Autoris, ſed plures fuiſſe hujus nominis.

EVTRO-

EVTROPIVS.

FL. Eutropius, militavit ſub Juliano, librumq; ſuum, quo breviter omnem *hiſtoriam Romanam*, ab Vrbe condita, usque ad iſtius Principis mortem perſequitur, Valenti dedicavit. Stylus ejus, Voſſio judice, eſt parum concinnus, res tamen compendio ſatis commodo conſtrictæ ſunt. Hoc, ceu inſcribitur, *Breviarium*, primo a *Capitone Lycio*, deinde vero, a *Pæanio*, in Græcam linguam fuit converſum.

MEMORABILIA.

NOtare in hujus ſeculi rebus oportet *Concilia duo Generalia*, ſive Oecumenica, quæ iſta tempeſtate celebrata fuerunt.

Illorum prius eſt, NICÆNVM, in Bithyniæ urbe Nicæa, A. 325. a Conſtantino M. Imperatore, in cauſa Arii convocatum. Cum enim Arii hæreſis indies magis magisque ſerperet, &, ad eam cohibendam multa fruſtra tentata eſſent remedia, tandem, pio conſilio, Conſtantinus, omnium Eccleſiarum, per Aſiam, Africam, & Europam Epiſcopos, numero *CCCXVIII.* coëgit, quibus & ex laicis multi pii doctique intervenerunt. Ante cæteros eminebant *Euſtathius*, Epiſcopus Antiochenus, *Alexander* Epiſcopus Alexandrinus, *Macarius* Epiſcopus Hieroſolymitanus, *Oſius* Epiſcopus Cordubenſis, & *Paphnutius* civitatis cujusdam Epiſcopus in Thebaide ſuperiori, unus ex illis, quos Maximianus, dextris oculis effoſſis, & ſiniſtro poplite ſucciſo, damnaverat, quæ ipſius vulnera, Conſtantinum Imperatorem oſculari

ſoli-

ſolitum eſſe referunt. Inſtitutus eſt Conventus, in ipſo Palatio Imperatorio, ubi certus locus, gradibus & ſubſelliis diſtinctus, parabatur, ut utrinque Epiſcopi conſidere poſſent. *Imperator primus verba fecit*, omnesque, ad concordiæ ſtudium, & conſenſum in doctrina Jeſu Chriſti, ſimultatibus quibusque depoſitis, eſt hortatus. Cui, cum *Euſtathius*, omnium nomine reſpondiſſet, facta poteſtas eſt, quæ quisque haberet, de fide dicendi, ac reſpondendi. Duravit Diſputatio fere *triennium*, atque tandem, poſt longás, & acres contentiones, compoſitum eſt *Symbolum, quod Nicænum appellatur*, quo orthodoxa fides, de Chriſto vero Deo & Homine, aſſerta, Arii impium dogma exploſum eſt. Huc pertinent verba: *Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei unigenitum, ex patre natum ante omnia ſecula: Deum de Deo, & lumen de lumine, Deum verum, de Deo vero, genitum, non factum, conſubſtantialem Patri: per quem omnia facta ſunt.* Amplius, quia *Eccleſiæ aliæ, aliis diebus Paſchatis memoriam celebrabant*, decretum eſt in eodem Concilio, de feſto illo ſemper deinde per totum orbem Chriſtianum, die *Dominica proxima a plenilunio Judaici paſchatis celebrando.* Cumq; *de Sacerdotum quoq; Conjugio* in utramque partem diſceptatum eſſet, ejus contrahendi facultatem, *Paphnutius*, Sacerdotibus obtinuit.

Alterum Concilium Oecumenicum, quod CONSTANTINOPOLITANVM I. vocatur, An 381. *Theodoſius* Imperator indixit Conſtantinopoli, ob *Macedonium*, ejus urbis Epiſcopum, qui Spiritus S. divinitatem impugnabat. Convenerunt Epiſcopi ortho-

laboratum eſſet, tandem recedunt architecti, ſola thodoxi CL. quos inter præcipui erant, *Timotheus* Alexandrinus, *Cyrillus* Hieroſolymitanus, *Meletius* Antiochenus, *Gregorius* item Nazianzenus. Damnatus in hoc conventu eſt Macedonius, inſuper confirmata & declarata ſunt Nicænæ Synodi decreta, ejusq; Symbolo, de Spiritu S. additum: *Et in Spiritum S. Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem; cum Patre & filio coadorandum, & conglorificandum, qui locutus eſt per Prophetas.*

HELENAM, Conſtantini M. matrem, deſiderium cepit S. Crucis, in qua Dominus noſter pependit, perquirendæ: Hieroſolymam igitur petiit, & Judæum quendam minis ac pollicitationibus eo perduxit, ut locum ſibi oſtenderet ubi crux eſſet defoſſa. Erat is ruderibus plane obrutus, quem cum Helena repurgaſſet, reperit cruces tres, atque ex his unam literis I. N. R. I. notatam, quam exinde, illam ipſam eſſe, in qua Chriſtus pro genere humano ſupplicium luit, agnovit; idque amplius miraculo confirmatum eſt, nam illi admota fœmina defuncta, ſtatim revixit. Reperit quoque Helena Clavos tres, quibus manus pedesque Servatoris fuerant confixi: eorum unum fræno Conſtantini filii, alterum diademati ejus inſeruit; tertium in mare Adriaticum abjecit, ad illius undas tranquillandas, & impetuoſiſſimos æſtus compeſcendos.

IBERIA tota, Conſtantino M. imperante, mulierculæ unius Chriſtianæ opera, ad veram religionem fuit perducta. Erat ea captiva, atque quia parce & pudice vitam agebat, fuit apud incolas in pretio. Cæterum, obtinebat in

ea regione conſuetudo, ut infante aliquo ægrotante, mater illum circumferret, a vicinis opem ac remedium depoſcens. Accidit autem, ut quædam mater, cum diu fruſtra infantem circumtuliſſet, denique captivam adiret, ac ab illa medicinam flagitaret. Captiva, nihil morata, pollicetur ſe in nomine Dei ſui, Jeſu Chriſti, infantem ſanitati reddituram, idque poſt fuſas preces præſtitit. Ejus rei fama cum percrebuiſſet, ſic, ut ad Reginam, graviter decumbentem, quoq; pervaderet, vocavit illa captivam, & ſimiliter illius ope cum valetudine rediit in gratiam. Tum vero morem non tantum geſſit captivæ in colendo Deo Jeſu Chriſto, ſed & autor marito fuit, ut eundem Deum admitteret. Non difficilem ſe præbuit Rex, negotium tamen diſtulit. Contigit autem aliquando, ut cum in ſylvam denſam ac horridam venatum ille exiviſſet, ſubito coorta tempeſtate, Sol ex oculis hominum eriperetur, tantæq; tenebræ ſuccederent, ut nec Rex quenquam videret, nec ipſum alii contuerentur. Ibi Rex in ancipiti diſcrimine conſtitutus, ſuaſionis uxoris memor, pollicetur ſe Chriſtianum futurum, ſi Chriſtus ſibi auxilio eſſe queat. Vix iſta ſecum ſtatuerat, & ſtatim Sol orbi redditus eſt, aëre ſudo. Quamobrem, domum reverſus, Chriſtum Deum profitetur, eique, hortatu captivæ, templum condere occipit. Jam muri erant perfecti, atque architecti in eo ſe fatigabant, ut columnas e ſolido lapide exciſas, collocarent. Circa primam autem & ſecundam facile proceſſit negotium, ſed tertia, nullis machinis nulliſque viribus erigi poterat. Cum igitur ad noctem usq; in vanum labo-

ibi remanente captiva in precibus. Poſtridie rediens populus videt columnam illam in aëre ſuſpenſam, unde hoc miraculo attonitus, Chriſti fidem & ipſe amplexus eſt, atque tum columna in locum debitum ſe demiſit.

Licinio Imperatore, & *Agricolao* Præſide, ad Sebaſten, Armeniæ urbem, XL. militum fides in Jeſum Chriſtum, & fortitudo in cruciatibus perferendis, enituit. Ii, cum ſæpius vinculis conſtricti, in horribilem carcerem detruſi eſſent, & ora lapidibus contuſa haberent, denique, hyemis tempore frigidiſſimo, nudi, ſub aperto aëre, ſupra ſtagnum glacie conſtrictum, pernoctare juſſi ſunt, ut, frigore congelati, necarentur. Vna autem erat omnium oratio: *Quadraginta in ſtadium ingreſſi ſumus, ſic pariter, Domine, quadraginta coronis donemur, & ne una quidem deficiat. Eſt in honore hic numerus, quem tu XL. dierum jejunio decoraſti: per quem divina lex ingreſſa eſt in orbem terrarum: Elias XL. dierum jejunio te quærens, tuam viſionem conſecutus eſt.* Et hæc quidem illorum erat oratio. Cæteris autem cuſtodibus ſomno deditis, ſolus vigilabat janitor, qui, & illos orantes audiebat, & luce circumfuſos, ac quoſdam e cœlo deſcendentes Angelos XXXIX. coronas inter ipſos diſtribuentes, cernebat. Sic ergo ſecum loquebatur: *Quadraginta hi ſunt: ubi eſt ergo quadrageſimi corona?* Quæ, dum cogitat, unus ex illo numero, cui patientia ad frigus ferendum non ſufficiebat, in proximum tepefactum balneum ſe conjiciens, ſocios deſertos ſummo dolore afficit. Cæterum Deus, illorum preces non ſivit eſſe irritas. Mox enim

jani-

janitor, excitat cuſtodes, exuit ſe veſtibus, Chri-
ſtianum ſe eſſe profitetur, ſeque martyribus ad-
jungit. Tum ergo ſatellites omnium crura fu-
ſtium crebris ictibus comminuunt. In iis tormen-
tis, mortui ſunt univerſi, præter *Melitonem* natu
minimum. Eum, cum præſens mater ejus, fra-
ctis cruribus adhuc viventem vidiſſet, ſic cohor-
tata eſt: *Fili, pauliſper ſuſtine: ecce Chriſtus ad ja-
nuam ſtat, adjuvans te.* Cum vero reliquorum
corpora plauſtris imponi cerneret pia fœmina,
ut in rogum inferrentur, ac filium ſuum relin-
qui, quod ſperaret impia turba, ſi vixiſſet, ad
idolorum cultum permoveri poſſe, ipſa, filio in
humeros ſublato, vehicula Martyrum, corpori-
bus onuſta, ſtrenue perſequitur. In ejus am-
plexu, cum Meliton ſpiritum Deo reddidiſſet,
filius corpus, in eundem illum cæterorum Mar-
tyrum rogum Mater ſanctiſſima injecit. Com-
buſtis omnibus, illorum reliquiæ projectæ in pro-
fluentem, cum mirabiliter in unum confluxiſſent
locum, ſalvæ & integræ repertæ, honorifico
ſepulchro fuere conditæ.

BIBIANA, virgo Romana nobilis, cujus pa-
ter *Flavianus*, ſub *Juliano* Cæſare Expræfectus
Romæ, & mater *Dafroſa*, ſoror item *Demetria*,
martyrium jam ſubierant, tradita fuit *Rufinæ*, fœ-
minæ vaferrimæ, ſeducenda, quæ illam, præter
doloſa verba, quotidie verberibus affligebat, ut
a Chriſtiana fide abſtraheret. Cum vero fruſtra
eſſet, Prætor, accenſus ira, Bibianam a lictoribus
denudari, vinctiſque manibus columnæ alligari,
eamque plumbatis cædi jubet, donec efflaret
animam. Cujus ſacrum corpus, objectum cani-

bus, biduo illæſum jacuit in foro Tauri. Id, *Johannes Presbyter* noctu ſepelivit, in loco, ubi etjamnum extat templum, memoriæ S. Bibianæ dicatum.

JOHANNEM & PAVLVM, fratres Romanos, qui facultatibus, a *Conſtantia*, Conſtantini filia, cui pie fideliterque ſerviverant, ſibi relictis, Chriſti pauperes alebant, *Julianus* apoſtata in numerum familiarium adſciſcere volebat. Illi vero, libere negaverunt, ſe apud eum eſſe velle, qui a Jeſu Chriſto defeciſſet. At Julianus, decem dies illis præfinit, poſt quos, niſi Jovi ſacrificent, certum ipſos manſurum ſit exitium. Die decima, *Terentianus*, Prætoriæ cohortis Præfectus, ad eos miſſus, Jovis effigiem affert, illamque venerari jubet. Quod cum facere recuſarent, Terentianus veritus, ne ſi publice interficerentur, populus commoveretur, illis domi, ubi tunc erant, abſcindere capita, eosque ſecreto ſepeliri curat, rumoremque ſpargit, ipſos in exilium ejectos eſſe. At vero, illorum mors, a ſpiritibus immundis, qui multorum corpora vexabant, evulgata eſt, in quibus & ipſe Terentiani filius erat, ſed, qui ad ſepulchrum Martyrum perductus, liberatus fuit. Quo miraculo, & ipſe, & pater ejus commoti, in Chriſtum crediderunt.

MARTINVS, Sabariæ in Pannonia natus, cum decimum attigiſſet annum, invitis parentibus ad Eccleſiam confugiens, in *catechumenorum* numerum adſcribi voluit. Quindecim annos natus, in militiam profectus, primum in *Conſtantii*, deinde *Juliani* exercitu militavit. Qui, cum nihil haberet, præ-

præter arma & veſtimentum quo tegebatur, *Ambiani*, pauperi ac nudo, ab eo petenti, ut in Chriſti nomine eleemoſynam ſibi daret, partem chlamydis dedit. Sequenti nocte, Chriſtus dimidiata illa veſte apparuit, hanc emittens vocem: *Martinus catechumenus, hac me veſte contexit.* Decimum octavum annum cum ageret, baptizatus eſt. Quare relicta militari vita, ad *Hilarium*, Pictavienſem Epiſcopum, ſe contulit, a quo in *Acoluthorum* numerum redactus eſt. Poſt, factus *Epiſcopus Turonenſis*, monaſterium ædificavit, ubi cum 80. Monachis, ſanctiſſime aliquandiu vixit, atque miraculis innumeris inclaruit. Natus annos 81. animam Deo reddidit, quam, Angelorum chorus excepit, eosque divinas canentes laudes, multi, imprimis vero *S. Severinus*, Colonienſis Epiſcopus, audiverunt. Vitam Martini deſcripſit *Sulpitius Severus.* Tanti vero olim habitus fuit in Gallia, ut *galeam* ejus, qua olim miles in bello uſus erat, militiæ tempore, loco vexilli geſtarent, annosque ſuos ab obitu ejus numerarent. Obiit autem A. C. 400.

Cum Liberius Pontifex, Eccleſiæ Romanæ præeſſet; JOHANNES PATRITIVS ROMANVS, & VXOR EIVS, cum liberos non ſuſcepiſſent, quos bonorum heredes relinquerent, ſuas facultates, ſanctiſſimæ Virgini, Dei matri devoverunt, ab ea ſummis precibus aſſidue petentes, ut in quod pium opus eam pecuniam potiſſimum erogari vellet, aliquo modo ſignificaret. Quorum preces Diva Virgo benigne audiens, voluntatem miraculo declaravit. *Nonis igitur Auguſti*, quo tempore in Vrbe Roma maximi calores eſſe ſolent

lent, *noctu nix partem collis Esquilini contexit.* Ea nocte, Dei Mater, ſeparatim Johannem, & Conjugem, in ſomnis admonuit, ut quem locum nive conſperſum viderent, in eo Eccleſiam ædificarent, quæ ſuo nomine dedicaretur; ſe enim ita velle ab iis heredem inſtitui. Rem hanc Johannes ad Liberium Pontificem detulit, qui idem ſibi per quietem ſignificatum eſſe affirmavit. Quare ſolemni Sacerdotum & populi ſupplicatione, venit Pontifex ad collem nive coopertum, & in eo locum Eccleſiæ deſignavit, quæ, Johannis uxoriſque ejus ſumtibus poſtea exſtructa eſt, & auguſto nomine, *S. Mariæ Majoris* dicta fuit, quæ eſt Romæ inter Eccleſias celebriores.

Romæ, Damaſo ſedente, Civis quidam vivebat, qui XX. uxores habuerat in conjugio: erat & mulier, quæ XXII. viris nupſerat, atque hi ambo ad viduitatem redacti, invicem matrimonium contraxerunt. Erat autem magna exſpectatio, uter alteri futurus ſit ſuperſtes. Vicit maritus, & totius urbis populo confluente, coronatus, ac palmam manibus tenens, uxori, feretrum ejus præcedendo, ivit exequias.

Narrat factum S. Hieronymus, in Epiſtola ad Ageruchiam.

SECVLVM V.
IMPERATORES ROMANI.
THEODOSIUS II.

FL. THEODOSIVS JVNIOR, *Arcadii*, ex *Licinia Eudoxia* filius, cui pater *Isdigerdem*, Perſarum Regem, tutorem dederat, imperavit annos 43, princepsque fuit, pietatis, doctrinæ, & clementiæ laudibus celebratiſſimus. Vxorem habuit ÆLIAM EVDOXIAM, quæ & EVDOCIA (ac utrumque in Numis,) vocari ſolet, *Leontii*, Philoſophi Athenienſis, filiam, cui ante baptiſmum *Athenais* nomen erat, procurante id matrimonium *Pulcheria*, Theodoſii ſorore, quæ Evdociam, ob formam, ingenium, & morum elegantiam, ſummo proſequebatur amore. Atque ſane ſcripſit Evdocia, *de Mariti, & Soceri Arcadii victoriis, poëmata.* Notatur Theodoſii *facilitas nimia in ſubſcribendis literis*, ne quidem perlectis; quod vitium correxit Pulcheria, porrecto ei per alium libello, de venditione conjugis. Erat Theodoſio bellum cum *Varane* Perſarum Rege, quod tamen per *Ardaburium* Ducem, (barbaris miraculo quodam perterritis, & fuga dilapſis,) feliciter confectum eſt. Dehinc A. 437. *vetuſtas Imperatorum Conſtitutiones, a Conſtantino M. ad ſuam uſque ætatem*, in unum volumen redegit, quod *Codex Theodoſianus* appellatur, & etiamnum extat.

Poſtremis ejus imperii temporibus, tam foris, quam domi nutavit fortuna. *Genſericum* Vandalum in Africa oppugnaturus, vexatus *ab Attila* & *Bleda* Hunnorum Regibus in Thracia, non ſolum exercitum retrahere, ſed & barbaris, ut eos ab urbe amoveret, mille libras annuas promittere coactus eſt. Domi, adverſus *Eudoxiam*, occaſione pomi, quod a ſe illi donatum, ipſa *Paulino* viro erudito dederat, vanam de adulterio ſuſpicionem concipiens, eandem repudiavit: quæ, Hieroſolymas ſe conferens, vitæ reliquum ibidem exegit. Obiit Theodoſius A. C. 450. lapſu *in venatione attritus*, ætatis anno 48. cui Eudoxia, *Juliam Eudoxiam*, & *Juliam Placillam* filias peperit.

Enim vero, aſſumſerat ipſe collegam FL. CONSTANTIUM, quem vulgo *Secundum* appellant, *Illyricum*, qui multis, jam inde a Theodoſii M. tempore, muneribus militiæ obitis, præclaram operam navaverat. Verum is haud diu fuit ſuperſtes. Quamobrem, FL. PLACIDIVS VALENTINIANVS, qui *Tertius* dicitur, *Conſtantii Cæſaris*, & *Gallæ Placidiæ*, ſororis Arcadii, filius, a Theodoſio conſobrino Cæſar appellatur, cujus filiam EVDOXIAM Valentinianus habuit in matrimonio, qui, poſt obitum ſoceri, quinque annos ſuperſtes fuit.

Hoc imperante, *Attila*, gladio Martis a bubulco accepto, contractoque in Scythia quinquies centenorum millium hominum exercitu, totius orbis imperium ſpe devoraverat. Adverſus

ſus eum, jam in Galliam progreſſum, Valentinianus, fœdere cum *Merovæo* Francorum, *Sangibano* Alanorum, *Theodorico* Gothorum, Regibus inito, miſit *Aëtium*, virum ſtrenuum. Pugnatum eſt in *campis Catalaunicis*, per integram noctem; Attila victus fuit, ajuntque cecidiſſe eo prælio CCLX. millia. Certe tantum ſanguinis effuſum, ut parvulus, qui ibidem labebatur, rivus, ingens ſubito torrens effectus, cadavera ſecum traheret peremtorum.

Cæterum, Valentiniano libido exitio fuit. Cum enim FL. ANICIO PETRONIO MAXIMO, viro Romæ primario, inter ludendum annulum detraxiſſet, miſit eum ad ipſius conjugem, cauſam allegans, id velle maritum, ut ad Imperatricem ipſa viſat. Ea vero ubi in Aulam venit, a Valentiniano per vim fuit compreſſa. Hanc injuriam cum cognoviſſet Maximus, eam vindicare ſtatuit. Sed quia Aëtii obſtabat fides erga Imperatorem, & apud omnes autoritas, hunc prius e medio tollendum eſſe judicabat. Ergo, cum illum apud Valentinianum affectati Imperii accuſaſſet, facile falſis criminationibus id effecit, ut fortiſſimus Ducum, juſſu Imperatoris e medio tolleretur. Fertur, eo interfecto, Valentinianum e cive quodam Romano percontatum eſſe, jurene Aëtius occiſus videretur? hunc vero reſpondiſſe: jure an injuria occideris, Imperator, Aëtium, neſcio; illud ſcio, te illius ſupplicio tuam tibi dextram præſcidiſſe. Et ſane ſublato Aëtio, nulla mora interjecta, Maximus immiſſis

 per-

percuſſoribus, Imperatorem trucidat, imperium rapit, & Imperatricem *Eudoxiam*, ſimiliter ſtupratam, invitam ducit uxorem. Hæc, ultionem meditata, *Genſericum* Vandalorum Ducem, ex Africa accerſit: quo adventante, Maximus in fugam ſe conjiciens, a milite obtruncatur: atque ſic a S. P. Q. Romano, FL. MÆCILIVS AVITVS, Præfectus Prætorio, Imperator creatus eſt. At vero, Genſericus, urbe *Roma capta & direpta*, *Eudoxiam* cum ſpoliis ampliſſimis ſecum avexit, habuitque pro conjuge. Hac eadem tempeſtate, non ſolum *Vandali* Africam, & maritimam Hiſpaniam, ſed & *Franci Galliam*, *Scoti*, *Picti*, *& poſt eos Saxones*, Britanniam, *Suevi* Hiſpaniam vaſtarunt, aut occuparunt: ita ut nomen & majeſtas Imperii, in Occidente, plane propemodum evanuerit.

MARCIANUS.

FL. MARCIANVS, humili genere in Thracia natus, vir tamen fortis, ac pius, cujusque in Africa *contra Genſericum* militantis, cum quieſceret, caput, aquila ſub dio alis ſuis obtexerat, a PVLCHERIA, Theodoſii ſorore, fratre mortuo, imperatoriam dignitatem conſecutus eſt. *Quin & eidem ipſa nupſit*, verum hac lege, ne ſe annis jam gravem attingeret, ſed virginitatem, quam Deo conſecraſſet, intactam ſervare pateretur. Is, *imminutum Orientis Imperium, reparavit*, hoſtes repreſſit, ac pacem reſtituit; *Concilio* in *Chalcedone* convocato, fidem orthodoxam ſtabilivit. Crebro ei in ore: *Dum in pace eſſe poſſumus, arma non induamus.* Attilæ,

con-

conjugium filiæ Placidæ affectantis, arcum, per quietem fractum vidit, & mox mortuum eſſe audivit. Anno 6. adminiſtratæ poteſtatis, naturæ conceſſit, conſpiratione *Aſparis*, qui ei venenum dediſſe perhibetur.

LEO.

Marciano, in Oriente, ſucceſſit FL. LEO, natus in Thracia, princeps *orthodoxus, clemens, & in literatos beneficus*: unde id unum optaſſe dicitur, *ut ſtipendia militum in literatos conferre poſſet*. Imperavit annos 17. atque *Oſtrogothos*, accepto obſide *Theodorico*, ſibi devinxit: *Genſericum, per Baſiliſcum, Marcellinum, & Heraclium* Duces devicit. Sub eo Conſtantinopolis, orto incendio, fere tota conflagravit. Fama fuit a dæmone ſubditos ignes.

Leone imperante, cum jam in Italia omnia eſſent turbata, & *Avitus* poteſtate privatus, FL. JVL. VALER. MAJORIANVS, Ravennæ Imperator creatur, princeps egregius, qui dum Vandalis in Africa bellum infert, anno 3. geſti imperii moritur.

Huic ſucceſſit FL. LIBIVS SEVERVS, adjuvante *Fl. Ricimere*, ſed cujus eiusdem dolis, poſt triennium, veneno fuit ſublatus. Ejus *Conſtitutio* una & altera ad nos pervenit.

Severo peremto, a Leone, Auguſtus dictus eſt, FL. ANTHEMIVS, Marciani Imp. gener. Is, cum quatuor annis regnaſſet, a genero ſuo Ricimere, ad pontem Ælium victus, & gladio transfoſſus eſt.

Hunc excepit FL. ANICIVS OLYBRIVS, ex Oriente a Leone miſſus, qui ſeptimo imperii menſe fato functus eſt, ſucceſſore FL. GLYCERIO, Ricimeris nepote, cui poſt annum, FL. JVL. NEPOS, poteſtatem eripuit. Ad privatam ergo vitam redactus, Salonis occiſus eſt.

ZENO.

FL. ZENO ISAVRICVS, obſcuris parentibus in Cilicia *natus, fuit gener Leonis ſenioris:* ejus enim filiam ARIADNEN, uxorem duxerat. Sed Leo ipſum præteriens, filium ejus *LEONEM II. nepotem ſuum*, Imperatorem fecerat, qui tamen deinde, moriturus, patrem ſibi ſuccedere voluit. Cæterum, fuit Zeno peſſimis moribus præditus, cumque imperandi artem parum teneret, per miniſtros, inter quos quidam *Sebaſtianus* familiam agebat, ſe duci ac circumduci paſſus eſt. Cujus rei indignitate moti Conſtantinopolitani Proceres, FL. BASILISCUM, Auguſtum appellarunt: qui Zenonem bello invaſit, & cum uxore Ariadne, in Iſauriam usque protruſit.

Interim Baſiliscus, MARCVM filium, Cæſarem creat, nec meliorem Zenone ſe præbet, ut Senatus Zenonem ex Cilicia revocare cogeretur.

Miſerat Baſiliscus, Duces ſuos contra Zenonem, verum illi ſeſe una cum exercitu Zenoni dediderunt. Reverſus igitur Zeno, a S.P.Q. eſt receptus, Baſiliscus vero in templum fugiens, inde eductus, & cum uxore ZENONIDA

& Mar-

& Marco filio, in Cappadociam relegatus, ibidem, juxta cum illis, fame & frigore periit, cum in imperio annum unum & octo menſes exegiſſet.

Reverſus Zeno, ad mores priſtinos rediit, ſeque Baccho & ventri totum mancipavit; multos præterea ex Senatorio ordine illuſtres & opulentos viros, ſine ulla cauſa, e medio ſuſtulit. Hinc omnibus, & adeo ARIADNÆ quoque uxori inviſus redditus eſt, quæ ipſum, cum aliquando ſe ita invitaſſet, ut mentis inops eſſet, *tanquam mortuum efferri*, & monumento condi curavit, in quo fame enectus eſt, cum præfuiſſet imperio annis 17. Cedrenus illatum ait, cum comitiali morbo correptus eſſet, & cuſtodes appoſitos, per duas noctes lamentationem audiviſſe ex ſepulchro: *miſeremini, & aperite mihi!* Reſpondentibus, alium jam imperare, precatum eſſe porro, ut in Monaſterium ſe abducerent, nil purpuram ſe curare. Adjicit, aperto tandem ſepulchro, inventum eſſe Zenonem, lacertis & caligis corroſis, quas præ fame dentibus invaſerat.

ANASTASIVS.

FL. ANASTASIVS, Epirota, Dyrrhachio ortus, ARIADNÆ, Zenonis viduæ, cujus Silentiarius erat, ſtudiis, ad imperium evectus eſt, cum quo & ipſa matrimonium inivit. Dictus fuit *δίκορος*, quod pupillas haberet diverſi coloris. Cum ante coronationem *Euphemius* Patriarcha, confeſſionem fidei ſcriptam ab ipſo

exegiſſet, eam dedit, in qua pollicebatur, ſe decreta Synodi Chalcedonenſis ſervaturum. Deſeruit tamen poſtea religionem Catholicam, & Eutychianis adhærens, acta Synodi Chalcedonenſis combuſſit, & ipſum Euphemium Conſtantinopoli ejecit. Hoſtem præcipue habuit *Vitalianum*, Scytham, qui Claſſem ad Conſtantinopolin usque adduxit. Sed is navali prælio victus eſt, cum ejus naves, adhibitis cavis ſpeculis, *Procli* Mathematici arte paratis, incenderentur. Cæterum Anaſtaſius, cum 27. annis imperium obtinuiſſet, *ſubita cœli tempeſtate* orta, fulmine tactus periit: quo genere mortis eum moriturum, per quietem præmonitus fuiſſe dicitur. Apparuerat ei forma quædam terribilis, a qua audire coactus fuit: *En, ob tuam improbitatem*, XIV. *tibi vitæ annos deleo, cœleſtique igne cremaberis*: atque fruſtra ad eludendam hanc fati legem, Proclus ædificium tholatum ei fabricaverat.

Circa hæc tempora, in Italia, *Oreſtes*, genere Gothus, *Julium Nepotem Imperatorem*, cujus Magiſter Militum erat, imperio privat, & FL. MOMYLLIVM AVGVSTVLVM, filium ſuum, puerum adhuc, Imperatorem facit. Sed hunc, ODOACER, *Herulorum Regulus*, imperio paulo poſt dejecit, ipſeque Italiæ Rex creatus eſt. Atque hic ſimul finis Occidentalis Imperii Romani veteris fuit, & Imperatorium nomen, quod in Auguſto cœpit, in Auguſto quoque eſt extinctum. Vis deinde & poteſtas omnis, ad *Herulos*, mox *Gothos*, denique *Longobar-*

gobardos tranſivit, usque ad Carolum M. qui totius Occidentis Monarcha potentiſſimus, a Populo Romano Imperator ſalutatus, id Imperium magna virtute reſtituit.

PONTIFICES ROMANI.

INNOCENTIVS I.

INnocentius, Albanus patria, ſedit annos 15. inſtituiſſe dicitur, ut in ſolemnibus ſacris adhiberetur formula: *Pax Domini vobiſcum*: & , ut in Sabbato, die quippe, quo Chriſtus in ſepulchro jacuiſſet, jejunaretur. Primus decrevit, *vi cogendos eſſe hæreticos*, ad amplectendam fidem catholicam. *Excommunicavit Arcadium Imperatorem*, quod Eudoxiæ cauſa, Johannem Chryſoſtomum ſede ſua moviſſet. Sancivit quoque Euchariſtiam infantibus, nondum ratione utentibus, eſſe dandam; quem morem, ſexcentos circiter annos, in Eccleſia viguiſſe putat Maldonatus, ad Johannis caput 6. commentans; Eam conſuetudinem Concilium Tridentinum damnavit.

SOZIMVS ſeu ZOSIMUS.

Sozimus, natione Græcus, *annum unum ſedit*, vetuitque *Servos* in clerum recipere, quod hujusmodi viros, liberos & ingenuos eſſe oporteret. In C. 25. q. 1. c. 7. hæc ejus laudantur verba: *Contra ſtatuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis poteſt autoritas. Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reverentiam.*

BONIFACIVS I.

Boniſacius, gente Romanus, annos 3. ſedit. In hujus electione *Schisma* ortum eſt, & pars, *Eulalium* Archidiaconum, urbis Romæ Epiſcopum creavit. Eam rem cum intellexiſſet *Honorius Imperator*, ambos urbe expulit. Bonifacius tamen, ſeptimo poſt menſe, fuit revocatus, & ſolus urbis Præſul conſtitutus. Hujus Bonifacii præcepto nefas habetur, eos, qui 30. annos nati non ſunt, ad presbyterii munus admittere.

COELESTINVS I.

Cœleſtinus, natione Campanus, Theodoſii junioris temporibus floruit, præfuitque Eccleſiæ Romanæ annis 8. quem inſtituiſſe ajunt, ut *Pſalmi Davidici* in Eccleſia canantur, cum prius tantum Evangelia & Epiſtolæ prælegerentur. Sub eo, *Epheſina Synodus*, contra Neſtorium eſt celebrata.

SIXTVS III.

Sixtus III. Valentiniani tempora attigit, & ſimiliter 8. annos ſediſſe dicitur. Ab *Anicio Baſſo* presbytero, de ſtupro ſacræ virgini illato, accuſatus, in concilio Romæ coacto, cauſam dixit, ſuamque innocentiam jurejurando comprobavit, unde Baſſus a Valentiniano in exilium pulſus eſt.

LEO M.

Leo, Tuſcus natione, Marciano & Leone I. Imperatoribus ſedit annos 21. Fuit vir doctus, ejusque utiliſſima ſcripta etiamnum extant. Autoritate & facundia ſua, *Attilam* Hunnorum Regem,

gem, a direptione & vaſtatione Vrbis Romæ, quam, expugnata Aquileja, infeſtis ſignis petebat, avertit. Varias inſtituit ceremonias, primusque fertur *imaginibus* detuliſſe cultum.

HILARIVS I.

Hilarius, Sardus natione, rexit Romanam Eccleſiam annos 7. ejusque dicitur inſtitutum, ne quis Pontifex ſibi queat deſignare ſucceſſorem: itemque huic acceptum ferunt novum *Cyclum Paſchalem*. Mirum vero, ſi, quod jactatur, Romanus Pontifex ſit infallibilis, ac in omnibus, quæ ad ſalutem Eccleſiæ attinent, Dei præſentiſſimo utatur auxilio, non ei id concedi, ut ipſe ſibi, plenus Numine, ſucceſſorem deſignet; & tantam rem, qua inter mortales major nulla eſt, nullaque magis prohibet, ne quid detrimenti Eccleſia accipiat, iis commiſſam fuiſſe, qui fallere ſe, & falli poſſe, neutiquam diffitentur.

FELIX III.

Felix III. patria Romanus, regnante in Italia Theodorico, Romano Epiſcopatu per annos 8. functus eſt, & Gregorii M. atavus fuit. Inſtituit *feſtum Michaëlis Archangeli*, quod is tunc in monte Gargano conſpiciendum ſe præbuerat. Inſtituit amplius, ut a ſolis Epiſcopis dedicarentur templa, &, ut dies dedicationis, anniverſaria ſolemnitate celebraretur.

GELASIVS I.

Gelaſius ſedit an. 3. Auxit Miſſæ canonem, & in Concilio, multa ſcripta apocrypha, quibus Canones etiam Apoſtolorum accenſuit, rejecit.

Qua

Qua de re in Decreto Gratiani Diſtinctionis 15. canonem 3. conſulere juvat. Præterea conſtituit, ne Clericorum ordinationes, niſi quater quotannis fierent. *Scripſit multa contra Manichæos*, quæ etiamnum tenemus.

ANASTASIUS II.

Anaſtaſius II. ſedit an. 2. Fuit patronus Eutychianorum, & Neſtorianorum, effuditq; in morte inteſtina, more Arii. De eo ſcripſit Wernerus Rolevinck, qui Sec. XIV. inclaruit, in Faſciculo temporum: *Hic videtur ſecundus infamis Papa, de toto catalogo Pontificum hucusq;, quia primus, ſcilicet Liberius, favebat Arianis, iſte Neſtorianis.*

SCRIPTORES SACRI.

S. AVGVSTINVS.

S. Auguſtinus, in oppido Numidiæ *Togaſta*, patre *Patricio*, matre *Monica* natus eſt, a quibus, ab ineunte ætate, literarum ſtudiis fuit imbutus, ac grandior factus, Manichæorum hæreſi ſe adjunxit. Cum deinde Romam veniſſet, a *Symmacho*, urbis Præfecto, miſſus eſt Mediolanum, ut Scholæ iſtic præeſſet. Ibi cum *B. Ambroſium* ſedulo & attente audiviſſet, tandem relictis Manichæorum erroribus, doctrinam catholicam amplexus eſt, ac paſchatis die, An. 387. natus annos 30. baptisma ſacrum ſuſcepit. Poſtea in Africam reverſus eſt, ubi *Valerius Epiſcopus Hipponenſis*, adhuc vivus, ipſum ſucceſſorem deſignavit. Functus deinde eo munere eſt Auguſtinus per annos 40. & acerrima certamina

cum

cum Hæreticis Manichæis, Arianis, Donatiſtis, & Pelagianis depugnavit. Tandem anno ætatis 76. cum Vandali Africam vaſtarent, ante captam urbem, ex vita deceſſit, circa An. C. 433. ejusque corpus A. C. 720. a *Luitbrando*, Longobardorum Rege, *Papiam* translatum eſſe dicitur. In omni disciplinarum genere MXXX. volumina compoſuit. Quæ ſuperſunt, in X. Tomos diſtincta poſſidemus. Lambecius tom. 2. Biblioth. Vindob. teſtatur, extare in Bibliotheca Cæſarea *Bonizonis Epiſcopi Placentini*, qui A. C. 1089. a Placentinis occiſus eſt, ineditam *Epitomen omnium operum & ſententiarum Auguſtini*, quæ *Paradiſus Auguſtinianus* inſcripta. Vitam Auguſtini, *Poſſidius*, Calamenſis Epiſcopus recenſuit.

MAXIMVS TAVRINENSIS.

Maximus, Epiſcopus Taurinenſis, ſub Honorio & Theodoſio juniore floruit. Ejus multæ extant *Homiliæ*.

SYNESIVS.

Syneſius, Epiſcopus Ptolemaidis, circa eadem tempora, doctrinæ & ſanctimoniæ laudibus claruit. Scripſit plurimas & elegantiſſimas *Epiſtolas*. Superſunt præterea tom. 8. Biblioth. SS. Patrum, *Syneſii hymni decem*. Opera latine tranſtulit Dinonyſius Petavius.

NONNVS.

Nonnus, Panapolites, *Poëta*, Voſſii judicio, tempre Theodoſii junioris floruit. Extant ejus *Dionyſiaca*, & *Paraphraſis Evangelii S. Johannis*. Joſepho Scaligero, & aliis, ſe minime probavit.

PAVLINVS NOLANVS.

Paulinus, Epiſcopus Nolanus, natione Gallus fuit, &, *Ambroſio* Mediolanenſi Epiſcopo, uſus eſt Præceptore. Eum S. Auguſt. ep. 41. *egregium ac ſanctum Dei ſervum vocat*. Extant piæ illius & elegantes *Epiſtolæ*, item quædam *Poëmata*. In Breviario Romano de eo legitur, ipſum vaſtata a Gothis Campania, omnes facultates, ne relictis quidem ſibi rebus ad vitam neceſſariis, in alendos pauperes, & captivos redimendos contuliſſe. Cumque vidua quædam ab eo poſceret, ut filium ſuum redimeret, conſumtis rebus omnibus in officio pietatis, ſeipſum pro illo in ſervitutem tradidiſſe, divinitus autem liberatum, Nolam, ad Epiſcopale officium reverſum eſſe.

SVLPICIVS SEVERVS.

Sulpicius Severus, patria Aquitanus, inter alia, *duos compoſuit libros de Sacra hiſtoria*, quos, a mundi initio exorſus, perduxit uſque ad Conſulatum Stiliconis & Aureliani, hoc eſt, ad A. C. 400. Scripſit & *Vitam Martini*, quo familiariter uſus fuit: *item Dialogos tres*, quorum primo narrat virtutes & miracula Monachorum Orientalium: duobus poſterioribus, exponit virtutes B. Martini, altero libro præteritas. Saluſtium æmulatus, utitur dictione terſa & eleganti. Vnde Scaliger in lib. de emend. temp. ipſum Eccleſiaſticorum Scriptorum puriſſimum merito appellat.

PAULUS OROSIUS.

Oroſius, *Hiſpanus*, in ætate jam florida, Auguſtini gran-

ni grandævi diſcipulus & auditor fuit. Cum Roma ab Alarico Gothorum Rege capta, gentiles, & hujus, & omnium calamitatum, cauſam, in Chriſtianos conjicerent, compoſuit inſtinctu B. Auguſtini *libros ſeptem Hiſtoriarum*, quibus oſtendit, ab orbe condito, usque ad illud tempus, quo ipſe ſcribebat, quod ait eſſe ſpatium annorum quinquies mille, ſexcentorum & duodeviginti, maximas ſemper atque atrociſſimas per orbem calamitates fuiſſe. Id opus a quibusdam *Hormeſtes* inſcribitur. Voſſius putat ὁρμευτὴν vel ὁρμαθὸν vocari. Barthius, ſtatuit epigraphen hanc, ex verbis tituli: *Oros. de miſer. hom.* natam eſſe. Pighius in Hercule Prodicio, verum & genuinum titulum, *Orcheſtram mundi* fuiſſe exiſtimavit. Eſt Oroſius, ſcriptor plane utilis. Id tamen in eo Eruditi culpant, quod Græcos Scriptores non legit, & in temporum ſupputatione crebro quoque fallitur.

Sedulius.

C. Cælius Sedulius presbyter, ex aliquorum ſententia, Hiſpanus, ex aliorum Hibernus fuit. Scripſit *Explanationem in omnes Epiſtolas S. Pauli*, ex Origine, Ambroſio, Hieronymo, & Auguſtino excerptam. Scripſit præterea *libros* 5. *Carminum, de* 5. *mirabilibus operibus Dei*, & *Hymnos* 2. *de Chriſto*, quorum alter Alphabeticus, in Eccleſia canitur, feſtis Natalitiorum Domini, ac Epiphaniæ, incipitque: *A Solis ortus cardine.* In Decreto Gratiani diſt. 15. c. 3. legitur: *Venerabilis Viri Sedulii Paſchale opus, quod heroicis deſcri-*

ſcripſit verſibus, inſigni laude proferimus. In his, pro *heroicis*, vulgata quondam exemplaria habebant, *hæreticis.* Id Canoniſtis quibusdam ſuſpicionem movit, poëmata omnia eſſe hæretica, Poëtasque, licet ſacra tractent, neutiquam piis ſcriptoribus annumerari debere.

CYRILLUS ALEXANDRINUS.

Cyrillus, Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus, ingenio, doctrina, & eloquentia inſigniter clarus, *Novatianorum* Eccleſias, quæ Alexandriæ erant, clauſit: *Judæos*, qui inde ab Alexandro M. Alexandriam incoluerant, quod ſeditiones moviſſent, ea urbe expulit: *Neſtorium* non tantum per Epiſtolam confutavit, ſed & in *Concilio Ephesino, in quo præſidebeat, Anathematiſmos* 12. adverſus eum compoſuit. *Opera* illius extant *duobus Tomis* comprehenſa. In priore Tomo, eminent *Explanationes in Geneſin, Leviticum, Eſaiam, & Johannem.* In poſteriore, *Epiſtolæ, Dialogi* 7. *de Trinitate,* & *Libri* 10. *contra Julianum.* Cyrillus cum præfuiſſet Eccleſiæ Alexandrinæ annis 32. A.C. 444. diem clauſit ſupremum.

THEODORETUS.

Theodoretus, *Cyri*, quæ Syriæ urbs eſt, fuit Epiſcopus. Multa ejus poſſidemus, quæ *Tomis duobus* comprehenduntur. Inter reliqua claret *Hiſtoria ejus Eccleſiaſtica*, quam libris quinque, a Conſtantino ad Theodoſium usque, deduxit. *Gennadius* autor eſt, continuaſſe eum, eandem ſacram hiſtoriam, *aliis quinque libris, ad Leonis Imperato-*

peratoris tempora, ſed iſti ad nos non pervenerunt. Theodoretum Baronius ſæpe corripit, tum ob lapſus in Chronologia, tum ob falſas narrationes, veris immixtas. Dictio ejus eſt elegans, fuitque imitator Chryſoſtomi.

EVCHERIVS.

Eucherius, *Lugdunenſis Epiſcopus*, non vulgaris eloquii, & doctrinæ homo, claruit temporibus Theodoſii junioris, & Valentiniani; cujus Opera, *uno Tomo* Baſileæ edita extant. Ex iis notamus præcipue *libros tres Commentariorum in Geneſin*, & *libros 4. Commentariorum in libros Regum*: itemque, *Quæſtiones in Vetus & Novum Teſtamentum.*

CLAUDIANUS MAMERTUS.

Claudianus Mamertus, *Viennenſis Epiſcopus*, ſcripſit libros *tres de Statu Animæ*, ad Sidonium Apollinarem: itemque *Carmen contra vanos Poëtas.*

SIDONIUS APOLLINARIS.

Sidonii Apollinaris, *Epiſcopi Arvernenſis*, *Epiſtolas & Carmina poſſidemus*, ejusque ſtylus ad Plinii maturitatem, & Symmachi rotunditatem, nonnullis videtur aſſurgere: ſed tamen trahit aliquid ex eo, in quo vixit, ævo. Quantum valuerit poëſi, inde patet, quod in Trajani foro ſtatuam meruit, cum laurea Apollinea. Extat penes me vetus & optimæ notæ Sidonii Apollinaris Codex MS. cui, ſed recentiore ſcriptura, ſubjunguntur, *Suetonii*, & *Valerii*

Digitized by Google

rii *Maximi quaſi quædam Epitomæ*, vel potius ex iis *Excerpta.* Accedunt *Burſarii Ovidiana*, ſive notæ in Ovidii libros fere omnes; atque iſta additamenta, quod equidem ſciam, lucem nondum aſpexerunt.

JOHANNES CASSIANUS.

Johannes Caſſianus, natione Scytha, & *Maſſilienſis* poſtea *Presbyter*, ſcripſit de *Habitu Monachorum*, *& canonico orationum ac pſalmorum modo libros tres*: itemque *libros 24. Collationum*, quibus ea annotavit, quæ inter peregrinandum, cum viris doctis piisque ipſe contulerat. Scripſit & alia, quæ junctim An. 1616. Duaci, *opera Alardi Gazæi*, una cum quibusdam Annotationibus prodierunt. Vulgo Caſſianum inter Semipelagianos referunt, videtur enim in doctrina de Gratia, ab orthodoxa ſententia paululum deviare.

LEO MAGNUS.

Leo M. de quo inter Romanos Pontifices jam a nobis actum eſt, reliquit *Homilias de præcipuis feſtis Domini & Sanctorum.* Item *Epiſtolas 98.* nec non *librum de Conflictu virtutum & vitiorum.*

VINCENTIUS LERINENSIS.

Vincentius Lerinenſis, *Lerinæ* Inſulæ, quæ hodie S. Honorati dicitur, Presbyter, ſcripſit *ſub nomine Peregrini*, *Commonitorium adverſus profanas novitates*: quem libellum parvum mole, ſed virtute maximum prædicat Bellarminus, eumque An. 1655. edidit quoque Georgius Calixtus.

So-

SOCRATES.

Socrates, Scholaſticus, Ammonii & Helladii diſcipulus, ſcripſit *Eccleſiæ Hiſtoriam libris ſeptem*, quæ proxime excipit eam, quam Euſebius concinnavit: nam a Conſtantino M. ad Theodoſii minoris tempora porrigitur. *Stylum* Socrates, judice Photio, nec admodum ſplendidum habet, nec in dogmatibus eſt accuratus; favet præterea Novatianis.

SOZOMENUS.

Hermias Sozomenus, eodem, quo Socrates, tempore vixit, & idem argumentum ſibi *libris 9.* tractandum ſumſit. Diſſentit in aliquibus a Socrate, & dictione, quam ille, utitur præſtantiore.

PHILOSTORGIUS.

Philoſtorgius, homo eruditus, ſed Arianæ hæreſi addictior, ſcripſit *libros 12. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, quam ex veterum fragmentis erutam, & notis illuſtratam A. 1643. Genevæ *edidit Gothofredus.* Philoſtorgius in ſua hiſtoria paſſim amorem erga Arianos, & odium erga Catholicos, oſtendit.

ISIDORUS PELUSIOTA.

Iſidorus Peluſiota, ſic dictus eſt a *Peluſio* monte in Ægypto, ubi monachis præfuiſſe dicitur. Nobis *Epiſtolas plurimas* reliquit: eas, hujus quondam Academiæ ornamentum, ætatem duraturum, *Conradus Rittersbuſius*, Græce & Latine edidit, Notisque illuſtravit.

Petrus Chrysologus.

Petrus Chryſologus, Ravennæ urbis Epiſcopus, ſcripſit *Homilias 122.* breves quidem, ſed diſertas, & ſenſus gravitate mirandas. Dicitur etiam *miraculis* claruiſſe.

Nilus.

Nilus, monachus Conſtantinopolitanus, varia nobis dedit opuſcula, quæ nondum in unum corpus collecta ſunt. In Tomo 5. Bibliothecæ SS. Patrum, aliqua habentur, ſuntque *tum Parænetica, tum Aſcetica.*

Prosper Aquitanicus.

Proſper, Limonum, in Pictonibus, patriam habuit, & inde Aquitanicus eſt appellatus. Vir fuit facundus, & S. Auguſtino præceptore uſus eſt, quem etiam æmulari ſtuduit. Vocant eum vulgo *Pelagianorum Malleum*: ſcripſit enim multa, pro Gratia Chriſti, *contra Pelagianos*, quæ etiamnum extant. Scripſit etiam *Chronicon*, a primo homine, uſque ad Vrbem a Genſerico captam.

Salvianus.

Salvianus, Epiſcopus Maſſilienſis, ſub Zenone claruit, cujus extant *libri 8. de Gubernatione Dei, & de juſto Dei, præſentique judicio; itemque Epiſtolæ,* & *libri 4. contra Avaritiam:* quæ, poſt alios, edidit quoque cum commentario, jam modo laudatus, Conradus Rittershuſius. In libris de Avaritia, Bellarmino judice, ſub nomine *Timothei*, ita exaggerat vitia Chriſtianorum, & maxime Clericorum ſui temporis, ut nimius videri poſſit.

Victor Vticensis.

Victor, Epiſcopus Vticenſis in Africa, reliquit nobis *libros tres de Perſecutione Vandalica*, quæ tempore Auguſtini ſæviit per Africam, *ſub Genſerico & Hunnerico*, Vandalorum Regibus. Eos Bellarminus lectu digniſſimos dicit, ob martyrum inſignium fortitudinem.

Gennadius Massiliensis.

Gennadius, Maſſiliæ Epiſcopus, Græce & Latine doctus fuit, habuitque Scripturæ S. cognitionem non vulgarem. Duo ejus ſcripta hodie ſuperſunt, quorum alterum eſt *De dogmatibus Eccleſiaſticis*: alterum, *De illuſtribus Scriptoribus Eccleſiæ*.

Gelasius.

Gelaſius, Pontifex Romanus, ſcripſit *Epiſtolas*, item *contra Pelagianos*, *Neſtorium*, & *Eutychen*: quin & alia nonnulla.

Gildas.

Gildas, cognomento Sapiens, Abbas Anglus, ſcripſit de *excidio Britanniæ* quod incidit in A. C. 445. Scripſit item *reprehenſionem acrem in Britanniæ Clerum*. Fuit vir ſummæ eruditionis, nec movere quem debent, *Oracula inepta Gildæ tributa*: ſunt enim nugatoris cujusdam inventum, qui, Gildæ nomine, autoritatem iis conciliare ſtuduit.

Merlinus.

Merlinum, Angliæ vatem fatidicum, cujus extant *prædictiones*, ob congruentiam, Gildæ ſub-

ſubjungimus, ita ut huc coram ſimul afferamus, quæ de eo apud Jacobum Philippum Bergomenſem, in Supplemento Chronicorum, inter res, quæ Theodoſii II. Imp. ætate acciderunt, leguntur. *Merlinus, Anglus, vates inſignis, ex regia filia monacha, & incubo dæmone natus, ut nonnullis placet, his temporibus fuit, & claruit. Hujus namque mater, Demetiæ Regis filia fuit: quæ inter quasdam monachas S. Petri enutrita in urbe Chacimedin, virum nunquam cognoviſſe conteſtata eſt. Sed, aliquando, dixit, viſum ei fuit, quendam pulcherrimæ ſpeciei virum, eam fuiſſe amplexatam, indeque evaneſcentem, gravidam ſe cognoviſſe, & illum tandem peperiſſe, & poſtea in virum magnum evaſiſſe. Hujus autem Merlini inſtinctu, Vortigerius, Britonum Rex, Chriſti fidem in immenſum auxit, cui ſucceſſit Vterpandagron, ejus frater, qui magni Arturi pater fuit.*

PROBA FALCONIA.

Proba Falconia, Romana puella, Græcarum Latinarumque literarum peritisſima cum eſſet, *truncatos Virgilii verſus, ad fidem & myſteria Chriſtianæ fidei convertit*, fecitque de Chriſti geſtis, & ejus morte, opus egregium, quod *Centones* appellavit.

HÆRETICI.

PELAGIANI.

Pelagius, Monachus Britannus, circà A. C. 420. fœdos errores, de libero hominis arbitrio, contra divinæ gratiæ neceſſitatem, ſpargere cœpit, ita ut doceret, non ex gratia propter Chriſtum,

ſed

ſed ex propriis operibus, & virtutibus naturalibus, nos juſtificari, & remiſſionem peccatorum conſequi. Amplius, contendebat, Adamum moriturum fuiſſe, etiamſi non peccaſſet, & nec nos quoque ex culpa, ſed ſola naturæ conditione, mortem oppetere. Negabat dari peccatum originale, & ideo tollebat baptiſmum. Negabat præterea, ſemel juſtos, poſſe amplius peccare, precesque, pro converſione infidelium, aut fidelium perſeverantia, eo quod hæc meri liberi arbitrii opera ſint, judicabat inutiles. Hinc fertur impia ejus vox: *A Deo habemus, quod homines ſumus, a nobis ipſis, quod juſti.* Huic hæreſi, duo imprimis lumina, *Auguſtinum, & Hieronymum*, illum, in Africa, hunc, in Oriente, Deus oppoſuit. Damnatus quoque fuit Pelagius in variis Synodis, maxime *Carthaginienſi*, & *Milevitana*. Is poſtea cum *Juliano* & *Cœleſtino* ſociis, ex Oriente in Occidentem ſe recepit, ac Britanniam imprimis, & Galliam, ſuis erroribus infecit.

SEMIPELAGIANI.

Non ita deſtrui potuit Pelagianiſmus, ut non ex ejus cadavere nova prodiret ſoboles Semi-Pelagianorum. Horum ducem, & coryphæum, vulgo ajunt fuiſſe *Joh. Caſſianum*, Scytham, Maſſilienſem Presbyterum, cujus nomen paulo ante inter Scriptores Sacros retulimus, huncque paulo poſt ſecutum eſſe *Fauſtum Rhegienſem*. Cæterum, iſta Semi-Pelagianorum, ſive Maſſilienſium hæreſis, mitigabat cruda Pelagii dogmata, noviſque eadem incruſtabat coloribus. Fuit au-

tem præcipua controverſia inter orthodoxos & iſtos hæreticos, de prædeſtinatione, & gratia divina: quam hi, a præcedente humana voluntate, vel efficacem, vel inefficacem, vel deficientem, vel perſeverantem, docebant. Quin imo Deum, & hominem, gratiam, & liberum arbitrium, concurrentes, & coordinatas cauſas æternæ ſalutis fecerunt. Adverſus hos habitum eſt *Concilium Arauſicanum II.* An. 444. in Gallia, quo decretum, totum converſionis noſtræ opus, unice Deo acceptum ferendum eſſe. Interim tamen, ſecus ſentientibus, anathema dictum non fuit: quod multi Patres, ante exortum Pelagium, ab hac opinione non alieni fuiſſe viderentur.

Prædestinati.

Prædeſtinati, contendebant, non prodeſſe pie viventibus bonorum operum laborem, ſi a Deo ad mortem ordinati fuiſſent: & pariter nec obeſſe malis arbitrabantur, ſi ſceleribus ſe totos traderent, modo Deus ad vitam ipſos ordinaſſet.

Nestoriani.

Neſtorius, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, vir natura eloquens, ſed in Scripturis, & veterum Patrum lectione minus exercitatus, aſſeruit, Chriſtum, purum putumque hominem natum eſſe, obtinuiſſe autem deinde vitæ ſanctimonia, ut dignus haberetur, cui ſe divinitas conjungeret. *Duas itaque in Chriſto perſonas* ſtatuebat, alteram divinam, humanam alteram, ſejunctas atque ſeparatas; ita ut divina perſona

in hu-

in humana tanquam in templo habitaret. Hinc manavit, quod Neſtorius, *Mariam*, non *Deiparam*, ſed *Chriſtiparam*, Chriſtum vero, non Deum, ſed *Deiferum* appellabat: itemque quod dicere ſolitus: *Noli gloriari Judæe, non enim Deum, ſed hominem crucifixiſti.* Huic hæreſi acriter ſe oppoſuit *S. Cyrillus.* Sed, cum indies latius ſerperet, adverſus illam, *Synodus Oecumenica Epheſi convocata eſt*, qua, condemnatus Neſtorius, a Theodoſio Imperatore in extremam Ægyptum relegatus fuit, ibi terra abſorptus, vel, ſecundum alios, lingua a vermibus eroſa, miſere periiſſe traditur. Eſt hac hæreſi, totus Oriens, uſque ad Sinenſes, Catayosque, etiam nunc infectus.

EUTYCHIANI.

Eutyches, Archimandrita Conſtantinopolitanus, in Concilio Epheſino accerrime contra Neſtorium diſputavit, eumque valide redarguit. Sed, per æſtum contentionis, dum Neſtorianam hæreſin oppugnat, in aliam, haud minus gravem, delapſus eſt; qua docuit, *ante incarnationem duas fuiſſe in Chriſto naturas, poſt incarnationem tantum unicam*: quod ambæ in unam naturam permiſcerentur, perindeque carnem Chriſti non fuiſſe noſtræ ſimilem, nec revera illum ex utero Virginis natum, ſed per illum, de cœlo deſcendentem, tanquam Solis radium penetraſſe.

SCRIPTORES PROFANI.

Rutilius.

Claudius Rutilius, Numatianus Gallus, fuit, quod ipſe de ſe teſtatur, Vir Conſularis, Præfectus Vrbis, Tribunus militum, & Prætorio præfectus. De ſuo itinere duos libros ad *Venerium Rufinum*, carmine elegiaco compoſuit. Eos, ſua ætate, in Bobiano Cœnobio inventos eſſe, Volaterranus affirmat. Sed, poſterioris libri pars melior deperiit. Carmen eſt elegans, quod tamen odium ſpirat religionis Chriſtianæ, & Judaicæ.

Zosimus.

Zoſimus, *Gazæus*, ſeu *Aſcalonita*, vixit tempore Theodoſii junioris, ſecundum Evagrium, vel imperante Anaſtaſio, uti ex Suida contendit Volaterranus. *Hiſtoriam Romanam libris 6.* complexus eſt: quorum primus, Cæſares ab Auguſto uſque ad Diocletianum, breviter percenſet. Cæteri quinque, fuſius enarrant res usque ad Romam iterum ab Alarico obſeſſam. Homo fuit paganus, quare creber eſt in ſugillandis Chriſtianis Principibus. Dictione utitur brevi, perſpicua, & pura.

Proclus.

Proclus, Lycius, Philoſophus, *ſex libros ſcripſit de Theologia Platonica*: item *Commentarios in Timæum & libros de Republica. Paraphraſin* ejus *in 4. Ptolemæi libros de ſiderum effectionibus*, Leo Allatius in lucem protraxit.

Mu-

MUSÆUS.

Muſæus, Grammaticus, ſub Anaſtaſio floruit. Scripſit *Carmen de amoribus Herûs & Leandri.*

MEMORABILIA.

ANno Chriſti 430. in ipſo Pentecoſtes feſto, Theodoſius junior, Synodum generalem, quæ inter *OECUMENICAS TERTIA* eſt, coëgit, cui *ducenti amplius Epiſcopi* intervenerunt; quos inter *Cyrillus* Alexandriæ, & *Juvenalis* Hieroſolymorum Epiſcopi, primas tenuerunt. In ea cum Cyrillus acriter Neſtorium impugnaret, & Mariam Deiparam eſſe aſſereret, Neſtorius in conſeſſu ſurgens; *Ego*, inquit, *bimeſtrem aliquem, aut trimeſtrem, Deum non dixerim: proinde purus ſum ſanguinis veſtri, & poſthac ad vos non veniam.* His dictis, cum ſex Epiſcopis egreſſus eſt, nec ut reverteretur unquam induci potuit. Quare condemnatus, & Epiſcopatu Conſtantinopolitano dejectus fuit. Re jam confecta, paulo poſt ſupervenit *Johannes Antiochiæ præſul*, cum ſuis Orientalibus Epiſcopis. Hic, corruptus a Neſtoriana factione, cœpit Acta Concilii reſcindere, atque irrita facere; unde diſſidium horrendum extitit. Vicit tamen melior Cyrilli pars, atque juſſu Imperatoris, *Neſtorius Oaſim deportatus eſt.*

Anno Chriſti 451. *Marcianus Imperator*, QUARTUM CONCILIUM OECUMENICUM CHALCEDONE indixit, in quo a *Sexcentis & triginta* Epiſcopis, *Eutyches ac Dioſcorus* damnati ſunt. In hoc Concilio

cilio *Symbolum* conditum, quod *Chalcedonenſe* vocatur: in quo quatuor imprimis vocabulis, errores & Neſtorii & Eutychis confutantur. Scilicet, quod unio duarum in Chriſto naturarum facta eſt, *ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, καὶ ἀχωρίστως, inconfuſe, inconvertibiliter, indivulſe, & inſeparabiliter.*

Imperante Theodoſio, Moses Cretensis, inſignis impoſtor, fingens ſe e cœlo demiſſum, ut Judæos qui in Creta tum vivebant, per mare in patriam reduceret, plurimos Judæos mare ingreſſos, miſere decepit, ipſe vero Magicæ artis præſidio, cum collecta pecunia, ex hominum conſpectu ſe ſubduxit. Ex ea re factum eſt, ut multi Cretenſium Judæorum, Chriſtianam fidem amplecterentur.

Imperante Marciano, cum *Attila* orbis flagellum, Aquilejam obſideret, magnumque ſui metum apud omnes concitaſſet, nobiliſſimi quique Italicarum urbium cives, relicta patria, in aquis ſe tutos fore ſperantes, locum ſelegerunt in vicino mari, qui etiamnum *Rivus altus* vocatur, & cumulata arena domos conſtruentes, urbi nomen Venetiæ, a vicina regione indiderunt. Hujus urbis majeſtas in tantum deinde excrevit, ut urbium in toto genere humano regina unica audiat, quippe quæ ſola in externi hoſtis poteſtatem nunquam pervenit.

Attila, *Aquileiam* poſt trienii obſidionem expugnavit, de ruina urbis auguratus, ex nidorum a ciconiis deſertione: itaque in eam irruit, captamque ſolo æquavit. Poſtea *Concordiam, Opitergium, Patavium, Ateſtem, Mediolanum* quoque

que, ſimilis clades & interitus manſit. Cum adverſus Romam pergeret, *Leoni* Epiſcopo, ac Senatui occurrentibus, benignum & placatum ſe exhibuit. Cauſam rogatus, reſpondit, ſe viſe exhibuit. Cauſam rogatus, reſpondit, ſe viſenem adſtantem Leoni Epiſcopo, ſpecie diſſe ſenem adſtantem Leoni Epiſcopo, ſpecie ſupra humanam terribili, minitantem ſibi mortem, niſi ſupplicibus parceret.

BRITANNI, a Scotis & Pictis vehementer vexati, Aëtio in hæc verba ſcribunt: *Aëtio, ter Conſuli, gemitus Britonum. Repellunt Barbari ad mare; repellit mare ad Barbaros. Inter hæc oriuntur duo genera funerum, aut jugulamur, aut mergimur.* Cum negligerentur, Regem creant *Vortigernum*, is, anno hujus ſeculi 49. *Saxones Anglos* ex Germania, ducibus *Hengiſto* & *Horſa*, fratribus, evocavit, ſedes iis in Cantio aſſignavit, atq; ipſorum ope hoſtes devicit. Poſt hæc *Hengiſtus* conſilia ad occupandum regnum vertens, in convivio quo Regem exceperat, adducta filia *Ronice*, virgine mire formoſa, *Vortigernum* ejus ſpecie ita capit, ut, uxore repudiata, hanc duceret. Ex eo Saxones catervatim in Angliam venere, quos Regina, indigenis excluſis, ad honores promovit. Vortigerno ſucceſſit filius *Vortimerus*.

Mamertus, Epiſcopus Viennenſis, in Delphinatu, ob terræ motum, & ferarum incurſiones, ante Feſtum Aſcenſionis Chriſti, ſupplicationes cum jejunio inſtituit, qui poſtea DIES ROGATIONUM vocati.

FRANCI, circa annum 420. *Pharamundum* Regem creant, & Germaniæ proximas Galliarum oras invadunt, ibique Regnum conſtituunt.

A Pha-

A Pharamundo quintus Rex *Clodovæus* qui A. 485. regnare cœpit, primus Chriſtinam fidem amplexus eſt, quem S. *Remigius*, Epiſcopus Remenſis baptizavit. Occaſio hujus converſionis fuit ſummum periculum in bello cum Alemannis; votum faciente Clodovæo, ſi viciſſet, admiſſurum ſeſe fidem Chriſtianam. A Pharamundo *Salicam legem*, qua, ſequior ſexus in Gallia regnare prohibetur, promulgatam eſſe, plerique exiſtimant. Eam conſtitutionem, Inſignibus, quibus etiamnum Galliæ Reges utuntur, occaſionem dediſſe, arbitratus eſt Boxhornius, ſi non vera conjectura, lepida tamen, & digna, quæ ex Hiſtoria ejus univerſali excerpta, cognoſcatur. Ex præſcripto, inquit, illo, aut præcepto legis Salicæ, quo fœminarum ſexus a ſceptro arcetur, nata ſunt Francorum, quæ hodie adhuc manent, Regni inſignia, in quibus tantum Lilia ſpectantur. Imaginis illius auctores Monachi, aut tales alii, quorum olim ingenio judicioque in aulis plurimum tribuebatur, fuiſſe mihi videntur. Legerant illi haud dubie in Evangelica hiſtoria, *Lilia non nere*. Nere autem, vel lanam facere, quod lilia non faciunt, cum fœminarum proprium ſit, lanam facientes, id eſt, fœminas, (nam & principibus matronis id tribuunt Homerus, & veterum Poëtarum alii) arceri a ſeptro Francorum, per lilia ſignificare voluerunt. Nam ex talibus fontibus hauſtas petitasque olim fuiſſe ejusmodi imagines, ex aliis quoque deprehendo. Imagines quibus utuntur adhuc hodie Scotorum Reges, præter

alia

alia; Inſtrumentum Muſicum repræſentant. Non aliunde petenda ejus rei vel cauſa, vel origo eſt, quam quod celebratiſſimus inter eos Rex ac Legislator, Davidis nomine fuerit inſignitus. Davidi autem, Judæorum clariſſimo Regi, propter Pſalmos, quos condidit ipſe, ac cecinit, & olim, & hodie, ejusmodi inſtrumentum muſicum tribui conſuevit. Hæc ille. Cæterum de Salicæ legis autoribus, ac origine, ſic eſt apud Sigebertum Gemblacenſem ad A. C. 422. *Franci uti cœperunt legibus, & legem Salicam dictaverunt per quatuor gentis ſuæ proceres, electos de pluribus, his appellatos nominibus, Wiſogaſt, Boſogaſt, Salogaſt, Widogaſt, in villis Germaniæ Salechaim, Bodochaim, Wingehaim. Hi quatuor proceres, per tres mallos convenientes, cauſarum origines ſolicite tractantes, de ſingulis diſcutiendo, ſicut lex Salica declarat, judicare decreverunt.*

Fertur vulgo, A. 476. ſedente Papa Simplicio, *Judæos Tiberiadis*, in Palæſtina, Concilium habuiſſe, atque tum & PUNCTA VOCALIA, & ACCENTUS, quibus nunc Codices Hebræi ſacri inſigniuntur, *a R. Ben Aſer, & R. Ben Naphthali* Maſoretarum Principibus, fuiſſe inventos. Cui traditioni tamen fidem neutiquam adjungimus.

Cum Honorius Imperio præeſſet, GOTHI, quod ſupra dictum eſt, Rege *Alarico* ſibi conſtituto, in Italiam irruptionem fecere, a quibus urbs Roma capta fuit. Hanc vero cum diripuiſſent, iterum reliquerunt. Poſtea *Odoacer*, Herulorum & Rugiorum Rex, Italiam ingreſſus, Regis Italici nomen ſumit, capto ad Ticinum

num *Oreſte*, ejusque filio *Auguſtulo*, quem Imperio ſpoliavit: atque ſic Occidentem ab Imperio Romano avulſit, Vrbe Roma iterum direpta. Odoacro regnum eripuit *Theodorus Veronenſis*, Oſtrogothorum Rex, poſt quem *Athalaricus*, *Theodatus*, *Vitiges*, *Theudibaldus*, aliis *Ildovaldus*, *Ataricus*, ſive *Araricus*, *Totilas*, & *Tejas*, e Gothorum gente Reges, in Latio, dominio, quod conſtituerant, præfuerunt. Sed, bello diuturno tandem victi Gothi, multisque cladibus confecti, poſt annos circiter 77. populo Romano provincias quas occupaverant, reddere coacti ſunt, & cum eo in unum mixti populum, paulatim illud invexerunt idioma, quo deinde Itali uti cœperunt.

SECV-

SECVLVM VI.

IMPERATORES ROMANI.

JVSTINVS.

FL. ANICIVS JVSTINVS, quibusdam *Illyricianus*, aliis *Thrax* fuiſſe dicitur. Nimirum, quia *Beberinæ* natus fuit, quæ in limitaneis Illyrici Thraciæque agris ſita erat. Circa originem natalium major diſſenſus eſt. Aliqui enim utroque parente ignobili, ex proſapia humili & ſordida, ortum, & in prima juventa, initio ſuum, deinde boum paſtorem, poſt lignarii cujusdam miniſtrum egiſſe perhibent. Hi autorem ſequuntur Zonaram, & urgent inſuper extremam Juſtini literarum inſcitiam. Quippe, quod apud Procopium eſt in Arcana hiſtoria, ut extaret aliqua in Reſcriptis ejus ſubſcriptio, neceſſe erat machinam aliquam excogitare, tabellam nempe ligneam perpolitam, cui quatuor literæ erant inciſæ. Hac igitur libello impoſita, calamus, eo colore, quo ſcribere mos eſt Imperatoribus, imbutus, Principi tradebatur in manum, quam alii prehenſantes, ducebant, circumagebantque calamum per quatuor illas literarum inciſuras, ut ſic nominis nota remaneret. At contra nonnulli Juſtinum illuſtrem faciunt, ob illud *Anicii* nomen, quod eſt in Numis. Fuit autem *Anicia gens* etiam libera Republica inter præcipuas: atque, quod ex Faſtis Capitolinis conſtat, *L. Anicius Gallus*, Lucii filius,

lius, Marci nepos, Proprætor, A. V. 586. de Illyriis, & eorum Rege Gentio triumphavit. *Lucius* item *Anicius Gallus*, Lucii filius, cum Corn. Cethego A. V. 593. Conſul fuit deſignatus. Eos, qui ſub Imperatoribus, in dignitate vixerunt, Anicios, enarrare longum foret. Florentibus Chriſtianorum rebus, imprimis celebratum eſt nomen hoc, ob *Anicium Julianum*: quoniam, quemadmodum Flavius Conſtantinus primus Imperatorum, ita ille ex Senatoribus Romanis primus Chriſtianus fuit: ac ſicut *Imperatores, Flavii*, ita *Senatores, Anicii* nomen deinde affectarunt. Multa alia ex Prudentio & Claudiano afferre liceret, in gloriam Anicianæ familiæ, ſed illud hoc loco ſufficiat, quod Theodoricus Rex apud Caſſiodorum, Aniciam familiam, tanquam *pæne principibus parem*, &, *toto orbe prædicatam*, dilaudat. Ex hac autem gente, ſi non natus ſit Juſtinus, in eam, per adoptionem, jam Patricium, Senatorem, & Comitem Prætorianorum factum, tranſiiſſe, Chriſtophorus Adamus Rupertus noſter, in notis ad Beſoldi Synopſin, p. 504. & Nicolaus Alemannus ad Procopii ἀνέκδοτα p. 14. conjiciunt.

Cæterum Juſtinus, cum militiæ nomen dediſſet, per gradus ad tribunitiam & conſularem, tandemq; ad Imperatoriam dignitatem aſcendit. Acceperat, Anaſtaſio Imperatore mortuo, ab Eunucho *Amantio* ingentem pecuniam, ut cuidam *Theocritiano*, Amantii amico, militum ſuffragia pararet: ſed Juſtinus, illo auro ſibi devinxit milites, ſibique reddidit obnoxios; Amantium, &

Theo-

Theocritianum inſidias ſibi molientes occidit. Imperium, quod turbidum acceperat, ſumma cum laude per novennium adminiſtravit: & Eccleſiæ quoque commoda, quia orthodoxus erat, promovit. Cum ſenex eſſet Juſtinus, & morti vicinum ſe animadverteret, *Juſtinianum, ſororis ſuæ filium, Imperatorem fecit*, ipſe vero deinde e vulnere pedis, quem ſagitta læſerat, obiit, poſtquam novem annis Imperium magna virtute adminiſtraſſet, vixiſſet annos 77.

Juſtini uxor fuit LVPICIA, ſive LVPICINA, ab eo Auguſtam coronatam, populus, quam, mutato nomine, EVPHEMIAM appellavit.

JVSTINIANVS I.

FL. ANICIVS JVSTINIANVS, Princeps clariſſimæ memoriæ, Imperium per undequadraginta annos adminiſtrans, veterem Romani nominis gloriam reſtituit. Multa ille pace belloque geſſit, atque in bellis imprimis, uſus eſt fideli opera *Beliſarii*, qui, *Antoninam*, Theodoræ, Juſtiniani Conjugis ſororem in matrimonio habebat; & quem Ampliſſimus Vir, Marcus Welſerus, in Antiquitatibus Auguſtanis, cum aliis, Germanum facit, id tamen in dubium vocante Ruperto noſtro ad Beſoldi Synopſin p. 576. Is vero Beliſarius, *Perſas*, ſub Mithridate Rege, in Oriente vicit; *Vandalos* in Africa perdomuit, ducto in triumpho *Giliſmere*, atque ſic Africam a ducentis prope annis ab Imperio avulſam, eidem iterum adjunxit. Amplius *Gothos* in Italia, capto *Vitige* Rege, ſuperavit,

vit, quem, una cum Vxore & Proceribus ejus, Conſtantinopolin miſit. Victor, Romam reverſus, Crucem auream, in qua res ſuæ geſtæ cælatæ erant, in S. Petri Baſilica dicavit, Sylveriumque Papam, Vigilio ſubſtituto, depoſuit. Poſtmodum rurſus contra Perſas miſſus, indeque denuo in Italiam reverſus, *Totilam*, qui captam a ſe Romam funditus deſtruere cogitabat, literis ad eum datis, a propoſito abſterruit, Vrbemque receptam contra eundem fortiter defendit. Redux Conſtantinopolin, *Hunnos* pepulit, & alia multa laudabiliter peregit. Ab aliquibus proditum eſt, Beliſarium denique apud Juſtinianum in ſuſpicionem affectati Regni veniſſe, atque eam ob cauſam utroque oculo fuiſſe orbatum: quare, cum Principis ingratitudinem aliter ulciſci non poſſet, exiguum extra urbem tuguriolum extruxiſſe, ibique per vitam reliquam a prætereuntibus ſtipem emendicaſſe, illud identidem ingerendo: *Da obolum Beliſario, Viator, quem invidia, non culpa, excæcavit*. Sed iſta nugamenta, ex confuſione hiſtoriarum de Johannis Cappadocis infelici exitu, & Beliſarii exauctoratione prognatas eſſe, Eruditi reputant. Nam id quidem negari nequit, Beliſarium, calumniis petitum, dignitate privatum fuiſſe, ſed tamen & illud conſtat, ipſum rediiſſe in Juſtiniani gratiam. Et merito quidem. Quippe *Hypatius*, *Pompejus*, & *Probus* conſobrini, nepotes Anaſtaſii Imperatoris, omni ſeditioſorum turba, armis donisque miniſtratis, illecta, dolis invadere ten-

tentabant Imperium, ac quinque continuis die-
bus, urbem regiam per conſcios depopulati, ipſi
interea, ut fideles Reip. in palatio verſabantur.
Tandem *Hypatius*, torque redimitus aureo, &
Pompejus, ſub veſte loricatus, dum aſcendunt
occupare palatium, proditi trucidatique, ante
perdidere, quam haberent Imperium. In eo
autem tumultu inſignis Beliſarii fides in Juſti-
nianum enituit, qui, quanquam offenſus, & ad
privatam vitam redactus, injuriæ immemor, ad
fores venit palatii, fortiſſimorum globo juve-
num vallatus. Ibi repertum novum Cæſarem
Hypatium, veluti venerabundus accedit, ſtri-
ctoque derepente gladio obtruncat. Sic Juſti-
niano in dignitatem reſtituto, mox & ipſe, poſt
magnum innocentiæ ſuæ exhibitum documen-
tum, priſtinos honores recuperavit. Hac de
re, eſt apud Zonaram, & Nicephorum, extat-
que de eadem, inſigne, ſed horridæ Latinitatis,
fragmentum, ex Chronico MS. Bibliothecæ
Cæſareæ excerptum, in Petri Lambecij tomo
2. de illa Bibliotheca p. 852. in quo nomen *Flo-
rianus*, pro Hypatii ſubſtituitur.

Beliſario haud admodum inferior fuit *Narſes*,
Perſa natione, & eunuchus, qui, ex bibliopola,
ob inſignes animi virtutes, Quæſtor exercitus,
Conſul, ac Patricius, Bellique Dux evaſit. Eum,
poſt Beliſarium, in Italiam miſit Juſtinianus: ubi
Gothos binis præliis ſuperavit, in quorum poſte-
riore *Totila* fuit occiſus. Idem fatum expertus
eſt *Tejas*, Totilæ ſucceſſor, cum eoque Gotho-
rum in Italia Regnum, finem ſum habuit.

Inter pacis opera, a Juſtiniano feliciter per-acta, celebrandum primo loco, auguſtum illud *Templum, Sophiæ*, hoc eſt Dei unigenito Filio, qui vera eſt æterni Patris Sapientia, ab eo dicatum. Id olim a Conſtantino M. Imperatore ædificatum, ſed nuper incendio conſumtum, tanta operis magnificentia reſtituit, ut ſe in ea fabrica, a Salomone conditi Hieroſolymitani templi gloriam longe ſuperaſſe ipſe ſibi videretur. Antequam opus aggrederetur, literas in omnes terrarum partes miſit, quibus jubebat Conſtantinopolin deferre, quicquid ubique gentium ſplendidi, ad ornatum fabricæ faciens, extabat. Materia totos annos ſeptem congerebatur. Dehinc Imperator propriis manibus calcem & lapides accipiens, fundamenti initium poſuit. Aderant operariorum magiſtri numero centum, ſub iis, operarii quinquies mille a dextris, & totidem a ſiniſtris ſtrenue labori incumbebant, ipſam autem formam, qua Templum ædificandum erat, Angelus per quietem Imperatori oſtendiſſe dicitur. Exſcribo quod Carolus Stengelius in Hierologia p. 126. neſcio unde perceptum, enarrat. Cum inter operandum opifices aliquando ad prandium iviſſent, unus ex Magiſtris, *Ignatius* nomine, reliquit ibi filium ſuum, ut omnia inſtrumenta opificum obſervaret. Erat puer annorum circiter quatuordecim. Puerum vero ſedentem, quidam candida veſte indutus compellavit, tanquam Eunuchus e palatio miſſus, dicens: Qua de cauſa fabricatores opus Dei celerrime

non

non perfecerunt, ſed eo relicto omnes ad comedendum abierunt? Dicit puer: primo quoque tempore, mi Domine, aderunt. Iterum ille ait: Abi cito, voca eos. Puero metuente ne aliqua inſtrumenta perirent, Angelus apparens, cum jurejurando adoleſcenti dixit: Abi, loquere cum illis: nam ego hinc non recedam, donec redieris. *Teſtor S. Sophiam, quæ eſt ſermo Dei, nunc ædificari cœptam.* Tale igitur juramentum puer audiens, deſcendit, & invenit patrem ſuum Ignatium, cui hæc omnia explicavit. Pater autem eum ad Imperatorem duxit, qui tunc prandebat. Qui, his auditis, omnes Eunuchos ad ſe vocavit. Cumque neminem ex iis puer agnoſceret, intellexit Imperator Angelum Domini fuiſſe. Cæterum juramentum, quod puer retulerat, obſervabat, & quod albatus eſſet, qui cum adoleſcente loquebatur, & maxillæ ejus ignem emitterent, quodque mirabilis eſſet aſpectus ejus. Imperator vero valde lætatus, Deum, quod ſuo opere oblectaretur, celebravit. Et ex eo tempore nominatum fuit templum S. SOPHIÆ, tametſi Imperator diſpiceret, quomodo templum nominaret. Cum vero Imperator a multis juſtis, & virtute præditis conſilium petiiſſet, dicebant, non oportere puerum eo reverti: ſi enim revertatur, Angelus cuſtos ex loco abibit. Horum ergo conſilio paruit. Cum enim puerum ditaſſet, miſit illum, ut in Inſulis vitam traduceret. Angelus itaque juxta ſuum juramentum, usque in hodiernum diem locum tuetur.

Sed

Sed, Sophiæ templum, officium ſcilicet negligenter admodum faciente cuſtode Angelo, magna ex parte periit, reliquias quæ ſuperant, Turcæ tenent, & prava religione commacularunt.

Aliud, quod nomini ſuo ſtatuit monumentum Juſtinianus, nulla ætas, nulla temporum injuria delebit aut fœdabit, ſed cum æternitate rerum ſemper erit in fama & exiſtimatione hominum. Illud nimirum, quando *Triboniano*, cæteriſque JCtis negotium dedit, ut jus vetus, per immenſa volumina ſparſum, in paucos libros, & certos titulos digererent. Inde *Codex*, *Digeſta*, *& Juris Inſtitutiones* natæ, almæ Juſtitiæ fontes, & rerum humanarum præſidium. His legibus docendis, *Romæ*, *Beryti*, & *Conſtantinopoli* Collegia inſtituta ſunt. Mortuus eſt Juſtinianus, A.C. 565. ætate gravis, cum, teſte Evagrio, *jam in Aphtartodocitarum hæreſin*, quæ Chriſti carnem, etiam ante reſurrectionem, negabat pati aliquid aut corrumpi potuiſſe, impegiſſet, *& Eutychium* Patriarcham, virum ſanctiſſimum, quod ei aſſentiri nollet, ſede ſua dejeciſſet. Hoc imperante, *Serici conficiendi rationem*, Monachi quidam ex India profecti, Conſtantinopolitanos docuerunt, ovis inde translatis; cum hactenus non niſi factum ſericum, e Perſide, Romani negotiatores adveherent.

Juſtiniani Conjux erat THEODORA, de qua omnes conſentiunt, fuiſſe fœminam impotentem, avaram, libidinoſam, & hæreticam. Eam, ob formæ commendationem, a ſcenicis artibus, & meretricio quæſtu abduxit, & matrimonio ſib

ſibi copulavit, illique, plus æquo, ſe addictum præbuit.

JVSTINVS II.

FL. VALERIUS JVSTINVS JVNIOR, *Vigilantia*, Juſtiniani ſorore, & *Dulciſſimo* patre, genitus, princeps disparis fuit initii, & exitus. Principio enim liberalis & orthodoxus, poſtea ſumme avarus, & Pelagianorum patronus extitit. Geſſit cum Perſarum Rege *Cosroë* graviſſimum bellum, in quo clades utrinque datæ, & acceptæ ſunt, donec pax inter utrosque coaluit. Cum *Bulgaris* quoque Juſtino belli negotium interceſſit, adverſus quos Ducem *Tiberium* deſtinavit, a quo Bulgari victi, & trans Iſtrum pulſi fuerunt. Imperavit annos 13. & ante fata, eum, quem modo nominavimus, Tiberium, ſucceſſorem declaravit. Memorabilis eſt, quæ Juſtino imperante accidit *Longobardorum* in Italiam irruptio, cui SOPHIA, conjux illius, mulier procax & imperioſa, occaſionem præbuit. Ab hac enim *Narſes*, quem Italiæ Ducem Juſtinianus conſtituerat, quique eunuchus fuit, cum ejus potentia ſuſpecta nonnihil redderetur, ad peragenda una cum puellis in gynæceo penſa, per literas evocatus fuit. At ipſe injuriæ impatiens, quia ad lanificium poſcebatur, ſe orditurum telam dixit, quam ſemel textam, nulla Penelope, nec quicquid muliebrium Sophiarum eſt, queant retexere. Igitur Italiam, quam a Gothis felicibus armis vindicarat, rurſus perditurus, *Longobardos*, eo tempore militia formidabiles, e Pannonia, ubi paulo ante conſederant, advocat, iisque Italiam in prædam

ſpondet, aditu, obtentuque facilem; quippe viris vacuam, & a recenti adhuc calamitate languentem. Libenter hi morem geſſerunt, & proſpera in Italiam irruptione facta, NOVUM REGNUM, QUOD LONGOBARDIA DICTUM, ibidem fundarunt. Fuit vero Longobardorum Rex primus in Italia *Alboinus*, ſedesque Regia *Papia*, ſive *Ticinum*. Alboinus, cum conjugis *Roſimundæ* (quæ maritum in cranio patris vinum ſibi propinaſse dolebat) fraude, & *Amechtildis* vel *Peredei* ſcelere interiiſſet, ſucceſſit ei *Clephon*; quo pariter mox ob crudelitatem a ſuis cæſo, *XXX. Duces* rerum ſummam ad ſe pertraxerunt.

Eodem tempore, & occaſione Longobardicæ irruptionis, in Italia nova magiſtratus forma inſtituta fuit, quæ dicta eſt EXARCHATUS, vicarias, in ea regione, vices, Imperatorum Orientalium adminiſtrans, &, quod illorum poteſtati ibi ſubjectum ſupererat, cuſtodiens. Morabantur *Exarchi* in urbe *Ravenna*, ac penes illos etiam Pontifices Romanos creandi jus erat. Eorum alii cum Longobardis pacem coluerunt, factis induciis: alii illos contra ſeſe concitarunt. Cum vero diviſa ſic in partes duas Italia, graviter diu laboraſſet, tandem Pontifices Romani, & contra Exarchos, & contra Longobardos, accerſiverunt *Francos*, quorum adventus in Italiam, tanto malo finem attulit. Primus Exarchus fuit *Longinus*, homo ſceleratiſſimus, qui poteſtatem geſſit annos 15.

TIBERIUS.

TIBERII CONSTANTINI, orthodoxæ religionis

gionis ſtudium, cæterasque virtutes, bono Principe dignas, uno ore prædicant Hiſtorici. Reprehenſus *a Sophia* Auguſta, quod, ob nimiam liberalitatem, paupertas ei metuenda ſit, reſpondit, Deum ſe habere remuneratorem. Neque hæc illum fruſtrata eſt fiducia. Non ſolum enim locupletiſſimos *Narſetis Theſauros*, a ſene indicatos, ſed & alios ingentes in palatio, *ſub lapide cruce ſignato*, reperit. Fecit cum Longobardis pacem, *& contra Perſas miſit Mauritium Cappadocem*, qui geminas de iis victorias reportavit. Non autem diu deinde ſuperfuit Tiberius, ſed anno Imperii 7. obiit ex morbo.

Vxorem Tiberius habuit ANASTASIAM, & ex ea filias ante Imperium ſuſceptas, *Charitonam*, quam *Germano* in matrimonium collocavit; & *Conſtantinam*, ſive *Conſtantiam*, *Mauritio*, Duci ſuo bellico, & deinde ſucceſſori etiam, deſponſam.

MAVRITIVS.

FL. MAVRITIVS, vel MAVRITIVS TIBERII, (utraque enim appellatio in Numis eſt) Cappadocia oriundus, virtute, ac peritia rei militaris præſtans, ſuccedit Tiberio ſocero. Initia Imperii læta habuit, ſed finem triſtiſſimum. Bellum ab Oriente ipſi intulerunt *Perſæ*; ab Occidente, *Avares*; qui, cum ſociis *Hunnis*, ex *Aſia* effuſis, *Hungariam* occuparant, Gothis & Gepidis oppreſſis. *Perſicum bellum* varia fortuna geſtum eſt, donec tandem ipſi Perſæ, inter ſe diſcordes, Romanos victores fecerunt. Etenim, *Orimasdæ*, Regi ſuo, effoderant oculos, quem

quem, cum porro *Coſroës* filius occidiſſet, ſubditorum odium, tanto ſcelere contraxit: quare is ad Romanos confugiens, pacem cum Mauritio fecit, cujus auxilio in regnum eſt reductus. Cum *Avaribus* (Scythiæ Europææ hi populi erant,) quorum Rex *Caganus*, pugnatum eſt infeliciter, ingensque Romanorum a barbaris capta eſt multitudo, ita ut duodecim millia ſuperaret. Pro horum ſingulis redimendis, cum Caganus *aureum numum* poſceret, & Mauritius pecuniam numerare nollet, Caganus omnes juſſit trucidari. Hanc ob rem tantam militum & ſubditorum indignationem provocavit Mauritius, ut eo repudiato, *Focam* Centurionem Imperatorem eligerent. Ajunt quoque Mauritium, a viro divinæ ſpeciei per quietem interrogatum eſſe, utrum in hac an in futura vita, delicti in captivos admiſſi, pœnas dare mallet? reſpondiſſe vero: *Amator hominum Domine, & judex juſte, hic potius, & non in illo ſeculo.* Ergo haud multo poſt *Focas*, *Mauritium, herum ſuum, una cum uxore, liberis*, & quotquot affinitate ac amicitia illi juncti erant, crudeliſſime obtruncavit. Agnovit autem Mauritius, in ipſa pœna, juſtum Dei judicium, quamobrem mala ſua tulit animo forti, ſemper ingeminando ex Pſ. CXIX. *Juſtus es Domine, & juſta judicia tua.* Sed & unum ex filiis occultante nutrice, ac ſuum pro illo ſubjiciente, piam fraudem ultro detexit; nec alium occidi paſſus eſt.

Mauritii Conjugem fuiſſe CONSTANTINAM,

Tibe-

Tiberii Cæſaris filiam, jam modo dictum eſt. Ea filios 6. & tres filias peperit, qui omnes una cum illa, ac infelici patre, vita fuere privati.

PONTIFICES ROMANI.

SYMMACHVS.

Symmachus, natione Sardus, mortuo Anaſtaſio, Pontifex creatus eſt, non ſine magna diſcordia. Pars enim Cleri, *Laurentium*, ſucceſſorem deſignaverat. Tanta ergo, quod Paulus Diaconus l. 17. ſcripſit, *diſſenſio facta eſt, ut Fauſtus, Senatorum nobiliſſimus, & Exconſul, & alius Exconſul Probinus, partibus Laurentii faventes, adverſus Fauſtum Exconſulem, cæteroſque qui Symmacho adhærebant, Pontifici bellum inferrent, multaſque cædes & homicidia, in medio urbis facientes, pleroſque ex Sacerdotali numero, multos etiam Clericorum, perplures Civium Romanorum extinguerent.* His malis ut remedium inveniretur, inter utrumque electum convenit, Ravennam proficiſci, & Regis *Theodorici* judicio ſtare. Is vero *Symmachum* approbavit, qui annos fere 16. ſediſſe, ac conſtituiſſe dicitur, ne quis Clericus, cum muliere, niſi ſanguine conjuncta, habitaret.

HORMISDA.

Hormisda, natione Campanus, patria Fruſinâs, Eutychianam hæreſin oppugnare ſtuduit. Manichæos quoque urbe pepulit, eorumque libros, ante fores Baſilicæ Conſtantinianæ, igne combuſſit. Sedit annos 9.

JO-

JOHANNES I.

Johannes, Thuſcus natione, a *Theodorico* Rege, ad Juſtinum Imperatorem Legatus miſſus eſt, ut eum rogaret, ab Arianis perſequendis abſtineret. Reverſum, quaſi mandatis non paruiſſet, Theodoricus in carcerem conjecit. In hoc, pedore & inedia confectus, vitam finivit, anno poſtquam electus fuerat ſecundo.

FELIX IV.

Felix IV. natione Samnita, quatuor annos ſediſſe, ac *Extremam unctionem*, moribundorum in gratiam inſtituiſſe dicitur.

BONIFACIVS II.

Poſt Felicem, pars Cleri & Senatus, *Dioſcorum*, pars *Bonifacium* elegit. Sed Dioſcorus, poſt paucos dies, vitam cum morte commutans, Bonifacium moleſtia liberavit. De hoc Bonifacio II. proditum eſt, ipſum in Miſſarum ſacris, Clerum a Laicis ſejunxiſſe. Idem, vivus, *Vigilium* Diaconum ſibi conſtituit ſucceſſorem, Clerique juramento ac chirographo electionem ſtabilivit. Ab illo ipſo tamen poſtea reſciſſa fuit hæc electio, & decretum de ea factum, publice exuſtum. Rexit Bonifacius Eccleſiam annis 2.

JOHANNES II.

Johannis II. qui Romanus patria erat, eloquentia ac facundia celebrantur, quæ illi *Mercurii* nomen pepererunt. Sedit annis duobus. Coëgit Romæ *Concilium* ad decidendam quæſtionem, num dici queat: *unum de Trinitate eſſe paſſum.*

Poſt

Poſt annuam conſultationem ſtatutum fuit, poſſe id dici, ſed ſecurius addi, paſſum eſſe in carne.

AGAPETVS.

Agapetus, & ipſe patria Romanus, patre *Gordiano* presbytero genitus, primus Romæ *Scholas Theologicas* inſtituiſſe dicitur. Hunc *Theodatus* Gothorum Rex, qui conjugem ſuam *Amalaſuntham*, Regis Theodori filiam, trucidaverat, ad Juſtinianum, ideo commotiorem, placandum miſit, in qua Legatione Agapetus diem obiit, cum non niſi annum unum ſediſſet.

SYLVERIVS.

Sylverius, Campanus patria, nolens *Anthemium* hæreticum ſuo Epiſopatui Conſtantinopolitano reddere, falſo a *Theodora* Juſtiniani, & *Antonina* Beliſarii conjugibus accuſatus, quaſi Romam Gothis perdere voluiſſet, in *Pontiam* Inſulam exulatum ire juſſus eſt, ubi in egeſtate vitam finiit. Tribuunt huic annos duos.

VIGILIVS.

Vigilius, *gratia Theodoræ* pontificalem dignitatem obtinuit, ſed quæ illum deinde eâdem privavit, & Conſtantinopolim evocatum, contumeliis verberibusque ad necem usque afflixit. Ajunt eum ſediſſe annos 18.

PELAGIVS. I.

Pelagius, annos 11. ſediſſe, & *Horas Canonicas*, *ac mortuorum anniverſariam recordationem* inſtituiſſe dicitur. Tulit item legem, *de puniendis hæreticis per poteſtatem civilem*; & de nemine per

ambi-

ambitionem aut dona, admittendo ad ſacros ordines.

JOHANNES III.

Johannes III. ſedit annos 12. abſolvitque *templum, a Vigilio*, in honorem Philippi & Jacobi Apoſtolorum inchoatum: adauxit quoque cœmeteria Martyrum.

BENEDICTVS I.

Benedictum, ajunt ſediſſe annos 4. & vehementer dilexiſſe pauperes. Obiit æger, ob cladem & vaſtationem, quam illo tempore Longobardi Italiæ inferre cœperunt.

PELAGIVS II.

Pelagius II. cum ſine conſenſu *Mauritii* Imperatoris, qui tum rebus præerat, electus eſſet, *Gregorium* poſtea ſucceſſorem, tunc Diaconum, ad eum miſit, excuſaturum hanc culpam, eo quod Roma a Longobardis obſeſſa fuiſſet. Ajunt, hunc Patriarchalem dignitatem ab Aquileja Gradum tranſtuliſſe, faciendo hunc Præſulem provinciæ Venetæ Metropolitanum. Sedit annos 10.

GREGORIVS M.

Gregorius M. Romæ, e nobili genere, patre *Gordiano*, matre *Sylvia*, natus fuit. Coluit a puero ſtudia, iiſque, una cum morum ſanctitate, ita excelluit, *ut Sedes Romana*, Platinæ judicio, ab illo ævo, ad ſua uſque tempora, *neminem ex ſucceſſoribus parem habuerit, nedum ſuperiorem, vel ſanctitate vitæ, vel diligentia in rebus agendis, vel doctrina & ſcriptis.* Fuit initio Præfectus Vrbis,

bis, poſtea Monachus, atque tandem evaſit Pontifex, quanquam invitus. Delituit enim, ſi Breviario Romano fides, ſub alieno veſtitu, in ſpelunca: ubi igneæ columnæ indicio deprehenſus, nolens in S. Petri templum deductus, ibidemque conſecratus fuit. *In Pontificatu*, quæ propria Breviarii & notabilia verba ſunt, *multa, Succeſſoribus, doctrinæ, ac ſanctitatis exempla reliquit. Peregrinos quotidie ad menſam adhibebat: in quibus & Angelum, & Dominum Angelorum peregrini facie accepit. Pauperes, & urbanos, & externos, quorum numerum deſcriptum habebat, benigne ſuſtentabat.* Idem *Conciones* habuit ad populum, compoſuit *Hymnos* ſacros, auxitque Canonem Miſſæ. Graſſante peſte inſtituit *Litanias*, & proceſſiones publicas: cumque ad *Molem Hadriani* perventum eſſet, apparuiſſe ei dicitur Angelus ſupra Molem, nudatum gladium in vaginam condens, in ſignum placati Numinis. Porro magnam diligentiam adhibuit Gregorius, in convertendis Anglis, atque, quia miſſo illuc *Auguſtino Abbate*, cum 40. ſociis, magnam Inſulæ partem a Paganiſmo ad Chriſti fidem perduxit, ideo Beda Anglorum Apoſtolum eum appellat. Cum Mauritius Imperator, Johanni Conſtantinopolitano Patriarchæ, titulum *Oecumenici Epiſcopi* conceſſiſſet, tam ægre id tulit Gregorius, ut hoc præconium, tanquam notam Antichriſti, & blaſphemiam infamaret: ipſe vero *Servus Servorum* vocari voluit; quam appellationem Succeſſoribus ejus conſtanter retinere viſum eſt. Quidam, *Purgatorii*, *Miſſarumque pro vivis & mortuis*, origi-

originem, ad hunc Gregorium referunt, quod nimis credulus eſſet, & Spectrorum apparitionibus multum deferret. Sedit annos fere 14.

SCRIPTORES SACRI.

S. FULGENTIUS.

FUlgentius, Carthaginienſis, Eccleſiæ *Ruſpenſis* Epiſcopus, pietate ac doctrina claruit, ac inter cætera, ſcripſit *Epiſtolas 7.* ſatis prolixas, inſtar librorum, itemque *Sermones* multos, varii argumenti, e quibus ſoli decem ſuperſunt: nec minus librum plane aureum, *de Incarnatione Verbi*, contra Neſtorium & Eutychen. Multa ab hæreticis paſſus, & bis cum 200. Epiſcopis in exilium pulſus, ac bis revocatus eſt.

ENNODIUS.

Ennodius, quem corrupte quidam *Evodium* vocant, Epiſcopus Ticinenſis fuit, ſcripſitque librum *Apologeticum*, pro quarta Synodo quæ ſub Symmacho habita, quin & alia quædam.

PETRUS DIACONUS.

Petrus Diaconus, æqualis S. Fulgentii fuit, uti conſtat ex libris invicem ſcriptis. Compoſuit enim librum *de Incarnatione & gratia Chriſti*, ad S. Fulgentium, & alios Epiſcopos Africanos: qui liber, in operibus Fulgentii, illi, quem iſte de eodem argumento exaravit, præmittitur.

EUGIPPIUS.

Eugippius, Abbas Africanus, magno labore & in-

& induſtria compoſuit tomos duos *Theſaurorum S. Auguſtini*: in quorum *priorem* retulit, quæ S. Auguſtinus ſcripſerat de Anima, de Charitate, de Reſurrectione, de Judicio, de vita ac morte æterna. In *Poſteriore* habentur Diſputationes adverſus Arianos, Donatiſtas, Manichæos, & Pelagianos. Vocatur id opus alias *Defloratio librorum S. Auguſtini.*

MARCELLINUS COMES.

Marcellinus Comes, Illyricianus, edidit *Chronicon*. Ab illo tempore orſus eſt, ubi S. Hieronymus deſierat, idque, præter alias editiones, quas Joſ. Scaliger, & Sirmondus dederunt, extat etiam to. 7. Bibl. SS. Patrum.

AVITVS ALCIMVS.

Avitus Alcimus, Epiſcopus Viennenſis in Gallia, ſcripſit *libros 5. Carminum in Geneſin & Exodum*: item *librum de Caſtitate ad ſororem*; qui neutiquam ſunt contemnendi. Ejus *Poëmata in Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Joſuam & Judices*, in lucem ſe prolaturum Phil. Labbeus in Bibliotheca nova promiſit.

BOETHIUS SEVERINUS.

Boëthius Severinus, Vir Senatoriæ & Conſularis dignitatis, *græce & latine eruditiſſimus fuit*, multosque in Philoſophia, & aliis diſciplinis, tam ſoluta, quam ligata oratione, conſcriptos libros, poſteritati conſecravit. Inter reliquos, facile eminet libellus egregius de *Conſolatione Philoſophica*, quem ſenex, in exilio, in quod a *Theodorico*

rico Rege Italiæ, quia adverſus eum Senatus Romani autoritatem tueri nitebatur, conjectus eſt, compoſuit. Plexus eſt tandem capite Boëthius, una cum *Symmacho* ſocero; juſſu Theodorici; ſed, qui paulo poſt, cum caput piſcis menſæ apponeretur, quaſi Symmachi caput eſſet; territus, atque ad mentis usque exitium optimorum virorum necem deflens, animam efflavit. Apud Baronium ad A.C. 526. n. 17. legitur, Boëthium capite truncatum, caput ſuum utraque manu ſuſtentaviſſe, inque viciniam Eccleſiam ingreſſum, flexis ibi genibus Euchariſtiam ſumſiſſe, atque ſic demum Deo reddidiſſe ſpiritum.

DIONYSIUS EXIGUUS.

Dionyſius, cognomento Exiguus, ſed magnus doctrina & vitæ ſanctimonia, ſcripſit *Cyclum Paſchalem*, primusque morem induxit numerandi annos a nativitate Chriſti, unde etiamnum *Æra Dionyſii* dicitur. Ante hanc, *Diocletiani Æra* obtinuit.

PRIMARIUS.

Primarius, Africanus Epiſcopus, reliquit *Commentarium, in Epiſtolas Pauli, & Apocalypſin.*

CASSIODORUS.

Aurelius Caſſiodorus, Senator, & Regi Theodorico ab Epiſtolis fuit, ſcripſitque illo tempore *Variarum Epiſtolarum libros 12.* itemque *Chronicon breve*, a Mundi exordio, ad tempora uſque Theodorici Regis Italiæ. Scripſit etiam *libros 12. de Rebus geſtis Gothorum*, quorum compendium fecit Jornandes, Ravennæ Epiſcopus. Poſthæc digni-

dignitatibus mundi renuncians Caſſiodorus, *Monachus* factus, Abbatiam Ravennatem ſuſcepit, ſeque totum Divinis ſtudiis addixit. Inde prodierunt *libri duo* de *Inſtitutionibus Divinarum lectionum: Commentarii in omnes Pſalmos, & Canticum Canticorum.* Idem, *Hiſtoriam Tripartitam*, ex libris Socratis, Theodoreti, & Sozomeni, per *Epiphanium Scholaſticum* in latinam linguam verſis, confecit.

ANASTASIUS SINAITA.

Anaſtaſius Sinaita, Epiſcopus Antiochenus, ſcripſit plurima: ſed nihil ſupereſt, præter Ὀδηγὸν ſive *Viæ Ducem, contra Acephalos; libros* II. *Anagogicarum contemplationum in Hexaëmeron*, & *libros* 5. *de Fidei dogmatibus.*

ARATOR.

Aratoris, Romanæ Eccleſiæ Subdiaconi, extant *libri duo Carminum*, quibus Acta Apoſtolorum complexus eſt. Eos Vigilio Papæ obtulit, illoque permittente publice recitavit. Habentur in Bibl. SS. Patrum To. 8.

JUNILIUS.

Junilius, Epiſcopus Africanus, ſcripſit *libros duos de partibus Divinæ Legis ad Primaſium*, qui extant in Tomi I. Biblioth. SS. Patrum principio.

VENANTIUS FORTUNATUS.

Venantius Fortunatus, Epiſcopus Pictavienſis, edidit *vitam S. Hilarii*, itemque plurima *Carmina Sacra*, quæ habentur Tomo 8. Bibl. SS. Patrum, inter quæ eminent, ac in vulgus nota ſunt,

quorum eſt principium: *Vexilla Regis prodeunt:* Item: *Pange linguaglorioſi &c.* Nec non; *Salve feſta dies toto venerabilis ævo &c.*

EVAGRIUS.

Evagrius, *Scholaſtici* cognomen habet. Vixit ſub Tiberio & Mauritio, & *libros 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* conſcripſit. Inchoavit eam, ubi Socrates ac Theodoretus deſinunt: perduxit vero uſque ad annum 12. Mauritii. Stylus non inelegans eſt, tum ipſa rerum recenſio culpari nequit.

GREGORIUS TURONENSIS.

Gregorius, patria fuit Arvernus, & Turonenſem geſſit Epiſcopatum. Cum graviter decumberet, convaluiſſe dicitur hauſta aqua, cui pulverem e ſepulchro S. Martini immiſcuerat. Scripſit *de Hiſtoria Francorum libros 10. de Gloria Confeſſorum libros 2. de Miraculis S. Martini libros 4.* & quædam alia. Culpatur ejus nimia ſimplicitas, quæ facit, ut in omnibus fidem haud mereatur.

GREGORIUS MAGNUS.

In Breviario Romano legitur, Petrum Diaconum teſtatum eſſe, ſe, cum Gregorius M. Pontifex libros ſuos dictaret, ſæpe vidiſſe Spiritum S. columbæ ſpecie illius capiti inſidentem. Extant vero opera ejus: *Expoſitio Moralis in Job, libris 38. Epiſtolarum libri 12. In Ezechielem Homiliæ 22. Expoſitio in Canticum Canticorum*, itemque alia. *Dialogos*, qui vulgo Gregorii nomine circumferuntur, non hunc, ſed alium, qui VIII. Seculo vixit, autorem habere, Eruditiores judicant,

cant, e quibus Voſſius l. 2. de Hiſt. Latin. c. 23. conſuli poteſt. Lambecius, ex MS. Codice Cæſareo, Tomo 2. de Biblioth. Vindob. inſeruit *S. Gregorii Magni Benedictionale*, ſive Syntagma, ſolemnium ſacrarum Benedictionum, quondam in Eccleſia uſitatarum.

HÆRETICI.

MONOPHYSITÆ.

MOnophyſitæ, unam tantum Verbi & carnis naturam, poſt ineffabilem unionem in Chriſto eſſe, perperam docuerunt.

APHTHARTODOCITÆ.

Aphthartodocitæ, ex Eutychianorum hæreſi progerminarunt, docentes, Chriſtum, a conceptione, corpus immortale habuiſſe.

MONOTHELETÆ.

Monotheletarum hæreſin, *Macarius* Antiochenus Epiſcopus cœpiſſe dicitur. Iſti unicam tantum in Chriſto naturam, ex duabus mixtam. unam item ejus tantum actionem & voluntatem admittebant.

AGNOETÆ.

Agnoëtarum autor fuit *Themiſtius* quidam, Diaconus Alexandrinus, qui ex male intellecto loco Matth. XXIV. *De die autem illa & hora nemo ſcit, neque Angeli cœlorum, niſi ſolus Pater:* Chriſto, ſupremum judicii diem, etiam ſecundum divinam naturam, incognitum fuiſſe, tradidit.

ACEPHALI.

Acephali, ſic dicti, *quod omnes hujus factionis ſimul exorti*, nullum autorem habuerunt, a quo originem traxiſſe dicerentur. Iſti dicebant anathema Concilio Chalcedonenſi, & duarum in Chriſto ſubſtantiarum proprietatem impugnabant. Prodiere primum imperante Anaſtaſio, ſed, hoc ſeculo ſexto Ducem nacti *Severum Antiochenum*, *Severiani* deinde, & *Severitæ* dicti ſunt.

JACOBITÆ.

Jacobus, cognomento *Zanzalus*, Jacobitarum hæreſin, quæ hodieque per Ægyptum, Abyſſiniam, Syriam, & totum Orientem diffunditur, auſpicatus eſt. Agnoſcunt tantummodo divinam in Chriſto naturam, circumciduntur, & ferro candente ſibi crucem inurunt.

ARMENII.

Armeniorum ſecta, ex Arianiſmo, Apollinariſmo, Marcianiſmo, aliiſque hæreſibus conflata eſt. Ex Judaiſmo Armenii quoque retinent immolationem *agni Paſchalis*, ſanguine ejus poſtes ædium ſuarum inungentes, & toſtam carnem ſimul comedentes.

SCRIPTORES PROFANI.

PRISCIANUS.

PRiſcianus, Grammaticus, Cæſareæ natus, ſub Juſtiniano Imperatore floruit. Scripſit *de Arte Grammatica* ad Julianum Conſulem, nec

non

non librum *de Quæſtionibus Naturalibus*, ad Regem Perſarum Coſroëm. Sunt qui Chriſtianum primo fuiſſe dicunt, poſtmodum fidei deſertorem.

Hesychius Milesius.

Hesychius, Mileſius, nobis *Compendium de vitis Philoſophorum*, quod Joh. Meurſius notis illuſtravit, item *Origines Conſtantinopolitanas* reliquit.

Agathias.

Agathias, Myrinenſis, Poëta, & Hiſtoricus, compoſuit 5. *libros de Imperio & geſtis Juſtiniani*: item *Epigrammata*, quæ paſſim in Anthologia leguntur.

Jornandes.

Jornandes, Gothus, primo Gothorum Notarius, deinde Ravennæ Epiſcopus, tempore Juſtiniani floruit. Condidit *librum de Rebus Geticis*. Eo complexus eſt, quæ *Caſſiodorus* fuſe perſecutus fuerat libris 12. ejusdem argumenti. Edidit etiam *librum de Regnorum & temporum ſucceſſione*, in quo res Romanas, á Romulo, usque ad Auguſtum, fere ex Floro exſcripſit.

Martianus Capella.

Martianus Capella, Carthaginienſis, ſcripſit *de Nuptiis Mercurii & Philologiæ libros* 9. Scaliger in Notis ad Cirin, varie eruditum, ſed tamen barbarum ſcriptorem appellat. Hugo Grotius XIV. annorum adoleſcens, Martianum Capellam, feliciſſime paſſim, cum antea eſſet cor-

ruptiſſimus, reſtituit, annoque uno aut altero poſt evulgavit.

TRIBONIANUS.

Triboniani JCti opera, *Juſtinianus Imperator*, in digerendis Juris Civilis legibus, præcipue uſus eſt: quare eum *virum glorioſiſſimum, excelſumque* appellat. Sed apud Suidam, Tribonianus, longe aliter, imo vero peſſime audit. Nam, iſte, inquit, gentilis fuit & impius, omnibus modis a Chriſtiana religione alienus, adulator, & impoſtor; qui perſuadere conabatur Imperatori, eum non moriturum. Et paulo poſt: Hic & ingenii facultate utebatur, & ad ſummam pervenerat eruditionem; nemine ſuæ ætatis inferior. Pecuniæ ad miraculum avidus, jus pro pretio vendere ſolitus. Triboniani in componendis libris prudentiæ civilis, adjutores fuerunt, *Dorotheus, Theophilus, Dioſcorus, Johannes Patricius*, & alii.

PROCOPIUS.

Procopius, Rhetor, & Sophiſta, Juſtiniani Imperatoris tempore, *Beliſarii* egregia facinora literis conſignavit. Continet ejus *Hiſtoria, libris octo*, bellum Perſicum, Vandalicum, & Gothicum, quorum omnium Synopſin quandam & conſpectum nobis exhibuit *Agathias*. Scripſit Procopius aliam *Hiſtoriam Arcanam*, qua Juſtinianum & Theodoram graviſſime perſtrinxit. Eam primus ex Bibliotheca Vaticana edidit Nicolaus Alemannus.

VICTOR TUNNUNENSIS.

Victor Tunnunenſis, floruit Juſtiniani Imperatoris

ratoris temporibus, & *Chronicon*, a principio mundi, uſque ad primum Juſtini junioris imperii annum, conſcripſit, cujus fragmenta ſuperſunt pauciſſima. Refertur a quibusdam inter hujus ævi Scriptores Sacros.

MEMORABILIA.

ANno Chriſti 551. convocatum eſt a Juſtiniano CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM II. quodque quintum inter Oecumenica locum obtinet. Congregati fuere Patres 165. tum quia *reliquiæ Neſtorii & Eutychis* adhuc turbabant Eccleſias in Oriente, tum quia Monachi in Palæſtina, Origenis dogmata de omnibus animabus humanis ab initio mundi conditis, de diabolorum futura aliquando ſalute, & alia ejus generis renovabant. Ratum habuit hoc Concilium decreta Oecumenicarum Synodorum: tum rejecit *Theodori Epiſcopi Mopſoveſtiæ* dogma blaſphemum, de Chriſto nudo homine; item Origenis allegorias & abſurda dogmata, cum *Theodoreti* ſcripto, quod 12. articulis Cyrilli oppoſuerat.

BENEDICTUS, ex nobili *Aniciorum familia*, in urbe Nurcia natus eſt A. 480. Pertæſus tumultus bellicos, qui ſub Juſtiniano exorti erant, *Sublacum* ſeceſſit. Deinde cum a frequentibus adiretur, vitandæ gloriæ gratia, *Caſſinum*, perveтuſtum in Vmbria oppidum, petiit, ibique *Monaſterium Caſſinenſe*, quod omnium in Occidente

eſt

eſt antiquiſſimum, condidit, unde & *Pater Monachorum Occidentalium* vulgo dicitur. Deceſſit in eodem monaſterio, ibique cum *Scholaſtica* ſorore eſt ſepultus. Johannes Trithemius, qui Benedictino Ordini nomen deinde dedit, & Sec. XV. florebat, librum edidit de hujus Ordinis Viris Illuſtribus. Eo affirmat, XV. Monaſteriorum millia, partim Monachorum, partim Sanctimonialium jam tunc extitiſſe. Amplius, dediſſe hunc ordinem Pontifices 18. Cardinales 184. Archiepiſcopos 1164. Epiſcopos 3512. & quidem omnes ante Conſtantienſe Concilium A. 1417. celebratum.

Anno 528. ANTIOCHIA magnum terræ motum paſſa eſt, quo ædificia multa conciderunt, & 4870. homines ruinis oppreſſi perierunt. Cives itaque nudipedes urbe exeuntes, Deum ſupplicationibus ac Litaniis placare ſtudebant, crebris ejulatibus, Κύριε ἐλέησον, exclamantes. Ibi vir quidam pius, viſione divina monitus, præcepit civibus, ut ſuperioribus ædium ſuarum poſtibus inſcriberent: *Chriſtus nobiſcum: State.* Quo facto, ira divina reſedit.

Anno 555. Terræ motus concuſſit CONSTANTINOPOLIN. Plurimæ ædes ſacræ, ac mœnia ipſa multis in locis conciderunt. Mare ad duo millia paſſuum ab urbe receſſit, & innumeræ naves ſubmerſæ ſunt. *Berytus* urbs, ubi Schola juriſprudentiæ erat, everſa eſt; ex qua juris Doctores *Sidonem* conceſſerunt. Eo terræ motu etiam *Ægyptus* concuſſa eſt, quæ ab hoc malo cæteroqui ſolet eſſe immunis.

Vetus

Vetus erat Conſtantinopoli conſuetudo, ut ad reſidua ex immaculato corpore Chriſti conſecrato, manducanda, pueri impuberes, ſcholas frequentantes, accerſerentur. Venit aliquando cum Chriſtianorum pueris, etiam Puer Hebræus, vitrearii filius, eodemque cibo paſtus eſt. Hunc domum reverſum, & rem prodentem, pater in fornacem in qua vitra coquebat conjecit, matre ignara. Illa cum per triduum puerum fruſtra quæſiviſſet, hoc exacto ipſum reperit in fornace ardente ſalvum & incolumem. Rogatus, quo pacto illæſus manſiſſet? reſpondit: Mulier, veſte amicta purpurea, crebro ad me venit, porrexit aquam, qua carbonum flammam corpus ambientem, extinguerem, cibumque dedit, quoties eſuriebam. Qua re ad Juſtinianum perlata, puerum cum matre baptizare, patrem, baptiſmum admittere renuentem, cruci affigere juſſit. Evagr. l.4. Hiſt. Eccl.

Hoc ſeculo Sclavi, ex Boſphoro, & Ruſſia, bipartito egrediuntur. Pars, transmiſſo Iſtro, abit in ea loca ſecundum Savum amnem, quæ etiam nunc retinent *Sclavoniæ* nomen. Pars, ad Septentrionem deflectit, creatisque duobus fratribus ducibus, iterum ſe ſeparat in duos exercitus: quorum unum *Lechus* duxit in eam regionem quæ nunc *Polonia* vocatur: alter, *Sechum* ſequutus, ibi conſedit, ubi deinde *Bohemiæ* regnum.

Lon-

LONGOBARDORUM, quos Narſes in Italiam evocaverat, primus ibi Rex ſuit, *Alboinus.* Hunc ordine exceperunt Succeſſores: *Clepho*, *Autharis*, *Agilulfus*, *Adoaldus* ſive *Adalvaldus*, *Artoaldus*, *Rotharis*, *Rodoaldus*, *Aribertus*, *Gundebertus*, *Pertharitus*, *Grimoaldus*, *Garibaldus*, *Cunibertus*, *Luitbertus*, *Ragumbertus*, *Aribertus II.* *Aſprandus*, *Luitprandus*, *Hildebrandus*, *Rathis* ſive *Rachis*, *Aiſtulphus*, & ultimus, *Deſiderius*, quem Carolus M. vicit, & ſimul Longobardico Regno finem impoſuit.

SECVLVM VII.

IMPERATORES ROMANI.

FOCAS.

FL. FOCAS (ſic in Numis nomen deſcribitur,) peremto Mauritio, imperium, eadem qua ſibi quæſiverat, immanitate, per octo fere annos adminiſtravit. Avariſſimus erat, eosque imprimis charos habebat, qui exactionibus & tributis populum vexabant, nec minus libidini & ſocordiæ ſe dabat. Interea loci *Coſroës*, Perſarum Rex, tanquam Mauritii, a quo in regnum reſtitutus fuerat, necem vindicaturus, Romanos fines populatus eſt, ac torrentis inſtar cuncta rapiens, *Chalcedonem* usque in Bithyniam pervaſit. Idem direptis Hieroſolymis, ſacram *Crucem*, qua Chriſtus pependit, abſtulit. Hinc, cum Focas omnium odium adverſus ſe concitaſſet, *Heraclius*, Africæ præfectus, Procerum rogatu ei bellum movit, ipſumque acie victum, primo pedibus calcavit, deinde, virilitate ademta, obtruncavit, & combuſſit.

Vxor Focæ, adhuc privato, obtigit LEONTIA, e qua filiam *Domantiam* ſuſcepit, nuptam *Priſco*, Præfecto Prætorio: qui deinde, cum aliis, adverſus Focam ſocerum conſpiravit.

HERACLIVS.

FL. HERACLIVS, *Heraclii* Patricii & Prætoris filius, communibus Senatus & Exercitus ſuffra-

ſuffragiis Imperator creatus, inter prima Regni rudimenta, *Coſroë*, Perſarum Rege, divinitus debellato, *Syriam ac Hieroſolymam*, eidem rurſus extorſit, quin & Domini noſtri *Crucem*, anno ab amiſſione ejus XIV. captivosque omnes, una cum Patriarcha Hieroſolymitano *Zacharia*, recepit. Quamobrem Conſtantinopolin reverſus, magno plauſu, & gratulatione, à Patriarcha *Sergio*, omnique Populo eſt exceptus. Anno ſequenti Hieroſolymam abiens, S. *Crucis lignum*, ſuis humeris in montem Calvariæ deportavit, ibidemque ſtatuit ſuo loco, hoc eſt illo, ubi Chriſtus in ea pependerat. Atque hæc quidem religioſitas, non caruit *miraculo*, quod deſcribemus verbis fere, quibus in Breviarium Romanum fuit relatum. Scilicet, Heraclius, Crucem, ut erat auro & gemmis ornatus, bajulans, ſubſiſtere coactus eſt in porta, quæ ad Calvariæ montem ducebat; & quo magis progredi conabatur, eo magis ſentiebat ſe retineri. Cum vero ob eam rem, & ipſe Heraclius, & reliqui omnes obſtupeſcerent, Zacharias, Hieroſolymorum Antiſtes, vide, inquiebat, Imperator, ne iſto triumphali ornatu, in cruce ferenda, parum Jeſu Chriſti paupertatem, & humilitatem imiteris. Tum Heraclius, abjecto ampliſſimo veſtitu, detractisque calceis, ac plebejo habitu indutus, reliquum viæ facile confecit. In hujus ergo rei memoriam, *Eccleſia Romana feſtum Exaltationis Crucis annuatim celebrat*. Poſt dedicatam Crucem, Heraclius omnes Judæos Hieroſolymis expulit, addito edicto, ne quis eorum intra

tertium

tertium milliare Vrbem adiret. Non tamen diu ibi loci Crux permanſit. *Saraceni* enim, fœderis, quod ſibi ignominioſum eſſe Heraclius putabat, violatione irritati, Syriam occuparunt, & tantum terrorem Imperatori injecerunt, *ut S. Crucem Conſtantinopolin* transferre cogeretur: & ſane paulo poſt Hieroſolyma a Saracenis capta eſt. Seduxit tandem bonum Imperatorem *Athanaſius* Patriarcha Jacobitarum, ad Monotheletarum hæreſin. idemq; Heraclius hoc quoque flagitii admiſit, ut *Martinam*, fratris filiam uxorem duceret. Hinc vitæ exitum infelicem habuit, quippe in priapiſmum incidit, ita, ut veretrum ſemper tentum haberet, adeo, ut quoties mejeret, niſi objecta tabula id prohiberet, vultum lotio conſpergeret. Acceſſit deinde hydrops, ex quo mortuus eſt, cum imperaſſet annis 31.

Prima Heraclii uxor fuit FABIA EVDOXIA, filia *Rogati* Africani, quæ poſt maritum Auguſtum appellatum, *Eudoxia* cognominata eſt, cum prius tantum *Fabiæ* nomen haberet. Ea peperit *Epiphaniam* filiam, & filium *Conſtantinum*. Altera Conjux Heraclii fuit MARTINA, ipſius e fratre filia, quam, quarto Imperii ſui anno duxit, data omnibus poteſtate, ejusmodi conjugia ineundi. Ex hac *Heracleonam* & *Davidem* filios ſuſcepit: ſed quorum alter cervicem in neutram partem inflectere, alter audire non poterat. Manſit marito ſuperſtes, & ut filio proprio pararet Imperium, *Conſtantinum* privignum veneno ſuſtulit.

CONSTANTINVS III.

FL. CONSTANTINVS III. Heraclii ex *Fabia Eudoxia* filius; ſolos quatuor menſes imperavit: nam,longiore imperii, quin & vitæ uſura, eum noverca *Martina* privavit.

Vxor huic fuit GREGORIA, Nicetæ Patricii filia; quæ,marito *Conſtantem*, poſtea Imperatorem,& *Theodoſium* peperit.

HERACLEONAS.

Sublato Conſtantino, alter Heraclii ex Martina filius, FL. HERACLEONAS,matre id ſatagente,ſurrogatus eſt,puer vix dum decennis; ac menſibus ſex exactis,eidem, Senatus decreto, nares præſcinduntur, Matri,lingua exſecta eſt, qua plurimum valebat, ne populum ad miſericordiam commoveret: amboque pulſi ſunt in exilium.

CONSTANS II.

FL. CONSTANS, Conſtantini III. filius,& Heraclii nepos,Avi errores amplexus eſt. Ergo *Martinum*,Romanum Pontificem, quod,coacto Romæ Concilio,Monotheletas damnaſſet, in Ponti inſulam relegavit. Inde exercitu in Italiam transmiſſo, cum Longobardis varia fortuna in agro Beneventano pugnatum eſt. Facta cum his pace *Romam* iter intendit Conſtans,quam auro & argento,omnibusque monumentis ſpoliavit. *In Siciliam* profectus, ut eam regionem, & Africam,ac vicina loca,exactionibus expilaret, dum Syracuſis in balneo lavat, per inſidias, ab

Andrea

Andrea Troilo quodam, ſitula ferventis aquæ perfuſus, extinctus eſt, 27. imperii anno. Fuit Princeps avarus & ſævus. Inter alios claros viros, etiam fratrem, *Theodoſium* Diaconum occiderat, ſubſequente flagitium pœna Dei. Quippe furiis agitatus, in ſomnis ſubinde fratrem, calicem cruore plenum exhibentem, vidit, & exhorruit. Vxoris nomen ignoratur.

CONSTANTINVS IV.

FL. CONSTANTINVS IV. Conſtantis filius, cognomen *Pogonati*, ſive *Barbati* tulit, quod Byzantio, ad ulciſcendum patris necem imberbis abiens, barbatus reverſus eſt. Hic MEZIZIVM, ſive MEZENTIVM, aut, ut alii vocant, METIVM, æmulum oppreſſit, atque cum TIBERIVM & HERACLIVM, fratres Conſtantini, Proceres, ut Trinitatis, quam crederent, imaginem haberent, etiam coronari poſtularent, ipſe his occiſis, *fratres naſo mutilavit*. Fuit cæteroquin Conſtantinus Catholicæ fidei addictiſſimus: quo imperante, cum *Saraceni* Italiam & Thraciam populati, Byzantium ipſum aggreſſi eſſent, *Callinicus* Mathematicus, invento igne marino, in mediis aquis ardente, omnem Saracenorum claſſem combuſſit, ita, *ut 30. hominum millia* perierint. Pax his conditionibus facta, ut Saraceni Romanis quotannis trecenta ſexaginta quinque aureorum millia; ac virorum capita quinquaginta, & equos nobiles quinquaginta penderent. Dehinc illato Bulgaris bello, jam victor Conſtantinus, per imprudentiam ignominioſam cladem accepit. Circumſeſſus enim hoſtibus, ipſe

pedibus æger, morbo levando, in *Meſembriam*, ad aquas ſalubres cum comitatu regio tendens, & ſuis pariter, & inimicis, ſpeciem præbuit timoris. Igitur exercitus, nullo premente, capeſſit fugam, quem, re animadverſa, hoſtis a tergo adortus, occidione occidit. Hæc clades neceſſitem impoſuit Conſtantino Bulgaris tributa pendendi, majore dedecore, quam damno. Cæterum non diu huic infortunio fuit ſuperſtes, deceſſitq; anno principatus 17.

Conſtantinus Pogonatus in conjugio habuit ANASTASIAM, Tiberii, & Juſtiniani junioris matrem.

JVSTINIANVS II.

FL. JVSTINIANVS II. ſive JVNIOR, cognomento *Rhinotmetus*, patri Conſtantino ſucceſſit, ac principio, Duce *Leontio*, *Iberos*, *Albanos*, *Armenios*, *Medos*, aliasque Orientis nationes in ſuam redegit ditionem, *Saracenis* inter ſeipſos decertantibus. *Abedmelech* Africam reddidit, & in ſingulos dies mille numos, unum ſervum, ac equum unum tributi loco promiſit. Poſtea cum *Bulgaris & Saracenis fœdus initum temere fregit*, ac ab utrisque turpiter victus eſt, cum hi, implorato perjurii ultore Deo, ſcriptas conditiones pacis haſtæ alligaſſent, ac in aëre elevaſſent, inſtar vexilli. Cæterum Juſtinianus, quia & crudelis evaſerat, & *Stephano* Perſæ, Eunucho, ac *Theodoſio* Monacho, hominibus avaris, ſe ſuaq; omnia permiſerat, civium promeruit odia. Itaq; FL. LEONTIVS, quem ad regendam Helladem

miſerat

miſerat Juſtinianus, a *Paulo* Monacho, qui audendum eſſe aliquid pro ſecundis adeo fatis dixerat, inſtigatus, Juſtinianum naſo truncavit, & Cherſonam, in Pontum, juſſit ire exulem, duo autem illi Gnathones, *Stephanus* & *Theodoſius*, alligatis loro pedibus, per civitatem tracti, poſtremo exuſti ſunt. Expulſo Juſtiniano, LEONTIVS poteſtatem uſurpavit, geſſitque per triennium, eoque imperante, *Carthago* a Saracenis expugnata eſt. Ad hanc recuperandam, cum navalis a Leontio miſſus exercitus male rem geſſiſſet, milites, offenſionem ipſius veriti, ABSIMARVM quendam, ad Imperium provexerunt, eumque *Tiberium* appellarunt. Is vero Leontium, pari, ac Juſtinianum hic affecerat, infortunio mulctavit, dum naſo truncatum, monaſterio incluſit. Interea loci *Juſtinianus*, ope Regis Bulgarorum *Trebellini*, in regnum reſtitutus, Leontium & Abſimarum nactus, funibus ligatos per vicos & compita urbis trahi juſſit, abjectosque in terram, pedibus conculcavit, acclamante populo, *ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis*; ad extremum, erutis oculis, capita iis detruncari, *Heraclium* autem, fratrem Tiberii, ſuſpendi præcepit. Amplius, quoties truncas emungebat nares, unum aliquem eorum, quos ſibi antehac adverſos fuiſſe credebat, ad ſupplicium rapuit, atque ſic potentiſſimos quosque ſuſtulit e medio. Offenſi crudelitate hominis milites, *Philippicum Bardanem* Imperatorem elegerunt, qui, recta Conſtantinopolim contendens, deprehenſum in diverſorio quodam Juſtinianum, ejusque filium Tiberium, ad

mortem rapi juſſit. Juſtinianus, decem annis ante exilium, & ſex poſt reditum imperavit. Cum eo Heraclii domus extincta eſt.

Juſtiniani II. Conjux THEODORA, Cagano Avarum Rege genita, filium *Tiberium*, quem jam modo nominavimus, procreavit,

PONTIFICES ROMANI.

SABINIANVS.

SAbianus, cujus originem omnes ignorant, ob avaritiam & invidiam male audit: quippe, qui anteceſſores ſuos, bonorum Eccleſiæ decoctores vocabat, quod in pauperes liberales fuiſſent; idemque Gregorii M. libros, gloriæ ejus invidus, comburi juſſit. Dicitur, *inſtiſtuiſſe Lampadas ardentes in templis, itemq; Aras & Campanas.* Sedit fere biennium. A *Gregorii ſpectro* quater increpatus, atque in capite percuſſus, ex metu & dolore diem obiit ſupremum.

BONIFACIVS III.

Bonifacius III. obtinet apud *Phocam* Principem, ut Sedes Apoſtolica B. Petri Apoſtoli, caput eſſet omnium Eccleſiarum, quia Eccleſia Conſtantinopolitana, primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat: quæ Anaſtaſii Bibliothecarii verba ſunt. Et hoc antiquior Paulus Diaconus l. 4. Hiſtor. Longobard. *Phocas*, ait. *Imperator, rogante Papa Bonifacio, ſtatuit Sedem Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ primam eſſe, cum prius Conſtantinopolitana ſe primam omnium ſcriberet.* Hactenus Paulus Diaconus. Nimirum, Bonifacius

Phocam

Phocam a parricidio adverſus Mauritium, ejusq; familiam commiſſo, propter quod Conſtantinopolitanus Epiſcopus acerrime eum reprehenderat, abſolvit, quare hoc præmii retulit, *ut Patriarcha Oecumenicus* ſalutaretur. Haud tamen ultra 9. menſes Eccleſiæ præfuiſſe deprehenditur.

BONIFACIVS IV.

Bonifacius IV. templum *Pantheon*, omnibus Diis Romanorum ab Agrippa genero Auguſti conſecratum, a Phoca obtinuit, & *B. Virgini*, omnibusq; ſanctis Martyribus dedicavit. Idem, & *feſtum omnium Sanctorum* inſtituiſſe dicitur. Sedit propemodum annos ſeptem.

DEVSDEDIT.

Deusdedit, quem alii *Theodatum* vocant, *ſpiritualem cognationem*, quæ per Baptismum contrahitur, primus invexiſſe, eamque conjugii impedimentum ſtatuiſſe dicitur. Obvium pauperem, qui elephantiaſi laborabat, ſolo oſculo ſanaſſe, ſunt qui perhibeant. Tribuunt ejus Pontificatui vulgo annos 4.

BONIFACIVS V.

Bonifacius V. Neapolitanus, primus *templis jus aſyli* conceſſit, probibuitque, ne Acoluthi & Laici reliquias ſacras tangerent. Mortuus eſt anno ſui Pontificatus quinto.

HONORIVS.

Honorius fuit liberalis erga pauperes, & *Baſilicam S. Petri*, auro, argento, pulchrisque tabulis ornavit. In publico ſuggeſtu defendit Monotheletarum errorem; ob quem, a Concilio Conſtan-

tinopolitano fuit damnatus. Tenuit Cathedram per annos 12.

SEVERINVS I.

Severini quoque, vel Zephyrini, liberalitas erga pauperes commendatur, non tamen niſi annum unum Pontificatu functus eſt.

JOHANNES IV.

Johannes IV. *Theſauros Eccleſiæ*, in redimendos captivos laudabiliter collocavit, & per biennium fere ſacram exercuit poteſtatem.

THEODORVS.

Theodorus, *Theodori* Epiſcopi Hieroſolymitani filius, conſenſu cleri & populi Papa factus, & *ab Exarcho Imperatoris confirmatus*, annos 6. Eccleſiæ Romanæ præfuit.

MARTINVS.

Martinus, ceu jam innuimus, Romæ, in Laterano, *Synodum adverſus* Monotheletas coëgit, ideo a Conſtante, illi hæreſi addicto, in Pontum relegatus, ubi inter ærumnas anno 6. Pontificatus vitam finiit.

EVGENIVS I.

Eugenius, Martino adhuc vivo ſurrogatus, juſſit, ut ædes Sacerdotum Epiſcoporumque Eccleſiis eſſe debeant contiguæ, quin & *carceres*, ad clericos delinquentes puniendos, condi juſſit. Cum annos duos ſediſſet, diem obiit ſupremum.

VITALIANVS.

Vitalianus, primus *organorum Muſicorum* uſum,

uſum, in ſacra Pſalmodia introduxiſſe, & 14. annos ſediſſe dicitur. *Maurum*, Ravennatis Eccleſiæ Epiſcopum, refractarium, tribunalque Romanum contemnentem, excommunicavit. Hic vero, in Vitalianum, exemplo Dioſcori Alexandrini in Papam Leonem, anathematis ſententiam reciprocans, Clericos ſuos obteſtatus eſt, ne unquam ſe ſubjicerent Romano Pontifici.

ADEODATVS II.

Adeodatus, ex Monacho Benedictino factus Pontifex, *monaſterium S. Eraſmi* in Cælio, ubi ipſe aſceticam vitam egerat, auxit, & frequentes ſupplicationes, ad averruncandas clades, quas ſuorum temporum prodigia portendere videbantur, inſtituit. Apparuit enim per tres menſes *Cometa*, quem pluviæ denſiſſimæ, ac horrenda tonitrua comitabantur. Mortuus eſt Adeodatus anno Pontificatus 4.

DONVS.

Donus, *Ravennatenſem Eccleſiam*, quæ a Romana ſeparata erat, & ob eam rem *Allocephalis* appellata eſt, ſibi ſubjecit, ſeditque annos 5.

AGATHO.

Agatho, Siculus, per duos annos Romanæ Eccleſiæ præfuit, & tanta fertur fuiſſe ſanctitate, ut obvium quendam leproſum, oſculo ſanaverit. Vocatus eſt ab Imperatore Conſtantino Pogonato ad Concilium Conſtantinopolitanum, eoq; miſſis Legatis, Monotheletarum hæreſin confutavit.

LEO II

Leo II. & ipſe Siculus, linguæ Græcæ,& Muſices peritus fuiſſe, atque hinc ſacris hymnis elegantes *melodias* addidiſſe dicitur. Sedit menſes 10. *Hic* (quod Breviarii Romani verbis dicimus) *fregit ſuperbiam Antiſtitum Ravennatum, qui, Exarchorum freti potentia, Sedi Apoſtolicæ non obtemperabant. Quamobrem decrevit, ut electio Cleri Ravennatis irrita eſſet, niſi Romani Pontificis autoritate confirmaretur.*

BENEDICTVS II.

Benedictus II. patria Romanus, ſumma apud Conſtantinum Pogonatum valuit gratia, adeo, ut Electionem Paparum, ſine ſua vel Exarchi autoritate, a Clero & populo Romano impoſterum inſtitui poſſe, indulgeret; quod tamen privilegium haud diu vigorem obtinuit. Cæterum, Benedictus vix 2. annis rexit Eccleſiam, & a morte in numerum Sanctorum eſt relatus.

JOHANNES V.

Johannes V. gente Syrus, electus a Clero & Populo Romano, primus, non exſpectata Conſtantinopolitani Imperatoris autoritate, conſecratus fuit. Scripſit *libellum de Archiepiſcopalis pallii dignitate*, ſeditque annum fere unum.

CONON.

Conon, Thrax natione, in Sicilia educatus, *Petrum Archiepiſcopum*, & *Theodorum Archipresbyterum*, per ſchisma ingens æmulos habuit. Sed illi repulſam paſſi ſunt, Conon confirmatus fuit ab Exarcho. Vix autem Sedem occuparat, & paulo

poſt,

poſt, adverſa valetudine correptus, non ſine ſuſpcione veneni, menſe Pontificatus XI. diem clauſit ſupremum.

SERGIVS.

Sergio, Antiocheno Syro, ſimiliter *Theodorus Archipresbyter, & Paſchalis Archidiaconus*, pontificatus honorem præripere moliebantur, verum uterque tandem perſenſit ſe fruſtra eſſe. Ferunt Sergium, primum omnium *Saxones* ſuis auſpiciis ad fidem Chriſtianam perduxiſſe, ſediſſeque annos 13.

SCRIPTORES SACRI.

HESYCHIUS.

HEſychius, Epiſcopus Hieroſolymitanus, in *Leviticum libros* 7. edidit, ad Eutychium Diaconum.

ISIDORVS HISPALENSIS.

Iſidorus, Epiſcopus Hispalenſis, Gothus genere, propemodum ſolus in hoc ſeculo inſigniter claruit, extantque opera ejus plurima, e quibus notare oportet *Librum de genere officiorum*, ſive *de officiis Eccleſiaſticis*; *Librum Etymologiarum*, qui tamen eſt imperfectus, itemq; *Chronicon*, ab initio mundi, usque ad annum 5. Suinthiliani Regis Gothorum productum.

ILDEPHONSUS.

Ildephonſus, diſcipulus Iſidori Hispalenſis, Toletanæ Eccleſiæ Epiſcopatu functus eſt. Scripſit

pſit inſignem tractatum *de Virginitate B. Mariæ*, quin & *Gothorum Hiſtoriam*, ab anno 5. Suinthiliani Regis, ubi deſierat Iſidorus, ad finem usq; Regis Recceſiunthi perduxit. Primus creditur inſtituiſſe *Feſtum Conceptionis B. Virginis Mariæ.* Ex Juliano, Diacono ejus, ſcribit Bellarminus in Catal. Script. Eccleſ. ipſum, ob ſingularem devotionem erga Beatiſſimam Dei Matrem, & defenſionem perpetuæ virginitatis ejus, meruiſſe, non ſolum in terris intueri eam divino ſplendore fulgentem, ſed etiam donari ab ea præclara veſte Sacerdotali, &, quod ſummo gaudio animam ejus replevit, certus reddi, de veſte gloriæ poſt beatam mortem conſequenda.

JVLIANVS TOLETANUS.

Julianus, & ipſe Epiſcopus Eccleſiæ Toletanæ, *libros tres Judæis oppoſuit*, qui in Tomum 4. Bibl. SS. Patrum ſunt relati. In 9. vero tomo extant, *ejusdem libri tres de futuro ſeculo*, quos *Prognoſticon* appellavit. Edidit quoque alia.

HÆRETICI.

MVHAMMEDES.

HEraclio imperante, MVHAMMEDES impoſtor, exitialem orbi ſectam condidit. Hic, patre, uti receptior opinio fert, *Abdalla*, Arabe, matre *Emina*, Judæa, genitus, de camelorum paſtore locupletis heræ *Chadigæ* conjux factus, tandem, impulſore dæmone, Prophetam ſe jactavit a Deo miſſum, qui collapſam inſtauraret religionem, novam-

novamque ſalutis viam mortalibus oſtenderet. Hujus rei gratia, ajebat miſſum principio fuiſſe Moſen, deinde Jeſum, ſed nunc ſe legem perfectiſſimam, hominumque generi maxime accommodatam ferre. Ad novam iſtam religionem condendam, varios in auxilium adhibuit Muhammedes, partimque ex Judaiſmo, partim ex Neſtorianiſmo, & Eutychianiſmo, monſtroſa ſua conflavit dogmata. Præcipue uſus fuit opera *Sergii*, monachi Neſtoriani, qui, ob hæreſin, ex Byzantina Eccleſia ejectus fuerat: itemque *Abdiæ*, Judæi: atque his operam conferentibus, prodiit novus ille religionis Canon, quem *Alcoranum* appellavit. In eo, præter innumeras fabulas, unam tantum eſſe Divinitatis perſonam tradit; Chriſtum eſſe Deum, vel Dei filium, pernegat, etſi Prophetam ſanctum fuiſſe concedit: eumque a Judæis crucifixum eſſe credere vetat, cum Judas proditor, pro illo ſupplicium luerit, ipſe vero per tectum elapſus, in cœlum fuerit ſublatus. Æternam olim felicitatem voluptatis corporeæ illecebris definit, & polygamiam indulget. Elmacinus, Chriſtianus Arabs, cujus Hiſtoriam Saracenicam Erpenius edidit, ſic breviter complectitur omnem Theologiam Muhammedis: *Juſſit credere in ſolum Deum, eumq; colere & adorare; deſtruxit idolorum cultum; præcepit circumciſionem; ſancivit jejunium menſis Romadani; conſtituit 5. quotidie orationes, munditiem, peregrinationem ad templum Meccanum. Prohibuit eſum ſanguinis, morticinii, & carnis ſuillæ. Atq; hæc qui non obſervarunt, bello ab ipſo fuerunt oppugnati.* Vt vero ſtolidis menda-

mendaciis autoritatem conciliaret, cum;comitiali morbo jactatus, identidem corrueret, mœrenti ob id uxori perſuaſit, Gabrielis ſe Angeli conſpectu & alloquio conſternatum, ſic affici. Id Sergio confirmante, mulierculæ opera latius ſparſum; vulgoque credulo facile perſuaſum eſt. Cum vero prima diſſeminaret per Arabiam deſertam impietatis ſuæ ſemina, *Mechanæ urbis Magiſtratus*, hominem ſeditioſum prehendere, ac ſupplicio merito afficere conabatur. Id præſentiens Muhammedes, A. DCXXII. die XVI. Julii, clam aufugit, ac ſe contulit in vicinum oppidum *Jathreb*, quod exinde appellatum fuit *Medinatalnabbi*; id eſt: Civitas Prophetæ. Ab hac fuga initium ſumitur Æræ Saracenorum, quam *Hegiram* vocant. Poſtea A. C. 628. ex *Æthribo*, felicis Arabiæ regione, cum Saracenis ſuis, ad Heraclium accedens Muhammedes, agrum impetravit ad habitandum, & poſtea, A. 631. obiit, natus annos 63. Ejus poſt mortem, grave inter ſectatores *Schisma* exortum eſt, quod in hancusque ætatem, implacabili odio, & ſumma animorum exacerbatione perdurat. Quidam enim aſſerebant, Alin, generum Muhammedis, verum & legitimum ſucceſſorem eſſe; alii contra, pro Abubecro pugnabant, atque hi cæteris prævaluerunt. Abubecro ſurrogatus Omar, huic Osman, quibus defunctis, demum *ſucceſſit* Ali, *cui mox ſe oppoſuit* Muavias. Hinc capitales exortæ contentiones inter Perſas, Syros & Ægyptios. *Nam Perſæ ſequuntur Alin*; *Syri, Ægyptii, ac reliqui Saraceni, Omarum*. Et hæ duæ ſectæ, omnibus diris & execra-

execrationibus ſe mutuo proſequuntur. Præcipua autem controverſia inter hos eſt de veris ſucceſſoribus Muhammedis, *nam Turcæ Abubecrum, Omarem, & Osmarem inter Muhammedem & Alin interſerunt; contra Perſæ, hos tanquam ſpurios rejiciunt, Muhammedi continuo Alin ſubjicientes.*

AGINNENSES.

Aginnenſes, a nuptiis abhorrebant, easque, mali dæmonis inventum eſſe dixerunt.

SCRIPTORES PROFANI.

THEOPHYLACTVS SIMOCATTVS.

THeophylactus Simocattus floruit circa Heraclii tempora, & *res geſtas Mauritii Imperatoris* ſtylo conſignavit. Extant etiam ejus *Epiſtolæ*, nec non *Phyſica Problemata*. Caſaubonus vocat Scriptorem inter recentiores Græcos eximium.

MAXIMUS.

Maximus, Cæſarauguſtanus, *de rebus Gothorum in Hiſpania* commentatus eſt.

SECVNDVS.

Secundus, *Longobardorum res* poſteritati conſecrare ſtuduit.

MAILDVLPHVS.

Maildulphus, Scotus, Græcæ latinæque linguæ Scholam in Anglia aperuit.

MEMORABILIA.

ANno Chriſti 680. autoritate Conſtantini Pogonati, CONCILIUM CONSTANTI-

NOPO-

NOPOLITANVM III. ſive SEXTVM INTER OECVMENICA, celebratum fuit, propter Monotheletas. Convenerunt igitur Epiſcopi 289. & inter hos etiam Legati Pontificis Romani, cum Patriarcha Conſtantinopolitano *Georgio*, & *Macario* Antiocheno, quorum uterque partes Monotheletarum ſecutus eſt. Statutum fuit in hoc Concilio, *eſſe duas naturales agendi facultates in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto*. Cumq; *Antiochenus præſul* decretis Concilii aſſentiri nollet, dignitate motus, & cum aſſeclis excommunicatus eſt: *Conſtantinopolitanus* vero Patriarcha, errorem agnoſcens, Synodi ſententiam comprobavit. Cæterum, quoniam neque in Quinta, neque Sexta hac Oecumenica Synodo, Canones Eccleſiaſtici conditi fuerant, ideo, paulo poſt, ſub Juſtiniano Rhinotmeto, habita fuit *nova Synodus in Trullo*, quæ edidit Canones. Erat autem *Trullum*, ſacellum arcuatum Conſtantinopoli, in Palatio Imperatoris. Quia vero hæc Synodus, Quintæ, & Sextæ, velut ſupplementum fuit, ideo a Græcis πενθέκτη, a Latinis, *Quiniſexta* appellata eſt. Hanc Quiniſextam, Pontificii recentiores rejiciunt, ob Canones quosdam ipſorum placitis adverſantes, cum tamen eam Nicænum Concilium ſecundum, quod pro authentico habent, & Hadrianus Papa, confirmaverint.

CAGANVS, Avarum Rex, *Giſulpho*, Forojulienſi Duce, victo ac cæſo, *Forojulium* obſidet, ac tandem proditione *Romildæ*, viduæ Giſulphi, quæ Barbarum deperibat, cepit. Hujus perfidiam averſatus Caganus, proſtitutam militibus, palo trans-

transfixit. *Filiæ*, matri diſſimiles, aſcititio fœtore mammas inficientes, pudicitiam conſervarunt.

DRACO terribilis, comitatus caterva ſerpentum Romæ in Tiberi viſus, aquas aëremq; ita infecit, ut vehemens ſubſequeretur peſtis, & cum quis ſternuiſſet, continuo moreretur. Inde ortus mos, ut audientes ſternutantem, illico dicerent: *te Deus adjuvet.*

Vulranus, Epiſcopus Senonenſis, eo RADBODVM Friſiorum Regem redegit, ut baptizari vellet. Sed cum audiſſet, ſuos Majores in inferno eſſe; ſacra aqua luſtrari noluit, dictitans, malle ſe cum Majoribus ſuis, viris illuſtribus, & magna frequentia, in inferno degere, quam cum miſero populo Chriſtiano, & Clericis in cœlo.

In Bohemia, *Libuſſæ* puella, VALASCA, divinationum perita, arcis tutelam indepta, pertractis in ſuas partes primo virginibus, mox, quibus cum viris male conveniebat, uxoribus, dominatum muliebrem induxit, & *Primislaum* in Vicegradenſi arce obſedit. Primislaus, cum Marte aperto fruſtra tentari puellas videret, ſub ſpecie dedendæ arcis invitatas, interfecit, &, Valascâ in prælio cæſa, puellare jugum excuſſit.

Sub *Agathone* Papa, SVDARIVM CHRISTI, octo pedes longum, Judæis ereptum, & per ignem probatum, Chriſtianis, a Saracenis, reſtitutum eſt.

SECVLVM VIII.

IMPERATORES ROMANI.

PHILIPPICVS BARDANES.

PHILIPPICVS BARDANES, *Nicephori*, viri in Conſtantinopolitana urbe primarii, filius; in Cherſoneſo, ubi exulabat, contra Juſtinianum Imperium arripuit, eique duos annos præfuit, ſed male & infeliciter. Opes enim Imperii pridem congeſtas, brevi tempore diſſipavit: a *Bulgaris* Thraciam vaſtari paſſus eſt, qui ad ipſam usque urbem excurſiones fecerunt, &, inſigni præda onuſti, domum ſunt reverſi. *Saraceni* quoque, graves fuere Orienti. Suſtulit e templis imagines Philippicus, & adverſus Concilium Oecumenicum VI. Conventum alium, in gratiam cujusdam Monachi, qui ipſi imperium prædixerat, coëgit, in quo Monotheletarum error fuit defenſus. At vero, inter convivandum aliquando comprehenſus, &, ne porro imperio aptus foret, luminibus ſpoliatus eſt. Num uxorem habuerit, non conſtat.

ANASTASIVS II.

FL. ANASTASIVS, cognomento ARTEMIVS, vir pius fuit, & ad res gerendas ſatis idoneus. Scilicet, Sextam Synodum, ab Anteceſſore damnatam, integritati ſuæ reſtituit: Epiſcopos orthodoxos ab exilio revocavit, ſinceramque religionem, quibuscunque potuit modis

dis, reſtauravit. Cæterum, contra Saracenos, Imperio infeſtos, dum exercitum educit, milites, per ſeditionem occiſo *Johanne*, Artemii Duce, ipſi quoque Artemio imperium abrogarunt, ſurrogato *Theodoſio Adramytteno*, publicorum vectigalium exactore, etſi reluctante. Artemius, rebus ſuis diffidens, poſitis Imperii inſignibus, aſceticæ vitæ ſe dedit, ac Theſſalonicam, poſtquam annos duos imperavit, translatus eſt. An in conjugio vixerit, ignoratur.

THEODOSIVS ADRAMYTTENVS.

FL. THEODOSIVS III. ADRAMYTTENVS, & ipſe annos circiter duos imperavit, donec *Leoni Iſaurico*, militaribus ſuffragiis electo, ſponte poteſtate ceſſit, & cum filio in clericum detonſus, quod ævi reliquum erat, in otio trans egit.

Vxori Theodoſii quod nomen fuerit, incompertum habemus.

LEO III. ISAVRICVS.

LEO III. obſcuro in Iſauria genere natus, prius *Conon* appellatus eſt. Dicitur vulgo *Iconomachus*, quia imagines & ſtatuas ſummo odio habuit, easque e templis exterminavit: quo nomine, & apud Græcos, & apud Italos ſcriptores, peſſime audit. Imperavit annos 25. ac graviſſima ei bella fuerunt cum *Saracenis*, qui horribili clade affecerunt Imperium, & Conſtantinopolim obſederant: ſed fame depulſi ſunt. Mortuus eſt Leo dyſenteria.

MARIA, uxor Leonis Iſaurici, peperit *Conſtantinum Copronymum*, & filiam *Annam*, Artabasdi uxorem.

CONSTANTINVS V. COPRONYMVS.

FL. CONSTANTINVS, a ſordibus, quas infans, baptiſmo admotus, in aquam eliſerat, *Copronymus* dictus, patri Leoni ſucceſſit. Iſte ARTABASDVM, *Annæ ſororis maritum*, initio æmulum habuit Imperii, atque ab eo excluſus, Conſtantinopolin profugit. Verum haud multo poſt Artabasdus a Conſtantino captus, una cum filio excæcatur. Dira, hoc Imperatore, *peſtis*, Siciliam, Calabriam, & Orientem devaſtavit. Super hoc, *Saracenorum, Sclavorum, & Bulgarorum bellis appetitus*, ab his etiam præliis aliquot ſuperatus, cum adverſus eosdem exercitum duceret, *lethali ægritudine correptus*, diem obiit ſupremum, poſtquam imperaſſet annos 34. & patre haud minus erga imaginum cultores ſeverum ſeſe exhibuiſſet.

Couſtantinus primo habuit Conjugem IRENEN CHAZARAM, Chagani Chazarorum Regis filiam, matronam piam, & eruditam, quæ peperit filium *Leonem IV. Imperatorem.* Deinde duxit MARIAM, cognomento *Armeniacam*, cum qua ſterile habuit matrimonium. EVDOXIA, tertia Conjux, peperit *quinq;* filios, *Nicephorum*, & *Conſtantinum*, Cæſares: ac præter hos, *Nicetum*, *Anthimum*, & *Eudocimum*.

LEO IV.

Copronymo in imperio ſucceſſit filius FL.

LEO

LEO IV. cui PORPHYROGENITVS cognomen. Id quidam inditum volunt, a *loco* quodam in orbe Conſtantinopolitana, ubi Imperatorum Græcorum Conjuges puerperio ſolebant defungi, qui *Porphyra* vocabatur; alii, filios Imperatorum ideo ſic dictos contendunt, quia ſimul ac naſcerentur, in *purpura* colligebantur: purpuram enim Græci πορφύρα appellant. Hic vero Leo, ejusdem cum patre fuit ingenii. Nam & ipſe, quotquot imaginum cultui deditos deprehendit, male mulctabat, carcere & ſuppliciis adverſus ipſos etiam Proceres graſſatus. Interim ſatis maſcule res contra *Saracenos* geſſit. Miſſo enim in *Syriam* ingenti exercitu, multa millia eorum peremit. Quinto vero Imperii anno, cum gemmarum cupidus, lapillis radiantem Coronam, quam in majori Conſtantinopolitana Eccleſia dedicarat olim Mauritius, detractam inde, capiti ſuo impoſuiſſet, *carbunculis* in eodem capite erumpentibus, febrique ardente correptus, interiit, Conſtantinum filium ſucceſſorem deſignans.

Leonis uxor fuit IRENE, Athenienſis, quæ *Conſtantinum*, & *Probum* filios peperit.

CONSTANTINVS VI.

CONSTANTINVS VI. PORPHYROGENITVS, cum ob impuberem ætatem, (decem enim tantum annos natus erat) rerum ſummam gerere non poſſet, ejus adminiſtratio, IRENÆ matri fuit commiſſa, eaque per decennium Imperium ex voto ſubditorum rexit, *Arabes* tumul-

tuantes compoſuit, imagines reſtituit, denique *Generale Concilium Nicææ* indixit. Elapſo decennio, Irene ab hoc officio remota, & in ordinem redacta, imperium Conſtantino ceſſit. Qui tamen, quod poteſtate impotenter uteretur, adverſus *Bulgaros* & *Saracenos* infeliciter dimicaſſet, & *Nicephorum* patruum, *Mariamq;* conjugem tractaſſet inhumaniter, magnum ſui odium concitavit. Ergo ſubditorum animi ab eo alienati, poſtliminio *Irenem* ſectari cœperunt, quæ, utpote imperii avida, facile aſſenſit, & filium excæcari juſſit, e quo dolore, ipſe paulo poſt eſt extinctus. Oppreſſo hoc modo Conſtantino, mater ad imperium revertitur, illudque tenuit quinquennium. Quo exacto, a *Nicephoro*, fratre Leonis IV. imperio, fortunisque omnibus exuta, & in *Lesbon* Inſulam deportata eſt, ubi anno vertente vitam cum morte commutavit.

Sponſalia contraxerat Conſtantinus cum ROTHRVDA Caroli M. filia. Id matrimonium Græci Proceres interverterunt, quibus Caroli M. potentia ſuſpecta erat. Ipſa deinde, virgo & cælebs in Germania ante patrem obiit. Duxit poſt hæc Conſtantinus MARIAM, *Philareti*, nobilis, & ergà egenos liberaliſſimi Viri, filiam. Cum hac poſtquam triennium vixerat, eam, ob ſuſpiciones aliquas, in Monaſterium detruſit. Sic in thorum adſcivit THEODATAM, virginem apprime pulchram, quæ peperit filium *Leonem*, in infantia extinctum, & *Euphroſynam* filiam, uxorem poſtmodum Michaëlis Balbi Imperatoris.

PON-

PONTIFICES ROMANI.

JOHANNES VI.

JOhannes VI. in id omne ſtudium collocavit, ut templa magnifice exornaret, captivosque, theſauris Eccleſiæ redimeret. Sedit annos 4.

JOHANNES VII.

Etiam hujus cura commendatur in exornandis Baſilicas *ſtatuis & imaginibus*. Harum exemplar ex ipſius vultu ſumſerant pictores & ſtatuarii, ceu Platina quoque indicavit, ut ſcilicet in Sanctis ipſe coleretur. Mortuus eſt anno Pontificatus 2.

SISINNIVS.

Siſinnius, vel, ut alii vocant, *Zoſimus*, Syrus gente, 20. tantum dies Eccleſiæ Romanæ præfuit, & chiragræ doloribus ita cruciabatur, ut neq; ambulare, neque cibum capere poſſet.

CONSTANTINVS I.

Conſtantinus I. Syrus natione, erga pauperes benignum ſe præbuit. Cum Conſtantinopolin profectus eſſet, eum *Juſtinianus II. Imperator*, non ſolum humaniter excepit, ſed & illius *pedes venerabundus oſculatus eſt*, unde conſuetudo Pontificum pedes ex oſculandi traxit originem. Conſtantinus ſedit annos 6. *Philippicum Imperatorem*, ob imagines ſublatas, diris devovit, atque duos *Reges Anglo-Saxones* totondit in monachos,

GREGORIVS II.

Gregorius II. patria Romanus, miſit *Bonifacium*, monachum eruditum, in Germaniam, ad prædicandum evangelium; qui multos a ſuperſtitione ad Chriſtianam religionem perduxit. Excommunicavit quoque Gregorius *Leonem Iconomachum Imperatorem*, ob fractas imagines: primusque ſubditos a *juramento fidelitatis*, quo Imperatori obſtricti erant, abſolviſſe legitur. Hac occaſione, Roma, & propemodum Italia univerſa, obedientiæ Imperatoris ſe ſubduxit, *atque Exarchatus*, cum 200. circiter annos duraſſet, a Longobardis occupatus eſt. Sedit Gregorius annos 17. *ediditq; varia opera*. Sed extant tantum *Epiſtolæ duæ* apud Cardinalem Baronium t. 9. Annalium.

GREGORIVS III.

Gregorius III. Syrus natione, & Græce, Latineque doctus, Imperatorem *Leonem Iſaurum*, non tantum communione fidelium privavit, ſed etiam Imperatoria dignitate exuere conatus eſt. *Sic Romanus populus ab obſequio Imperatorum Orientalium receſſit, ac Romani Pontifices in Vrbem Romam, & annexas provincias, dominium ſibi vindicarunt.* Hinc Autor Faſcic. Temp. *Gregorius totum Regnum Occidentis a Leone abſtulit, mandans, ne ſibi obediret aliquis, vectigalia interdicendo.* Cum vero Pontificum, mundanam poteſtatem aſſerere volentium conatibus, obſtaret Longobardorum potentia, ad hos compeſcendos Francorum Reges fuere evocati. Sic nimirum Gregorius,

cum

çum a Longobardis ſibi metueret, ad *Carolum Martellum* confugit, qui ei adverſus hoſtes fuit præſidio; eam ob cauſam *Chriſtianiſſimi* titulo à Pontifice honoratus. Exceſſit Gregorius e vita, cum annos 10. in Pontificatu exegiſſet.

ZACHARIAS.

Zacharias, patria *Græcus*, quietem reddidit Italiæ. *Childericum*, Galliæ Regem, tanquam ignavum, in monachum tondi curavit, &, Francos a ſacramento ei dicto ſolvens, *Pipino*, Caroli Martelli filio, ad regiam dignitatem capeſſendam adjutor extitit. Mercedis loco retulit, ut in *Eccleſias Gallicanas* jurisdictionem Romana Sedes haberet, &, ut Pipinus ſeſe illi ad ſtratoris usque officium ſubmitteret. Rexit decem annos Romanam Eccleſiam. Eo, quo diximus, modo, deſiit prima ſtirps Regum Francorum in Gallia, a Pharamundo orta. Quæ hanc excepit Pipini, usque ad Hugonem Capetum duravit.

STEPHANVS II.

Stephanus, quia non niſi quatuor dies Pontificatu gaviſus eſt, ideo nihil memorabile de eo proditur.

STEPHANVS III.

Stephanus III. tanto amore a ſuis colebatur, *ut eum humeris ad ædem Lateranenſem deferrent*; qui mos Pontifices humeris geſtandi, ex eo deinde invaluit. Ceperat *Aiſtulphus*, Longobardorum Rex, *Eurichum*, Exarchorum ultimum, una cum urbe Ravenna, cumq; poſt ademta quædam oppida

pida Romanæ Sedi, ad ipſam urbem Romam proceſſurus videretur, Stephanus, quia nullum a Conſtantino Copronymo ſperare licebat auxilium, in Galliam diſceſſit, & *Pipini* auxilium imploravit. Is morem gerens, cum exercitu Italiam ingreſſus eſt, victoque Aiſtulpho, eum datis obſidibus pacem petere coëgit, Stephano *Ravennatenſem ditionem* dono dedit. Obiit anno 5. Pontificatus.

PAVLVS I.

Paulus, frater Stephani, æmulum habuit *Theophylactum*. Sed iſte cedere eſt coactus, & locum Paulo relinquere, qui illum egregie exornavit. Inſtituit enim *Romæ Monaſterium*, in quo docerentur Græcæ literæ; viſitavit ægrotos, pauperes juvit eleemoſynis, ære alieno gravatos redemit, pupilloſque ac viduas tutatus eſt; idque per univerſos 10. annos, quibus ſacræ dignitati præfuit.

STEPHANVS IV.

Paulo mortuo, *Conſtantinus*, homo laicus, a *Totone* fratre, Duce Nepeſino, per vim in Pontificatum intruditur: ſed mox, cum a populo Romano e Sede eſſet dejectus, *Stephanus IV.* quem tamen alii III, vocant, in eam collocatur. Hanc per annos 4. tenuit, in quibus pro cultu imaginum ſtrenue depugnavit. Porro, Conſtantini Pſeudopontificis acta igni tradidit, ſtatuitque, ne quis in poſterum, niſi Diaconus aut Presbyter, ad Pontificatum aſſumeretur.

HADRIANVS I.

Hadrianus, patria *Romanus*, erga pauperes liberalis

ralis fuit, inſtituens, ut in atrio Lateranenſi
quotidie centum pauperes alerentur. Civita-
tem variis exornavit Eccleſiis, Ædibus, Muris, &
Aquæductibus. *Carolum M.* ut adverſus *Deſide-*
rium Longobardorum Regem ſibi opem ferret;
evocavit. Carolus celeriter advolans, Deſideri-
um vicit, & *donationem*, quam Pipinus pater Gre-
gorio III. fecerat, confirmavit, additis etiam am-
plioribus privilegiis. Viciſſim Hadrianus, Caro-
lo M. jus eligendi Romanum Pontificem Syno-
dali decreto aſſeruit, quo ſimul ſtatutum, ut Ar-
chiepiſcopi, & Epiſcopi, per ſingulas provincias,
ab eo acciperent inveſtituras. Quod ne temere
alicui dixiſſe videamur, provocamus ad ipſum
can. 22. Diſt. 63. ejusque adſcribimus verba: *Ha-*
drianus Papa Romam venire Carolum Regem ad de-
fendendas res Eccleſiæ poſtulavit. Carolus vero Romam
veniens, Papiam obſedit: ibiq; relicto exercitu, in ſancta
reſurrectione, ab Hadriano Papa Romæ honorifice ſu-
ſceptus eſt. Poſt ſanctam vero reſurrectionem rever-
ſus Papiam, cepit Deſiderium Regem. Deinde Romam
reverſus, conſtituit ibi Synodum cum Hadriano Papa,
in patriarchio Lateranenſi, in Eccleſia S. Salvatoris:
quæ Synodus celebrata eſt a CLIII. Epiſcopis religioſis,
& Abbatibus. Hadrianus autem Papa, cum univerſa
Synodo, tradiderunt Carolo jus & poteſtatem eligen-
di Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam Sedem. Di-
gnitatem quoq; Patritiatus ei conceſſerunt. Inſuper,
Archiepiſcopos & Epiſcopos, per ſingulas provincias,
ab eo inveſtituram petere definivit; & , ut niſi a Rege
laudetur, & inveſtiatur, Epiſcopus a nemine conſecre-
tur; & quicunq; contra hoc decretum ageret, anathe-
matis

matis vinculo eum innodavit; & niſi reſipiſceret, bona ejus publicari præcepit. Vita exceſſit Hadrianus, anno Pontificatus vigeſimo quarto, minus uno menſe & dimidio. Præter *Epiſtolas multas*, quæ extant partim in ſeptima Synodo, partim inter Epiſtolas Pontificias, ſcripſit *Librum pro defenſione ſeptimæ Synodi, & Reſponſionem ad librum miſſum a Carolo Rege Francorum ex Concilio Francofordenſi*, qui liber, Actis ſeptimæ Synodi, in novis Conciliorum editionibus, ſolet ſubjici.

LEO III.

Leo III. Suevus, frater *Aſtulſi Comitis de Calwe*, homo doctus, Hadriano ſucceſſit. Pontificatus exordio carnis incendium paſſus eſſe dicitur, ex oſculo, quod manui ſuæ mulier impreſſerat: additur oſculatam manum ſibi ipſum eum præſcidiſſe, ſtatuiſſeque, ut deinceps pedes tantum, non manus Pontificis exoſcularentur. Verum utrumque anile commentum eſt, quod refertur T. 6. Concil. p. 203. a. *Supplicationem* ſolemnem celebrans Leo, apud Sylveſtri ædem, *Paſcalis Primicerii, & Campuli Presbyteri*, juſſu captus, & ad necem usque verberibus cæſus, in carcerem conjectus eſt. Ex ea cuſtodia elapſus, in Galliam *ad Carolum M.* confugit, a quo honorifice exceptus, paulo poſt in Italiam remiſſus eſt. Mox deinde Carolo Romam veniente, cum Leo, jurejurando, ſe innocentem eſſe, confirmaſſet, Carolus eum in dignitatem reſtituit, & de inimicis ſumſit ſupplicium. Leo, gratiam referre volens, *Carolum* coronavit Imperatorem, Eccleſias *Aquiſgrani,*

grani, *Coloniæ*, & alibi conſecravit, dum cum Carolo M. iter facit. *Mantuam* petiit, ob repertum ſanguinem Chriſti, quem, poſt examen, ſolemnitate publica proclamavit, & diplomate ſancivit verum & legitimum eſſe ſanguinem de corpore Chriſti effluxum. Primus ἀποθέωσιν introduxit, & honorem *canonizationis* S. Suiberto, Verdenſi Epiſcopo, decrevit. Cæterum annis 21. tenuit pontificatum.

SCRIPTORES SACRI.

BEDA.

BEda, *Anglus*, in territorio Girwenſi, non longe a Tinæ fluminis oſtio natus, ab Abbate quodam, Latinas, Græcas, & Hebraicas literas, pro captu illius ætatis, addidicit. Fuit initio *Monachus*, poſtea *Presbyteratu* in Anglia functus eſt. *Opera ejus* variis in locis ſeparatim excuſa ſunt, ſed junctim, tribus tomis, Pariſiis An. 1545. prodierunt. Quædam editiones, octo tomis conſtant. Vulgo omnes, Bedæ, cognomen *Venerabilis* tribuunt, quod ex cauſa ſatis levi ortum habere dicitur. Quidam enim Diſcipulorum ejus, illi defuncto ſcripturus Epitaphium, conjecerat in chartam:

Hac ſunt in foſſa Bedæ Presbyteri oſſa.

quem verſum, cum vitioſum eſſe deprehenderet, & ſe diu in eo corrigendo torſiſſet, ſomno ſibi correpto, quaſi divinitus, pro voce *Presbyteri*, verbum *Venerabilis* ſuggeſtum fuiſſe jactavit: atque ex ea re evenit, ut deinde Bedæ nomini, cognomen *Venerabilis* aſſidue adderetur.

JOHAN-

JOHANNES DAMASCENVS.

Johannes Damaſcenus, *a Damaſco*, patria cognomen habet, patreq; natus eſt illius loci Prætore. Puer, a *Coſma*, Monacho Italo, in bonis literis fuit eruditus. Poſtea, *a Principe Saracenorum, in aulam evocatus*, Conſiliarii apud eum munere functus eſt. Hoc relicto, bonisque in pauperes erogatis, *Monaſticæ vitæ* ſe dedit, territus periculo, quod *a Leone Iſauro Iconomacho* ſibi imminebat, quippe, pro retinendis imaginibus, adverſus ejus interdictum, acerrime pugnaverat. Primus Damaſcenus, *univerſam Theologiam*, in formam alicujus diſciplinæ, *quatuor libris, quos de fide orthodoxa inſcripſit*, complexus eſt. Cujus inſtitutum, poſtea *Magiſter ſententiarum Lombardus*, & alii Scholaſtici ſunt imitati. Scripſit & alia complura, quæ ex verſione *Perionii*, & *Fabri Stapulenſis*, Veronæ, Pariſiis, itemque alibi prodierunt.

ALCVINVS.

Flaccus Alcuinus, cognomento *Albinus*, natione fuit *Anglus*, & Beda ac Egberto Archiepiſcopo, præceptoribus uſus eſt. Ipſe poſtea *Carolum M.* erudivit, ac multa ſcripſit, quæ junctim Pariſiis ſunt edita. Vulgo fertur, Alcuinum hunc, juſſu Imperatoris Caroli M. *Pericopas Evangeliorum & Epiſtolarum*, quæ in dominicis & feſtis diebus, etiamnum in Eccleſiis publice proponuntur, & explicantur, in ordinem digeſſiſſe, cum antea *libri Biblici integri*, a capite ad calcem populo prælegerentur. Quidam tamen, *S. Hieronymum*, harum

rum pericoparum autorem perhibent. Alcuini conſilio Carolus M. *Pariſienſem Academiam* inſtituit.

HÆRETICI.

ICONOCLASTÆ.

ICONOCLAſtæ Leone III. imperante, ex Judæis & Saracenis, qui utrique ab imaginibus abhorrent, orti ſunt. Autor turbarum fuit *Gizido*, Dux Saracenorum, qui longævitatis ſpe, omnes imagines abolevit: cujus inſtitutum, primum *Leo Iſaurus*, & deinde *Conſtantinus Copronymus*, ac *Leo IV.* ſunt imitati. Iconoclaſtæ, Sanctorum imagines ignominioſe tractabant, in mediam viam & lutum provolvebant, aut igne comburebant.

ICONOLATRÆ.

Quemadmodum Orientales circa imagines in defectu peccarunt ita Occidentales deliquerunt in exceſſu, fere divinum honorem imaginibus tribuentes. Scilicet, *non ſolo oſculo*, quem unum adhuc cultum Græci picturis ſuis tribuunt, contenti, coram iis, *humi ſe proſtrarunt, & thus obtulerunt, ac libamina.*

FELICIANI.

Feliciani, ſive *Adoptionarii*, cum Conſtantinus Porphyrogenitus imperii ſceptra moderaretur, anteſignano *Felice*, *Vrgelitano Epiſcopo*, prodierunt. Error illorum præcipuus, *Chriſtum ſecundum aſſumtam humanam naturam, non naturalem Dei patris filium, ſed adoptivum eſſe:* ob quem, Neſtorianæ hæreſeos a Concilio Francofurtenſi, & Hadria-

Hadriano Papa damnati ſunt, eo, quod unum Chriſtum, in duos quaſi filios dividerent.

ALBANENSES.

Albanenſes, dicuntur *duo ſtatuiſſe rerum principia*, unum bonum, alterum malum, itemque revocaſſe *metempſychoſin Pythagoricam*, ac *damnaſſe omnia juramenta*, etiam in rebus licitis, veris, atque neceſſitate ita exigente, concepta.

SCRIPTORES PROFANI.

ÆGIDIVS MEDICVS.

ÆGidius Medicus, *Athenis* natus, in Gallia floruit, ac librum *de Pulſu*, itemque alium *de Venis*, ad poſteros transmiſit.

GEORGIVS SYNCELLVS.

Georgius Monachus, *Taraſii* Patriarchæ *Syncellus* fuit, quo nomine ii vocabantur, qui proximi Patriarchis erant, iisque defunctis in locum ſuccedebant. Hujus *Chronicon* ad nos pervenit, in quod, univerſum Euſebii Chronicon, nulla verborum immutatione, tranſtulit, a quo tamen ſæpenumero, etſi non præter rationem diſſentit. Morte præventus, tantum ad *Maximianum tyrannum*, opus ſuum produxit.

GEORGIVS THEOPHANES.

Syncelli æqualis, Georgius Theophanes, *Chronicon* uberrimum elaboravit, quod Anaſtaſius Bibliothecarius interpretatus eſt. Pertexuit Syncellum, usque ad obitum *Nicephori Logothetæ*, & *initium Michaëlis Curopalatæ*.

PAVLVS

PAVLVS DIACONVS.

Paulus Diaconus, *Forojulienſis*, Longobardus, cognomine *Varnofridus*, *VIII. Hiſtoriarum libros Eutropio addidit*, ab obitu Juliani Cæſaris, ad Leonis Iconomachi imperium. Satis probat diligentiam ſuam in his, quæ literis mandavit; ſed dictio tenuis eſt, & fere barbara. Fuit Paulus Diaconus, *Deſiderii*, ultimi Longobardum Regis, Archigrammateus: quo victo, a Carolo M. captus, apud hunc ſummo aliquandiu in honore fuit; donec ob prioris Domini deſiderium, ſuſpectior viſus, in *Diomedis Inſulam* deportatus eſt. Hinc, ad *Arichium*, Principem Beneventanum, Deſiderii Regis generum, profugit, isque ubi vitam cum morte commutaſſet, monachum, in Caſſinenſi cœnobio, Paulus induit.

MEMORABILIA.

IMperante Philippico Bardane, in Hiſpánia, RODERICUS Rex, conſtuprata *Caba*, Juliani Comitis filia, a Saracenis & Mauris, quos iſte ex Africa adduxerat, poſt varios conflictus, cruentiſſimo prælio ſuperatus eſt; in quo ipſe, ac una omnis prope Gothorum Nobilitas, cecidit, Hiſpania tota a Barbaris occupata, præter Aſtures, & Cantabros. E modico intervallo *Pelagius*, ex regio Gothorum ſanguine ortus, ad libertatem vindicandam reſiduos Gothos excitavit, viginti millia hoſtium proſtravit, *novumque in Aſturiis Regnum condidit*. Pelagio poſt 15. annos mortuo, ſucceſſit filius *Favila*, & ei poſt biennium, *Al-*

g *phon-*

phonſus, gener Pelagii, qui Saracenorum vires attrivit, Chriſtianiſmum reduxit, *Catholici* Regis agnomen meruit.

Bonifacius, Archiepiſcopus Moguntinenſis, Bochoniam, Franconiam, Bavariam, Thuringiam, Haſſiam, Sclavoniam, cum reliquis Alemánniæ provinciis ſubjugavit. Urbem etiam *Herbipolenſem*, Epiſcopatum, de voluntate Papæ fecit, cui *S. Burchardum* præfecit. Anno verò 36. ſui Epiſcopatus, cum multis Chriſtianis, martyrisatus eſt in Friſia. Cumque ad *Fuldenſe Monaſterium*, quod ipſe in Bochonia conſtruxerat, corpus ejus reduceretur ſepeliendum, omnes campanæ ubique, divina virtute, ſine motu alicujus hominis, ſonuerunt. Autor Faſc. Temp.

S. Theodolus, *Sedunenſis Epiſcopus*, unam magnam *Campanam*, ſibi per Pontificem Summum, videlicet *Leonem Papam*, liberaliter donatam, de urbe Romana, usque ad Sedunenſis Eccleſiæ loca, portari fecerat ſimpliciter per Dæmoniorum obſequia. Felix Malleolus Tract. de Exorcis. p. 101.

Anno Chriſti 787. a *Conſtantino, & Irene* matre ejus, indictum fuit Concilium Nicææ, *quod vocatur* Oecumenicum Septimum, cui præter Imperatorem Epiſcopi 350. interfuiſſe dicuntur. *Decreta* facta ſunt complura: *Primum*, quod Spiritus S. procedat a Patre & Filio. *Deinde* Iconomachi ſunt damnati, ſtatutumque eſt, imaginem Dei, Sanctæ Crucis, Sanctorumque, ac horum reliquias, in templis, ſummo honore affici debere.

SECV-

SECVLVM IX.

CAROLUS M.

CAROLUS M. *Pipinum*, qui in Childerici, ob ignaviam amoti, locum, Rex Franciæ factus eſt, patrem, matrem *Bertam* habuit, editus in lucem A. C. 742. *Ingelheimii*, prope Moguntiam. Frater ei fuit *Carolomannus*, cum quo principio diviſum regnum tenuit, ſed, eo defuncto, ſolus rerum potitus eſt. *Soror* ipſius, conjux *Milonis Comitis Angleſiæ*, *Rolandum* peperit, ingentis tum animi, tum corporis virum, cujus *Coloſſi* in hunc usque diem, in Saxonia monſtrantur. Ipſe in pugna contra Saracenos A. C. 800. in Runciæ valle periit. Cæterum Carolus, *Petro Piſano* Diacono, & *Alcuino*, præceptoribus uſus, magnos in pietate & literis fecit profectus. *Bella* antequam Imperator crearetur, geſſit plurima, contra *Hunnos*, *Bavaros*, & *Saracenos*. Inter reliqua imprimis memorabile eſt *Longobardicum*, quod *Adriani* Pontificis precibus adductus, contra *Deſiderium* Regem, Romanæ Sedis hoſtem, ſuſcepit, quem *Ticini* obſeſſum, & in poteſtatem redactum, adduxit in Galliam, Romano vero Pontifici, cum omnia, quæ a Pipino patre donata erant, rata eſſe voluit, tum adjecit alia quamplurima: *Sabinenſe* nimirum territorium, *Spoletinum Ducatum*, & *Beneventanum*: item alia, quæ ab Anaſtaſio, in vita Adriani referuntur. Nec minus celebratur bellum, quod Carolo cum *Saxonibus*, paganiſmi acerrimis propugnatori-

bus, interceſſit, & qui, *Witekindo* Duce, multum negotii ei faceſſiverunt.

Poſtea, cum tumultus Romæ exortus, inque eo male tractatus eſſet *Leo III. Pontifex* Hadriani ſucceſſor; ipſe ad Carolum, Paderbornæ tum hærentem, confugit, tantumque apud eum gratia valuit, ut Carolus Romam ſuſciperet profectionem, ac litem omnem componeret. Pontifex gratum ſe oſtendere volens, *A.800.* ipſo die Dominici natalis, Carolum *Imperatorem* coronavit, in hæc verba populo univerſo acclamante: *Carolo Auguſto, a Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria.* Notanda ſunt Sigeberti Gemblacenſis verba, in Chronico: *Romani, qui ab Imperatore Conſtantinopolitano jam diu animo deſciverunt, nunc accepta occaſionis opportunitate, quia mulier, excæcato Imperatore Conſtantino, ſuo filio, eis imperabat, uno omnium conſenſu, Carolo Regi Imperatorias laudes acclamant, eumque per manum Leonis Pontificis coronant, Cæſarem & Auguſtum appellant; Pipinum vero filium ejus, Regem Italiæ ordinatum collaudant.* Per hanc autem coronationem, & Imperatorium titulum, nihil Carolo collatũ fuit, præter jus omne in urbem Romam, Pontificem, Exarchatum Ravennæ, & alia nonnulla oppida, ſita extra regni Longobardici terminos, quæque fuerant Cæſarum, usque ad ſolemnem illam rebellionem, qua Gregorio II. Papa, ſuperſtites Imperii Romani reliquiæ, Leonis Iſauri, & ſequentiũ Conſtantinopolitanorũ Imperatorum imperio ſe ſubduxerunt. Non enim poterat a Romanis tunc

in

in Carolum conferri, totum illud quod quondam ad Imperium Occidentale pertinuerat; quippe, cujus longe multa, jure belli, ceſſionibus, per derelictionem, aliisque modis, quibus rerum dominia transferuntur, & quibus Romana aucta fuerat potentia, rurſus in aliam ditionem tranſierant. Cæterum, jura quæ in Carolum contulerat Romanus Populus, poſtea confirmavit *pactio cum Græcis Imperatoribus*. Nam *Irene*, pacis fœdere, per Legatos, cum Carolo renovato, Occidentis imperium ei conceſſit, addita conjugii promiſſione. Sed hoc matrimonium, *Aëtius* Spado diſſipavit, qui faſtigium illud, *Leoni, Thraciæ, & Macedoniæ Duci*, fratri ſuo, deſtinabat. Interim *Nicephorus* Patricius, excuſſo muliebri dominatu, ac Irene capta, inque *Lesbum* relegata, Orientis imperium arripuit, &, cum Carolo pacem renovans, ut *ambo Auguſti nominarentur*, paciſcitur; convenitque de Imperii utriusque limitibus, ea conditione, ut *Veneti* in medio poſiti, libertate fruerentur. Poſt adeptum imperium, Carolus, religionem, & literas propagare præcipue ſtudebat, unde *Epiſcopatus, Scholas, & Academias* inſtituit: atque Epiſcopatus quidem *Halberſtatenſem*, *Bremenſem*, *Monaſterienſem, Paderbornenſem*, & *Oſnabrugenſem* condidiſſe dicitur. Inter Academias, *Pariſienſis*, *Papienſis*, & *Bononienſis*, illi acceptæ feruntur: nec minus Vrbes, Arcesque ſtatuit, *Helmſtadium* Vandalis, *Naumburgum* Sorabis, *Hamburgum* Danis, *Dresdam* Bohemis objiciens. Attrivit *Saxones*, eosque, deſtructo famoſo illorum

idolo *Irmenſul*, ad Chriſtianiſmum perduxit, etiam WitekindoRege illorum baptizato. Literatorum inſignis fuit fautor, *Grammaticam Teutonicam* ipſe ſcripſit, & *Menſibus*, *Ventisque*, Germanica nomina impoſuit. Geſta magnorum Virorum, memoratu digna, colligi, & conſcribi, ſibique etiam in menſa prælegi juſſit. Sed *Rhenum & Danubium* inter ſe ſociare fruſtra conatus eſt.

Extant in Bibliotheca Imperatoria, *inediti libri tres de ſanctitate meritorum, & gloria Miraculorum B.Caroli M.* teſte Lambecio tom. 2. de illa, p. 358. Et vero, quod eſt apud eundem Lambecium, pagina ibi 340. Fridericus I. Barbaroſſa Imperator, *corpus Caroli*, divina revelatione manifeſtatum, Aquisgrani ſolemniter elevavit, isque ab Antipapa Guidone Cremenſi, ſive Paſchale III. in Sanctorum numerum relatus eſt. Quam canonizationem, Papa Alexander III. poſtquam cum Imperatore Friderico rediit in gratiam, approbavit, & confirmavit.

Fuit Carolus M. Princeps, animi & corporis robore inſignis, magnanimus, pius, conſtans, affabilis, benignus, ab omni ambitione & ſuperbia alienus, juſtitiæ rigidus cultor. Primam uxorem duxit GALLIENAM, Galaſtriæ, Toletani Regis filiam. Altera fuit HERMINGARDIS, Deſiderii, Longobardorum Regis, filia. Hanc non diu in matrimonio habuit, ſed anno vertente repudiatam, patri remiſit. Mox HILDEGARDIM accepit, e gente Suevorum, fœminam nobilem, & formæ decore, omnibusque virtuti-

tutibus ornatiſſimam. Hæc, *ſex* liberorum illum parentem fecit: e quibus *Carolus* & *Pipinus*, hic, Italiæ, ille, Germaniæ, & citerioris Galliæ Reges, in flore ætatis, vivente patre, abſumti ſunt; *Ludovicus*, Aquitaniæ Rex, Regnorum & Imperii heres extitit. Filiæ *tres*, *Rothruda*, *Berta*, *Gisla*, innuptæ vitam transegerunt, quanquam illam majorem natu, Conſtantino Porphyrogenito, Græcorum Imperatori, deſponſatam fuiſſe, ſupra innuimus. Quartis nuptiis ſibi junxit Carolus FRASTRADAM, Rudolphi, Comitis Francorum, filiam; e qua duas ſuſcepit filias, *Thedradam* & *Hildrudim*. Poſt hujus obitum, adſcivit in thorum LVITGARDAM Suevam, cum qua ſterile ei fuit matrimonium. Iſta defuncta, cum *Irene*, Orientis Imperatrice nuptias contracturus erat, ſed, eventu, ceu diximus, irrito.

Legitimis Conjugibus, CONCVBINAS ſuperinduxit Carolus: quarum una, *Rhotaidem* filiam; *Mathalgardis*, Rothildim; *Gersvinda* Saxonici generis, Adelrudim; *Regina*, Drogonem & Hugonem filios; *Adelvinda*, Theodoricum; *Himmeltrudis* Pipinum, gibbo deformem, pepererunt. In hiſce Carolus, quod & Baronius recte judicat, minor ſeipſo inventus eſt, quod matrimonii caſtitatem, indecoro concubinarum amplexu maculavit.

De HILDEGARDIS, tertiæ Caroli Conjugis, calamitate, exilio, & redintegrato cum ea connubii fœdere, antiquorum Monaſteriorum Annales mira referunt. Tradunt nimirum, fuiſſe Carolo, e concubina Pipini, fratrem *Talandum*,

cui in bellum contra Saxones abiens, Hildegardin Conjugem, una cum regno, commendavit. Ille vero correptus libidinis æſtu, illicitum Reginæ concubitum expetiit, quæ, ab inſaniente homine non ſemel interpellata, dolo circumventum, carceri incluſit quidem, ſed ſub adventum Caroli mariti, iterum emiſit. Qui, ſcelus ſcelere cumulaturus, Hildegardin apud Carolum graviter defert, quaſi ipſa, profligato pudore, ſui amoris copiam deſideraſſet. Ibi Carolus, ira correptus, ne audita quidem conjuge, oculos ipſi erui jubet. Sed Hildegardis, divina ope ſervata, Romam profugit, &, conceſſam ſibi a Deo medicam artem, ſtrenue exercuit. Fit interim, ut Talandus, juſto Numinis judicio viſu privatus, cum nulla medicorum induſtria reſtituere oculos valeret, Romam denique cum fratre contenderet. Ibi cum miram felicitatem Hildegardis in medendo cognoviſſet, ab incognita tum, ſibi auxilium petit. Illa, Talandum probe agnoſcens, remedium offert, ſed hac lege, ut prius omnia, quæ unquam patraſſet, ſcelera, ſacerdoti confiteretur. Ille, exonerato animo, viſum recipit. At Regina, per Sacerdotem, de ſua innocentia Carolum interim certiorem facit, & cauſa cognita, ſummo cum honore priori conjugio reſtituitur, Talandus in exilium pellitur.

Vara vibiam ſequitur, nec piget adſcribere hoc loco, illam etiam lepidiſſimam fabulam, quam Petrarcha lib. I. Epiſtolarum, a Presbyteris Aquisgranenſibus audiviſſe

viſſe ſe teſtatur, quia pueris pro oblectamento eſſe poteſt. Conſtat, Carolum inſigni affectu propendiſſe erga civitatem *Aquisgranenſem*, eamque Sedem primariam Imperii, Regnique Galliæ conſtituiſſe. Hujus rei cauſam talem illi afferebant. Carolus, poſt victorias ingentes, & acquiſita dominia, amore cujusdam plebejæ fœminæ adeo captus fuit irretitusque, ut inſuper habitis regni negotiis, & majeſtate proſtituta, Veneri nimium laxaret fræna, non ſine cordolio Principum Imperii. Verum contigit poſtea, ut morbo graviſſimo correpta hæc fœmina, animam efflaret ſuam, maximo omnium gaudio, qui ſperabant, fore, ut Carolus, extincta amoris flamma, ad negotia Imperii animum converteret. At, præter omnium opinionem, Carolus, quaſi mente viduus, cadaver iſtud oſculis, complexibus, & ejus generis aliis amantium blandimentis, ita tractabat, ac ſi adhuc animæ contubernio frueretur. Et, licet putrescens, jamdum odorem, aliorum naribus ſpirare occœpiſſet ingratiſſimum, eo tamen non obſtante, Carolus conſuetudinem converſationis non derelinquebat. Cum autem nemo familiarium hoc ipſi tanquam inconveniens auderet explicare, *Archiepiſcopus Turpinus*, cæteris ingenioſior, rem magica procuratam arte ſuſpicatus, nacta occaſione, cadaver probe excutit, tandemque annulum, ſub lingua ejus deliteſcentem, reperit, & ſuſtulit. Quo facto, eadem die Carolus, poſtquam ad cadaver ſolito & conſueto rediit more, quaſi profundo ex ſomno liberatus, fœtorem

rem naribus percipiens, juſſit ut removeretur. Contra vero ab eo uſque termino amorem ſuum ad Archiepiſcopum, qui prædictum geſtabat annulum, convertit, nec ſine eodem lætum potuit trahere ſpiritum. Quod, poſtquam Archiepiſcopus ſecum perpendiſſet, & ne fortaſſis annulus iſte aliorum perveniret in manus, qui eodem abuterentur, illum in proximum civitati lacum projecit, hoc eventu, ut Carolus amore loci correptus, eum privilegiis, palatio, & monaſterio inſigni exornaverit, vitam ibi traduxerit ſuam, ſepulturamque elegerit moriturus.

Poſterorum Caroli M. ſeriem, quatenus ad intelligentiam eorum quæ ſequentur illa facit, adjecta tabella indicat.

Caro-

- *Carolus M.*
  - Carolus.
  - Pipinus
    - Bernhardus.
      - Pipinus
        - Bernhardus.
        - Pipinus.
        - Eribertus.
  - *Ludovicus Pius.*
    - *Lotharius Imp.*
      - *Ludovicus II.* Imp.
      - [illegible]us.
      - [illegible]
    - Pipinus.
      - Pipinus.
      - Carolus.
    - Ludovicus Germanicus.
      - Carolomannus.
        - *Arnolphus. Imp.*
          - *Ludovicus IV. Imp.*
      - Ludovicus.
      - *Carolus III. Craſſus. Imp.*
    - *Carolus II. Calvus Imp.*
      - *Ludovicus III. Balbus Imp.*
        - CarolusSimplex R. Gal.
          - Ludovicus Vltramarinus R. Gal.
            - Lotharius R. Gal.
              - Ludovicus V. R. Gal.
            - Carolus Dux Lotharingiæ.
    - Rudolfus.

LUDOVICUS PIUS.

LUDOVICUS, Caroli M. filius, imperavit annos 28. & PII cognomen meruit, ob eximium pietatis, veræque religionis ſtudium, quibus morum ſuavitatem, & moderationem conjunxerat. Aquisgrani Imperator ſalutatus fuit, Remis, *a Stephano IV.* Papa, coronam accepit. *Graviſſima huic Bella*, & cum externis, & cum domeſticis interceſſerunt, in quibus partim feliciter, partim infeliciter verſatus eſt. Et, *ad Externa* quidem quod attinet, ea ſatis ex animi ſententia geſta, vel confe ſunt. *Saracenos* ſiquidem, qui Italiæ imminebant, & undique prædas agebant, fortiter repreſſit. *Britones*, qui Francorum imperio hactenus paruerant, tum vero rebellionem moliebantur, ut & *Vaſcones*, compeſcuit. *Pannoniorum tyrannum Ludovicum*, ſibi cognominem, res novas molientem, occidit, atque ſic Imperium, ab externis turbis & tumultibus ſecurum præſtitit.

Non tam propitia uſus eſt fortuna Ludovicus, in bellis civilibus & domeſticis, *Italicum* ſi excipias. Suſceperat ex priore conjuge IRMENGARDI, filios tres, *Lotharium*, *Pipinum*, & *Ludovicum*: inter hos regnum ita diſtribuit, ut *Lotharius*, Rex Bojorum, *Pipinus* vero Rex Aquitaniæ eſſet, *Ludovicum* apud ſe retinuit, titulum *Regis Italiæ* ei tribuens. Id poſtremum factum ægre tulit *Bernhardus*, Pipini filius, quem, avus Carolus M. Italiæ Regem conſtituerat, quare Ludovicum patruum bello aggreditur. Cæterum victus *Bern-*

bar-

bardus, una cum filio Pipino, & tribus ex eo nepotibus, ſe Imperatori dedidit, captivusque Aquisgranum deductus, oculis privatur, & monaſterio includitur, ubi mœrore contabuit.

Bernhardo hoc modo ſublato, Ludovicus, *Lotharium* filium, Regem Italiæ creat, atque ſecundas nuptias facit cum JUDITHA, *filia Guelfi, Comitis Altdorfenſis in Suevia*, quæ ei deinde *Carolum*, cognomento *Calvum*, & *Rudolphum* peperit. Interim *ad luxum, & faſtum Epiſcoporum coërcendum* converſus Ludovicus, tantum incurrit eorum odium, ut quem antea nomine Pii decoraverant, ad hunc evertendum omnia conſilia & conatus conferrent. *Ergo filios ex Irmengardi* inſtigant adverſus patrem, calumniantes, Carolo & Rudolpho omne parari imperium, novercalibus inſidiis cæteros necem manere; Imperatorem ſenem a Juditha, eaque adultera, ut quæ cum *Bernhardo Hiſpano*, Barcinonenſi Comite, cubiculi præfecto, clandeſtinis complexibus conſueſceret, totum pendere. Credula juvenum ætas, facile in exitium patris armari ſe paſſa eſt, iſque captus intruditur Sueſſioni in monaſterium *Medardi*, eandemque ſortem *Juditha cum filiis* ſubire coacta fuit. Sed vero, Proceribus Germaniæ, *conventu Neomagi* habito, iniquitatem rei deteſtantibus, Imperator imperio redditus eſt: qui, paterna indulgentia, filios in gratiam recepit, & revocata ab exilio Conjuge, filium ejus ex ſe natum, *Carolum*, fruſtra reluctantibus cæteris, *Neuſtriæ*, hoc eſt, Celticæ & Lugdunenſis Galliæ, Regem creavit.

vit. Defuncto *Pipino*, *Aquitaniæ Rege*, filiis ejus *Pipino & Carolo* præteritis, *Aquitaniam Ludovicus inter Carolum & Lotharium diviſit.* Male habuit ea res *Ludovicum Bavariæ Regem*, quare denuo adverſus patrem arma corripuit. Huic pater occurſurus, in ipſo apparatu, Moguntiæ diem clauſit ſupremum, & ſepultus eſt in urbe Metenſi, prope Hildegardin matrem. Vixit annos 64. Lambecius to. 2. de Bibl. Vindob. refert; extare in Bibliotheca Imperatoria, *Ermoldi Nigelli Exulis, Poëma Elegiacum, de rebus geſtis Imperatoris Ludovici Pii*, in quatuor diviſum libros, ineditum hactenus, producitque ex eo Fragmenta.

LOTHARIUS.

LOTHARIUS, Ludovici Pii, ex Irmengardi, filius, imperavit annos 15. Patre etiamnum vivo Cæſarea dignitate ornatus fuit, eumque Romæ *Paſchalis* Papa coronavit. Is, cum *fratres Ludovicum & Carolum*, tractaret inclementius, inde inteſtinum bellum natum eſt. Volebat enim *Ludovicum* Bavaria, *Carolum* Aquitania contentos eſſe debere, idque ſuo beneficio: quam rem indigne ferentes, arma ſumpſerunt, & Lotharium in Gallia Lugdunenſi victum profligarunt, exercitu ad internecionem cæſo. Lothario, poſt recollectas vires, altera vice pulſo, cum tertiò bellum pararet, Proceres Imperii intervenerunt, effeceruntque, ut *Ludovicus* Germaniam teneret, unde & *Germanicus* dictus eſt. *Carolus*, Franciam, *Lotharius* Italiam cum Imperio, illoque Germaniæ tractu, qui ab hoc Lothario, nunc

Lotha-

Lotharingia vocatur, olim *Auſtraſia* dictus, nacti ſunt; *Pipino*, Pipini filio, Aquitania obtigit.

Re ſic compoſita, Lotharius, *filium Ludovicum*, in adminiſtrando Imperio fecit ſocium, eumque cum exercitu in Italiam adverſus *Saracenos* miſit. Scilicet, occaſione diſcordiarum inter fratres, exteris hoſtibus animus creverat. *Sclavi* enim *&* *Saraceni*, Apuliam, Calabriam, & Campaniam invaſerant, imo, concurſu ad ipſam Romam facto, *Petri & Pauli Baſilicas* diripuerant, urbemque ſuccenderant. *Normanni* quoque, *Dani*, *& Bohemi*, ſuis rebus non defuerunt. Contra hos igitur Ludovicus continenter bellum geſſit. Idem poſtea *Pipinum*, *& Carolum*, Pipini filios, Principatu Aquitaniæ dejecit, & in monaſteria incluſit, quorũ poſtrem⁹ inde elapſus, *a Ludovico Germanico*, *Epiſcopatui Moguntino* præfectus eſt.

Dum hæc in Imperio ita geruntur, & Saraceni Italiam affligunt, *Romani*, incitantibus Pontificibus, *ad Græcos Imperatores* animum rurſus cœperunt convertere. Quod animadvertens Lotharius, *Romam iter ſuſcepit*, & mutatis ibi Magiſtratibus, vetera pacta, de poteſtate Imperatoris in confirmando Pontifice, renovavit. Reverſus, inter filios avita Regna diviſit, *Ludovicum*, *Imperatorem*, *& Italiæ dominum conſtituens*; *Lothario*, *Lotharingiam tribuit*; *Carolum*, *minimum natu*, *Galliæ Narbonenſi præfecit*, qui tamen poſt patrem haud diu fuit ſuperſtes.

Mortuus eſt Lotharius Imp. in *monaſterio Prumienſi apud Treviros*, in quod, *depoſito imperii onere*, *curarum laborumque ſatur*, ſe receperat.

Lo-

Lotharii Conjux fuit HERMINGARDIS, Hugonis Comitis filia.

LUDOVICUS II.

LUDOVICUS II. Lotharii F. imperavit annis 19. A *Sergio*, Regni Longobardici, & ab *Hadriano II.* Imperiali corona fuit inauguratus. *Normannos*, ex Gallia, *Saracenos*, ex agro Beneventano, fratris ſui Caroli ope expulit. *Adelgiſum, Ducem Beneventanum*, res novas molientem, manus dare, & in deditionem venire coëgit: ſed, aſtute ab eo circumventus eſt. Perſuaſit enim Adelgiſus Ludovico, ſecum Beneventum proficeretur; quo, cum ventum eſſet, coëgit eum Adelgiſus, ut juraret, ſe nunquam Beneventum reverſurum, neque ulturum hanc injuriam. At Imperator, Romam contendens, cum de hac ignominia querelam ad Pontificem detuliſſet, ab eodem ſolutionem jurisjurandi impetravit. Qua re comperta, Adelgiſus in Corſicam profugit.

Vxorem Ludovicus habuit LUITGARDAM, Etichonis Guelfi, Altdorfenſis Comitis filiam, quæ, nullius maſculæ prolis ipſum patrem fecit, ſed tantum *Hermingardim* filiam peperit, quam Carolus Calvus poſtea, *Boſoni* Regi Provinciæ, collocavit. Obiit Ludovicus *Mediolani* A. 875.

Ludovici frater *Lotharius*, Lotharingiæ Rex, ab Epiſcopo *Colonienſi & Metenſi* impetraverat, ut *Theutbergam* conjugem dimittere, & in ejus locum *Waldradam* pellicem ducere poſſet. Quod, cum *Pontifici* renunciatretur, excommunicationem Lothario interminari cœpit, niſi

Wal-

Waldradam repudiaret. Territus Lotharius, morem geſſit, &, ut tanto magis ſatisfaceret Pontifici, Romam profectus, *Sacram Cœnam* cum Aulicis ſuis ſumpſit, quo teſtaretur, ſe pœnam a Pontifice impoſitam, tuliſſe patienter. Sed egreſſus urbe, in morbum incidit lethalem, ex quo Placentiæ diem obiit. Aulicorum quoque, qui ſacri myſterii participes facti erant, nemo dimidium annum ſupervixit.

CAROLUS II. CALVUS.

CAROLUS CALVUS, *Ludovici Pii* filius, & Franciæ Rex, vafer & ſubdolus Princeps fuit, atque alieni ſemper appetens. Audita Ludovici II. Imperatoris morte, Romam celeriter advolavit, ut Imperium, *Ludovico Germanico fratri* præriperet, votique eſt damnatus a *Johanne IX.* Pontifice. *Solo* vero *biennio* hanc dignitatem tenuit. Ut tutior eſſet a fratre Ludovico Germanico, *Boſonem* affinem, arctiori fœdere ſibi junxit, locando ei in matrimonium *Irmengardin*, Ludovici II. filiam, illumque *Regem Italiæ fecit*. *Berengarium* quoque, & *Guidonem*, Romanæ Nobilitatis Proceres, in ſuas partes traxit, & alterum, *Forojulienſium*, alterum, *Spoletanorum* Ducem creavit. Ea fœdera, toti Carolinæ ſtirpi deinde exitialia fuerunt, iſtis Italiæ imperium ad ſe trahentibus.

Poſt obitum Ludovici Germanici fratris, bellum Carolo fuit cum Germanici filiis, *Ludovico & Carolomanno*: a quibus ad *Veronam* oppreſſus & victus, vix fuga evaſit, & *Mantuam* delatus, ventris profluvio extinctus eſt, Judæo

h *Zede-*

Zedechia, quo medico utebatur, venenum ei propinante. Ex conjuge IRMENTRUDI, *Odonis* Comitis, & *Ingeltrudis* filia, inter alios ſuſcepit *Ludovicum cognomento Balbum*, in imperio ſucceſſorem.

LUDOVICUS III. BALBUS.

LUDOVICUM BALBUM, Franciæ Regem, defuncto patre, *Johannes IX.* Pontifex, præter multorum Italiæ Principum voluntatem, Imperatorio honore ornavit. Urbis enim Romæ Proceres plerique, potius *Carolo III.* favebant, atque fertur Pontificem, quod in diverſa abiret, in vincula conjectum fuiſſe. Sed is cuſtodia elapſus, in Galliam abiit, & Balbum creavit Auguſtum, qua poteſtate ipſe *ſolo biennio gaviſus eſt*, nec quicquam valde memorabile geſſit. Fuit vir ſimplex ac mitis, pacis, juſtitiæ, & religionis amator, imperavitque annum 1. & menſes 6.

Uxores Ludovicus duxit duas: Earum priorem ANSGARDAM, *Harduini* Comitis filiam, poſtquam duos ex ea filios, *Ludovicum & Carolomannum* ſuſcepiſſet, Carolus pater divortio divulſit ab ejus latere, quod ſe inconſulto & invito, eam in matrimonium aſſumſiſſet. Tradita ei deinde eſt ADELHEIDIS, quam, decedens, gravidam reliquit, *Carolum* poſthumum poſtea enixam, qui Galliæ Rex evaſit, Simplicis cognomine. Filii quos Ansgarda pepererat, miſere perierunt; alter enim dum feras venatur, ab

ab apro fuit occiſus ; alter amores ſectans, poſti illiſus cervicem fregit.

CAROLUS III. CRASSUS.

CAROLUS III. *Franciæ Rex*, cui corpus procerum & ſucci plenum, *Craſſi* cognomen peperit, per 7. annos tenuit imperium. Sub Patre Ludovico Germanico, Ludovici I. filio, militiæ aſſuevit, neq; infeliciter rem geſſit adverſus *Saracenos* in Italia, ut ſic nomen Imperatorium omnino mereretur. *Italiam*, Frater *Carolomannus*, moriens ei reliquerat, *Germaniæ Regnum*, fratris alterius *Ludovici* heres accepit, ita ut ſparſa hactenus in tot partes regna, in unam rurſus potentiæ molem coiverint. Sed deſtituit deinde Carolum fortuna, cum jam ad ſummum usque faſtigium ei eſſet obſecuta. Adverſus *Normannos* enim, a quibus, *Rollone* Duce, *tam Gallia quam Germania* miſerrime affligebantur, cum exercitu profectus, non tantum re infecta rediit, ſed & iniquas, & parum decoras pacis conditiones accipere coactus fuit, tradita eis ad incolendum *Neuſtria*, quæ exinde *Normanniæ* nomine appellari cœpit. Ob hunc ſiniſtrum eventum, in maximum apud Proceres odium & contemtum incurrit, qui indignati, communi conſenſu *imperio illum exuere non dubitaverunt*. Privus dignitate Carolus, tam miſerabilem vitam egit, ut vix unde famem expleret ei reliquum fuerit, *victum ab Arnulpho ſucceſſore emendicare coactus*. Ajunt ipſum mœrore

animi tandem mortuum eſſe, & vix 7. hebdomadas remotioni ab imperio ſupervixiſſe.

Uxor Caroli Craſſi fuit Richardis, Regis Scotiæ filia, fœmina, vitæ ſanctimonia & caſtitate inſignis. Cui cum maritus adulterii crimen objectaret, quia cum *Luſtwaldo Vercellenſi Epiſcopo*, Conſiliario ſuo, ac rerum ſuarum adminiſtratore, agebat familiariter, jurans, illam hactenus integram a ſe manſiſſe, & intactam: tum ipſa, quæ mariti vitium tot annos celaverat, obſtetricibus ac mulieribus honeſtis fidem fecit inviolatæ ſuæ virginitatis, ac facto cum marito divortio, acceptis bonis ſuis, in Alſatia Monaſterium ſacrarum Virginum conſtruxit, ſeque totam divino cultui addixit.

ARNULPHUS.

Caroli ſucceſſor fuit ARNULPHUS, Franciæ Orientalis Dux, *Ludovici Germanici nepos, Carolomanni, ex Carentina, nobili fœmina, naturalis filius.* Hic, vivo patruo ad imperium a Proceribus vocatus, id ipſum per annos 12. ne correrueret, magno conatu ſuſtinuit. Tunc enim Itali pactorum & ſacramenti immemores, fidem hactenus ſolis Imperatoribus præſtari ſolitam, ſceleriter violarunt, auſique ſunt Reges duos proprios, Guidonem Spoletanum, & Berengarium Forojulienſem ſibi conſtituere, a quibus imperium Arnulphi non mediocriter concuſſum eſt. Adhæc *Burgundi* etiam, Regem *Rudolphum* ſibi elegerunt, qui poſtea manifeſte rebellavit, armaque adverſus Cæſarem corripuit.

Hos

Hos motus, *Normanni* non leviter adauxerunt, quando ad *Wormatiam* usque progreſſi, omnia replevere incendiis & cædibus. Verum, ad *Normannos* quod attinet, cum iis Arnulphus memorabile prælium commiſit, in quo hoſtium centena millia perierunt, vix uno atque altero ex ſuis militibus amiſſo. *Rudolphus* etiam, imperata facere coactus eſt, cui tamen Imperator, poſtquam eum in gratiam recepit, Burgundiæ regnum reſtituit, ea lege, ut ſibi, & Succeſſoribus, fidem præſtaret atque obſequium. His, & aliis occupatus Arnulphus, quo minus Italiam in priſtinum ſtatum penitus reſtitueret, fuit impeditus. *Berengario* tamen, quem Guidonis factio regno ejecerat, auxilio fuit, eumque fugato Guidone, poteſtati reddidit, magis e re ſua eſſe exiſtimans, ſi illo amico, quam hoſte uteretur. Poſthæc Arnulphus in Romanos, qui Guidonis partes ſectabantur, movit, urbemque *Romam* diu fruſtra oppugnatam, miro caſu, ludente in ſerio negotio fortuna, cepit. *Leporem* militaris tumultus extra latibulum ſuum proturbaverat. Eum, pavido curſu verſus urbem fugientem, ex ſuis ſtationibus magno numero prorumpentes milites conſectantur. Cumque prædæ ſtudio longius proveherentur, Romani qui muros occupaverant, univerſis copiis ſe peti rati, quaquaverſus dilabuntur. Germani nuda defenſore mœnia conſpicati, occaſione tam bella uſi, congeſtis ſarcinis, per extemporalem aggerem evadunt in muros. Urbe expugnata,

 cives

cives in ſua verba jurare coëgit, & Pontificem *Formoſum*, quem *Sergius* cum ſua factione Pontificali ſede expellere nitebatur, in Pontificatu confirmavit. Cum *Suatocopo* (alii *Suentiboldum* vocant) Moraviæ Principe, Imperator Arnulphus difficile quoque bellum geſſit, in quod tamen propria eum imprudentia conjecit. Scilicet, Suatocopo, homini infido, *Bohemiam* donaverat, qui, pro grandi hoc beneficio, malam reddidit gratiam, adverſus benefactorem cornua erigens. Ergo, ut ejus auſibus obviam iret Arnulphus, *Ugros, quos nunc Hungaros appellamus*, e Scythia, vel Sarmatia Aſiatica, excivit, eorumque opera uſus, Suatocopi audaciam perfregit. Ex eo tempore Hungari, Hunnis & Avaribus debellatis, ſedes ſuas in Pannonia & Dacia, conſentiente Imperatore, poſuerunt, quas in hodiernum usque diem poſſident. Periit tandem Arnulphus fraude *Agiltrudis*, Guidonis conjugis, quæ, nonnemine ex ejus familiaribus corrupto, venenum illi propinari curavit. Hoc ille epoto, ſtatim *profundo ſopitus ſomno, in tertium usque diem ſtertuiſſe* dicitur: expergefacto, paralyſis & phthiriaſis intulere exitium.

Uxores Arnolphus duas habuit, unam AGNETEM, Imperatoris Conſtantinopolitani filiam, e qua *Arnolphum*, Ducem Bavariæ, & *Wernherum*, Comitem in Scheuren ſuſcepit. Altera LUITGARDA, peperit *Ludovicum* ſucceſſorem, & *Bertham*, ac *Luitgardam*, quæ Ottoni Saxo-

Saxoniæ Duci nupſit. Ex *Concubina*, Arnolpho natus eſt *Zenebaldus*, Rex Lotharingiæ.

LUDOVICUS IV.

LUDOVICUS IV. filius fuit Arnulphi ex *Luitgarda*, quam *Juttam* nonnulli vocant, Guelphi Ducis Bavariæ filia. Vix annos ſeptem natus erat, cum rerum ſummæ præficeretur, & *Germaniæ tantum Rex fuit*, nec Imperatoris titulum accepit. Pro eo *Otho* Dux Saxoniæ, & *Hatto* Archiepiſcopus Moguntinus, tutores, res geſſerunt. Fuit illo regnante Imperii ſtatus valde turbulentus: imprimis vero Hungari, ob non ſolutum ab Arnulpho ſtipendium, tumultuati ſunt, & ad Bavariæ limites progreſſi, omnia ferro & igne devaſtarunt. Cum his Ludovicus, continuo trium dierum prælio acriter conflixit, in quo tamen ſuccubuit, majori Nobilitatis Germanicæ parte amiſſa. Ex eo tempore *Hungari Germanis ſuperiores facti*, Sueviam, Thuringiam, Saxoniam, imo Italiam etiam, ſuis excurſionibus acerrime vexabant, a quibus ut Ludovicus tutum ſe præſtaret, theſauros in medium conferre, annuumque tributum pendere coactus eſt. Hæ, aliorumque Barbarorum irruptiones, in cauſa fuerunt, *ut celebriora Germaniæ loca muris foſſisque communirentur*, cum antea pleraque villarum inſtar habitata eſſent. Cæterum, *Albertum Comitem Bambergenſem*, qui *Epiſcopo Vireburgenſi* bellum intulerat, & *Conradum Franconiæ Ducem* interemerat, Ludovicus proſcripſit, ac etiam *Hattonis*, Archiepi-

ſcopi Moguntini, fraudulento ſalvi reditus promiſſo captum, ſecuri percuſſit. Obiit *Ludovicus*, nondum 20. annos natus, *ex mœrore*, quem ob belli Hungarici infelicem ſucceſſum contraxerat, anno Imperii 12. & quidem nulla, ex Conjuge, quam plerique, Witichindum ſequuti, (quanquam ſi Henricum Meibomium V. C. in notis audimus, perperam,) LUITGARDAM, *Ludolfi* Saxoniæ Ducis filiam, Ottonis M. ſororem faciunt, ſuſcepta prole. Atque ſic Caroli M. ſtirps, in Germania, cum eo exaruit.

IMPERATORES ORIENTIS.

NICEPHORUS.

NIcephorus, relegata in Lesbum Inſulam *Irene*, Orientis habenas moderari cœpit, *easque per 8. annos tenuit*, quibusdam *Logotheta* dicitur cognomine. Fuit homo omnibus vitiis commaculatus, domi crudelis & avarus, neque foris honeſtior. *Perſas* pudendo tributo placavit; quod, cum *Bulgaris* exſpoliandis reſarcire vellet, primo prælio victor, mox accepta clade, occiſus eſt. Hic eſt ille, qui cum *Carolo M.* ultro tranſegit de Imperii finibus. *Conditiones fœderis* apud Sigonium l. 4. de regn. Ital. hæ fuiſſe memorantur: Ut alter Orientis, alter Occidentis Auguſti, fratresque eſſent, dicerenturque. Simul, hinc a Neapoli, illinc a Siponto, quicquid ulterioris Italiæ in mare procurrit,

currit, cum ſuis e regione Inſulis, a Græco, reliquum a Franco jura peteret. Inter duo Imperia medius cardo *Venetiæ*, utriusque Imperii majeſtatem fideliter obſervaret.

STAURATIUS.

Succeſſit Nicephoro Stauratius filius: qui, cum *Uxori* tradere Imperium, & Affini, *Michaëli Curopalatæ*, inſidiari deſtinaſſet, excidit ipſe Imperio, quod per duos tantum menſes tenuerat; & in monaſterio anno ſequenti moritur.

MICHAEL CUROPALATES.

Michaël, ab officio *Curopalates* dictus eſt, erat enim Aulæ, ſive Palatii Magiſter. Habebat Nicephori filiam in conjugio. *Cum Carolo fœdus renovavit.* Fuit ingenii ſimplicioris, & qui nimium obediret alienis conſiliis: pacis quam belli ſtudioſior. Hinc occaſio nata, traducendi illum ut imbellem. Imperium, quo biennio non toto potitus eſt, re adverſum *Bulgaros* infeliciter geſta, conſpiratione *Leonis Armenii* amiſit, & in monaſterium detruſus eſt.

LEO V. ARMENIUS.

Leo, Cedreno teſte, egregius princeps fuit, ſed, ab imaginum fautoribus ut impius reprehenditur. *Bulgarorum* inſolentiam, multa tum molientium, opportuniſſima virtute repreſſit. Tandem anno imperii 7. a *Michaële Balbo*, noctu per inſidias, multis vulneribus

contoſſus interiit. *Uxor* ejus in monaſterio concluſa, filii vero in exilium pulſi ſunt.

MICHAEL BALBUS.

Michaël, a balbutiente lingua, *Balbus* dictus, in Phrygia ſuperiore, humili genere ortus, interfecto Leone Armenio, ſumma poteſtate uſus eſt. Eum in vincula conjecerat Leo, hoc fine, ut poſt Nativitatis Chriſti Domini feſtum, neci traderetur. Sed ipſo Natali Chriſti, Leonem, Michaëli faventes occidunt, & hunc liberatum, Imperatorem proclamant. Ajunt fuiſſe hominem vitioſum, impium, & impurum. Illo imperante, *Saraceni* ex Africa profecti, fere totam *Cretam* Inſulam occuparunt, Græcosque duplici vicerunt prælio. Extinctus eſt ventris profluvio, anno nono imperii.

THEOPHILUS.

Michaëli mortuo ſucceſſit filius Theophilus; egregius omnino Princeps, niſi quatenus ab imaginum cultoribus, ob crudelitatem valde incuſatur. Cauſam autem quare imagines tantopere averſatus ſit, narrat Elmacinus in Hiſtoria Saracenica. Scilicet, in templo quodam Divæ Virgini ſacro, die ei feſto, viſa fuere ubera imaginis illius lac exſtillare. Ejus rei rationem cum examinaret Imperator, comperit Parochum id arte effeciſſe, atque ex ea re lucrum cepiſſe ingens. Ergo Parocho cervicem præcidere, imagines omnes e templis tollere juſſit. Imperium auſpicatus eſt Theophilus, a

vin-

vindicta eorum, qui in *Leonem Armenium* conſpiraverant, ut Patri ſuo Michaëli rerum ſummam traderent: communem Principum cauſam ratus, ne quis tantum ſcelus impune patraret. Contra *Saracenos* multa quidem molitus eſt, & aliquando non ſine ſucceſſu, plus tamen damni accepit quam intulit. Hinc ex poſtrema clade, primum animo, mox & corpore æger, eodem quo pater morbo dyſenteriæ obiit Conſtantinopoli, cum imperaſſet annos amplius 12. Ferunt, eum aliquando *Theodoræ* uxoris navem, mercimoniis onuſtam, incendiſſe, dicendo: *Putabam me eſſe Imperatorem; at uxor mea me mercatorem facit.*

MICHAEL III.

Michaël, Theophili filius, cum per ætatem nondum aptus eſſet ad gubernationem, Mater *Theodora*, prioribus annis 14. egregie moderata eſt imperium. Sed filius, poſtquam adolevisſet, Matrem in monaſterium relegavit, ſolusque res adminiſtrare voluit; quæ quidem res vertit male. Fuit enim homo ſtolidus, & luxurioſus, quique omni pecunia in mimos & adulatores profuſa, eo inopiæ redactus eſt, ut etiam veſtes Regias vendere neceſſe habuerit. Bis cæſus eſt a *Saracenis*, quos tamen deinde magno prælio delevit *Petronas* avunculus ejus, ipſo Rege Saracenornm *Amero* interfecto. At mortuo Petrona, vires redintegrarunt Saraceni, *Cretamque* occuparunt. Ergo, ut haberet Michaël, quem iis opponeret, Cæſarem creavit

vit quendam *Baſilium Macedonem*, cujus opera in domandis equis, & aurigatione uſus fuerat. Hunc, cum paulo poſt, pœnitentia ductus, poteſtate iterum vellet privare, ipſe præoccupans, Michaëlem interfecit.

BASILIUS MACEDO.

Baſilius Macedo, obſcuro & ignobili genere natus, imperium per 18. annos tenuit. Orſus ab Ærario ſupplendo, quod Michaëlis prodigæ donationes exhauſerant, ſemiſſem repetiit ab iis, qui ſine cauſa erant ditati. Dehinc *juri dicundo* intentus, ne quis inopia cogeretur vadimonium deſerere, pauperibus litigantibus publice alimenta conſtituit, cauſasque, quoties poterat, ipſe cognovit. *Magnificentia ædificiorum* omnis generis, quæ vel inſtauravit, vel a fundamentis erexit, multum laudis adeptus eſt: eam auxerunt res bello adverſus *Saracenos* feliciter geſtæ. In venatione *a cervo lethaliter ſauciatus*, mortem oppetiit. Cum enim venatum exiviſſet, in Cervum incidit inuſitata magnitudine; quem perſequendo aſſecutus, cum ſtricto gladio percuſſurus eſſet, bellua ſe defendit, & ramo uno cornuum zonæ Imperatoris infixo, illum ſublimem fert cornibus ſuſpenſum: ac periiſſet ita, niſi a quodam famulo, enſe diſſecta zona, præſenti periculo fuiſſet ereptus. Sed huic malam mercedem reddidit Imperator, capitis nimirum ſupplicium; quod gladium contra ſe ſtrinxiſſet. Ipſe vero Imperator paulo poſt quoque obiit ex vulnere quod Cervus ei inflixerat.

LEO VI. PHILOSOPHUS.

Leo, Baſilii Filius, & ſucceſſor, ob inſigne literarum & præſertim Aſtrologiæ ſtudium, cognomen *Philoſophi* tulit. Laudatur ejus diligentia in Reipub. gubernatione, nec non induſtria in cavendis hoſtium, maxime *Saracenorum* & *Bulgarorum*, inſidiis. Regnavit annos 22.

PONTIFICES ROMANI.

STEPHANUS.

STephanus V. quem tamen alii *IV.* cognominant, ſeptem tantum menſibus, & iis quidem non totis, præfuit. Petiit Galliam, de rebus Italiæ componendis, cum *Ludovico Pio* Imperatore conſultaturus, atque ipſum *Remis* coronavit.

PASCHALIS.

Paſchalis, annis 7. pontificiam ſedem obtinuit. Notandum, quod in ejus vita Platina ſcribit: *Hic,* inquit, *nulla interpoſita Imperatoris autoritate Pontifex creatur. Hanc ob rem, ubi Pontificatum iniit, ſtatim Legatos ad Ludovicum miſit, qui ejus rei culpam omnem in Clerum & Populum rejicerent, quod ab his vi coactus eſſet Pontificium munus obire. Accepta hac ſatisfactione, Ludovicus reſpondit Populo & Clero: majorum inſtituta & pacta ſervanda eſſe, caverent, ne deinceps Majeſtatem læderent.* Hactenus Platina. Cum accuſaretur, quod *Theodorum Primicerium*, & *Leonem urbis Nomenclatorem* oculis & vita pri-

vaſſet, ipſe Leonem Pontificem imitatus, jurejurando ſe purgavit. *A. Ludovico Pio Imperatore dono accepit* Romam, Italiæque urbes varias, Aretium, Volaterram, Florentiam, Lucam, Peruſiam, aliasque.

EUGENIUS II.

Eugenius, Pontifex fuit annis 4. Commendatur ob pauperum & annonæ ſingularem curam. Cum enim Roma fame ingenti laboraret, frumentum tanta abundantia in Urbem introduxit, ut annona nusplam vilius, quam ibi venderetur. Hinc ab omnibus *Patris pauperum* cognomen tulit. Adverſus hunc *Zinzinus* quidam electus, poſt paucos dies dignationem abdicavit.

VALENTINUS.

Valentinus, unius menſis & dierum 10. fuit Pontifex, celebrantque ejus eloquentiam & ingenii dexteritatem.

GREGORIUS IV.

Gregorius, annis 16. Epiſcopatum tenuit. Iterum juvat notare Platinæ verba de hoc Gregorio. *Tantæ modeſtiæ fuit, ut electus a Clero Populoque Romano, non prius Pontificium munus obire voluerit, quam a Legatis Ludovici Imperatoris, ob eam cauſam Romam miſſis, qui diligenter tantam* (legendum *totam*) *electionem diſcuſſerant, confirmatus eſt. Fecerat id Ludovicus non ſuperbia motus, ſed ne jura Imperii amitteret.* Hæc Platina. Inſtituiſſe dicitur Gregorius, rogatu Ludovici Impe-

Imperatoris, *Feſtum omnium Sanctorum*: itaque Galli & Germani primi celebrarunt. *Oſtiam Tiberinam*, adverſus Saracenos, qui Romanum agrum diripuerant, communivit. Sancivit in celebri conventu, ne Antiſtites, & Sacerdotes, ſerico, purpura, cocco & gemmato annulo uterentur, præterquam in Sacrorum miniſterio; item, ne in cingulis calceisque aurum haberent, & argentum. Id Sabellicus referens, addit: *Huic tam pio decreto abrogavit poſteritas, ſed quo jure, hoc illi viderint, quorum intereſt.* Ferunt circa hæc tempora mercatores Venetos, Evangeliſtæ *Marci corpus*, ex urbe Ægypti Alexandria detuliſſe Venetias.

SERGIUS II.

Sergius II. Romanus natione, per annos 3. Pontificatum geſſit. Hunc antea *Os Porci dictum*, indeque occaſionem & principium mutandi Pontificibus nomen ortum eſſe, memorant Wernerus Rolewinckius, Chronicon Belgicum magnum, Sabellicus, aliique magno numero. Adſcribimus verba Philippi Bergomenſis Monachi Eremitani ex Supplemento Chronic. p. 262. *Sergius, cum prius Os porci vocaretur, ob deformitatem nominis mutare vocabulum coactus eſt, & ſe Sergium appellari fecit: & inde mutandorum nominum conſuetudo ſumpta eſt.*

LEO IV.

Leo IV. octo annorum fuit Pontifex. *Vaticanum muro* cinxit, & in urbis formam redegit, quæ

quæ *Leonina* dicta eſt. Tanta ei ſanctitas, ut *Serpentem*, cujus venenato anhelitu multi perierant, ex fornice S. Lucinæ, ſua oratione depulerit. Maximum quoque *Incendium*, crucis ſigno reſtinxit, quod per domos Saxonum & Longobardorum Romæ vagatum fuerat, & S. Petri Baſilicæ appropinquabat. In ejus rei memoriam juſſit *Aſſumptionis octavas* celebrare, eo enim tempore contigerat. *Synodum* 47. Epiſcoporum congregavit, in qua *Anaſtaſius*, *Presbyter Cardinalis*, quia Parochiam ſuam per annos quinque, contra Canonum inſtituta, deſeruerat, fuit depoſitus. Sed & *Angliam ſibi vectigalem reddidit Leo.* Quippe, cum *Edelwolphus*, per illius diſpenſationem e monacho Rex conſtitutus eſſet, cuilibet domui quotannis numum argenteum Sedi Romanæ dare imperavit, qui deinde *Numus Petri* dictus fuit.

JOHANNES VIII.

Sequitur Johannes VIII. famoſus ille Pontifex, qui, cum fœmina fuiſſe feratur, hactenus Viris Eruditis ampliſſimum velut campum præbuit, in adſtruenda & deſtruenda, ſive hiſtoria, ſive fabula. Inter eos qui narrationem impugnarunt, palmam reliquis facile præripuit *David Blondellus*, Vir, (tanta in ingenuo animo vis eſt ejus quod verum videtur) a Romana Eccleſia alienus, & inter Reformatos nomen profitens ſuum, peculiari ea de re ſcripto libello. Huic tamen *Papiſſam reſtitutam* oppoſuit *Samuel Mareſius*. Nobis, antequam cauſas exponimus,

quare

quare Johannem, & vixiſſe, & Romanæ Eccleſiæ monſtroſum caput fuiſſe, indubie credamus, totam prius hiſtoriam ediſſerere convenit. Præſtabimus hoc, non noſtris, ſed *Martini Poloni*, Monachi Ciſtertienſis, Archiepiſcopi Conſentini, & Innocentii IV. Pœnitentiarii verbis, e Chronico de Pontificibus & Imperatoribus depromtis; idque haud quidem eam ob cauſam, quaſi ab Onuphrio & Bellarmino vere proditum ſit, primum Martinum rem hanc in literas retuliſſe, aliud enim ex infra dicendis conſtabit: ſed, quia cæteris Scriptoribus melius ac prolixius narrationem inſtituit, & quia ad manum habemus Codicem MS. veterem probumque Illuſtris Gymnaſii Heilsbronnenſis, e quo aliqua, quæ in excuſis libris minus recte ſe habent, commodum licet emendare, & ſphalmata tollere. Vulgo legimus apud Martinum: *Johannes Anglicus, natione Moguntinus, ſedit annos II. menſes V. & dies IV. & ceſſavit Epiſcopatus menſem unum. Hic, ut aſſeritur, fœmina fuit, & in puellari ætate a quodam ſuo amaſio in habitu virili Athenas deducta, ſic in diverſis ſcientiis profecit, ut nullus ſibi par inveniretur, adeo ut poſtquam Romæ fuit, magnos magiſtros diſcipulos & auditores haberet, & quum in urbe vita & ſcientia magnæ opinionis eſſet, in Papam concorditer eligitur. Sed in papatu per ſuum familiarem imprægnatur. Verum, tempus partus ignorans, quum de Sancto Petro in Lateranum tenderet, anguſtiata inter Coloſſeum & eccleſiam S. Clementis peperit, & mortua, ibidem, ut dicitur, ſepulta eſt. Et quia dominus Papa eandem*

viam ſemper obliquat, creditur a pluribus, quod ob deteſtationem facti hoc faciat. Nec ponitur in Catalogo Summorum Pontificum propter mulieris ſexum. In his, poſt, *& dies IV.* omnino ex MS. inſerere oportet, *& mortuus eſt Romæ.* Sic, iterum, poſt, *Romæ fuit*, addenda ex eodem Codice, vox *legens.* Denique, verba poſtrema ita rectius in MS. concipiuntur: *Nec ponitur in catalogo Sanctorum Pontificum propter mulieris ſexus deformitatem.* Cæterum, omnia ita accidiſſe, prout Martinus prodidit, dubitare nos non patitur, principio, Hiſtoricorum, aliorumque Scriptorum, qui variis gentibus orti, & omnes Eccleſiæ Romanæ addicti fuerunt, ingenti copia conſenſus. Non enim fides adhibenda *Florimundo Ræmundo Senatori Burdegalenſi*, cum in commentatione, cui, *Popularis error de Joanne Papiſſa titulus*, ſcribere ſuſtinuit: *Soli Germani Joannæ meminerunt, nulli Franci, Hiſpani, Angli, Itali, Græci, Judæi in partes veniunt.* Imo, contra, *Petrus Megerlinus*, Academiæ Baſileenſis celebris Profeſſor, pro confirmanda hiſtoria, præter XVII. Germanos, adduxit inſuper Francos XVII. Italos XXVII. Hiſpanos VI. Anglos V. Scotum I. Belgas IIX. Polonum I. Hungarum I. Græcos II. & Judæos totidem. Atque ex Hiſtoricis, Martino, cujus vita in Seculum XIII. incidit, antiquiores laudantur, *Marianus Scotus*, *Sigbertus Gemblacenſis*, *& Gothofredus Viterbienſis.* Enim vero, cum horum primus Seculo XI. cæteri XII. vixiſſe deprehendantur, non illis juniores modo, ſed nec iſtos quoque

ido-

idoneos eſſe contendunt Pontificii, qui in hac cauſa teſtimonium dicant, atque in eo paratragœdiant, quod *non Anſtaſius Gregorii IV. Papæ Bibliothecarius*, σύγχρον☉, *non Ado Viennenſis*, *non Rhegino Prumienſis*, rei mentionem injecerunt; atque hoc uno ictu, ſe reliquum Scriptorum exercitum jugulaſſe opinantur. Sed, non tam facile cæduntur ad internecionem legiones noſtræ, nec de nihilo eſt conjectura, quam Martini verba ultima progenerant, aliquos, data opera, Johañem Papam fœminam ex catalogo expunxiſſe, honori Aulæ Romanæ, cui vehementer obnoxii vivebant, hac in re velificantes. Atque id in Anaſtaſium Bibliothecarium, ac Adonem Viennenſem Epiſcopum, optime quadrare, fieri poterat veriſimile. Quod autem ad Rheginonem Prumienſem attinet, is quidem immerito cum prioribus conjungitur, quippe, qui Pontifices ſeriatim non recenſet, nec Johannam tantum, ſed & alios bene multos ſilentio præteriit, in rebus Francorum enarrandis præcipue occupatus. Eſto igitur, quod nec Anaſtaſium, nec Adonem, nec Rheginonem autores habuerit Marianus quos ſequeretur, an eapropter continuo inferre licet, nullis prorſus eum uſum eſſe? & unde obſecro, vel nomen Johannæ, vel annos, menſes, & dies Pontificatus ejus, quos exacte annotat, niſi ab antiquioribus noſſe potuit? Nam, ut hæc confingeret ex ſeſe tanquam araneus, neque amor, neque odium, neque invidia, neque ſpes alicujus præmii, quibus ad falſa com

miniſcenda homines impelli ſolent, cauſa eſſe potuerunt. Amplius, patet ex ipſius Chronico, & Comentario in Pſalmos Davidicos, illum fuiſſe eruditione pariter ac judicio, ultra Genium ſui ſeculi, ita, ut aliqui, & in his Cujacius, præclariſſimũ opus Notitiæ Imperii, illi acceptum ferre non dubitent. Quamobrem nec illud objicere licet, quod forſitan Mileſios ſermones, & inanem vulgi rumorem Marianus aucupatus fuerit. Quin potius id unum ſupereſt, ut fateamur, Fuldenſis, in quo ipſe vivebat, Cœnobii Bibliothecam, qua nulla tum erat inſtructior, monumenta aliqua, e quibus ſua hauſit, aſſervaſſe, quæ, uti multa alia, incendii, bellorumque calamitatibus, aut vitio hominum imperitorum, in quos inciderant, perierunt. Quanquam, non valde neceſſitate conſtringimur, ut præſenti reſponſo unice inhæreamus, & magis pronum eſt dicere, fuiſſe omnino Johannam Anaſtaſio συγχρόνῳ memoratam, verum, verba, quibus id exequutus erat, malas, & Pontificum gratiam captantes manus, ex aliquibus Codicibus eraſiſſe; & notum eſt, quam multa ejusmodi, circa alia aliorum dicta, quæ Pontificiis ſudes in oculis erant, acciderint. Extabant ſane quondam in Heidelbergenſi Bibliotheca, Anaſtaſii Codices MSS. duo, in quibus Hiſtoria de Johanna legebatur, ceu Illuſtris Salmaſius immortalis memoriæ Viro Joh. Henrico Bœclero, non teſtatus eſt tantum, ſed & inſuper ſuavem de iis hiſtoriam recenſuit, quam æquum eſt omnes, prout a laudato Bœclero in librum

Com-

Commentarium de rebus Seculi poſt Chriſtum natum IX. & X. relata fuit, cognoſcere. Sic vero habet: *Ajebat Salmaſius, ſe Heidelbergæ agente, & incomparabili iſti Bibliothecæ operam dante, factum eſſe, ut Moguntini, Anaſtaſium Bibliothecarium edituri, duos Codices MSS. a Sereniſſimo Electore peterent, acciperentque. Quibus remiſsis, adjuncta fuiſſe aliquot exempla novæ editionis, in quibus hiſtoria Johannis fœminæ, ex MSS. bona fide expreſſa erat. Id, cum aliqui mirarentur, apud cæteros ortam ſuſpicionem, dediſſe occaſionem, ut in cætera exempla per officinas Bibliopolarum inquireretur, tum fraudem manifeſtam fuiſſe, dum omiſſa deprehendebantur in omnibus, quæ paucis inſerta diximus. Ea de re clariſſimæ memoriæ Virum, Marquardum Freberum, epiſtolam ad Amicum exaraſſe; quam, in aliquot Bibliothecis reperiri dicebat Salmaſius. Addebat: Verba Mariani Scoti (nam is nunc poſt deperditam aut vitiatam illam Anaſtaſii ſcripturam, antiquiſſimus rei autor,) religioſe ex Anaſtaſio deſcripta, id eſt, ipſiſſima Anaſtaſii verba fuiſſe.* Quorum dictorum fides, ne in controverſiam vocari poſſit, Vir impenſe doctus, & inter Pontificiorum Theologorum noſtri ſeculi primarios omnino referendus, Johannes Launojus faciet. Is enim etſi tomi 4. Epiſtolarum epiſtola ultima, hiſtoriam de Johanna Pontifice inficiatur, tamen non diſſimulavit, reperiri nonnullos Anaſtaſii Codices MSS. qui eam contineant. Quanquam vero hos, illis, in quibus omittitur, recentiores eſſe vult, tamen, ſi maxime hoc demus, cum nemo homo de iſtis Codicibus poſteriori-

bus oſtendere queat, non fuiſſe ad exemplar veterum & proborum expreſſos, haud temere elevanda eſt illorum autoritas. Ex Philippo Labbeo nominatim ſcivimus, in Regio, & Mazarini, (qui Gabrielis Naudæi fuerat) Anaſtaſii MSS. Codicibus, Johannæ Papiſſæ memoriam reperiri. Indicandum obiter ex Alexandri Cooke aſſertione, aſſervare Oxonii in Anglia Bibliothecam Collegii Novi exemplar MS. Ranulſi Ceſtrenſis, in quo hiſtoria Johannæ Papiſſæ, cultro deprehenditur eraſa: quin & Lipſiæ, in Ædis Paulinæ Bibliotheca, oſtendi Martini Poloni ſimiliter Codicem MS., in quo ea hiſtoria eſt expuncta. Porro, illud multo maximum eſt, quod, cum tot tantique ante Reformationis tempora, hoc eſt, per annos ſexcentos circiter, illud de Johanna Papiſſa aſſidue in literas retulerint, ne unus tamen, ulla unquam memoria, repertus fuerit, qui rem in dubium vocare, nedum negare auſus ſit. Quin, quod ſummopere notandum, ne Epiſcopi quidem Concilii Conſtantienſis, quibus Johannis Huſſi libri ad examinandum & excerpendum ex illis errores, commiſſi ſunt, quique maxima, minima, quæ Huſſum in odium perducere poterant, ſæpe etiam verba detorquendo, & pervertendo, ſedulo corraſerunt, ſive, ut in vita ejus verba habent, *ingentibus odiis, nonnullos articulos ex libris ejus truncatim & ſyncopatim extrahebant, fictosque articulos & mendoſos contra eum componebant, ad eum finem, ut omni caritate ſecluſa, eundem de ſtatu & vita ſua ejicere valerent:* neutiquam tamen dicam illi impegere, quod

quod in libro de Eccleſia, quo nullus alius rigidiori cenſuræ fuit ſubjectus, cap. 7. ſcripſiſſet: *Et ſic etiam intelligitur dictum B. Hieronymi poſitum 25. quæſt. 1. Hæc eſt fides. Sancta inquit, eſt Eccleſia Romana, quæ ſemper immaculata permanſit, providente Domino, & B. Petro Apoſtolo opem ferente, in futurum manebit, ſine ulla hæreticorum inſultatione, atque firma & immobilis omni tempore perſiſtet. Hic non poteſt intelligi quilibet Papa, cum ſuo Collegio Cardinalium. Illi enim ſunt ſæpius maculati deceptione prava & peccato, ut tempore Johannis Papæ Anglicæ mulieris, qui Hagna dicebatur. Quomodo ergo illa Romana Eccleſia, illa Agnes, Johannes Papa, cum Collegio, ſemper immaculata permanſit, qui peperit?* Neque ſolo hoc loco, ſed & iterum ejusdem libri cap. 13. Huſſus Johannam Papam perſtrinxerat. Imo, ne quid deſit, quæ *Antonii Reiſeri*, Viri qui Eccleſiam nuper orthodoxam, voce, ſcriptis, moribusque egregie ornabat, in Roma non glorioſa pag. 314. obſervatio eſt, poſt cœptam adeo Reformationem, non defuere inter Pontificios, qui hiſtoriam de Johanna Pontifice pro vera venditarent. Teſtes ſunt, liber qui anno ſuperioris Seculi triceſimo, Coloniæ, ſub nomine Oneris Eccleſiæ ex ædibus Quentelianis prodiit; itemque alius, Bononiæ Italicæ excuſus, quo, anno Seculi exacti quinquageſimo, Janus Vitalis Elogia Pontificum complexus eſt, ubi reperiuntur verſus:

Papa maris mulier ſexum mentita Johannes,
Ab ſcelus! in Petri Sede locata, parit.

Noviſſime, ſi vera non ſunt, quæ de Johanna Pontifice traduntur, non injuria miretur quis, unde igitur factum fuerit, quod hæc Romæ in ore ſint omni populo, quodque Clero excepto, e civibus haud facile quis reperiatur, qui non de certitudine illorum ſit perſuaſiſſimus. Profecto neceſſe eſt, non ſine nulla cauſa in vulgus emanarit tam vetus, tam conſtans fama. Sciunt omnes qui Romæ commorati ſunt, nihil nos perperam loqui, ipſique Interpretes, ceu vocantur, Romanarum Antiquitatum, qui peregrinis, accepto pretio, res in Vrbe notabiles commonſtrant, & verbis declarant, eos in Lateranenſis Baſilicæ porticum deducentes, ibi ſellam perforatam oſtendunt, in qua ſeſſitaſſe quondam, quemque recens electum Pontificem affirmant, ut quidam Diaconorum ſexum illius exploraret. Nimirum, valet etiamnum de noſtra, quòd de ſua ætate ſcripſit Sabellicus, Ennead. 9. l. 1. *Spectari in Pontificia domó marmoream ſellam, circa medium inanem, qua novus Pontifex continuo ab ejus creatione reſedit, ut ſedentis genitalia ab ultimo diacano attrectarentur.* Cui Romam adire non contingit, contempletur licet iconem Sedis, in libelli, *Roma ricercata*, cujus *Fioravante Martinelli*, *Romanus*, autor eſt, Ephemeria X. pagina tertiæ editionis 415. Agnoſcimus, pridem in deſuetudinem abiiſſe ceremoniam hanc, vel ob rationem quam his verſibus expreſſit Janus Pannonius:

Petre tua quædam fuit auſa ſedere cathedra,
Orbi terrarum jura ferenda dedit.

Hæc

Hæc compreſſa quidem multos latuiſſet in annos.
Facta foret partu ni manifeſta novo.
Poſt hæc Roma diu ſimili ſibi cavit ab aſtu,
Pontificum arcanos quærere ſueta ſinus.
Nec poterat quisquam reſerantes æthera claves
Non exploratis ſumere teſticulis.
Cur igitur noſtro mos hic jam tempore ceſſat?
Ante probat, quod ſe quilibet eſſe marem.

vel potius, citra jocum, quia non, ſicuti ſeculis antiquis, imberbi juveni Petri cathedram amplius conſcendere datum eſt, ſed ſolus, cujus mentum cana barba veſtit, vetus, vietus, veternoſus ſenex admittitur. Sed, non ideo colligas, nihil tale olim obtinuiſſe, cum Papæ fiebant, qui vix exceſſerant ex ephebis. De reliquo, haudquaquam totam de Johanne Papiſſa hiſtoriam ſuſpectam reddere debet, illa, quæ in aliquibus Scriptoribus ſeſe offert circumſtantiarum varietas, hæc enim illi communis cum univerſis prope Veterum relationibus, quæ, a diverſis proditæ, rarenter omni ex parte conveniunt. Illum autem quem ex Chronologia aliqui injiciunt ſcrupulum, quaſi nimirum ea ſibi non conſtet, ſi Johanni Papiſſæ locus relinquatur, ante nobis laudatus Petrus Megerlinus ſuſtulit e medio.

BENEDICTUS III.

Benedictus III. a Clero, populoque electus eſt, flens quidem, & Deum ac Sanctos teſtes faciens, ſe nequaquam dignum eſſe, qui tantæ Sedi præficeretur, Factum id citra Ludovici II. Imperatoris autoritatem. Hujus igitur Legati,

eam rem indigne ferentes, alium, cui *Anaſtaſius* nomen, opponi Benedicto paſſi ſunt, donec ſeditione orta, Imperator rogatus, Benedictum in ſede Pontificia confirmavit, quam, aliquibus, tantum per menſes 8. obtinuiſſe dicitur, alii vero inſuper biennium, aſſignant. Nimirum, Johanna Papiſſa, quam alii admittunt, alii ex Pontificum catalogo extrudunt, hanc peperit diverſitatem,

NICOLAVS MAGNVS.

Nicolaus M. Pontificiæ dignitati maximam ex omni occaſione poteſtatem vindicare, clam, palam, per fas & nefas ſummopere anniſus eſt, connivente plus, quam fieri oportuit, *Ludovico II. Imperatore*: cui tamen ipſi, nimiâ impotentiâ, aliquando bilem movit, adeo ut opus haberet infimis deprecationibus, ac ſupplicibus ceremoniis, iram ejus placare. Extat. Diſt. 96. c. *ſatis evidenter* 7. illius pronunciatum, quo Romanum Pontificem ut Deum, non poſſe a quoquam judicari, aſſeruit. *Satis evidenter*, inquit, *oſtenditur, a ſeculari poteſtate, nec ligari prorſus nec ſolvi poſſe Pontificem, quem conſtat a pio Principe Conſtantino Deum appellatum: nec poſſe Deum ab hominibus judicari manifeſtum eſt.* Porro, *Bulgarorum Regem*, cum tota gente, ad Chriſti fidem traduxit Nicolaus, quorum Rex monachus eſt effectus, & poſtea ad regnum, quia filius a fide defecerat, rediit. Amplius, *cælibatum clericorum* in Germanica introducere omnibus modis ſatagebat. Sed reſtitit ei *Huldericus Epiſcopus Auguſta-*

guſtanus Epiſtola doctiſſima, quam in Catal. teſt. verit. l. 9. reperire eſt, obtinuitque, ut libertas conjugii Sacerdotum, per annos fere ducentos, hoc eſt ad Gregorium usque VII. intemerata maneret. Præfuit Nicolaus Epiſcopatui annos 9. menſesque 6.

HADRIANVS II.

Hadrianus II. annos 5. ſediſſe dicitur: is, veſtigia Nicolai premendo, arbitria regnorum affectavit, *Lothario Regi Lotharingiæ*, aditum in Vrbem literis permiſit, quem Nicolaus denegaverat, pellicemque Regis *Waldradam*, a Nicolao excommunicatam, abſolvit. Nec minus *Teutgaudum Trevirenſem Epiſcopum*, a Nicolao, quod Lotharii divortium approbaſſet, depoſitum, in locum reſtituit. *Alfredum* cum inter Angliæ Reges primum coronaſſet, ipſum *filium adoptivum* vocare ſolebat.

JOHANNES IX. aliis VIII.

Johanni IX. annos decem tribuunt, intra quorum decurſum, id quod nulli præter eum contigit Pontifici, *Imperatores tres coronavit*, *Carolum* nimirum *Calvum*, *Ludovicum Balbum*, & *Carolum Craſſum*, atque ex his Ludovicum etiam invitis Romanis, ob quam rem in vincula conjectus eſt. Inde elapſus, confugit in Galliam, ſed poſt annum Romam rediit. Conſtituit, Sacerdotem, qui *homicidium* feciſſet, perpetuo pro irregulari habendum, nec unquam ad miſſam dicendam admittendum eſſe. Diſt. 50. c. miror.

MAR-

MARTINVS II.

Martinum, quem alii *Marinum* appellant, Gallum gente, malis artibus ad faſtigium Pontificatus aſcendiſſe, nihilque memorabile geſſiſſe, Platina fatetur. Sedit autem non niſi an. 1. & m. 5. Nimirum, quæ Bergomenſis verba ſunt, cum malis artibus Pontificatum obtinuiſſet, breviter, & merito quidem, in eo permanſit. Cæterum, ab hoc tempore Romana Eccleſia graviſſime laboravit, diſtracta civitate in duas factiones, Interque varia certamina, cupiditatumque nefariarum ſtudia, paulatim vetus Eccleſiæ diſciplina eſt lapſa, ſenſimque ſeſe Pontifices Imperatorum poteſtate exuerunt

HADRIANVS III.

Hadrianus III. annum unum & menſes tres geſſit Pontificatum. Impedito tum *Carolo Craſſo Imperatore* bello Normannico, *decretum* fecit Hadrianus, *ne quod Imperatoribus circa Pontificum* electionem impoſterum jus eſſet. Retulit Gratianus verba decreti in Diſt. 63. c. 1. *Nullus laicorum Principum, vel Potentum, ſemet inſerat electioni aut promotioni Patriachæ, Metropolitæ, aut cujuslibet Epiſcopi: ne videlicet inordinata hinc, & incongrua fiat confuſio, vel contentio, præſertim cum nullam in talibus poteſtatem, quenquam poteſtativorum, vel cæterorum laicorum habere conveniat. Quisquis autem ſecularium Principum, aut Potentum, vel alterius dignitatis laicus, adverſus communem & conſonantem, atque canonicam electionem eccleſiaſtici ordinis agere tentaverit, anathema ſit donec obe-*

dia-

diat & conſentiat, quicquid eccleſia de electione & ordinatione proprii Præſulis ſe velle monſtraverit. Item conſtituit, ut moriente Rege Craſſo ſine filiis, regnum, Italicis Principibus, una cum titulo Imperii traderetur. Ita auſi ſunt, inquit Crantzius, Pontifices, Imperatores ſuos contemnere, dum Imperii virtus elanguit.

STEPHANVS V.

Stephanus V. patria Romanus, *purgationem, quæ candenti ferro, & ferventi aqua* fieri ſolebat, abrogare ſtuduit. Idem, cum *Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus*, negaret Spiritum S. ex Filio procedere, verbis Nicæni Symboli, *qui ex Patre procedit*, inſerere juſſit vocem *Filioque*, quod jam in Gallia, Hiſpania, & Germania fuerat receptum.

FORMOSVS I.

Formoſus, ſimiliter patria Romanus, Portuenſis Epiſcopus, Stephanum excepit. Ei per factionem oppoſitus fuit, *Sergius* Diaconus, quem III. dixerunt. Iſte, cum jamjam ordinandus eſſet, *Formoſus cum ſuis in templum irrupit*, & Sergium ab altari deturbans, ipſe conſecrationem obtinuit. Hinc totus Formoſi Pontificatus, cui annos 4. & m. 6. aſſignant, aſſiduis Sergianorum contentionibus fuit infeſtus: unde, ſecundum Bergomenſem, nihil aliud memoria dignum egit, niſi quod *B. Petri Baſilicam levi pictura exornavit.*

BONIFACIVS VI.

Bonifacius VI. *natione Tuſcus*, 25. *tantum dierum Pontifex*, in tam exiguo ſpatio nihil memorabile

bile peregit. Baronius, ob breve tempus, &, quia Sedem violenter invaſit, non vult illum legitimis Pontificibus accenſendum. At Platina, in Catalogo Pontificum poſſe poni dicit, quia legitime & recte ſit creatus Pontifex.

STEPHANVS VI.

Stephanus VI. patria Romanus, ſimul ac Pontifex creatus fuit, magno odio perſecutus eſt *Formoſi memoriam*, ejusque decreta abrogavit. Quin tanta rabie deſæviit, ut habito Concilio, corpus Formoſi e tumulo extractum, Pontificali habitu ſpoliatum, indutumque ſeculari, in loco ubi laici condebantur, ſepulturæ mandaverit, abſciſſis tamen prius dextræ ejus duobus digitis, quibus in conſecratione Sacerdotes utuntur, inque Tiberim projectis, quod, ut ipſe dicebat, contra jura ſacramenti, Romam & ſaerdotium repetiiſſet, quo a Johanne VIII. jure ſpoliatus fuerat. Cum iſta ſic narraſſet Platina, ſubjicit: *Magna fuit hæc controverſia & peſſimi exempli, cum poſtea fere ſemper ſervata hæc conſuedo ſit, ut acta priorum Pontificum, ſequentes, aut infringerent, aut omnino tollerent.* Stephanus nondum anno uno & menſibus 3. in Pontificatu expletis, e vita exceſſit.

ROMANVS I.

Romanus, *approbavit acta Formoſi, Stephani* decretis reſciſſis, ſeditque menſes 4. Jure bono Crantzius in Saxon. Stupenda Romæ in Pontificia ſede perturbatio eſt exorta, a Formoſo & Succeſſori-

ceſſoribus ejus, quum orto inter eos ſchiſmate, Succeſſor Prædeceſſorem male haberet. Effoditur a Succeſſore Formoſus, & cadaver in Tiberim projicitur. Qui hoc procuravit Pontifex, a Succeſſore ſuo, Formoſi defenſore, confunditur. Ita graviſſimo totius Chriſtianiſmi ſcandalo, Romani Pontifices velut ebrii, imo furioſi, jactabantur. O Petre, Line, Clete, Clemens, ad quid pervenit veſtro ſanguine, veſtrátumque, imo Chriſti cruore partus principatus! Sic queritur ille.

THEODORVS II.

Theodorus, & *ipſe Formoſi memoriam tutatus eſt*: a Stephano officiis ſacris pulſos reſtituit, obiitque Pontificatus die 20.

JOHANNES X.

Johannes X. *Synodum 74. Epiſcoporum Ravennæ* celebravit, in qua, *Stephani contra Formoſum ſententia, impia declarata fuit.* Vix annum unum Epiſcopatum tenuit.

BENEDICTVS IV.

A Benedicto nihil memorabile geſtum eſt tribus illis annis, quibus Eccleſiæ Romanæ præfuit. Acciderat enim, quod Bergomenſis ait, illi ætati, ut omnis virtus, tam in capite, quam in membris, ex hominum ignavia, conſumta fuerit.

SCRIPTORES SACRI.

NICEPHORUS.

Nicephorus, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, vixit tempore Leonis III. cui A. 811. prolixam

lixam *ſcripſit Epiſtolam*, quam To. 9. Operum Baronius inſeruit. Edidit quoque *Chronicon*, quod In To. 2. Biblioth. SS. Patrum reperire eſt: itemque *adverſus Iconomachos opuſcula quatuor*, quæ apud Caniſium To. 4. antiquæ lectionis habentur.

VSUARDVS.

Vſardus, Monachus, gente Gallus, Alcuini diſcipulus, Caroli M. juſſu, *Martyrologium* egregium edidit, quod ſupereſt.

AMALARIVS FORTUNATVS.

Amalarius Fortunatus, *Trevirenſis Epiſcopus*, tempore Ludovici Pii Imperatoris vixit, cui *libros 4. de Eccleſiaſticis officiis*, quos ediderat, dedicavit. Scripſit item *librum de ordine Antiphonarii*: ex quo apparet, ipſum a Ludovico Imperatore, ad Gregorium IV. Papam fuiſſe miſſum.

THEODULPHVS.

Theodulphus, Abbas primo Floriacenſis, deinde Epiſcopus Aurelianenſis, multa, & ſoluta & ligata oratione ſcripſiſſe dicitur, extantque quædam ejus *Carmina* Tom. 8. Biblioth. SS. Patrum.

RABANVS MAURVS.

Rabanus Maurus, Germanus natione, fuit primo Monachus ordinis Benedicti, *mox Abbas Fuldenſis, denique Archiepiſcopus Moguntinus*. Scripſit *Commentarios in univerſam Sacram Scripturam*, tam Veteris, quam Novi Teſtamenti. Scripſit *libros tres de Inſtitutione Clericorum*; & juvenis, inſigne opus *de laudibus Sanctæ Crucis*, ſoluta ac ligata oratione meditatus eſt. Fuit is Vir, non La-

tina

tinæ tantum linguæ callentiſſimus, ſed & in Græca ac Hebraica ultra ſeculi iſtius genium profecerat, unde certum evadit, neminem illi hac ætate comparandum eſſe. Supereſt in Bibliotheca Imperatoria, *Rabani Gloſſarium Latino Theotiſcum*, in tota Biblia Sacra Veteris & N. T. hactenus nondum editum, teſte Lambecio To. 2. Bibl. Vindob. p. 416. & 951. ſeq.

OTOFRIDUS.

Otofridus, fuit diſcipulus Rabani Mauri, atque linguam excoluit Germanicam, in qua, *verſibus Volumen Evangeliorum* conſcripſit, cujus fragmenta magna ex Codicibus Imperatoriis, habentur in Lambecii T. 2. Bibl. Vindob.

STRABVS FULDENSIS.

Strabus Fuldenſis, Rabani diſcipulus, ex Magiſtri operibus, explicationes Scripturarum decerpens, inde *Gloſſam*, quam vocant, *Ordinariam* confecit. Hanc poſtea alii interpolarunt, auxeruntque.

S. EULOGIVS MARTYR.

S. Eulogius, *Toletanæ Eccleſiæ Epiſcopus*, occaſione perſecutionis, qua Saraceni in Hiſpania adverſus fideles graſſabantur, *tribus libris memoriam martyrum Cordubenſium* celebravit. Scripſit & alia, quæ To. 9. Bibl. SS. Patrum inſerta ſunt. Tandem ipſe quoque Eulogius Martyrum numerum adauxit.

HAYMO.

Haymo, Alcuini diſcipulus, *Epiſcopus Halberſtattenſis*, plurimos Literarum Sacrarum libros,

K ac

ac inter cæteros, *Prophetas, & Pauli quoque Epiſtolas omnes, commentariis illuſtravit.* Nec minus in *Evangelia edidit Homiliarum tomos duos.* Trithemius in Chron. Hirſaug. refert, *Haymonem Hirſaugienſem*, qui A. 1092. vixit, *Homilias* ſcripſiſſe, easque commixtas eſſe cum Haymonis Halberſtattenſis Homiliis, nec poſſe vel ſagaciſſimum eas a ſe invicem internoſcere.

WALAFRIDVS STRABO.

Walafridus, cui, ab oculorum vitio, *Strabonis* cognomen inditum, Augiæ Abbas, ſcripſit præter alia, *de rebus Eccleſiaſticis librum eruditum* & utilem.

SIMEON METAPHRASTES.

Simeon Metaphraſtes, *ad Sanctorum vitas* deſcribendas animum transtulit, *easque ſecundum menſium dies digeſſit*, quas apud Aloyſiũ Lipomanum, & Surium, Latinas habemus. Sed veris, plurima falſa admiſcuit, ita ut ipſe Bellarminus in Catal. Script. Eccleſ. fateatur, multa eum addidiſſe ex proprio ingenio, nec narrare res, ut geſtæ erant, ſed ut geri potuerunt. Sunt quoque quædam vitæ a poſterioribus adjectæ, hoc eſt omnes quæ annum 850. excedunt.

PHOTIVS EPISCOPVS CONSTANTINOPOLITANVS.

Photius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, fuit omnium ſuæ ætatis doctiſſimus. Scripſit *contra Romani Pontificis ambitionem*, & de *vita Nicolai Papæ librum*, qui ab *Adriano II. Pontifice* flammis eſt traditus. Edidit quoque *Bibliothecam*, ſeu enumerationem Autorum, cum argumentis, & ſum-

ſummis librorum capitibus: voluminibus duobus Græce ab Hœſchelio editam. Opus eſt præclarum, etſi Caſaubonus Exerc. I. contra Baron. id in eo reprehendit, quod ibi nonnunquam pugnantes invicem ſententiæ diverſorum Autorum, uni alicui tribuuntur, & integræ narrationes hoc pacto confunduntur. Idem Photius, veluti *Breviarum Juris Canonici Græcorum*, ex Conciliis, veterum Patrum epiſtolis, & Imperatorum conſtitutionibus concinavit, quod *Nomocanonem* inſcripſit. Id, cum *Theodori Balſamonis Commentario*, ex Bibliotheca Palatina, primus Græce edidit Lutetiæ Pariſiorum Chriſtophorus Juſtellus.

ANASTASIVS BIBLIOTHECARIVS.

Anaſtaſius, Abbas Romanus, & Gregorii IV. Bibliothecarius, vir fuit Græce & Latine doctus. Scripſit varia, inter quæ eminet *Hiſtoria de Vitis Pontificum*, quam, a S. Petro, ad Nicolaum I. pertexuit.

HINCMARUS REMENSIS.

Hincmarus, Epiſcopus Remenſis, ſcripſit *Epiſtolam Parœneticam ad Carolum Craſſum*: item quandam *de Bono regimine ad filios Ludovici junioris Imperatoris*, præter alias varii generis. Scripſit etiam *de vita S. Remigii: de divortio Lotharii Regis & Tetbergæ Reginæ*, item alia quædam opuſcula,

REMIGIUS ANTISIODORENSIS.

Remigius, Antiſiodorenſis Monachus, ſcripſit *Commentarium in Pſalmos*, multa ex Ambroſio & Auguſtino excerpens. Similiter & *XII.*

Prophetas Commentario illuſtravit, nec minus *librum* edidit *de Divinis Officiis*.

HÆRETICI.

IN hoc Seculo fere quies fuit Eccleſiæ ab Hæreticis, ne tamen tranquillitate gauderet, *Pontificum Romanorum ſuperbia*, & impotentia effecerunt, atque magis ab his hominibus, quam unquam ab Hæreticis fuit afflicta. Unde gravis illa *Rolivingi Carthuſiani* in Faſc. temp. p. 68. de hac ætate querela. Heu, heu, inquit, Domine Deus, quomodo obſcuratum eſt aurum! mutatus eſt color optimus! qualia contigiſſe circa hæc tempora etiam in Sancta Sede Apoſtolica, quam usque huc tanto zelo cuſtodiſti, legimus ſcandala! Quales contentiones & æmulationes, ſectæ, invidiæ, ambitiones, intruſiones, perſecutiones! O tempus peſſimum, in quo defecit ſanctus, & diminutæ ſunt veritates a filiis hominum! Nec minus notanda *Cardinalis Baronii* de iſto tempore ad A. C. 899. ingenua confeſſio. At hic finis, inquit, Seculi hujus, multis ex cauſis univerſæ Eccleſiæ ærumnoſi, Romanæ vero potiſſimum laborioſi, ob diverſas, tam adverſus Occidentales, quam Orientales Principes, perdifficiles contentiones: imprimis vero ob dirum ſchisma Græcorum, auctore Photio partum: ſed ob inteſtina, eademque implacabilia bella, in ipſo ſinu Eccleſiæ Romanæ agitari cœpta, cæteris lugubrius eſt redditum atque funeſtius, cum videlicet ſtertentibus omnibus, quibus ad regimen fuerat

fuerat vigilandum, imo iisdem ipſis, ut Apoſtolica navis fluctibus obruta penitus mergeretur, operam dantibus, non niſi divinum debeat exiſtimari miraculum, ſi ipſa tot tantisque jactata procellis, contuſa fluctibus, ventis impulſa, atque illiſa ſæpe obviis quibusque ſcopulis, detruſaque crebro violenter in ſyrtes, potuerit aliquo modo tot malis eſſe ſuperſtes. Hactenus Baronius.

Memorantur tamen in hoc ſeculo quibusdam,

PAULICIANI & ATTINGANI.

Hæretici, quos in Oriente errores ſparſiſſe perhibent. Præcipuus fuiſſe dicitur, *quod neminem ob ullum errorem aut facinus ex fidelium cœtu ejiciendum cenſuerunt*. Ad hæc, ajunt illos auguriis, & neſcio quibus arcanis ſuperſtitionibus, plurimum indulſiſſe.

JOHANNES SCOTUS, cognomento *Erigena*, & *BERTRAMUS Monachus*, circa hæc tempora, primi, veram & realem (uti Theologi loquuntur) præſentiam Corporis & Sanguinis Dominici in Sacræ Cœnæ myſterio, in dubium vocaſſe feruntur, quorum illum *Vercellenſis Synodus* damnaverit, hunc *Paſchaſius Ratberdus*, *Abbas Corbejenſis* confutaverit.

GODESCALCUS quoque, circa Moguntiam Presbyter, *de providentia*, *libero arbitrio*, *prædeſtinatione*, *& ſanguine Chriſti*, *male ſenſit*, contendens, quosdam hominum, inevitabili lege, & providentiæ divinæ neceſſitate, ad gaudia æterna, alios, ad ſempiternos cruciatus deſtinatos

eſſe: nec enim Deum ſerio cupere omnium mortalium ſalutem; nec miſiſſe Chriſtum, ut pro illis omnibus ſanguinem profunderet. Multos, hac doctrina, in deſperationem adductos fuiſſe, ſcribit Rabanus Maurus Archiepiſcopus Moguntinus, qui & *Synodum* indixit, in qua *Lupus Servatus* Presbyter, Godeſcalcum redarguit. Cum vero ne ſic quidem errorem deſereret, præſtito prius juramento, ſe nunquam in Franciam Orientalem reverſurum, ad *Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem*, ubi natus erat, dimiſſus eſt.

SCRIPTORES PROFANI.

EGINHARTUS.

EGinhartus, *Caroli M. Cancellarius*, ejus *Imperatoris vitam fideliter* conſignatam nobis reliquit. Scripſit & *hiſtoriam Francorum*, quæ magni facienda: eſt enim Eginhartus omnium Germaniæ hiſtoricorum, quotquot extant, vetuſtiſſimus. Lambeci⁹, Tomo 2. Bibliothecæ Vindobonenſis ex Codice MS. Imperatorio inſeruit *Breviarium* quoddam *Chronologicũ*, ſimul contendens, id ab Eginharto fuiſſe perſcriptũ. *Chronicon Lauriſhamenſis Cœnobii*, a Frehero, inter cæteros rei Germanæ Scriptores, ex Archivis Palatinis editum, hunc Eginhartum ipſius *Caroli M. generum* fuiſſe tradit, habuisſeque filiam ejus, *Immam* nomine, in matrimonio, addens lepidiſſimam de horum amoribus narrationem. Ejus veritas, non videtur dubia fuiſſe Juſto Lipſio, quip-

quippe qui in Monitis Politicis l. 2. c. 12. §. 12. his omnino verbis eam recenſuit. Erat Eginhartus in aula Carolo ab Epiſtolis, vir, ut illo ævo, doctus, & prudens, ſed non in amorem. Concepit eum In Domini ſui Filiam, etſi impar erat, & ipſa viciſſim arſit. Reſtinxerunt, ut ſolent amantes, furtiva ſui copia, & congreſſu, qui aliquandiu latuit: donec hiemante quadam nocte, cum in ſecretiore cubiculo Eginhartus fuiſſet, & ſub ipſam lucem exire vellet, videt multam nivem cecidiſſe. Hæret, & timet ne a veſtigiis deprehendatur vir in gynæceo fuiſſe. Conſilio & aſtu ſubvenit amica, & illum in humeros ſublatum & pendentem, dulce onus, aliquandiu tulit. Ecce, (o ſortem iniquam pariter & æquam!) videt hoc caſu Carolus, & cum dolore ſuo & riſu ſimul utrumque bene notat. Diſſimulat, die pleno conventum Principum virorum habet, narrat jocoſum, & fœdum factum: rogatque, (ſed nomina tacuit) famulus qui ſic in dominum, filia quæ in patrem peccaſſet, qua pœna digni viderentur? Illi, mortis, reſpondent. Tum igitur, utrumque advocat, & coram ſe ſiſtit: En, inquit, iſti ſunt qui peccarunt, tu Eginharte, tu Filia, qui auſi hoc eſtis? Nec negandi locus eſt: me inſpectorem, accuſatorem, judicem, vindicem habetis. Quid meruiſtis? Iſti dixerunt, mortem: ſed & animus veſter vobis idem dicet. Tamen, mitem tu Dominum, tu Patrem videte: ignoſcimus, hac lege, quam dicam. Eginharte hanc tuam latricem uxorem duces:

concordes eſtote, & mutuum deinceps quoque inter vos ferte. Dixerat. Illi e ſummo metu, in ſummum gaudium translati, grates agunt, gratulationes accipiunt: Carolus in gloria eſt, iſti in fama. Sic Lipſius. Enim vero, merito Baronius in Annalibus Eccleſ. ad A. C. 826. quicquid hujus eſt, pro fabula habet. Nam, ſi aliqua Imma nomine, Carolo Filia erat, mirum, illius non meminiſſe ipſummet Eginhartum, in vita ejus, ubi liberorum etiam e concubinis natorum, ſatis diligenter numerum inivit. Illud interim certum eſt, *Monaſterium Benedictinum ad Mœnum, inter Francofurtum & Aſchafenburgum* ſitum, Eginhartum fundatorem, ac primum Abbatem agnoſcere, & venerari.

NITHARDUS.

Nithardus, Caroli M. ex *Bertha* filia nepos, ſcripſit *libros quatuor de diſſidio filiorum Ludovici Pii Imp.* Orditur hiſtoriam a morte Caroli M. & progreditur usque ad annum 843. Eum ſcriptorem, Pithœus, in Annalibus Francorum edidit.

FRECULPHUS.

Freculphus, Monachus S. Benedicti, & poſtea Epiſcopus Lexovienſis, ſcripſit *ad Judithам, Ludovici Pii Imp.* uxorem, *libros quinque Hiſtoriæ Univerſalis*, ab Orbe condito, usque ad annum Chriſti ſexcenteſimum.

AIMOINUS.

Aimoinus Monachus, Gallus natione, multa fertur ſcripſiſſe, ſed extat ſola *Hiſtoria de rebus geſtis*

geſtis Francorum, quam, a primo Rege Faramundo, usque ad obitum Ludovici Pii, ſive A. C. 840. perſequutus eſt. Reliqua, quæ ad annum usque 1165. pertingunt, alius quispiam adjecit.

ADO VIENNENSIS.

Ado, Epiſcopus Viennenſis, *de ſex ætatibus mundi*, *Chronicon*, ab Orbe condito, usque ad A.C.879. elucubravit. Ei, *Martyrologium* quoque nonnulli tribuunt.

MEMORABILIA.

BIORNO IV. SUECIÆ REX, maxima potitus tranquillitate, miſſis ad Carolum M. Legatis, complures pietate & doctrina præſtantes Doctores, qui Suecos & Gothos in fide Chriſtiana erudirent, impetravit, quorum præcipuus erat *Heribertus*, primus Eccleſiæ Linkopienſis fundator & Pontifex. *Ludovicus* deinceps Caroli M. filius & ſucceſſor, ejusdem Biornonis precibus adductus, *S. Ansgario, Monacho Corbejenſi*, injunxit, ut Evangelium in Aquilonaribus Regnis prædicaret. Electus poſtea eſt Ansgarius, Epiſcopus Hamburgi, cui ſubjiciebantur Dani, Sueci, & Slavi.

HAROLDUS REX DANIÆ, in exilium pulſus, cum uxore & liberis refugium apud Ludovicum Pium Imp. quæſivit: ubi in vera fide informatus, una cum uxore & liberis, quibus ſe multi Dani aſſociarunt, Moguntiæ baptismate luſtratus eſt.

Russi, bello a *Baſilio Macedone* afflicti, pacem petunt, & Chriſtianam religionem amplectuntur. In quo propoſito eos confirmavit, quod ſacrum Evangelii Codicem exuri non poſſe viderent, ad preces Epiſcopi: *Glorifica nomen tuum Chriſte Deus*!

Soror Principis Bulgariæ, capta a Græcis fuerat & baptizata. Ea domum reverſa, fratrem hortata eſt, ut & ipſe Chriſtianam religionem admitteret, qui tamen prius obſequi noluit, niſi regione ſua a peſte & fame, quibus vexabatur, in Chriſti nomine liberata: ab idolis enim ſuis fruſtra opem petierat.

Borivojus Bohemorum Dux, paganicis ſuperſtitionibus addictus, cum apud Moravorum Regem *Swatoplucum*, Chriſtianam fidem profitentem, divertiſſet, ab eo permotus, Olomutii cum 30. Palatinis baptizatur. Cujus inſtitutum, deinde *Ludomilla* Conjux, & Bohemi magno numero ſunt ſequuti.

Monachi Corbejenſes in Rugia verbum Dei prædicant, & *S. Vito*, Patrono ſuo, templum ibi condunt. Expulſi paulo poſt fuere ab incolis, atque hi, ob miracula quæ viderant in S. Viti templo facta, Vitum deinde pro Deo colere cœperunt.

In Polonia Popielus II. Princeps peſſimus, ſuaſu uxoris faſtuoſæ, patruos ſuos veneno tollit, vindicta Dei ſubſequente. Nam mures e cadaveribus enati, parricidam perſecuti ſunt, ac etiam una cum conjuge & filiis, in *arce Cruszvicenſi*, etſi aquis vallata, devorarunt. Poſtea

Piaſtus,

Piaſtus, civis Cruszvicenſis, cum miraculoſe mulſum, & caro porcina in ædibus ejus augerentur, omnesque de novo Rege conſultantes cibaret, omnium conſenſu Princeps gentis conſtitutus eſt.

Normanni cum Angliam vaſtarent, MONIALES IN SCOTIA, ne præda iis fierent, labrum ſuperius, & naſum ſibi præſcindebant. Tum, in ſupplicationibus publicis addita formula: *A furore Normannorum libera nos Domine.*

Cum in Gallia ſævirent Normanni, timore illorum, corpus B. MARTINI Turonis Antiſiodorum deportatum eſt, *& in Eccleſia S. Germani* collocatum. Accidiſſe miraculum tum ferunt, orta inter Monachos diſcordia, cui potiſſimum Sancto jam nomen Eccleſiæ adſcriberetur. Hanc ob rem, diſcutiendæ ambiguitatis cauſa, leproſus in medio utriusque Sancti collocatus, ea parte ſanatur, qua ad Martinum vergebat: converſus deinde in alteram partem, virtute B. Martini, ſalvus integer omnino redditur. Hoc totum a Germano hoſpiti ſuo tributum creditur, ne de ſanctitate ejus, ob translationem quicquam diminutum videretur. Platina.

Sed vero ſub Carolo Calvo, ROLLO DUX, cum ſuis, Galliam incolentibus, Normannis, fidem Chriſtianam ſuſcepit, cum paulo ante ſomniaſſet, ſe elephantiaſi correptum, ſanatum fuiſſe aqua labente e fonte altiſſimi montis, & tum verticem ſe conſcendiſſe. Id ſomnium, quidam captivus Chriſtianus, de religione Chriſtiana & honoribus expoſuit, ſummamque

felici-

felicitatem ei prædixit, ſi ad Chriſtum ſe reciperet. Et ſane *ab hoc Rollone, Reges Angliæ* deinde longo ordine genus duxere.

Poſt Caroli Craſſi obitum, multa Regna, quæ hactenus una compage colligata fuerant, velut herede legitimo deſtituta, repente diſſoluta ſunt, ita ut quodque fere ſibi proprium Regem creare fas ſibi duceret. Hac ratione RUDOLFUS, Conradi cujusdam Comitis filius, in Burgundia, quatenus ad Alpes usque protenditur, Regnum conſtituit.

Legenda Pontificiorum habet, *JACOBI APOSTOLI corpus*, poſtquam ab Herode occiſus fuerat, canibus & volucribus eſſe objectum, ſed pios quosdam homines, id ſecum tranſtuliſſe in Hiſpaniam, atque ibidem clam terræ mandaſſe in urbe Compoſtella. Cæterum hoc ævo, & quidem A. C. 816. regnante in Hiſpania *Alphonſo Caſto Rege*, cum lux clariſſima illius ſepulturæ locum illuſtraret, cœperunt homines ibi fodere, repertoque cadavere cui caput erat præſciſſum, cum multa continuo miracula fierent, conjecerunt eſſe corpus B. Jacobi Apoſtoli. Autor Faſc. temp. p. 65. aſſerit, ſic impletam eſſe petitionem matris Zebedæi, quod Johannes a dextris apud Epheſum, & Jacobus a ſiniſtris, Roma in medio.

Bertiniani Annales narrant, A. 846. menſe Majo, apud Altiodorum civitatem, tantam ex pluviis *INUNDATIONEM* ortam, ut (ceu habent

bent verba Annalium) quandam vineam, cum terra, vitibus, & arboribus omnibus, in nullo diſruptam, ut erat, ſolidam, a parte Icaunæ fluminis, in alteram ejusdem fluvii partem, transpoſuerit, acſi in eodem agro naturaliter fuiſſet.

Anno Chriſti 870. *Concilium Constantinopolitanum IV.* quod vulgo *Oecumenicum VIII.* vocant, ab Epiſcopis circiter 333. celebratum eſt. Cauſa illius convocandi, *Bardas*, *Michaëlis Imperatoris in Oriente Collega*, qui, Conjuge repudiata, *nurum in matrimonium adſciverat.* Has inceſtas nuptias, reprehendit *Ignatius* Patriarcha Conſtantinopolitanus, quem ideo Bardas loco movit, *Photium*, nobilem quidem Senatorem, ſed nullis ſacris initiatum, eidem ſubſtituens. Atque hæc origo eſt *famoſi illius ſchismatis quod Photianum vocant.* Is Photius, poſtea *Baſilium* Imperatorem, ob *Bardam & Michaëlem anteceſſores occiſos*, a foribus templi excluſit. Quod cum indigne ferret Baſilius, Photium, tanquam vitio creatum, Patriarchæ dignitate exuit, Ignatium reſtituit. *In cauſa igitur Photii, tria Concilia coacta ſunt*, unum quod dicitur *Primum-Secundum*, quia Epiſcopi prima & ſecunda vice convenerant. In hoc, conſentientibus Nicolai Pontificis Romani Legatis, Ignatius legitimus Patriarcha depoſitus, & Photius intruſus eſt, qui etiam Canones condidit XVII. Alterum, quod Latini *Oecumenicum VIII. vocant*, Photium removit, reſtituitque Ignatium; feruntque *anathema in Photium ſcriptum fuiſſe*

fuiſſe, calamo in Chriſti ſanguinem intincto. Idem Concilium, *Imagines Eccleſiis Græcanicis reſtituit,* unde etiamnum imagines, non quidem ſculptæ, ſed penicillo depictæ, Græcis ſunt in veneratione. *Tertium* Concilium, defuncto jam Ignatio, Photium legitimum Patriarcham declaravit, ejusque *librum contra ambitionem Romani Pontificis editum*, ſubſcriptione tutatum eſt. Amplius, a *Symbolo Nicæno, Latinorum additamentum ſegregavit.*

SECV-

SECVLVM X.

IMPERATORES ROMANI.

CONRADUS.

CONRADUM, quidam *Ludovici IV*. ex fratre filium, atque ſic Carolinæ proſapiæ faciunt; ſed teſtatior memoria eſt, fuiſſe ipſum *Conradi Franconiæ Ducis*, quem Albertus Bambergenſis interfecit, filium, nec ad Caroli M. familiam eum attinere. Adeptus eſt imperium A. 911. ſuffragatione imprimis *Ottonis Saxoniæ Ducis*, & *Hattonis Moguntini*, qui ambo rerum ſummam ſub Ludovico puero rexerant. Delata principio ipſi Ottoni eſt dignitas, magno Procerum conſenſu; ſed is ætatem cauſatus, eam admittere noluit. Conrado ſe oppoſuerunt *Arnolphus* Bavariæ, *Giſelbertus* Lotharingiæ, & *Burchardus* Sueviæ Duces, iisque, poſt Ottonis Saxoniæ Ducis obitum, etiam hujus filius *Henricus*, ſe adjunxit, *Carolum Simplicem*, Galliæ Regem, ad Imperium evocantes. Sed eos omnes oppreſſit Conradus, partim vi, partim conſilio & prudentia. Fuit enim princeps ſtrenuus, & uſu exercitatus. Itaque indicta *Synodo* A. C. 916. effecit, ut omnes hoſtes ſui excommunicarentur: quos, paulo poſt, conventu habito, proſcripſit, *Arnolphum Bavaria* pellens, *Eringerum* & *Bertholdum*, Giſelberti Lotharingi fratres, ſecuri etiam ſubjiciens. Fato proximus Conradus, egregium moderationis exemplum

de-

dedit, quando *Henricum*, Ottonis Saxonis filium, quem adverſarium habuerat, Germaniæ Proceribus conmendavit, præteritoque *Eberhardo* fratre ſuo, deſignavit Imperii ſucceſſorem.

Uxorem Conrado plerique aſſignant PLACENTIAM, Ludovici Germanici, ſive Senioris, ſive Junioris, filiam. Non deſunt tamen, qui cum KUNIGUNDA, Luitpoldi Bavariæ Ducis, vidua, Caroli Craſſi filia, in conjugio vixiſſe tradant. De eo autem inter omnes convenit, illiberem fuiſſe, & annis 7. regnaſſe.

HENRICUS I.

Henricus, cui *Aucupia*, ſive quod iisdem valde caperetur, ſive quod in illis occupabatur, cum perventuri ad ſe Imperii nuncium & inſignia, prope *Goslariam*, perferente hæc *Eberharto* Franconiæ Duce, caperet, cognomen dederunt, patre *Ottone* Saxoniæ Duce, matre *Luitgarde*, ſeu *Hedwige*, Arnulphi Imperatoris filia, genitus eſt, eique, magna concordia, animi magnitudinis ac roboris, pietatis, moderationis, atque prudentiæ laudes, Scriptores tribuunt. Sub initium Imperii, ad motus Germaniæ ſedandos animum convertit, rebellemque *Arnolphum* Bavarum, humanitate magis quam armis vicit, filia *Gerbirga*, Arnolphi Filio, *Juditha vero*, Arnolphi filia, filio ſuo *Henrico*, in matrimonium data, & accepta. Contra *Vandalos* & *Sorabos* exercitum duxit, iisque domitis, totum illum tractum, præfecturis limitaneis,

neis, quas *Marchias* vocamus, diſtinxit. Et quidem contra Vandalos ſtatuit *Marchiam Brandeburgenſem*; contra Danos, *Marchiam Schleswicenſem*, unde Danomarchia; contra Sorabos, Polonos, Sileſios, & Bohemos, *Marchias Miſnenſem & Luſaticam*. Qua in re Carolum M. imitatus eſt, qui *Auſtriam & Moraviam* adverſus Sarmatas & Ungaros Marchias fecerat. Marchiis conſtitutis, *Eccleſias* quoque condidit Henricus, *Brandeburgenſem*, puta, *Miſnenſem*, & *Havelbergenſem*, ut, per Chriſtianam religionem, gentes illæ facilius in officio continerentur. Porro, *Wenceslaum*, principem Bohemorum, ad pacem coëgit, *Vormio*, Danorum, etiam tributum imperavit. Imprimis vero memorabile eſt *Bellum adverſus Hungaros geſtum*. Cum enim hi tributa exigentes, nihil niſi canem villaticum, ſcabioſum & tonſum, per ludibrium retuliſſent; ipſi furibundi, Slavorum ingentibus copiis ſibi junctis, *cum trecentorum millium exercitu*, Germaniam populari cœperunt. Sed Henricus, illis occurrit ad *Mersburgum*, ubi milite ejus inter pugnandum, κύριε ἐλέησον, κύριε ἐλέησον, acclamante, Hungari propemodum internecione deleti ſunt. Reliquiæ, naribus, auribus, manibusque amputatis, domum ire, & popularibus nunciare jubebantur, de cætero domi ſe continerent, aliena non appeterent, neque ad ea loca, ubi hujusmodi illos tributa maneant, porro accederent.

Ajunt, Henricum, in hujus victoriæ memoriam, ad Gallorum & Italorum imitationem, inſtitu-

ſtituiſſe *Ludos Equeſtres*, quos vulgo *Torneamenta* vocant, caviſſeque, ut ad eos ſoli Nobiles, & inter hos, non niſi qui veram religionem profiterentur, Imperatori fidos ſe præſtitiſſent, nullo perjurio, proditione, cæde, ſacrilegio, aut impudicitia ſe polluiſſent, admitterentur.

Huic Imperatori quoque, *permultæ Germaniæ civitates originem debent.* Cum enim prius vicatim fere Germania, & ab agriculturæ intentis, habitaretur, ipſe, ut adverſus hoſtes externos ſecuritas eſſet, loca aperta communivit, & civitatum formam iis induit. Id autem, ſecundum Sigebertum Gemblacenſem, hac maxime ratione factum eſt, ut agrarios milites recenſens, octo eorum in agris, nonum in urbe morari juberet; atque octo in agris ſibi & nono laborabant, nonus vero in urbe, tertiam partem omnium frugum illorum reſervabat in ædibus à ſe ad hoc exſtructis, ut ſic in bello nihil alicui rerum deeſſet, urbesque rebus & viris replerentur. Eandem ob cauſam, *Concilia quoque, & omnes conventus atque convivia*, in Vrbibus voluit celebrari Henricus. Quapropter hunc Imperatorem, *Germaniæ Theſeum* quidam non incongrue appellant. Fuit & illud ſapiens conſilium Henrici, quod, ceu rurſus a Sigeberto proditum eſt, quoſcunque *fures*, *latrones*, aut ſicarios, manu fortes, & bellis aptos eſſe videbat, indulta eis venia, agros & arma dabat, & legionem ex eis faciens, ad debellandos barbaros exponebat, edicens omnino, ut civibus

bus

bus parcerent tantummodo. Rebus domi ordinatis, pralyſi extinctus eſt, anno imperii 17. cum prius Othonem filium ſucceſſorem deſignaſſet.

Uxor Henrico fuit primo HATBURGA, Monialis; deinde MECHTILDIS, *Theodorici* Comitis Ringelbergenſis filia; ex qua ei nati ſunt, *Otho M. Imp. Henricus Rixoſus* Bavariæ Dux; *Bruno*, Archiepiſcopus Colonienſis; *Geberga*, uxor Regis Francorum Ludovici; *Mathildis*, Abbatiſſa; *Adelheidis*, *Rixa*, & *Juditha*. *Mathildis*, concubina Henrici, peperit *Danquardum*.

Henricum, *Scriptores Pontificii vulgo Imperatorum catalogo eximunt*, eo quod de inauguratione Papali admittenda non fuit ſolicitus; atque pars, nullum hoc tempore Imperatorem in Occidente nominat, pars vero *BERENGARII*, quem Johannes X. Imperatorem declaravit, res geſtas ſtylo perſequitur. Periit autem is ipſe Berengarius Veronæ, a quodam *Flamberto* interfectus. Eo extincto, Regnum Italiæ, *RUDOLPHO*, *Burgundiæ Rege* ſpreto & fugato, *HUGONI Arelatenſi Comiti*, ab Italis fuit delatum, in cujus ſocietatem *BERENGARIUS*, *ſenioris nepos*, poſtea ſe intromiſit.

OTHO I. MAGNUS.

OTHO, Henrici Aucupis, ex *Mechthilde*, Theodorici Saxonum Principis nata, filius, Germaniæ imperium annis 37. tenuit, &, ſuo merito, *Magni* cognomen eſt adeptus. Geſſit

enim varia & difficila bella, cum Bohemis, Hungaris, Germanis, Gallis, Danis, Slavis, Italis, & Græcis, de quibus pauca dicenda. *Bohemicum bellum*, ſuſceptum contra *Boleslaum*, Bohemiæ Ducem, hominem impium & inquietum, qui fratre *Wenceslao* S. quod Chriſtianam religionem profitebatur, interfecto, vicinos etiam vexabat. Ab his in auxilium vocatus Otho, miſit primo *Eſiconem*, Aſcaniæ Comitem, qui incautus a Bohemis fuit oppreſſus. Ei ſubſtitutus *Hermannus*, cum & ipſe, invidia præſertim *Eckardi* fratris impeditus, nihil profeciſſet, *ipſe Imperator adverſus Bohemos movit*, & multis cæſis, reliquos fecit tributarios, recepto tamen Boleslao ſupplice in gratiam.

Eodem fere tempore geſtum eſt *Bellum Germanicum*, quod *Danquardus*, Saxoniæ Dux, Othonis frater, ſed ex concubina nothus, ſuſcitavit. Iſte, provinciam *Sigefridi*, *Marchionis Brandeburgenſis*, qui ſine prole deceſſerat, occupavit, ſibique *Eberhardum* Franconiæ, & *Giſelbertum* Lotharingiæ Duces, junxit ſocios. Danquardo vero a militibus interfecto, cæteri una cum *Henrico*, Ottonis fratre, moleſti eſſe pergebant, infauſto tamen eventu. Nam *Eberhardus*, ad Andernacum oppidum acie cæſus, certum equorum numerum repræſentare, ac canem, usque ad urbem regiam Magdeburgum, (quæ pœna & ſocios quosdam Principes manſit) humeris portare coactus eſt: *Giſelbertus* in Rheno ſubmerſus periit; ſolus *Henricus*, culpam deprecatus,

catus, diſcrimen evaſit, & Bavariæ Ducatum a fratre obtinuit.

Porro, *Hungari*, ad Lycum fluvium, non procul ab Auguſta, ad internecionem deleti ſunt, captis pauciſſimis, inter quos ajunt fuiſſe *Regulos tres*, quos Henricus Bavarus ſuſpendio peremit. *Danicum bellum* inde ortum eſt, quod Dani, Marchionem, quem Henricus Cæſar Schleswicenſi Marchiæ præfecerat, cum omni præſidio necaverant. Hanc injuriam vindicaturus Otho, cum *Haroldo* Rege Danorum arma contulit, eoque victo, non prius pacem fecit, quam ipſe baptismum & Chriſtianam religionem admiſiſſet, Regnumque ſuum ſe tanquam imperii feudum deinceps habiturum, eſſet pollicitus.

Ex Dania revertens Imperator, *Windos*, *Obotritos*, aliosque Balthici ſinus accolas, ſubegit, & pari ratione religionem Chriſtianam acceptare compulit. Natum deinde *Gallicum bellum*. Nam *Hugo Pariſiorum* Comes, ægre ferens, quod Imperii dignitas penes Germanos eſſet, quodque *Ludovicus Transmarinus*, Franciæ Rex, cum Imperatoris ſorore *Gizberga*, nuptias feciſſet, *Normannos* incitat contra Ludovicum, a quibus & captus & in cuſtodiam traditus eſt. Ergo Otho, affinis injurias ulturus, cum exercitu Lutetiam venit, inque ea Hugonem obſedit: qui, cum veniam petiiſſet, indulſit eam Cæſar, reddiditque Ludovico Regnum, *Belgas* vero, & *Burgundos*, Galliæ detractos, Germaniæ adjecit. Ajunt, Othonis *milites*, *ſtramineos pileos*,

cum colis & fuſis geſtaſſe, in ludibrium Hugonis, quia Saxones, viros ſtramineos & effœminatos per contemtum vocaverat.

Sequitur *Bellum Italicum*, quod Othoni multum negotii faceſſivit. Occaſionem huic præbuit *Berengarii II.* faſtus & ſævitia, qui *Lotharium*, filium Hugonis, Comitis Provinciæ, Italiæ Regem, interfecerat, ejusque Conjugem *Adelheidem*, Rudolphi Burgundi filiam, carceri incluſam tenebat, *ac ſe Imperatorem*, *filium Albertum*, *Regem Romanorum* vocare eſt auſus. Cum igitur *Agapetus* inſuper Pontifex, & ſuo, & totius Italiæ nomine, Othonis opem flagitaret, expeditionem ipſe ſuſcepit, qua Berengarium, cum filio ſuo profugere coëgit, ADELHEIDAM vero liberatam, in locum EDITTÆ Anglicæ, quæ nuper fatis conceſſerat, conjugio ſibi junxit. His ita geſtis, relicto poſt ſe *Conrado* genero, ad gubernandam Italiam, in Germaniam Imperator revertitur. Cæterum Berengarius, Othonem inſecutus, eique ſupplex factus, in gratiam receptus eſt, redditumque illi fuit *Regnum Lombardicũ*, demta tamen Marchia Foro-Julienſi, agro Veronenſi, & nonnullis aliis, quæ fratribus ſuis in Bavaria Cæſar tribuit. *Berengarius* reſtitutus, poſtquam per decennium Lombardiæ regnum tenuerat, ad ingenium rediit. Ergo A. 960. a *Johanne XII.* rurſus ſolemni Legatione rogatus Imperator eſt, veniret, & Italiam a Berengarii tyrannide liberaret. Otho rebus in Germania compoſitis, & filio Othone ſucceſſore conſtituto, novum iter in Italiam ſuſcepit.

Ibi

Ibi capto *Ticino*, & aliis nonnullis urbibus, *Berengarium, cum uxore Willa*, in fugam conjicit. Quos dum perſequitur, ex itinere Romam deflectit, ubi a *Johanne XII.* Pontifice coronatus eſt, Berengariũ vero poſtea captum, cum uxore *Bambergam miſit*, ubi ambo in perpetua captivitate, quod ævi reliquum erat, exegerunt.

Interea temporis, *Albertus Berengarii filius*, militem colligit, ipſique *Johanni Pontifici*, ut ab Imperatore deficeret, ſuasque partes ſectaretur, perſuadet. Sic commotus ira Imperator, Romam obſidere cœpit. At Pontifex, convaſatis Eccleſiæ theſauris, ad Saracenos confugit, occiſis prius omnibus qui Cæſari favebant. Sed vero Otho, *non magno labore urbe potitus*, cives in ſua verba jurare, pollicerique compulit, ſe nullum impoſterum Pontificem, citra ipſius conſenſum electuros. Mox, *celebrata Synodo*, *Johanni XII. Pontificatum abrogat*, ſuffecto in ejus locum *Leone VIII.* qui, Synodali decreto, Othoni, omnibusque eum excepturis Imperatoribus, Pontificem Romanum eligendi confirmandique, nec non Epiſcopos conſtituendi, poteſtatem tribuit. Suadet ratio, afferre huc ipſa, quoniam ea cognoſcere æquum eſt, verba concepta, decreti, ex Juris Canonici Corpore, ubi Diſtinctione 63. canonem 23. efformant. Nimirum, ſic ſtatuit Leo VIII. Papa, in Synodo congregata Romæ, in Eccleſia S. Salvatoris: *Ad exemplum B. Hadriani, Apoſtolicæ Sedis Antiſtitis, qui Domino Carolo, victorioſiſſimo Regi Francorum, & Longobardorum, Patritiatus dignitatem, ac*

ordinationem Apoſtolicæ Sedis, & inveſtituram Epiſcoporum conceſſit: Ego quoque Leo Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, cum toto Clero, & Populo Romano, conſtituimus, & confirmamus, & corroboramus, & per noſtram Apoſtolicam autoritatem concedimus, atque largimur, Domino Ottoni I. Regi Teutonicorum, ejusque Succeſſoribus hujus Regni Italiæ, in perpetuum facultatem eligendi Succeſſorem, atque Summæ Sedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Archiepiſcopos, ſeu Epiſcopos, ut ipſi ab eo inveſtituram accipiant, & conſecrationem, unde debent: exceptis his, quos Imperator Pontificibus, & Archiepiſcopis conceſſit: & ut nemo deinceps, cujusque dignitatis, vel religioſitatis, eligendi vel Patritium, vel Pontificem Summæ Sedis Apoſtolicæ, aut quemcunque Epiſcopum ordinandi habeat facultatem, absque conſenſu ipſius Imperatoris (quod tamen fiat absque omni pecunia) & ut ipſe ſit Patritius & Rex. Quod ſi a Clero, & Populo quis eligatur Epiſcopus, niſi a ſupradicto Rege laudetur, & inveſtiatur, non conſecretur. Si quis contra hanc regulam, & Apoſtolicam autoritatem aliquid molietur, hunc excommunicationi ſubjacere decernimus: &, niſi reſipuerit, irrevocabili exilio puniri, vel ultimis ſuppliciis affici.

Paulo poſt Romani, *inſtinctu Alberti, Berengarii filii, Leone urbe pulſo, revocarunt Johannem;* quo extincto, quendam *Benedictum* ſurrogabant. Eam ob rem, Imperator, reducto ad urbem exercitu, & hac fame in deditionem accepta, civibus quidem pepercit, *ſed Benedictum in exilium relegavit, ad Adaldagium Epiſcopum Ham-*

bur-

burgenſem, unde nunquam diſceſſit. Dehinc, mortuo Leone, autoritate Imperatoria, *Johannes XIV.* ſucceſſor deſignatus eſt. Hunc, cum Nobiles quidam, in Cæſaris opprobrium, in carcerem conjeciſſent, exacerbatus Imperator, *denuo Romam contendit*, &, ut finis tandem turbarum eſſet, autores illarum ſuſpendio necavit.

Porro, nec illud *Bellum*, *quod adverſus Græcos Otto geſſit*, plane ſilentio involendum eſt. *Petierat ipſe filio Othoni*, *conjugem*, *Theophaniam*, *Nicephori Imperatoris Conſtantinopolitani privignā*, eandemque impetraverat, conſtituto loco, quo venire Othonis Legatos ad accipiendam ſponſam oporteret. Id matrimonium, cum ægre ferrent Græci, Legatos ab Othone miſſos partim occiderunt, partim captos, Conſtantinopolin abduxerunt. Eo facinore concitatus Imperator, miſit Comites, *Gunterum & Sigefridum* fratres, cum ſelectis copiis in Calabriam, qui Græcos fuderunt, captos truncatis naribus dimiſerunt, & Calabriam Apuliamque populati, victores ad Othonem reverſi ſunt. At, occiſo a Græcis Nicephoro, *Johannes Zimiſces* ſucceſſor, Germanos, quotquot captivi detinebantur, incolumes dimiſit, Sponſam Theophaniam, ſimul cum magna pompa ad Sponſum ablegavit, unde A. 972. ſolemnes feſtiviſſimasque nuptias Imperator Filio celebravit.

Tot, tantisqne rebus geſtis, Otho, anno vertente, diem ipſe clauſit ſupremum, & *Magdeburgi*, juxta tumulum prioris Conjugis, *Edittæ* Anglicæ

glicæ fuit ſepultus. Witichindus, a Cl. Meibomio cum cura editus, lib. 2. Annal. ſic ejus formam ingenii, & corporis habitum, nobis graphice depingit: *Pietate erat clarus, opere omnium mortalium conſtantiſſimus: præter regiæ diſciplinæ terrorem ſemper jocundus, dandi largus, dormiendi parcus, & inter dormiendum ſemper aliquid loquens, quo eum ſemper vigilare æſtimes,* (fortaſſe legendum *exiſtimes*) *amico nihil negans, & ſupra hominem fidelis. Nam quosdam audivimus accuſatos, & peccati manifeſtos, ipſum eorum advocatum & interceſſorem, & criminis nullo modo credulum ab eo poſthabitos, tanquam nihil unquam in eum peccaſſent. Ingenium ei admodum mirandum: nam poſt mortem Edidis Reginæ, cum antea neſcierit literas, in tantum didicit, ut pleniter libros legere, & intelligere noverit. Præterea Romana lingua, Sclavonicaque loqui ſciebat. Sed rarum eſt, quod earum uti dignaretur. In venationibus creber, tabularum ludos amat,* (in quibusdam editionibus eſt *amans*) *equitatus gratiam regia gravitate interdum exercens. Acceſſit ad hæc moles corporis, omnem regiam oſtendens dignitatem, capite cano, ſparſus capillo, oculi rutilantes, & in modum fulguris, cita repercuſſione, ſplendorem quendam emittentes: facies rubicunda, & prolixior barba: & hæc contra morem antiquum: pectus leoninum, quibusdam ſparſum jubis: venter commodus: inceſſus quondam citus, modo gravior: habitus patrius, ut qui nunquam peregrino ſit uſus. Quotiescunque autem ſit opus corona portanda, jejunium ſemper præcedere pro vero traditur.* Memorabile eſt, ex eodem

Witi-

tichindo, orta controverſia, num filiorum
inter filios computari debeant, & una cum
uis hereditatem cernere, ſi forte patres
am, avis ſuperſtitibus deceſſiſſent, pugnæ
bilium quorundam litem dirimendam Impe-
orem commiſiſſe. In hac ea pars vicit, quæ
nepotibus, ut pro filiis haberentur, dimi-
erat. Itaque firmatum eſt, ut æqualiter cum
truis hereditatem dividerent, pacto ſempi-
no.

Prima uxor Othonis fuit EDITTA, ſive ED-
THA, *Edimundi* Anglorum Regis filia. Ea pe-
rit *Luitolphum* Ducem Saxoniæ; *Wilhelmum*
rchiepiſcopum Moguntinum, & *Luitgardam*,
æ nupſit Conrado Duci Lotharingiæ. Altera
it ADELHEIDA, *Rudolphi* Burgundiæ Regis
ia, Lotharii Italiæ Regis vidua. Hæc pepe-
t *Othonem* ſucceſſorem; *Henricum* Ducem Sa-
oniæ, *Brunonem*, & *Adelheidam*, quam Hugo
Capetus Rex Galliæ connubio ſibi junxit.

OTHO II.

OTHO II. *Henricum Bavarum* patruelem,
mperium ſibi vindicantem, oppugnavit, pro-
ſcripſit, ac exilio mulctavit, Bavariæ admini-
ſtratione, *Othoni* Suevorum Duci, Ludolphi
fratris ſui filio, commendata. Franciæ tum
Rex fuit *Lotharius*, Ludovici Transmarini, ex
Girberga, ſorore Othonis I. filius, is *Lotharin-
giam*, Imperii provinciam, occupaverat. At
Imperator, coacto exercitu, regionem recepit,
ejectoque Lothario, ipſius fratri *Carolo*, illam
dono

dono dedit, hac tamen lege, ut tanquam feudum ab eo poſſideretur. Cæterum *Lotharius*, ægre id ferens, Othonem Aquisgrani diverſantem, repentino impetu pæne oppreſſit. Quam injuriam ulturus Imperator, Gallos Lutetiam usque inſecutus, eos pacem petere coëgit. Interea temporis, cum viderent *Baſilius* & *Conſtantinus* Imperatores Græci, fratres Theophaniæ, conjugis Othonis, ipſum domeſticis bellis implicitum eſſe, exercitu ex Saracenis Siculis pecunia conducto, *Apuliam* & *Calabriam*, quas nuper Nicephorus amiſerat, recuperarunt. Cum his Ottho congreſſus in Calabria, clade magna eos affecit, ſed mox, redintegrato prælio, cæſus eſt, Romanis & Beneventanis perfide aciem deſerentibus. Ibi, urgentium Saracenorum interventu, terra excluſus Imperator, in mare deſiliit, interceptusque ab hoſtium navibus, cum a nemine agnoſceretur, *Græcæ linguæ*, quam egregie callebat, beneficio, evaſiſſe dicitur.

Reparato deinde exercitu, *animadvertere in Romanos* & *Beneventanos conſtituit*, a quibus initium fugiendi erat factum. Ergo Beneventum capit, inceditque; Romanorum vero Proceribus ad convivium invitatis, de ſontibus ſupplicium ſumens, cum reliquis epulari pergit, unde *Sanguinarii* cognomen ei inditum. Nec diu ſuperſtes poſtea fuit Otho, mortuus ex vulnere, quod victis iterum mari *Saracenis*, acceperat, anno Imperii ſui decimo. Fato proximus, unam pecuniarum partem Eccleſiis, alteram

auperibus, tertiam *Mechtildæ* ſorori, An-
e Quedlinburgenſi, quartam, *Benedicto* le-
Pontifici.

Conjugum & Liberorum Othonis, apud O-
um Stradam talis eſt recenſio: THEOPHA-
Nicephori Conſtantinopolitani Imperatoris
(alii privignam rectius faciunt,) callida
uta, Othoni Imp. in matrimonium tradita
ex qua nati ſunt: *Otho III.* Imp. *Hugo* Dux
niæ; *Alyſia*; *Eudoxia*, & *Theophania*.
AM UXOREM, e familia Marchionum Au-
, cujus nomen ignotum eſt, habuit Otho,
i peperit *Utilhaidim*, uxorem Theodorici,
Comitis Hollandiæ; *Sophiam*, Abbatiſſam
andershaim; *Adelhaidam*, Abbatiſſam in
telburg; *Juditham*, uxorem Ducis Polo-
& *Mithildim*. Ex *Concubina*, ei nati ſunt,
ricus & Udalricus.

OTHO III.

OTHO III. *Othonis II.* ex *Theophania* filius
Qui, cum patre vitam claudente, valde
c puer, nec ad imperandum aptus eſſet,
varii motus orti ſunt. Nimirum *Romæ*,
entius Conſul, imperii Germanici impati-
ex Italis Imperatorem creari voluit. In
Lotharius, ob ereptam ab Othone II. Lo-
ngiam, iratus, nihil non tentabat contra
nem filiū. *In Germania Henricus Bavariæ Dux*,
rætextu tutelæ, Othonem puerū, per factio-
abreptum, ſecum tenebat, ſeque pro Im-
tore cœpit gerere. Cæterum, prævalente
apud

apud *Saxones* fide, quam Othoni juraverant, extortus eſt Henrico Imperator a Principibus, redditusque matri *Theophaniæ*, & aviæ *Adelheidæ*, ubi literis divinis humanisque probe inſtructus, tanta virtute emicuit, ut *Mirabilia mundi* vulgo appellaretur.

Prima ejus cura fuit, ſedandi Italiam. Ejecerat Roma *Creſcentius Johannem XV. Pontificem*, ſibique Urbis imperium arrogaverat. Audito igitur Imperatoris adventu, Romam revocat Johannem, & pedum quoque oſculo veneratur. Cum vero antequam Cæſar Romam attingeret, Johannes deceſſiſſet, mox eo delatus Otho, Pontificem creat agnatum ſuum *Brunonem*, Othonis Sueviæ Ducis filium, Othonis I. pronepotem, qui *Gregorii V.* nomen ſumſit. Hunc vero cum poſt Othonis ex Italia diſceſſum, *Creſcentius, ſolito furore correptus, ſede Pontificia dejeciſſet*, commotus Otho, in Italiam revertitur, & Brunone reſtituto, graviſſime in Creſcentium ejusque complices animadvertit. Nam Creſcentium, averſa facie, vili jumento impoſitum, & per urbem circumductum, ac poſtea longo cruciatu laceratum, cum duodecim aliis ſeditionis ſociis, ad portam ſuſpendit; *Johannem Placentinum*, quem Creſcentius Pontificem fecerat, naribus & oculis privatum, de Capitolio præcipitavit, & reliquos conſiliorum Creſcentii conſcios, exilio mulctavit.

Quibus ita geſtis, Gregorius Papa, ut impoſterum Romanis omnis præcideretur tumultuandi occaſio, & ſpes ad ſe transferendi

Impe-

erii, univerſa civitate Romana adſtipulante, n tuliſſe dicitur, ut ſolis Germanis liceret cipem eligere, qui Cæſar & Romanorum eſſet, ejus vero ſolemnis inauguratio æ fieret per Pontificem. Unde Trithemius ronico Hirſavienſi: *Gregorius V. congre- Synodo ſtatuit, conſentientibus Romanis & Clero, ut Imperium Romanum perpetuis apud Ger- s futuris temporibus permaneret; ita ut Ger- e Principes per Ottonem III. deputati, habeant poteſtatem Imperatorem eligendi, quæ conſti- jam per annos DVI. usque ad me inviolabili ſta- te ſervata eſt.* Hæc ille.

Rebus in Italia expeditis, Otho rediit in nantiam, indeque profectus *in Poloniam*, ad chrum novi martyris *Adelberti*, voti exſol- i cauſa, a *Boleslao*, Polonorum Principe, li- iter habitus eſt, cui, ut gratiam referret r, amicum Romani Imperii appellavit, &, *ito Regio diademate, Regem fecit*: *Rixam* inſu- e ſorore ſua neptem, *Miezislao* filio ejus ondit.

Paulo poſt, iterum ſeditionem moventibus anis, Otho, *quartum iter in Italiam ſuſcepit*, ſed no cum periculo. Nam, exercitus parte , ipſe in Capitolio obſidebatur. Liberatus n fuit, fide *Hugonis Brandenburgici.* Atenim lum vix effugerat, & tandem inſidiis im- cæ mulieris periit. Erat illa, *conjux Creſcen-* quæ regnandi cupida, in ſui amorem Cæſa- pellexerat. Cumque hujus abitu, ſpe con- ſe excidiſſe animadverteret, *miſſis chiro- thecis*

thecis veneno tinctis, eum necavit, poſtquam imperaſſet annos 17. Cadaver Aquisgrani, inteſtina Auguſtæ humata ſunt.

Uxorem habuerat Otho *Mariam Arragoniam*, procacis & impudicæ libidinis fœminam. Ea, juvenem ſecum adduxerat, habitu muliebri, pro pediſſequa, cujus conſuetudine utebatur. Id cum innotuiſſet Imperatori, multis adſtantibus Principibus, juvenis veſtibus exutus eſt. Cumque pro fœmina maſculus reperiretur, Imperatot ignis ſupplicio in eum animadvertit. Porro, Maria, cum *Comitem Mutinenſem* in ſui amorem pellicere non poſſet, benevolentia in odium verſâ, inſontem, apud maritum ejus criminis inſimulavit, quod in ipſam valebat, utque capite plecteretur effecit Enim vero Comitis Conjux, Imperatorem in conventu viduis jus dicentem adit, *candentique lamina impune manibus tractata*, fidem facit, maritum ſuum indigne morte mulctatum, ac ea propter Auguſtam, falſi criminis architectam, ad ſupplicium vocat. Rei novitatem ſtupens Imperator, Conjugis ſcelus, flammis ultricibus expiavit. Cum hac ſterile Othoni fuit conjugium.

IMPERATORES ORIENTIS.

CONSTANTINUS VIII. PORPHYROGENITUS.

LEoni VI. ſucceſſit filius Conſtantinus VIII. Porphyrogenitus, qui in 50. quibus rerum ſum-

as tenuit annis, miras rerum vices exper-
t. Septimum ætatis agebat annum, cum
e patre extincto, *Alexandrum* patruum ac-
et tutorem: a quo Regno & virilitate pro-
dum privatus eſſet, niſi mors repentina
atorem ſuſtuliſſet e medio. Eo ſubmoto,
ſus puerum Imperatorem, *Conſtantinus*
filius inſurrexit, qui tamen in ipſo ſcele-
natu oppreſſus eſt. Hæc occaſio fuit Tu-
s ſæviendi tanquam in conſcios & partici-
novaque invidiæ & odiorum ſemina ſpar-
. Revocata ſubinde Imperatoris mater
quam Alexander aula pepulerat, admini-
onem Imperii capeſſit, admoto ad rerum
am *Conſtantino* eunucho, cubiculario,
affinitate fretus *Leo Phocas*, Domeſticus
num, Regni occupandi conſilia agitabat.
quem opponeret, *Romanum Lacapenum*
t Imperator, claſſis Drungarium, ſive
ctum, cujus arte mox dejectus poten-
onſtantinus, & Phocas, ſceleris pœnas,
effoſſis dedit. Præmium *Romano*, Impera-
affinitas, cui filiam collocavit, & mox
is dignitas fuit. Qua', non contentus,
natrem Imperatoris Zoën aula exturbaſſet,
gemque ſuam *Theodoram* diademate ornaſ-
ilium inſuper *Chriſtophorum* eodem honore
t, ſuumque nomen, ſpreta religione &
Imperatoris nomini præponit; paulo poſt
riſtophorus, & *deinde duo reliqui Romani*
Imperatori Conſtantino præponuntur,
rio non parum inter tot Imperantes di-
m ſtracto.

ſtracto. Sed *Romanus*, cum viginti & ſex annos imperio incubuiſſet, filiorum ſcelere relegatur, atque his quoque poteſtate pulſis, *ad Conſtantinum redit rerum ſumma*, qui mox filium ſuum *Romanum*, imperii collegam adſcivit. Cæterum & iſte, cum adoleviſſet, habere imperium, quam exſpectare maluit, veneficio in patrem tentato. Quod cum evaſiſſet quidem ille, repetitæ tamen poſtea filii inſidiæ, exitium ei attuliſſe creduntur.

ROMANUS III.

Romanus, qui Patrem veneno ſubmoverat, in Matrem, & Sororem quoque impius & crudelis fuit, quas ejectas, coëgit meretricium quæſtum exercere. Contra *Saracenos in Creta, ut & in Syria*, felix fuit Duce *Nicephoro Phoca*. Uxores habuit duas, primam *Bertam*, Hugonis Regis Italiæ filiam; deinde *Theophaniam*, ex qua ſuſcepit filios duos, *Baſilium Porphyrogenitum*, & *Conſtantinum*; filiam unam *Theodoram*, quæ nupſit *Johanni Zimiſcæ*, qui ante filios imperavit, & alteram *Theophaniam*, quam Otho II. Imp. habuit in conjugio. Tandem, Romanus, libidinibus & crapula confectus, diem clauſit ſupremum.

NICEPHORUS PHOCAS.

Romanus, *Baſilium & Conſtantinum filios imperii heredes reliquit.* Sed plus valuit potentia exercituum Orientalium, quam defuncti Imperatoris voluntas, aut autoritas ſuccedentium. Nam ſuffragio militari deſignatus eſt Imperator

Nice-

Nicephoras Phocas. Ad hunc perdendum, cum *Joſephus Bringas*, *Johannem Zimiſcen*, & *Romanum Curcuam* literis invitaſſet, illi, re prodita, ut Nicephorus imperium ſuſciperet, autores ei fuerunt. Attulit ad hanc dignitatem, inſigne nomen, & ampliſſimam rerum bello præclare geſtarum gloriam. Sed, dum omnia imperii adminiſtrandi conſilia, ad rem militarem unice refert, obſcuravit fortitudinis gloriam, & pro amore, civium odium ſibi peperit, dum militum libidini gratificatus, acerbis exactionibus vexari alios patitur. Uxorem duxit *Theophaniam*, Romani viduam, quæ ſe tandem inimicis mariti ſociam præbuit, & *Johanni Zimiſcæ*, cum quo adulterii conſuetudinem habebat, conjugis occidendi, Imperiique occupandi occaſionem præbuit.

JOHANNES ZIMISCES.

Johannes Zimiſces, ſex annis imperaſſe dicitur. Omnes Nicephori neceſſarios ſuſtulit e medio, *Baſilium vero & Conſtantinum*, Romani filios, affines ſuos, imperii conſortes declaravit. Amplius, *Saracenos ab obſidione Antiochena depulit*, cumque *Roxolanorum Regem*, qui Bulgariam tantum non omnem ſui juris fecerat, ad internecionem fudiſſet, trophæa in templis Conſtantinopolitanis erexit, & Numos, Salvatoris imagine notatos, procudit, cum inſcriptione: JESUS CHRISTUS REX REGUM, quod inſtitutum, in conſuetudinem deinde abiit.

BASILIUS & CONSTANTINUS.

Baſilius, & Conſtantinns fratres, Romani junioris filii, poſt obitum Zimiſcæ imperarunt. *Baſilius,a Bellis Civilibus* gubernationem eſt exorſus. Etenim, magnam imperii partem, *Bardas Sclerus*, Dux militum, ad ſe rapuerat; cum hoc, terra marique, ſed adverſo Marte, Baſilius bis congreſſus eſt, verum tandem *ductu Phocæ* victum, ad Perſas fugere coëgit. *Phocam* quoque victoria recenti elatum, & rebus novis ſtudentem, repreſſit, atque poſtea converſus ad Bella Externa, *Saracenos*, ex Syria novas excurſiones inſtituentes, aditu prohibuit ulteriore: nec minus *Bulgaros*, Duce *Nicephoro Urano* feliciter perdomuit. Cæterum, in captivos novum crudelitatis exemplum ſtatuit, dum 15. *millibus oculos eruit*, ita tamen, ut in ſingulis centuriis unum relinqueret monoculum, qui cæteros domum reduceret. Expeditionem contra Saracenos & Siculos molientem, mors prævenit, poſtquam 50. annos imperaſſet. *Conſtantinus*, uti fratre ſuperſtite per ignaviam Reipub. adminiſtrandæ expers fuit, ita & poſt ejus obitum, illo quo ſuperſtes fuit triennio, antiquum obtinuit, aliis habenas imperii tractare permittens. Deceſſit ſeptuagenarius, relictis filiabus, quas inter *Zoën*, *Romano Argyropulo*, Viro Patricio, & ſuo in imperio ſucceſſori, uxorem dederat.

PON-

PONTIFICES ROMANI.

Quod ad Pontifices hujus ævi attinet, ipſe Baronius ad A. C. 900. n. 1. ingenue agnoſcit, intruſa eſſe in ſedem Romanam, Angelis reverendam, monſtra viſu horrenda: ideoque puſillum animum quid ſcandali captare prohibet, ſi quando videre contigerit abominationem deſolationis in templo. Idem ad A. C. 912. n. 8. exclamat: Quæ tunc facies ſanctæ Eccleſiæ Romanæ? quam fœdiſſima: cum Romæ dominarentur potentiſſimæ æque ac ſordidiſſimæ meretrices: quarum arbitrio mutarentur ſedes, darentur Epiſcopi, &, quod auditu horrendum & infandum eſt, intruderentur in Sedem Petri, earum amaſii pſeudo-pontifices, qui non ſunt niſi ad conſignanda tantum tempora, in catalogo Romanorum Pontificum ſcripti. Quis enim a ſcortis hujusmodi intruſos, legitimos dicere poſſet Romanos fuiſſe Pontifices? Hactenus Cardinalis Baronius. Age igitur horum Pontificum vitam moresque propius intueamur.

LEO V.

Leo V. Italus natione, Ardeatinus patria, Benedicti IV. ſucceſſor, quadrageſimo poſt electionem die, a *Chriſtophoro* competitore Sede pulſus, & cœnobio incluſus fuit, in quo mœrore animi periit.

CHRISTOPHORUS I.

Chriſtophorus, Romanus, Pontificatum, ut ſcribit Platina, malis artibus adeptus, male iterum amiſit. Nam, ſeptimo poſtquam eum adiverat menſe, idem malum quo ipſe Leo-

nem mulctaverat, expertus, & in monaſterium detruſus eſt.

SERGIUS III.

Hic eſt ille, qui ambitione motus, jam Schisma adverſus Formoſum concitaverat, ſed tum ſpe fruſtratus, *nunc demum Marozia*, nobiliſſimæ meretricis, vi & aſtu Pontificatum nactus eſt, ex qua nothum *Johannem XII.* ſuſcepit. *Chriſtophorum* anteceſſorem, monaſterio eductum, conjecit in vincula. Idem, a *Formoſo conſecratos*, profanos pronunciavit, iterumque ſacros ordines admittere coëgit. Neque intra hanc injuriam ſeſe continens, ultra progreſſus, *ipſum Formoſi corpus*, quod per univerſos ſeptem annos in terra requieverat, ſepulchro extractum, capitali ſupplicio affecit, ac truncum deinde in Tiberim projecit. Vetus fama fuit, quamque Platina literis conſignavit, *Piſcatores*, corpus Formoſi inter piſcandum repertum, ad Baſilicam S. Petri detuliſſe, atque dum funus celebratur, *Sanctorum imagines*, quæ in templo locatæ erant, illud capitum demiſſione veneratas fuiſſe, magno claroque, ſi vera fabula eſt, ejus innocentiæ argumento. Sergii Pontificatui annos 7. & menſes 4. communiter aſſignant.

ANASTASIUS III.

Anaſtaſium, Romanum, ideo conmendant, quod in neminem Anteceſſorum fuit injurius. Sedit annos circiter duos. In gratiam *Berengarii*, Regis Italiæ, multa *Ticinenſi Epiſcopo* conceſſit privilegia; uſum nimirum umbellæ, ut

ut veheretur equo albo, & crucem præviam haberet, aſſideretque lateri ſiniſtro Pontificis in Conciliis.

LANDO.

Lando, patria Romanus, *propter obſcuritatem ab aliquibus inter reliquos Pontifices ne connumeratur quidem.* Et ſane nihil de eo memorabile proditum eſt, niſi quod *Berengarium Italiæ, & Rudolphum Burgundiorum Reges*, diſſidentes, & bellum parantes, compoſuiſſe dicitur. Neque vero ſatis conſtat, quamdiu pontificatu Lando functus ſit, alii enim quatuor menſes, alii vero ſex illi aſſignant.

JOHANNES XI.

Johannem iſtum, Landonis Papæ ex adulterio filium fuiſſe, Petrus Præmonſtratenſis tradidit. Hic cum Diaconus Ravennæ eſſet, & ab Epiſcopo ſæpius Romam mitteretur, in amorem ejus exarſit *Theodora*, nobile tum temporis in urbe Roma ſcortum. Cui cum morem geſſiſſet, ejus ope, principio *Ravennatenſem* Epiſcopatum, & deinde *Romanum*, ut tanto propior viveret, impetravit. Platina, Johannem iſtum *ſpiritus militares magis* quam religioni deditos geſſiſſe ait, & ſane adverſus Saracenos fortiter ab eo pugnatum eſt. Tandem, per ſeditionem, a militibus *Guidonis* Comitis captus, & in vincula conjectus, *cervicali in os injecto fuit ſuffocatus*, cum annos 13. circiter Pontificatum tenuiſſet.

LEO VI.

Johanne mortuo, in locum ejus, per ſeditionem, ſubſtitutus fuit *Johannes alius*, Sergii Papæ, quem ex *Marozia* meretrice ſuſceperat, filius. At, quia Clerus, & populus Romanus, in ejus electionem non conſenſerant, eodem anno ſede dejicitur, nec in Catalogo Pontificum locum invenit, niſi poſt *Stephanum VII.* tum enim ad ſacram dignitatem eſt reverſus. Interea temporis *Leo VI.* Eccleſiæ Romanæ præeſſe cœpit, qui, ob pacis & concordiæ ſtudium, quo turbatam Italiam quieti reddere anniſus eſt, commendatur. Hunc ſeptimo Pontificatus menſe, *Marozia veneno ſuſtulit, ut Johanni filio ſuo, ad præfecturam Eccleſiæ Romanæ redeundi viam aperiret.*

STEPHANVS VII.

De Stephano VII. Romano, & *Gendemundi* cujusdam filio, nihil faſti Pontificum referunt, niſi quod *pacis eum ſtudioſum* fuiſſe, & tertio Pontificatus anno, ob hauſtum venenati poculi, periiſſe memorant.

JOHANNES XII.

Johannes XII. *Sergii Papæ ex Marozia* filius, nec ipſe ullo memorabili facto clarus eſt, etſi per quadriennium Pontificatui præfuit.

LEO VII.

De Leone quoque VII. cui Roma patria fuit, nihil occurrit, quod moneamus, vix enim poſteris,

ris,aliam ſui memoriam,præter ſolum nomen reliquit. Sedit annos fere 4.

STEPHANVS VIII.

Stephanus VIII. quem, qui Johannam Papiſſam non agnoſcunt, primum ex gente noſtra Germanica Pontificem faciunt, Romanos minus faventes habuit, unde *tumultui populari cum aliquando interveniret*, tot in vultu vulnera accepit, ut ob cicatrices fœdiſſimas, in publico amplius comparere non ſuſtineret. Tenuit Pontificatum per annos 3. menſesque 4.

MARTINVS III.

Martinum, ſive ut alii vocant, *Marinum*, liberalem erga pauperes fuiſſe, ac templa, ob vetuſtatem ruinam minitantia, reparaſſe prædicant. Obiit, cum ſediſſet annos 3. & 6. inſuper menſes.

AGAPETVS II.

Agapetus II. a vitæ innocentia commendatur. *Frothoni Daniæ Regi, qui viros doctos*, ad ſuos in vera fide erudiendos, ab eo petierat, tales ſubmiſit: quorum tamen adventum Frothonis mors prævenit. Cum *Berengarius* Rex crudeliter & ſuperbe multa in Italia ſtatueret, Agapetus *Othonis M. ſuppetias prima vice imploravit*, obtinuitque: qua de re in vita ejus Imperatoris ſupra dictum eſt. Pontificatui præfuit Agapetus annos fere 10.

JOHANNES XIII.

Johannes XIII. qui aliis eſt XII. patre *Alberico*

Romano Principe genitus, *vix* 18. *annorum* adoleſcens, cum parens muneribus apud Proceres, minis vero apud populum & Clerum uteretur, Papatum adeptus eſt, qui, ante eum initum, *Octavianus* vocabatur. Itaque, quod Baronius ait, *qui nec ætate diaconus eſſe potuit, oſtenſus eſt tanquam in ſcena mimus Pontificem agens.* Fuit homo ſceleratiſſimus, unde ipſi Nauclerus & Platina, *Monſtrum* eum appellant. Ergo miſeræ Eccleſiæ, quæ ſub iſtius nequitia gemebat, opem laturus *Otho M.* Imperator, Conventum Epiſcoporum Romæ indixit. In eo, Luitprando teſte, ſequentium criminum inſimulatus eſt Johannes: Quod Miſſam celebrans non communicarit: Quod nulla habita temporis ratione, in equorum ſtabulo Diaconum quendam ordinarit: Quod a mulieribus corruptus, epiſcopatus, & quidem ob ætatem minus aptis perſonis, diſtribuerit: Quod ſit ſacrilegus; adulterii, inceſtus ex duabus ſororibus, & propria cognatione, ac perjurii reus: Quod venationi ſtuduerit: Quod *Benedictum*, patrem ſuum ſpiritualem, luminibus privarit; qua calamitate mox extinctus ſit: Quod Johannem quendam Cardinalem virilibus exſectis occiderit: Quod enſe, galea, & lorica armatus, in publicum prodierit: Quod in Diaboli amorem vinum biberit: Quod in ludo aleæ, Jovis, Veneris, aliorumque dæmonum opem expetierit: denique, quod matutinas & canonicas horas neglexerit, nec crucis ſigno ſe muniverit. Ergo, re in Synodo diu multumque deliberata, omnes de Johanne removendo conſenſerunt,

pote-

poteſtatemq; fecit Imperator Clero & populo, alium in locum ſubſtituendi. Proinde, communibus ſuffragiis, *Leo* fuit electus. Cæterum, cum Otho M. Spoletum diſceſſiſſet, *Johannes, artibus ſcortorum ſuorum, Romam non ſolum reverſus eſt*, ſed & Leonem ſede dejecit. At paulo poſt, cum nocte quadam, in Romæ ſuburbano, fœminæ cujusdam illicita frueretur conſuetudine, *a dæmone percuſſus*, vel, ut magis veriſimiliter alii tradunt, *ab adulteræ marito confoſſus*, mortem obiit, anno Pontificatus nono.

BENEDICTVS V.

Johanne extincto, hujus fautores, aliique Romani, imemores jurisjurandi, quod Imperatori, de non eligendo citra ejus, aut Filii conſenſum, Pontifice, dederant, *Benedictum, Diaconum* quendam, *cognomento Grammaticum*, in locum ſubſtituunt, *repudiato Leone*, cujus electionem Imperator ratam habuerat. Hac igitur contumelia offenſus Cæſar, ſtatim exercitum urbi admovit, eoque neceſſitatis incolas redegit, ut Benedictum dedere cogerentur. Hunc, omni dignitate à Leone exutum, *Hamburgum* relegavit Otho, *Adaldagii* Epiſcopi, fidei ac cuſtodiæ illum commendans. Atque in hac urbe Benedictus denique extinctus eſt, ibidemque ejus etiamnum viſitur ſepulchrum. Sedem Pontificiam tenuit tres circiter menſes.

LEO VIII.

Abacto Benedicto, ope Imperatoris *priſtinum honoris gradum Leo repetiit.* Hunc ferunt, grati-

tudi-

tudinis teſtandæ cauſa, imperio reddidiſſe, *quæ Conſtantinus, Carolus M. & Arithpertus Longobardorum Rex*, Eccleſiæ Romanæ tribuerant, qua de re eſt apud Cranzium l. 4. Saxoniæ cap. 10. Quomodo in Synodo *omne jus eligendi Pontificem populo & Clero ademerit*, atque uni Imperatori conceſſerit, ſupra dictum eſt. Iſtud cœptum, quia recentioribus Scriptoribus Pontificiis, ſeu potius Romanæ Aulæ adulatoribus, indignum videtur facinus, *ideo eum ex catalogo Pontificum ſolent expungere*. Nauclerus, Leonis Pontificatui annum unum & menſes 4. Blondus, ſolos tres menſes, aſſignant.

JOHANNES XIV.

Leone mortuo, *Azo*, primarius ſcrinii magiſter, & *Marinus*, Sutrii Epiſcopus, ad Othonem M. Imperatorem miſſi ſunt, rogatum, ut de novo Pontifice Sedi Romanæ proſpiceret. Nec mora Imperator *Odogarium*, Spirenſem, & *Lizonem*, Cremonenſem, Epiſcopos, Romam ablegavit, ibi *Johannes Narnienſis Epiſcopus fuit electus*. Cæterum, haud multo poſt, *Petrus Vrbis Præfectus, & Gothofredus Campaniæ Comes, cum filio*, Conſulibus item urbis Romæ, Senatoribus XII. & multis Nobilibus, conſpiratione facta, *Johannem in Eccleſia Lateranenſi capiunt, ac in Hadriani Molem captivum detrudunt*, cauſam allegantes, quod nimis Imperatori eſſet obnoxius. At Imperator, re cognita, Romam cum exercitu properat, ante cujus adventum, *Gothofredus*, cum filio, fuit extinctus. *Interim Romani, ſibi metuentes, Papam e vinculis liberant, & in Sedem, magno cum applauſu;*

repo-

reponunt. Imperator, nemine prohibente urbem ingreſſus, de conjuratis varie ſupplicium ſumit, inter quos, XII. Urbis Senatores, in crucem fuere acti. Cumque *Petrum urbis Præfectum, Imperator Pontificis arbitrio caſtigandum reliquiſſet*, ipſe, vindictæ cupidine flagrans, eum nudum, per carnificem equo Conſtantiniano per integrum diem crinibus alligari, deinde aſino impoſitum, facie ad poſteriora verſa, & manibus caudæ alligatis, per totam urbem flagellis cædi juſſit, poſtremoque ipſum in Germaniam exulatum ire coëgit. Rebus Romæ pacatis, Imperator & Pontifex *Ravennam* abeunt, ac *Synodo ibi* celebrata, plurima ſtatuerunt. Tum *reddita ab Imperatore Sedi Romanæ Ravenna eſt*, cum agro adjacente. Eodem tempore, primum invaluit conſuetudo *Campanas baptizandi*, etiam nominibus impoſitis: atque Johannes Pontifex, majori campanæ, quam poſt Othonis II. coronationem, cujus ſuſcipiendæ cauſa Romam ab Othone patre evocatus fuerat, ipſe baptizavit, ſuum nomen indidit. Tenuit Pontificatum annis octo.

BENEDICTUS VI.

Benedictus VI. patria Romanus, Johanni ſucceſſit, iisdemque, quibus ille, ærumnis fuit expoſitus, quas tamen non æque feliciter ſuperavit. *Cynthius* enim, ſive, ut quibusdam dicitur, *Cincius*, autoritate potentiaque magna civis, *illum captum in Hadriani mole vinctum aſſervavit*, ubi, eodem, quo ſedere cœpit, menſe, ſtrangula-

gulatione, vel, ut alii volunt, fame enectus periit.

DONUS II.

De Dono, vix quicquam literarum monumentis conſignatum eſt, niſi quod Romanus fuit, quiete gaviſus eſt, & per annum unum Eccleſiam Romanam rexit.

BONIFACIUS VII.

Bonifacius VII. prius *Franco* dictus, Baronio, jure meritoque, *famoſus latro, potentiſſimus graſſator, patriæ proditor, & parricida audit.* Is, cum pontificatum, malis artibus quæſitum, pejoribus adminiſtraret, *relinquere urbem, & Conſtantinopolim profugere fuit coactus.* Prius vero fugam quam adornaret, Templa, & imprimis *S. Petri Baſilicam, cum omnibus ſuis theſauris ſpoliavit.* Dum Roma abeſt Bonifacius, *Johannes XV. in ejus locum creatur Pontifex;* ipſe vero interim, divenditis quæ ſacrilege abſtulerat, magnam vim auri ſibi parat, Romanos, ad quos reverti conſtituerat, largitione corrupturus. Et ſane rediit Romam, deſtinata tamen exequi prohibebatur. Cujus rei culpam, cum in *Johannem*, Cardinalem, ut ipſe vocabat, verius Pontificem, conjeciſſet, eum captum luminibus privavit. At, paucis interjectis menſibus, ipſe Bonifacius, ſcelerum conſcientia excruciatus, repentina morte periit, atque, ut ait Hermannus Contractus Monachus Augiæ, in Chronico, mortuus, a ſuis cæſus, confoſſus, & triviatim pedibus tractus, vix tandem, clericis miſerantibus, eſt humatus,

JOHAN-

JOHANNES XV.

Petrus, Papienſis Epiſcopus, Remenſis Concilii teſtimonio, Vir inſignis & Apoſtolicus, fugato Bonifacio Pontificatum adeptus, & Johannes dictus eſt, quem octavo poſt id menſe, *Bonifacius VII.* a fuga reverſus, cepit, oculis privavit, & in carcerem conjectum, ſqualore & fame necavit.

BENEDICTUS VII.

Benedictus iſte VII. quem alii VI. vocant, cum *Othonem III.* Imperatorem conſecrâſſet, ab eo, gratiam referre volente, *poteſtatem ſeditioſos in urbe Roma capiendi*, ac pro arbitrio puniendi accepit, quod ipſum quoque exequutus eſt, quosdam exilio, alios, aliis ſuppliciis afficiens. Obiit anno 8. Pontificatus.

JOHANNES XVI.

Johannes XVI. Leonis, presbyteri cujusdam, filius, ex Eccleſiæ proventibus *ſuos cognatos & affines ut ditaret, unice ſtuduit.* Eam ob rem, a Clero in carcerem conjectus, cum vix 4. ſediſſet menſes, interiit. Interim Johannes, ſuum *errorem* (Platinæ verba recitamus) *ita poſteris tradidit, ut ad noſtram quoque ætatem pervenerit. Qua quidem conſuetudine nil certe dici pericuioſius poteſt: cum non ob religionem & Dei cultum appetere Pontificatum noſtri Sacerdotes videantur, ſed ut fratrum, vel nepotum, vel familiarium ingluviem & avaritiam expleant.*

JOHANNES XVII.

Johannis XVII. doctrinam & eruditionem.

Ba-

Balæus, Platina, aliique Scriptores celebrant, ipſum quædam edidiſſe affirmantes, etſi, quæ illa fuerint, non exprimunt. Hunc *Creſcentius*, qui urbis dominium occupabat, tanquam parum ſibi faventem *Roma excedere, & in Hetruriam exulatum ire coëgit.* Quia vero interim Pontifex, Legatos ad *Othonem III.* Imperatorem miſerat, ut de vi illata quererentur, metuens ſibi Creſcentius, *Johannem*, poſtquam eum per amicos placaverat, *revocavit*, & deinde ſummo ſemper honore proſequutus eſt, quoad anno 10. Pontificatus, diem clauſit ſupremum.

GREGORIVS V.

Cum Otho Imperator, a Johanne vocatus, iter Romam verſus ingreſſus eſſet, nunciatur ei de morte Pontificis. Quare cognatum ſuum *Brunonem, Conradi, ex Luidgarda, Othonis I. filia, pronepotem, Othonis Sveviæ Ducis filium*, Romam mittit, atque huic Pontificiam dignitatem concedi poſtulat. Geſſerunt morem Romani, Brunonemque, *Gregorii* nomine ei impoſito, Papam ſalutant. Superveniens mox Imperator, & urbem ingreſſus, intercedente novo Pontifice, Creſcentio fuit reconciliatus. Cæterum, poſt hujus diſceſſum, *animum mutarunt Creſcentius, populusq; Romanus*, ac indignum rati, hominem Germanum ſibi præeſſe, eum cathedra deturbatum, urbe expulerunt. Eapropter is primo in Hetruriam, poſt, *ad Othonem in Germaniam profectus*, Imperatoris animum ad ultionem ſumendam concitavit. Interea loci ſuffecerant Romani *Johan-*

Johannem XVIII. Placentinum Epiſcopum, qui, imani auri pretio, eam dignitatem mercatus, ſacra omnia venalia habebat, ita, ut jure bono de illo ſcripſerit Mantuanus:

— — *Venalia Romæ,*
Templa, Sacerdotes, altaria, ſacra, coronæ,
Ignes, thura, preces, cœlum eſt venale, Deusq;.

Sed vero Creſcentius, audito Imperatoris adventu, trans Tiberim concedens, *molem Adriani, quæ ex eo Creſcentii Arx dicta fuit, ita communivit, ut juſti etiam exercitus viribus, reſiſtere poſſet.* At vero Otho, Papam conſanguineum ſecum ducens, ſimul atque ad urbem appropinquaſſet, incolas officii ſui commonuit, qui, non diu morati, intrandi poteſtatem fecerunt. Creſcentius, & Johannes Papa, conſilii auxiliique inopes, mole Hadriani aliquandiu ſeſe cum defendiſſent, mox etiam in Imperatoris poteſtatem venerunt. Ibi *Johannes, non tantùm dignitate, ſed & oculis, auribus, & narib⁹ ipsa deniq; vita privatus eſt.* Aventinus memoriæ prodidit, e *Capitolio dejectū fuiſſe*, & ideo obtinere, ut nullus amplius Pontifex Capitolium reviſat. Neque vero *Creſcentius* impunitus abivit. Nam, vili jumento, verſo ad poſteriora vultu, impoſitus, ſpectaculi loco per urbem fuit circumduct⁹, & denique in patibulo vitam finiit. Conciliata hoc modo Romæ pace, quia Otho III. liberis carebat, *Gregorius*, de patria bene mereri, & impedire volens, ne Romani, qui ſibi jus conſtituendi Imperatores competere aſſerebant, olim turbas darent, ordinaſſe dicitur, ut imposterum ſolis Germanis liceret Imperatorem

N deli-

deligere. Addunt aliqui, jam tum ſolis ſeptem Imperii Principibus id conceſſum fuiſſe, ut ſuis ſuffragiis Cæſarem deſignarent; ſed hanc fabulam, Onuphrius Panvinius, aureo de Comitiis libello confutavit: cujus opinioni Baronius, & Bellarminus, Cardinales, (qui poſterior tamen, antea, l. 3. de translatione Imperii Romani, contrarium defenderat,) liquido aſſenſerunt. Revera enim, nulli Imperatores, ante XIII. Seculum, a Septemviris fuere electi: quod nemini Antiquitates noſtras ſcrutanti, ex perpetuo Scriptorum ſilentio, imo vero diſerta narratione electionum, ab omnibus Imperii Statibus factarum, eſſe poteſt obſcurum. Gregorius V. duos ſedit annos, menſesque octo.

SYLVESTER II.

Poſt obitum Gregorii V. ſuffectus fuit Sylveſter, prius *Gerbertus* dictus, Gallus gente, Epiſcopus Ravennatenſis, qui olim Remenſem quoque rexerat Eccleſiam, atque, ob trium iſtarum Eccleſiarum ſedem, de ſe dicere ſolebat:

Scandit ad R. Gerbertus in R. poſt Papa viget R.

Juvenis, Hiſpali, in Hiſpania, a Philoſopho quodam Saracenico, *magiam cum didiciſſet*, tantam eruditionis famam ſibi paravit, ut *Otho, tertius poſtea ejus nominis imperator, & Robertus Rex Franciæ, illi erudiendi fuerint commiſſi*: tandemque, poſt Remenſem, & Ravennatenſem Epiſcopatus, favore Othonis III. diſcipuli, ipſam

Pon-

Pontificiam obtinuerit dignitatem. Sed & ſumma liberalitate illum proſequutus eſt Otho, donando ei regionem amplam, cujus donationis inſtrumentum, Freherus in peculiari Diſſertatione, Baronius tom. 12. Annal. & Lehmannus in Chron. Spir. l. 5. afferunt integrum. Nobis ſufficiat ſequentia ex eo produxiſſe: *Sicut enim pro amore S. Petri, Dominum Sylveſtrum, Magiſtrum noſtrum, Papam elegimus, &, Deo volente, ipſum ſanctiſſimum ordinavimus & creavimus: ita pro amore ipſius Domini Sylveſtri Papæ, S. Petro, de publico noſtro, dona conferimus, ut habeat Magiſter, quod Principi noſtro Petro, a parte ſui Diſcipuli offerat. Octo igitur Comitatus, pro amore Magiſtri noſtri, Domini Sylveſtri Papæ, S. Petro offerimus, & donamus, ut ad honorem Dei & S. Petri, cum ſua & noſtra ſalute habeat, & teneat, & ad incrementa ſui Apoſtolatus, noſtrique Imperii ordinet. Hos autem ſibi ad ordinandum concedimus: Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Foſſabrum, Callium, Heſium, & Auſimum, ut nullus unquam ei, & S. Petro, audeat aliquam inquietationem facere, aut eum aliquo ingenio fatigare.* Digna ſunt hæc verba quæ notentur, quippe e quibus conſequens eſt, fuiſſe tum, Romæ finitimas provincias, in Imperatorum Germanicorum dominio. Cæterum, ajunt, *æneum caput domi habuiſſe Sylveſtrum, quod ei de futuris conſulenti, reſpondebat.* Sciſcitatus fuit aliquando, ceu, tum apud alios, tum apud Platinam quoque, ex Martino legitur, quamdiu ſacro ſuo honore eſſet gaviſurus? retulitque reſponſum, *non moriturum eum, priusquam in*

Jeruſalem Miſſam celebraſſet. Erat autem tunc ingens omnium hominum ſtudium, Orientem, & loca ſancta inviſendi. Quibus perceptis, Sylveſter, ſui ſecurus exitus, quod nunquam Hieroſolymas proficiſci decreviſſet, vitam in deliciis agebat. Sed, cum eo ipſo anno, quadrageſimalis ſtationis die, Romæ, in *Baſilica S. Crucis, quæ Jeruſalem vocatur*, ex more, ſacra faceret, intellexit ex ſtrepitu dæmonum, ſe teneri ex condicto, & fatalem horam imminere. Egit itaque pœnitentiam, & Cardinalibus præſentibus, rem omnem aperuit; a quibus & petiit, ut corpus ſuum in partes ſectum, bigæ imponeretur, facta equis, quocunque vellent, libera tendendi poteſtate. Quod cum ita feciſſent Cardinales, ad *Baſilicam Lateranenſem* devectum corpus, ibi terræ fuit mandatum. Fama eſt, ejusdem ſepulchrum, *colliſione oſſium, &, ſudore emiſſo, ſemper Pontificum mortem prædicere.* Quod, cum & ipſum narraſſet Platina, ſubjicit: *Verumne ſit, an ſecus, ipſi Pontifices viderint, ad quos pertinet.* Tribuuntur hujus Pontificatui anni 4. & ſex inſuper menſe.

SCRIPTORES SACRI.

MARCUS EREMITA.

MArcus Eremita, teſte Zonara, *Leonem VI. Imperatorem Conſtantinopolitanum, ſaucium, ſanavit*, eique prædixit, quod decennium ſupervicturus eſſet. *Scripſit multa opuſcula Theologica*, quæ Tomo 5. Biblioth. SS. Patrum ſunt inſerta.

RHE-

Rhegino Abbas.

Rhegino, Abbas Prumienſis, ſcripſit *libros duos Chronicorum*, a Chriſti nativitate, ad annum usque 908. hiſtoriam texens. Eos, alius quidam, cujus nomen nos latet, ad annum usque 967. continuavit.

Radulphus Flaviacensis.

Radulphus, Flaviacenſis monachus, *in Leviticum Commentarium* edidit, qui libris XX. abſolvitur. Scripſit & in *Epiſtolas S. Pauli libros XIV*, pro numero Epiſtolarum.

Moses Bar Kepha.

Moſes Bar Kepha, Epiſcopus Syrus, ſcripſit *librum de Paradiſo*, in partes duas diviſum, qui in Tomo 1. Bibl, SS. Patrum habetur.

Abbo Floriacensis.

Abbo, patria Aurelianenſis, cum *Odonis*, Cantuarienſis Archiepiſcopi nepote, *Oſualdo*, qui poſtea Eboracenſi Archiepiſcopatu functus eſt, ex Aurelianenſi Schola *in Angliam venit*, ibique *multas Scholas & ipſe condidit*, nulli, hoc ſeculo, eruditione inferior: unde merito deinde Floriacenſem Abbatiam regendam accepit. Scripſit *Homilias in Evangelia*, item, *de motibus ſtellarum; de Planetarum curſu; de Cœna Domini, & multa alia.* Si Balæo fides, *a monachis ſuis A. 1004. lancea confoſſus eſt Abbo:* ſed contra Tri-

themius, prodit, eum in Vaſconia, cum verbum divinum doceret, affectum fuiſſe martyrio.

ODO.

Odo, primus Cluniacenſis Abbas, Dialecticæ & Muſices fuit peritiſſimus: unde præter cætera, *varios Hymnos*, in honorem Sanctorum compoſuit.

ROSWITA.

Roswita, Cœnobii Gandersheimenſis alumna, Latine ac Græce docta, Poëſeosque non ignara fuit. *Scripſit Epigrammata; librum de geſtis Othonis Imperatoris; item, ad Terentii imitationem, Comœdias ſex ſacras, & quædam alia*, quæ, Conradus Celtes Poëta, junctim edidit.

HÆRETICI.

Vix ulli hoc Seculo memorantur Hæretici, & merito Centuriatores Magdeburgenſes, *fugiſſe eos, atque in Prælatos ac Monachos Pontificios ſeſe abdidiſſe pronunciant*. Fertur interim, repullulaſſe nonnihil hac ætate in Italia ANTHROPOMORPHITARUM veteres errores, unde *Ratherius*, Belga natione, ſed, dignitate Veronenſis Epiſcopus, librum adverſus eos edidit.

Ajunt quoque VILGARDUM, Grammaticæ in urbe Ravenna Profeſſorem, falſas Virgilii, Horatii, & Juvenalis apparitiones jactando, multa fidei contraria docere cœpiſſe, contendiſſeque, ut *Poëtarum omnia dicta pro veris admitterentur*, hæreſeos ideo accuſatus, damnatusque, a Petro Ravennatenſe Epiſcopo.

SCRI-

SCRIPTORES PROFANI.

Alfricus.

ALfricus Grammaticus, & primum monachus, deinde Cantuarienſis Archipræſul, ſcripſit *Grammaticam quandam Latino-Saxonicam*, item *Dictionarium Latinum*, *vertitque Donatum.*

Luitprandus.

Luitprandus, nobiliſſima familia in Papienſi urbe natus eſt, & in Græca ac Latina lingua, itemque Poëſi, non mediocriter fuit eruditus: ſic enim Hiſtoriæ ſuæ, ſæpe *Græca inſpergit*, & *aliquando etiam ligata oratione utitur*, præſertim cum occaſio ſeſe offert, in Magnatum vitia invehendi, aut illorum deprædicandi virtutes. *Scripſit Hiſtoriarum libros VI.* quos *Antapodoſin* appellavit, de rebus, quæ ſuo tempore in Europa acciderunt. Fortaſſe tamen non immerito ſuſpicatur Baronius, *quæ, caput quintum ſexti libri excipiunt*, alium quendam ſuppleviſſe, nec habere Luitprandum autorem. Sub Luitprandi nomine, etiam *liber de Vitis Pontificum* circumfertur, quem tamen nonnulli, *ex Anaſtaſio excerptum* exiſtimant. Apud Berengarium, Italiæ Regem, in pretio fuit Luitprandus, a quo etiam ad Conſtantinum Imperatorem Byzantinum, legatus miſſus eſt.

Suidas.

Suidas, Grammaticus, qui *Lexicon Græcum*, ex variis Scriptoribus collegit, ad hæc pertinet tempora, quia, *Johannes Zimiſces*, eſt Imperatorum

rum poſtremus, quem in libro ſuo nominat.

Witichindus.

Witichindus, quem alii Winduchindum, & Wedekindum appellant, in Corbejenſi cœnobio, quod in Saxonia eſt, monachus fuit, ſcripſitque *libros tres de Rebus Saxonum*, ubi etiam ab Othonibus geſta recenſet.

Alpharabius.

Genebrardus, ad finem hujus ſeculi refert *Alpharabium*, Philoſophum, Medicum, & Aſtronomum Arabem clariſſimi nominis. Is, cum in Haran, Meſopotamiæ urbe, *Ariſtotelis librum de Auditu* inveniſſet, quadragies hunc perlegit, & denique ſuperſcripſit: *Volo denuo legere*, teſte Ben Caſem, in libro, qui Viridarium Electorum inſcribitur.

Thebit Ben Cora.

Thebit Ben Cora, & ipſe Arabs, circa eadem tempora floruit, qui, *Euclidem a mendis repurgavit, & Commentariis ſuis expoſuit.*

MEMORABILIA.

IN Oriente Jus Justinianeum non diu viguiſſe videtur, ſed ſenſim obſoleviſſe, recedente paulatim Latinæ Linguæ uſu, & novellis ſubinde ſubſecutorum Principum, rerum conditione ſic poſtulante, aliquando etiam ex invidia & æmulatione, conſtitutionibus accedentibus, & porro in novas formas opere Juſtiniani mu-

cato.

tato. Sic illud primus *Baſilius Macedo, cum filiis Conſtantino, & Leone Philoſopho* A. 870. interpolavit, *Eclogam*, ſeu Πρόχειρον νομικὸν edens. Succeſſere *Paratitla*, ſive Supplementa cujusque tituli, ex aliis titulis, & locis, a Græcis conſcripta, ut & *Nomocanon, a Photio Patriarcha* A. 880. compoſitus. Maxime vero per LX. *Baſilicorum libros*, libri Juſtinianei omnes commixti, & in unam conſonantiam redacti fuere. Id opus a *Baſilio Macedone* cœptum, *Leo VI. filius Macedonis*, perfecit, & poſtea *Conſtantinus Porphyrogenitus, filius Leonis*, revidit, ac in lucem emiſit. Illos libros, præter XIX. qui deſiderantur, Græce edidit, & Latine vertit Carolus Annibal Fabrottus, adjectis Notis Græcorum quorundam Juris Interpretum, & præmiſſa notitia Baſilicorum.

Hoc ſeculo antiquus CHARACTER CUFICUS, quo hactenus Muhammedani uſi fuerant, eſt abolitus, inque ejus locum, facilior, quo etiamnum utuntur, ſucceſſit.

Circa hæc tempora *DANI*, auſpiciis *Suenettonis* Regis, & *Popponis*, piiſſimi ac facundiſſimi viri, cura, ad Catholicam veritatem, maximam partem perducti ſunt, poſtquam Poppo, cum verbis nihil proficeret, in magno Nobilium conventu, *ferrum ignitum*, illæſa manu, diu circumgeſtaſſet.

Eodem hoc ſeculo, MIESLAUS, Polonorum Princeps, Gneſnæ, Chriſtianismo cum ſua gente initiatus eſt, die 7. Martii, in quem tum *Dominica*, quam *Lætare* vulgo vocant, incidit.

Nec mora, continuo idola, & ſimulacra Ethnicorum Numinum, e templis ejecta, ac confracta ſunt: cujus rei memoria quotannis deinde celebrata eſt. Quin & eadem etiamnum, non in Sileſia tantum, ſed adeo in his regionibus recolitur. Etenim, puellæ agreſtes, ſimulacrum ſtramineum, quod den Todten appellant, dicta Dominica, cantantes, lætæ circumferunt, & deinde in cœnum, aut profluentem abjiciunt. Solent autem, dum circumeunt, minari oſtenſionem ſimulacri per feneſtras: id vero habitatores, obolum ſolvendo, ne faciant, deprecantur. Tenet enim animos hominum perſuaſio, ſi per feneſtram in conclave proſpectet terriculamentum, quendam ex familiaribus, anno illo mortem oppetiturum. Hymni, quos canunt, feſtivi ſunt, eos inter, ſequens præcipue:

Nun tragen wir den Todten aus /
dem alten Juden in ſeinen Bauch /
dem jungen in den rucken /
das iſt ſein Ungelücke.
Wir tragen ihn über Berg und tieffe Thal
daß er nit wieder kommen ſol/
wir tragen ihn über die Heyde /
das thun wir den Schäffern zu leyde.

Tum ſimul & HUNGARI, *cum Mieslaus Polonus, ſororem ſuam Adelheidam, Geiſæ Hungarorum Regi, in conjugium dediſſet*, Chriſtianam religionem ſunt amplexi, ceu inter cæteros, Aventinus 5. Ann. retulit. Quamobrem, non immerito, hoc

hoc ſeculum, *Gentium Septentrionalium Converſione felix*, pronunciat Genebrardus.

Pertinet ad hæc tempora, famoſa HATTONIS, Fuldenſis primum Abbatis, deinde Moguntini Archiepiſcopi, hiſtoria, quam *Trithemius*, *Marianus Scotus*, aliique, in literas retulerunt. Scilicet, cum magna eſſet annonæ caritas, Hatto, ingentem eleemoſynas petentium, egenorum copiam, in horreum quoddam amplum, quaſi ſua liberalitate eos cibaturus, concluſiſſe dicitur, ac igne ſubjecto juſſiſſe cremari, addens, mures eſſe, frugibus perdendis natos. At, haud multo poſt, murium caterva, impetu in eum facto, tantis ipſum moleſtiis affecit, ut nuſpiam ab illorum morſibus tutus eſſet. Neque vero profuit ipſi turris, quam in medio Rheno ædificaverat. Nam beſtiolæ illæ, Rhenum transnatantes, ad necem usque Hattonem arroſerunt.

Hattone melior fuit, ejus, ſolo Ruberto interjecto, Succeſſor WILLIGISUS, patre rhedario, in Saxoniæ pago *Stromingo* natus. Is, ut priſtinæ conditionis humilis ſemper memor eſſet, in parietibus oratorii ſui, rotas depinxit, cum inſcriptione: *Willegiſe, Willegiſe, recole unde veneris.* Nemini vero aditus in illud ſacellum patebat: unde magnum ibi theſaurum reconditum eſſe, plurimi ſunt ſuſpicati. Cæterum, intromiſſus aliquando *Henricus Claudus Imperator*, nihil præter rotas, & literas pictas vidit, eaque re delectatus, ut *Moguntini Epiſcopi, prioribus inſignibus, duas rotas adjicerent, autor fuit.*

Hoc

Hoc ævo CAROLI M. POSTERI, Francorum in Gallia Regnum ægre tuebantur, Principum, qui perpetuo jure provincias tenebant, oppreſſi potentia. Scilicet, *Carolo Simplici Regi*, Ludovici Balbi filio poſthumo, oppoſuit ſe *Robertus*, atque hoc peremto, *Rudolphus Burgundiæ Dux*, Richardi filius, Rudolphi Burgundiorum Regis nepos, gener Roberti: cui etiam Proceres Regnum commiſerunt, Carolo in vincula conjecto, in quibus diem obiit ſupremum, coactus, ante mortem Rudolphum Regem declarare. Rudolpho mortuo, *Ludovicus Transmarinus*, Caroli Simplicis filius, ſic dictus, quia capto patre, ad Angliæ Regem, avunculum ſuum, cum *Ogina* matre confugerat, ex Anglia revocatus, regnum adiit; quo, ejusque deinde filio *Lothario*, imperantibus, rerum ſumma fuit penes *Hugonem Magnum*, Comitem Andegavenſem. Lothario ſucceſſit filius *Ludovicus*, ultimus ex Carolingis. Quo, cum vix annum regnaſſet, veneno a Conjuge *Blanca*, e medio ſublato, *Carolus* patruus, Ludovici Transmarini filius, cui Otho II. Imp. Lotharingiam conceſſerat, ſuccedere voluit. Sed Franci, quod is Germanis addictior eſſet, A. 988. *Hugoni Capeto*, Hugonis Magni filio, Regnum detulerunt, qui, Carolum ad Laudunum ſuperavit, *Aſcelini* vero Epiſcopi proditione cepit, & ad mortem usque in cuſtodia detinuit. Reliquit Carolus filium *Othonem*, qui in Lotharingiæ Ducatu ſucceſſit. Atque ſic *tertia ſtirps*, *Capetingorum* nempe, in Gallia rebus præeſſe cœpit.

Sole-

Solebant Seculo IX. Proceres, juxta Palatia ſua ædificare SACELLA. Poſtea mercede conducti ſunt *Capellani*, qui in iis Miſſas celebrarent. Iſti fuerunt homines rudes, ac Miſſæ celebrabantur ſine communicantibus. Circa medium fere Seculi X. *Stephanus*, Epiſcopus Eduenſis, primus, morem Miſſas ſine communicantibus celebrandi, defendit, quæ conſuetudo, poſtmodum, tempore Hildebrandi, in nervum erupit.

In Dania, SUENO filius, *Haraldum* patrem, quia Religionem Chriſtianam admiſerat, Regno expellit: mortuum, apud Vandalos etiam perſecutus eſt. Sed ter captus, ter redemit ſe, cum ſemper tantum lytri ſolviſſet, quantum corpus ponderebat; ſemel, auri; bis, argenti. Tandem, *Ericus* Suecus, eum Regno exuit.

SECV-

SECVLVM XI.

IMPERATORES ROMANI.

HENRICUS II.

OThone M. veneno extincto, ab Ordinibus Germaniæ eligitur *HENRICUS II.* Bavariæ Dux, Saxonicæ originis. Nam, *Patre*, *Henrico Hezelone*, *Avo*, *Henrico Rixoſo*, qui frater erat Othonis M. & ab eo Bavariæ Ducatum acceperat, fuit genitus. Summopere eum celebrant Scriptores, ob eximiam pietatem, quæ illi etiam *Sancti* cognomen peperit. *Claudus* vero dictus eſt, a luxato femore, quod, in bello Italico, cum Ticini in tumultu aliquandiu obſideretur, de muro ſe præcipitans, crus fregerat: vel, ut alii volunt, quia a Saracenis & Græcis captus, eluſis cuſtodibus, e conclavi, in quo detinebatur, proſiliens, alterum pedem vehementer læſerat. Multum ei negotii faceſſiverunt æmuli, qui, & in Germania, & in Italia fuere exorti. In Germania *Echardus Saxoniæ Marchio*, & *Henricus Marchio Auſtriæ*, turbas dederunt: quos ipſe, comparato exercitu, repreſſit, & imperata facere coëgit. *Arduini Marchionis*, *in Italia rebellio*, diuturnior, & difficilior fuit. Is, cum in Lombardia ſe pro Rege gereret, eum poteſtate depulſurus, in Italiam ſe confert Imperator, ac cum principio non ſatis proſpere res geſſiſſet, tandem tamen, duobus magnis præliis adverſarium victum, trucidavit. Regno Italiæ ita reparato, Coronam ab Archiepiſcopo Medio-

Mediolanenſi, ſecundum antiquam Gregorii Papæ conſtitutionem, admiſit. Quin & Romam deinde profectus, a *Benedicto VIII.* ſolemni ceremonia inauguratus eſt. Inde *verſus Apuliam & Calabriam* copias movens, *Græcos & Saracenos victos*, ex illis regionibus ejecit, easdemque *Normannis*, quorum auxilio in hoſtibus debellandis uſus fuerat, incolendas defendendasque conceſſit. Porro, in Germania Henricus, *Mersburgenſem*, *Miſnenſem*, *& Magdeburgenſem Epiſcopatus*, quos Heneti, ſive Windi, qui, repudiata fide Chriſtiana, quam ſub Othone I. receperunt, ad priſtinam idololatriam reverſi, armis devaſtaverant, *reſtauravit*, novisque donationibus auxit inſigniter. Mox, *Rinoldo Comite Bambergenſi*, ſine maſcula prole mortuo, *Bambergenſem Epiſcopatum conſtituit*, & ampliſſimis decoravit tum reditibus, cum privilegiis, præcipuos Germaniæ Principes, Epiſcopi clientelæ ſubjiciens, eosdemque illi *Officiales* aſſignans, quibus Imperatores utebantur. Atque hunc Epiſcopatum, ipſe *Benedictus VIII. Pontifex*, precibus Henrici permotus, conſecravit. Hinc Henricus, *Monachorum pater*, audire publice cœpit. Cæterum, illas largitiones impatientius ferens *Theodoricus*, *Metenſium Epiſcopus*, *Kunigundis Auguſtæ, frater*, &, ſi orba decederet, heres, adverſus Henricum arma movit. Sed *urbs Metenſis*, ab Henrico obſidione cincta, ac pæne deſolata, deditionem fecit, Epiſcopus, cum Henrico rediit in gratiam. Poſt hæc, ſororem *Giſelam*, Stephano, Hungariæ Regi, ea conditi-

ditione, ut regnum ſuum Chriſtianæ religioni manciparet, uxorem dedit, ob quam rem Henricus, *Hungarorum Apoſtolus*, dictus fuit.

Ajunt, illum cum *KUNEGUNDE* conjuge, *Sigefridi* Palatini filia, tam caſte ac ſancte vixiſſe, *ut conjugali conſuetudine*, e mutuo conſenſu prorſus abſtinuerint. Addunt, in ſuſpicionem tamen adulterii aliquando veniſſe Kunegundam, & ad probandam innocentiam, calcaſſe vomeres ardentes nudis pedibus, citra ullam læſionem. Fertur inſuper, cum *magnis calculi doloribus* torqueretur Imperator, *S. Benedictum*, in ſomnis, *Lapidem exſectum*, ſolidato vulnere, Imperatoris manui indidiſſe, quem ipſe experrectus, ſuis Principibus oſtenderit. Mortuus eſt Henricus, 23. annos imperio potitus, Groningæ, *ſepultusque fuit Bambergæ*, ubi etiamnum ejus ſepulchrum, magna veneratione, colitur.

Henrico imperante, vixit *Babo, Comes Abensbergius*, Babonis, Schirorum Principis, filius: qui, ex duabus uxoribus, *XXXII. Filios, ac VIII. Filias* ſuſcepit, bene educavit, & ſuperſtites reliquit. Hunc, cum aliquando Henricus venatum ſecum cum paucis ire juſſiſſet, ipſe occaſionem nactus, qua familiam ſuam Cæſari commendaret, omnes filios, jam tum puberes, ſcitos admodum & elegantes, ad venationem inſtruxit, & ita, cum omni filiorum turba, Imperatori proceſſit obviam. Eam multitudinem indigne cum ferret Imperator, Babo, non ſervos, ſed filios ſuos eſſe profeſſus eſt, quos ipſe Cæſari dono det, conſecretque. Gratiſſimum fuit id munus Hen-

Henrico, ac adoleſcentes ſingulos amplexatus, filios eos vocavit, præfecturisque ornavit ſplendidis. Ex his, *præcipuam Nobilitatem Nariſcorum, Vindelicorum, Noricorum, Francorum, & Rhenenſium genus* trahere, Scriptores non contemnendi memoriæ prodiderunt.

Operæ pretium eſt adſcribere elogium integrum, quo Henricus, in Breviario Romano celebratur. *Henricus, e Duce Bavariæ Rex Germaniæ, ac deinde Romanorum Imperator, cognomento* Pius *merito eſt appellatus. Nihil ſine precibus aggredi ſolitus, Angelum Domini, Patronosque Martyres, duces ante aciem viſibiles interdum habuit, ſanitatemque inſigni miraculo, in Caſſinenſi monaſterio impetravit. Virginitatem, raro exemplo, matrimonio junxit. Benedictum VIII. profugum, excepit: mox Sedi ſuæ reſtituit. Romanam Eccleſiam ampliſſimo diplomate muneratus, eidem tuendæ, bellum adverſus Græcos in Apulia ſuſcepit. Bambergenſem Epiſcopatum hereditariis opibus fundavit, ac B. Petro, Romanoque Pontifici vectigalem fecit. Denique, illuſtribus, per Galliam, Italiam, Germaniam, religioſæ munificentiæ veſtigiis paſſim relictis, migravit in cœlum, ſanctitate & miraculis, quam ſceptro atque imperio clarior.*

CONRADUS SALICUS.

Conradus Salicus, a Germaniæ Principibus, tum ob virtutem, & rei militaris ſcientiam, tum etiam propter Henrici Sancti teſtimonium atque autoritatem, qui ſuo judicio eum ſucceſſorem deſignaverat, Imperator conſtitutus eſt. Di-

ctus fuit *Salicus*, ob Francicam gentem, quæ Salica appellatur, a Sala flumine, cujus accolæ, vel Ammiano Marcellino l. 12. teſte, a Francis originem traxerunt. Erat enim Conradus, Dux Franconiæ & Wormatiæ, ad utramque Rheni ripam, natus *Patre Hermanno*, qui, ad Carolum M. *Matre Adelheide*, quæ ad priſcos Franciæ Reges, ſi Cuſpiniano fides eſt, genus referebant. Sic igitur Imperatoria dignitas, a Saxonibus ad Francos reverſa eſt: a quibus deinde ad Bavaros ſeu Suevos, & hinc, ad Rudolphum Habsburgenſem tranſiit. Cæterum Conradus, paulo poſt adeptum Imperium, *Henricum filium*, puerum adhuc, *Henrico Bavaro, S. Kunigundis fratre, mortuo, Bavariæ Ducem conſtituit*, quin & eundem, mox ſucceſſorem deſignavit. In Italiam deinde expeditionem movens, *cum Mediolanenſes tumultus ſedaſſet*, ibi, ab *Archiepiſcopo Ereberto*, & *Romæ* poſtea, *a Johanne XX. Pontifice*, coronationem admiſit. Abſente Imperatore, *Erneſtus*, Alemannorum Dux, *Welpho*, Dux Bavariæ Occidentalis, & *Fridericus*, Lotharingus, res turbarunt, quos illle motus, reditu ſuo feliciter compoſuit. Interea loci in Italia *Lombardi*, facta ſeditione, ab Imperatore deficiunt, multa petulanter in *Landulphum* Epiſcopum, qui ipſorum cœpta improbabat, ſtatuentes. Novo igitur itinere Imperator in Italiam contendit, &, in conjurationis ſocios graviter animadvertit. Inde in *Apuliam & Calabriam*, ad Normannos abiit, ut eos in fide erga Romanum Imperium confirmaret. Obortum deinde cum *Hungaris*

garis bellum. Quippe *Stephanus*, illius gentis Rex, filio ſuo *Emerico*, quem ex Henrici II. ſorore ſuſceperat, *Bavariam*, tanquam hereditario jure debitam, vindicare ſatagebat. Sed progreſſus in mediam Hungariam Imperator, ad petendam pacem Stephanum adegit. Quod ipſe tanto pronius fecit, quia interim Emericus filius, fato conceſſerat. Dehinc *Burgundiæ Regnum ad imperium traduxit* Conradus, & provinciam fecit, hac occaſione: *Rudolphus*, Burgundiæ Rex, GISELÆ Auguſtæ avunculus, morti proximus, regnum, *Henrico, Conradi Imp. filio*, teſtamento legaverat, diademate patri miſſo. Cum vero *Odo, Celticæ Comes, ſororius Rudolphi*, id regnum occupare niteretur, corripuit arma Conradus, eumque victum trucidavit; ex illoque tempore, *Burgundia Regnum eſſe deſiit*, cum poſt mortem Caroli Calvi, per *annos 144. proprios Reges* habuiſſet. His rebus geſtis, prope *Trajectum*, Belgii urbem, ſubita morte Conradus extinctus eſt. Cujus cadaver, *Spiram, in templum S. Mariæ, quod ipſe magnifice condere cœperat*, fuit translatum. Imperavit annos 15.

HENRICVS III. NIGER.

Henricus III. a crinium colore *Niger dictus*, Conrado patri ſucceſſit. *Prima ejus expeditio, adverſus Bohemos* fuit, quorum Dux *Vratislaus*, *Petri Hungariæ Regis* fretus auxilio, tributum pendere detrectans, pro Rege ſe gerebat. Sed cum initio res parum proſpere geſſiſſet Henricus, novas copias in Bohemiam ducens, Uratislaum ad

ad dedendum ſeſe, & penſitandum tributum compulit. *Alterum bellum, cum Hungaris fuit*, cujus cauſa, *Petri Regis*, facta a ſeditioſis quibusdam, *Ovone* coryphæo & duce, e regno expulſio. Erat Petrus, Stephani nepos, Ungaris propter Chriſtianam religionem, & quod inclementius ſubditos tractaret, inviſus. Hinc igitur Ovo, cum ſociis, ſeſe oppoſuit, quos Imperator, *primum Leopoldi Marchionis Auſtriæ* opera, coërcuit. Cum vero poſtea Ovo, contra fidem, bellum redintegraſſet, magno prælio victus, in fuga ab Hungaris trucidatus fuit, Petrus in regnum reſtitutus eſt. Cæterum, quia Petrus nihil de priſtinis moribus remittebat, Ungarorum conſpiratione oppreſſus, & excæcatus, miſere periit, *Andrea*, ejus cognato, ab exilio ad regnum revocato. Iſte Andreas, Hungariæ Rex factus, verum Dei cultum a Stephano introductum, & jam per aliquot annos neglectum, reſtituit, fratremque *Belam*, in adminiſtratione poteſtatis, Collegam adſcivit. Ibi *Albertus Bavarus*, quod in ſuperiore bello egregiam Imperatori operam navaſſet, partem ab eo ſuperioris Ungariæ accepit, quæ Germaniæ reſpectu, *Auſtria* fuit appellata.

Ortum tum & *Lotharingicum Bellum* eſt, quod *Gotofredus*, Lotharingiæ Dux, Gothelonis filius, excitavit; quia Imperator, Gothelone mortuo, *Adelbertum*, in Lotharingia collocarat. Hoc enim inique ferens Gotofredus, inito fœdere cum vicino Rege Franciæ, & deinde cum *Balduino* Flandriæ Comite, arma movit adverſus

Impe-

Imperatorem, quibus tamen parum profecit; nam in fidem Cæſaris ſe dare coactus eſt, qui, eum cuſtodiæ, in *arce Gibigſtein*, non procul a Salinis Saxonicis, incluſit, e qua tandem, deprecatore in conventu Moguntino Præſule, fuit liberatus. Sic vero Imperatore bellis domeſticis occupato, Romæ graviſſimas turbas ac ſeditiones concitarant, de Pontificatu obtinendo tres Papæ, *Benedictus IX. Sylveſter III. & Gregorius VI.* quorum peſſimam litem Imperator diremturus, Italiam adiit, & convocata *in Sutrio Synodo*, tribus illis monſtris, Pontificia ſede deturbatis, ſurrogavit *Suidigerum*, Bambergenſem Epiſcopum, qui deinde *Clemens II.* eſt appellatus, iterato, & confirmato vetere illo edicto, de non creando Pontifice, ſine Imperatoris conſenſu, atque ſic cum *Agnete* Auguſta Henric' coronatus eſt. Quibus ita geſtis, & Imperatore reditû in Germaniam parante, *Clemens II.* veneno tollitur, cui, cum ille ſucceſſorem dediſſet *Damaſum*, qui & ipſe paulo poſt periit, tertium Pontificem, *Leonem IX.* nomine, Imperator conſtituit. Atque iſte Leo, Henricum Imperatorem in Germaniam ſecutus, in *Synodo Moguntina*, Moguntino Epiſcopo loco cedere coactus fuit, Cuſpiniani teſtimonio. Mortuus eſt Henricus in *Burdfeldia*, Saxoniæ oppido, poſtquam 17. annos imperaverat, *grandi panis portiuncula*, ut quidam volunt, ſuffocatus; vel, ut alii tradidere, dolore, quem, ex *clade, a Sclavis illata*, acceperat, confectus: atque *cum eo, ſimul potentia Cæſarum Germanorum concidit.*

Uxorem habuit primo KUNEGUNDAM, *Cynetonis*, Anglici Regis, filiam, quam, ob adulterii ſuſpicionem, nonnulli repudiatam fuiſſe contendunt; deinde AGNETAM, *Wilhelmi, Pictavienſium Principis, & Aquitaniæ Ducis, filiam*, quæ ei *Henricum IV.* Imperatorem, & *Conradum*, Bavariæ Ducem, filios, filias vero tres, *Juditham, Mathildim*, Vxorem Rudolphi Ducis Suevorum & Imperatoris, ac *Itam*, Uxorem Leopoldi II. Marchionis Stiriæ, peperit.

HENRICUS IV.

Henrico III. e vivis ſublato, Henricus IV. filius, *puer adhuc ſexennis*, & cui Pater vivus de ſucceſſione proſpexerat, fuit ſurrogatus. Qui, cum ob tenerrimam ætatem, tantæ moli impar eſſet, *Agnes* mater, fœmina prudentiſſima, vices ejus tamdiu peregit, donec Ordinibus Germaniæ, mulieris imperium averſantibus, ipſe Henricus, anno ætatis XIV. habenas Imperii tractare cœpit. Multa, & graviſſima bella, geſſit, in quæ plerunque, *malitia Pontificum* fuit conjectus, qui, id unice operam dabant, ut Sedis Romanæ dignitatem autoritatemque vindicarent. Hinc *Saxones*, aliquoties ad rebellionem concitati, Anti-Cæſares multi creati, & nihil non in detrimentum Imperii, & incrementum Sedis Romanæ tentatum ac ſuſceptum eſt. Sic RUDOLPHUS *Suevus*, & HERMANNVS *Luzelburgicus*, a *Gregorio VII.* CONRADUS, Henrici primogenitus, *ab Vrbano II. Auguſti* appellati, & in Henricum prius excommunicatum, incitati

ſunt,

ſunt, quorum impetum tamen, fortiſſimus Imperator, non tantum maſcule ſuſtinuit, ſed & repreſſit. Ad ultimum tamen, tot inſidiis & machinationibus ſuccubuit, quando Papa *Paſchalis II.* HENRICUM filium natu minorem, in eum concitavit, a quo infelix pater, per tres Epiſcopos, *Moguntinum*, *Colonienſem*, *& Wormatienſem*, *Imperio violenter exutus*, atque ad eam egeſtatem redactus eſt, ut *a Wormatienſi Epiſcopo* præbendam humiliter petierit, nec tamen impetrarit. *Obiit tandem ex mœrore Leodii*, nec poſt mortem etiam rabiem Pontificum effugere potuit. Diu enim corpus ipſius Spiræ inſepultum relictum fuit, *Paſchali Pontifice*, ne humaretur, ſub excommunicationis pœna omnibus interdicente, nec niſi poſt quinquenniũ Henricus filius, juſta patri faciendi, facultatem, idque ægre, impetravit. Regnavit Henricus IV. *totos 50. annos*, atque *bis & ſexagies præliis* interfuiſſe dicitur, ita ut nullum tamen unquam vulnus lethale acceperit.

Memorabile eſt, *Henricum IV. exæquaſſe vitam X. omnino Pontificum*, habuit enim coævos, Victorem II. Stephanum IX. Benedictum X. Nicolaum II. Alexandrum II. Gregorium VII. Clementem III. Victorem III. Vrbanum II. & Paſchalem III.

Vxores duas ſibi junxit Henricus. Earum prima fuit BERTHA, *Othonis*, Marchionis Italiæ, filia. Ex hac nati ſunt, *Conradus* Rex Italiæ, ante Patrem mortuus; *Henricus V.* Imp. *Adelhaidis*, Friderici Suevorum Ducis Conjux; *Luitperga*, &

Sophia. Altera fuit PRAXEDIS, *Vdonis*, Marchionis Brandenburgenſis vidua, filia Regis Ruſſorum.

IMPERATORES ORIENTIS.

ROMANVS ARGYROPVLVS.

ROmanus Argyropulus, ſeu, ut alii vocant, *Argyrus*, cum *Zoë conjuge*, poſt Conſtantinum ſocerum imperavit, fuitque primum moderatus ac juſtus, ſed poſtea rapaciſſimus. *Saracenos*, *Cycladas* Inſulas, & litoralem Græciam deprædantes, per *Nicephorum* Ducem, duobus præliis navalibus, vicit, prope Alepum autem, Syriæ urbem, clade ab iis mulctatus eſt. Poſt hæc, Conjux mpudica eum averſari cœpit, *Michaëlis Paphlagonis* amore capta: quare venenum marito cum propinaſſet, ipſe, morbo contracto, totus intumuit, balneum vero ingreſſus, inſidiis adulteri, capite in dolium aqua plenum demerſus, &, cum exſpiraturus eſſet, retractus, atque in lectulo collocatus, vitam finiit, poſtquam annos 5. & menſes 6. imperaſſet.

MICHAEL PAPHLAGO.

Sic igitur Michaël Paphlago, fraude adulteræ, imperium adeptus eſt, cui annis 5. præfuit. Erat cæteroquin princeps juſtus, clemens, & hoſtibus formidabilis. *Saracenos*, in Sicilia, per *Georgium Maniacen* fortiter debellavit, & cum *Calipha Ægyptio*, qui templum Domini Hieroſolymis diripuerat, inducias fecit tricennales. Vehementiſſime *laborabat ex epilepſia*, ad quam tan-

tandem hydrops acceſſit, qui, cum ingraveſceret, *monachus factus*, Michaëlem Calaphaten, ex ſorore filium, ſucceſſorem Imperii conſtituit.

MICHAEL CALAPHATES.

Michaël Calaphates, obſcuro genere natus, fuit ingenio vafer, inconſtans, & iracundus. Receperat ſub gubernationis auſpicia, *ſe Zoën, matris ac dominæ loco ſemper habiturum*; verum oblitus datæ fidei, eam monaſtico habitu indutam, *in Inſulam relegavit*. Id indigne ferens populus, concitata ſeditione, Zoën revocat ad Imperium, adjungitque ei in gubernatione ſociam, ſororem *Theodoram*, Michaël vero, cum *fratre Conſtantino fugiens*, oculis fuit privatus, nec niſi 4. menſes imperio præfuit. Sic ergo ſummæ rerum *Zoë & Theodora* aliquandiu præerant: ſed, cum Zoë, quantumvis decrepita, impotenti adhuc libidine flagraret, maritum ſibi delegit *Conſtantinum Monomachum*, quem ab exilio revocatum, Imperatorem conſtituit.

CONSTANTINVS MONOMACHVS.

Conſtantinus, a privato, & exule, ope fœminæ, ad imperium evectus, omnem gubernationem, ad fœminæ nutus & voluntatem adminiſtravit, quam per 12. annos obtinuit. Bella geſſit contra *Roxolanos*, & *Boſſinos*, quibus adeo fuit implicitus, ut *Turcæ*, Aſiam longe lateque devaſtandi occaſionem nacti ſint. Quamobrem, hoc Monomacho imperante, vehe-

menter *Turcarum potentia aucta eſt*, qui, oppreſſis in Perſide & Babylone Saracenis, & Græcorum viribus attritis, in anteriore Aſia regnum conſtituerunt. Extinctus eſt Monomachus, podagra & pleuritide, imperiumque reliquit *Theodoræ*, ſorori conjugis, quæ, per biennium, ſola illud adminiſtravit, poſtea vero ſuaſu Procerum, *Michaëli Stratiotico*, quem adoptaverat, tradidit.

MICHAEL STRATIOTICUS.

Michaël Stratioticus, cum beneficus eſſet erga populum & Senatum, remque militarem omnem negligeret, in odium apud exercitum venit, a quo, *Iſaacus Comnenus* Imperator ſalutatus, Michaëlem poteſtate ſeſe abdicare coëgit, quam per *annum unum* tenuerat: isque reliquum vitæ tempus, privatus tranſegit.

ISAACVS COMNENVS.

Iſaacus Comnenus, biennium imperavit, & bella geſſit cum *Ungaris & Boſſinis*, quibus, inducias petentibus, eas indulſit, multa mala, a cœli & tempeſtatum inclementia perpeſſus. Quidam, pleuritide, ex nimia commotione corporis orta, extinctum volunt; contra alii tradunt, eum, cum inter venandum, *Aprum, horribilem aſpectu*, ſeu dæmonem verius, conſectaretur, fulgure territum, ex equo in terram præcipitem datum fuiſſe, atque ſic animam exhalaſſe.

CON-

CONSTANTINVS DVCAS.

Iſaacus, Conſtantinum Ducam, ante obitum, nominavit Imperatorem, qui, cum ingenio ad juſtitiam prono, ſed ad res militares hebeti, natus eſſet, multas clades accepit a barbaris. Imprimis vero *Turcæ*, ab Oriente progreſſi, ad ipſam *Conſtantinopolin usque acceſſerunt*, quæ urbs, inſuper vehementiſſimo terræ motu, qui templis ædificiisque cladem intulit, fuit concuſſa. Cæterum Conſtantinus, cum imperio per ſeptennium præfuiſſet, longo morbo extenuatus, deceſſit, commendavitque imperium uxori *Eudociæ*, jurejurando eam obligans, ne ad nova vota tranſiret, ſed communibus filiis, *Michaëli*, *Andronico*, & *Conſtantino*, tum adhuc impuberibus, poteſtatem ſervaret. At Eudocia, paulo poſt, ingruentem vim hoſtium pertimeſcens, &, ruenti imperio ſtrenuo propugnatore opus eſſe ſentiens, *Romanum Diogenem*, militiæ laudibus celebrem, maritum adſcivit.

ROMANVS DIOGENES.

Romanus, cum *Turcis* primum proſpera dimicavit fortuna, ſed, ad extremum infeliciter, *vivusque in Sultani pervenit poteſtatem*, a quo tamen benigne habitus, comiterque fuit dimiſſus. Interea loci, quod *Eudocia* conjuge, & liberis ejus ex priore matrimonio ſuſceptis, inimicis uteretur; *Byzantini abſenti imperium abrogatum*, Michaëli, natu maximo Conſtantini Ducæ filio, tradiderunt, qui, Diogeni reduci oculos eruit,

atque

atque ea re illi fuit exitio, poſt annum tertium adminiſtratæ ab ipſo poteſtatis.

MICHAEL PARAPINACIVS.

Michaël, Conſtantini Ducæ filius, ab *ingenti fame*, quæ eo imperante Orientem afflixit, *Parapinacii* cognomen accepit, quippe, non tum integer frumenti medimnus, ſed *pinacio*, *ſeu quadrante demto* vendebatur. Imperavit Michaël annos 6. magisque ſtudiis Philoſophicis, quam Reip. curæ fuit addictus. Ejus igitur imperitia ac ignavia factum eſt, ut *regiones Aſiæ verſus Pontum omnes Turcis ceſſerint*, ibique conſtitutum regnum ſit, quod etiamnum *Turcomannia* dicitur. *Ab Occaſu, Croatæ, gens Heneta*, ad Conſtantinopolin usque progreſſi, eam regionem Illyridis vel Pannoniæ, quæ olim *Liburnia* dicebatur, occuparunt, eaque exinde *Croatia* vocari cœpit. Domi quoque, *Naſtor*, Præfectus limitum ad Iſtrum, *Nicephorus Botoniates*, & *Nicephorus Durrachii Dux*, ſumma imis miſcebant, quare Michaël, cum omnia ſibi adverſa videret, *in cœnobium ſeceſſit*.

NICEPHORVS BOTONIATES.

Nicephorus Botoniates, annos tres poteſtatem adminiſtravit, quam, etſi confirmarat tum cæde *Briennii Baſiliaci*, qui eandem affectabat, tum, in ordinem redigendo *Conſtantinum Ducam*, Michaëlis filium, quem ad Chryſopolin exercitus Imperatorem proclamarat, tamen conſpiratione Comnenorum fratrum, op-

preſ-

preſſus, & ipſe in *monaſterium ſeſe abdere compulſus* fuit.

ALEXIVS COMNENVS.

Alexius, *Iſaaci Comneni* Imperatoris filius, Imperium cum fratribus, *Iſaacio*, *Adriano*, & *Affinio*, nec non cum *Michaële Teronite*, & *Meliſſetio*, ſuis affinibus, ad vitanda diſſidia diviſit. Cum vero hoc pacto dilaceratis proventibus, ea, quæ ad Imperatorem redibant, tuendis limitibus, propulſandisque hoſtium incurſionibus non ſufficerent, Alexius converſus ad rapinas & exactiones, ſubditos miſere expilavit, *ac æneam monetam procudens*, auream pro ea numerari ſibi voluit. A *Normannis*, ad Epidamnum victus fugatusque, ingentem cladem accepit. Amiſit præterea, *Lesbum*, *Chium*, *Samum*, & *Rhodum* Inſulas, quas Turcæ, Duce *Zabarbo* occuparunt, *Creta* tamen, *Carici*, & *Cyprus*, *Rhapſomato*, qui defecerant, ſunt extortæ. Deceſſit Alexius, ſeptuagenarius, diuturno & gravi morbo fractus, cum annos 37. imperaſſet.

PONTIFICES ROMANI.

JOHANNES XVIII.

ADmodum variant Scriptores, in numerandis hujus nominis Pontificibus, unde aliqui iſtum XVII. alii XVIII. nonulli XIX. conſtituunt, ſed nobis, media via incedere placuit. Natus eſt Johannes Romæ, obſcuris paren-

rentibus, &, a Tuſciæ Marchionibus electus, ex inſtinctu Cleri ſui, *Plebem ab Electione Romani Pontificis* excluſit. *Feſtum omnium Animarum*, ab *Odilone*, Abbate Cluniacenſi, qui, *juxta ollam Vulcani in Sicilia, varios clamores audiverat*, excogitatum, approbavit, &, univerſo orbi, poſtridie diei omnium Sanctorum, celebrandum præcepit. Munere ſuo functus eſt, per menſes 5. a domeſticis deinde, vel, ceu ab aliis traditum, a *Succeſſore veneno extinctus.*

JOHANNES XIX.

Johannes XIX. quem *Phaſanum* cognominant, otii & tranquillitatis amans, *totum ſe voluptatibus mancipavit*, Monachisque impenſe faviſſe dicitur. Pontificatum annos tenuit 4. poſt quorum decurſum, vitam cum morte commutavit: atque, ſi Sigeberto credimus, *ei pariter venenum fuit propinatum, ſuaque arte necis magiſter periit.*

SERGIUS IV.

Rara avis nobis ſe hic offert; *Pontifex nimirum aliquando bonus, inter tot malos.* Hunç enim Sergium, prædicant fuiſſe virum ſanctiſſimæ vitæ, gratæ converſationis, liberalem in pauperes, & in actionibus ſuis circumſpectum ac prudentem. Ejus conſiliis Principes Italiæ omnes, compoſito fœdere, conſilium pellendi e Sicilia Saracenos capiunt, laborantibus in eam rem potiſſimum Normannis. Tribuunt hujus Pontificatui triennium.

BENE-

BENEDICTUS III.

Benedictus, *Gregorii, Portuenſis Epiſcopi, filius*, Sylveſtri II. Papæ, inſignis Necromantici, diſcipulus, atque ſic & ipſe de magia ſuſpectus fuit. Rogatus ab *Henrico II. Imperatore*, ut templum quod *Bambergæ condiderat, in cathedralem Eccleſiam conſecraret*, ea lege annuit poſtulatis, ut Eccleſia Bambergenſis Romano Pontifici, quotannis *centum argenti marcas, cum equo albo phalerato ſubmitteret*. Præfuit Eccleſiæ annos XI. Autor eſt Petrus Damianus, Cardinalis Hoſtienſis, quem Platina ſequitur, hunc Pontificem, poſt obitum, *Humberto* Epiſcopo, quo familiariter in vita uſus fuerat, *inſidentem nigro equo, apparuiſſe, multis lachrymis conquerentem* de tormentis quæ apud inferos patiatur. Rogabat præterea, ut fratri, qui in locum ſucceſſerat, nunciaret Epiſcopus, aurum *ſub terra a ſe defoſſum effoderet*, ac pauperibus erogaret, nam id ſibi ſaluti futurum. Fecit mandata Epiſcopus, ac ſtatim Epiſcopatu ſe abdicavit, & vitam monaſticam amplexus eſt.

JOHANNES XX.

Johannes, *Benedicti VIII. frater*, cognomento *Romanus*, non minus ac frater anteceſſor, *ob magicas artes* male audit, iisdemque, ex laico, Papa evaſiſſe dicitur: *Conradum Salicum* coronavit Imperatorem. Sedit annos 5. Poſt mortem, cadavere ante fores templi bene clauſas depoſito, ajunt portas ſua ſponte patuiſſe, corpusque per ven-

ventum impetuoſum, cum magno fragore, ad ſepulturæ locum delatum fuiſſe.

BENEDICTUS IX.

Benedictus quoque, *magus inſignis fuit*, mulieresque ſuis incatamentis ad illicitos pelliciebat amores, ac literarum tam rudis erat, *ut collegam, qui ſuo loco ſacra tractaret, ſecum conſecrari vellet*, quod cœptum tamen, cum plurimi improbarent, ab eo deſtitit. Mortuo Conrado Imperatore, ipſe ad *Petrum* Hungariæ Regem, id honoris faſtigium transferre anniſus eſt, miſſa ei corona, cui inſcriptum:

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.

Cæterum, cum crudelius imperaret Benedictus, Populus Romanus illum ſede dejecit, *Johannemque, Sabinenſem Epiſcopum*, in eam evexit. Ibi vero Benedictus, agreſtium & amicorum manu, undecunque collecta, Romam pergens, *Johannem, qui Sylveſtri nomen ſumſerat, ex Lateranenſi Patriarchio exturbat*, qui, in *S. Petri Baſilicam confugiens*, ibidem armis aliquandiu ſe defendit, & Pontificia munera exercuit. Interim Benedictus, *Johannem quendam presbyterum*, laborum primo ſocium adjunxit, poſt, *acceptis mille quingentis auri libris, Pontificatum eidem plane ceſſit.* Sederat annos 10. tandemque in ſylvis, a ſuo familiari dæmone, eſt ſuffocatus. Martinus Polonus, Platina, aliique aſſeverant, ipſum, poſt fata, a quodam eremita, *corpus urſo, caudam vero atque caput aſino ſimilem*, fuiſſe viſum,

cum-

cumque interrogaretur, quid mali iſta ſibi vellet metamorphoſis? reſpondiſſe: *Hac ſpecie oberro, quia in pontificatu, ſine lege, ſine Deo vixi, & omnibus probris Romanam ſedem inquinavi.*

SYLVESTER III.

Sylveſter III. ceu jam innuimus, Benedicto pulſo, non, (quæ Platinæ verba ſunt) per oſtium, ſed per poſticum intravit, ut fur & latro: quippe, largitionibus viam ſibi muniverat.

GREGORIUS VI.

Johannes Gratianus, a Benedicto, Pontificiam dignitatem, eo quo dictum eſt modo, mercatus, Gregorius VI. appellari voluit. Sic igitur tres, ſimul & eodem tempore, pro Pontificibus ſe gerebant, *Benedictus IX. Sylveſter III.* & *Gregorius* iſte *VI.* immani ſchismate. De quo merito Otho Friſingenſis l. 6. *Circa idem tempus* (nempe ſub initium imperii Henrici Nigri) *pudenda confuſio Eccleſiæ Dei in urbe Roma fuit, tribus ibi invaſoribus, quorum unus Benedictus dicebatur, ſedem illam ſimul occupantibus, atque, ad majoris miſeriæ cumulum, diviſis ſimul cum reditibus Patriarcheis, uno ad Sanctum Petrum, altero ad Sanctam Mariam Majorem, tertio, id eſt Benedicto, in palatio Lateranenſi ſedente, flagitioſam & turpem vitam, ut egomet in Vrbe, Romanis tradentibus, audivi, duxere.* Tanto malo aliter medicina parari non

poterat, quam ut omnes iſti Pſeudopontifices, de gradu & dignitate deturbarentur, quod etiam, ceu nunc dicemus, eſt factum.

CLEMENS II.

Henricus III. Imperator, Romam, ad petendum inaugurationem, & tranquillandum Remp. expeditionem inſtituens, tribus Pontificibus, quibus in partes diſtrahebatur, pulſis, *Sindigerum*, ſeu, ut alii vocant, *Suidigerum*, Bambergenſem Epiſcopũ, qui olim illi ab epiſtolis fuerat, licet reluctantem, in locum ſubſtituit, isque, mutato nomine, Clemens II. dictus eſt. Porro Imperator, accepta a Clemente Imperii corona, continuo *Romanos cives conceptis verbis jurare coëgit*, nullum ſe impoſterum Pontificem vel electuros, vel conſecraturos, niſi quem Imperator dediſſet. Cujus rei Platina & Onufrius cauſam allegant, quod viderit Imperator, eo rem deveniſſe, ut factioſiſſimus quisque, & viribus maxime pollens, corruptis ſuffragiis, nulla, vel doctrinæ, vel pietatis habita ratione, ad faſtigium dignitatis Eccleſiaſticæ eveheretur. Sed vero, cum diſceſſiſſet Imperator, ad ingenium reverſi ſunt Romani, ac, violata ſacramenti religione, *Clementem*, quem, quod ſine ipſorum ſuffragiis conſtitutus fuiſſet Pontifex, tolerare non poterant, nono poſt adeptam dignitatem menſe, *veneno* necarunt. Nam, quod merito quærit Crantzius, *quomodo ferrent Germanum Papam, qui Romanum non ferebant?* Clementis cadaver, *Bambergam* eſt deportatum, ipſe vero inter cœlites

fuit

fuit relatus, ejusque memoria, ibi, die IX. Octobris, cui in Faſtis S. Dionyſii nomen adſcriptum eſt, colitur.

DAMASVS II.

Stephanus Bagniarius, *natione Bavarus*, Brixienſis Epiſcopus, homo ingenii aſtuti & verſuti, poſt Clementem, cujus ipſe Cancellarius fuit, autoritate *Henrici III. Imperatoris*, vel, ceu aliis placet, per meram vim, Romanam ſedem adeptus eſt, Damaſi nomine ſibi indito: ac queritur Blondus, ſe ex multis Scriptorum ineptiis, contradictionibusque elicere non potuiſſe, quomodo illius electio & confirmatio factæ fuerint. Non mirum die 23. Pontificatus ipſum veneno e medio ſublatum fuiſſe.

LEO IX.

Leo IX. Alſatiæ, &, in ea, *Dagsburgenſium Comitum* familiæ orignem debuit. Hic, bonis literis imbutus, ex Presbytero, *primum Argentorantenſis, deinde Tullenſis Epiſcopus* factus eſt. Nunciato vero Damaſi obitu, Henricus Imp. eum *Friſingæ in Bavaria*, Papam creavit, & Romam miſit conſecrandum. Is, cum Pontificali habitu indutus, Vrbi appropinquaret, *Abbatem Cluniacenſem, & Hildebrandum monachum*, habuit obvios, qui, peſſime factum eſſe ei perſuadebant, quod Pontificia veſte jam ornaretur, quodque ſine Cleri & populi Romani ſuffragio, ab Henrico Imperatore, Pontificem ſe deſignari paſſus eſſet. Quamobrem, depoſito Pontificali cultu, veſte conſueta, Româ intravit, & culpæ veniam

deprecatus, novam Cleri & populi electionem admiſit. Claruit ſcriptis iſte Pontifex, & præter *Epiſtolas, & Carmina*, etiam *Librum contra errores Græcorum* compoſuit. Prædicant quoque illius pietatem & liberalitatem erga pauperes. Legitur apud Platinam, cum *leproſum* quendam aliquando præ foribus jacentem vidiſſet, juſſiſſe illum, ut in ſuum lectum collocaretur: qui leproſus, cum paulo poſt non amplius compareret, creditum fuit, Chriſtum Dominum illud ſchema induiſſe. Non prætereundum ſilentio, quod Leo, cum ab Imperatore *Beneventum dono accepiſſet, Bambergenſi Eccleſiæ, tributum* a Benedicto VIII. eidem impoſitum, remiſit; quod *Berengarium*, de Euchariſtia aliter quam in Eccleſia receptum erat, opinantem, *in Concilio Vercellis* conſcripto damnavit; quod Concilio Moguntino quoque interfuit. *Theophylacto & Hildebrando* inſtigantibus, adverſus *Normannos*, qui Apuliam tenebant, & quos prius excomunicaverat, Leo duxit exercitum, ferente Imperatore ſuppetias. Verum, *Theophylacti dolo*, qui Normannis omnia conſilia prodebat, *vivus in hoſtium manus pervenit*; e quibus, cum retractata excommunicatione evaſiſſet, non diu deinde ſuperfuit, veneno & ipſe extinctus, poſtquam annis 5. ſediſſet.

Obiter notandum, fuiſſe, Aventino teſte, per annos centum & ſexaginta, inter *Pariſienſes* & *Ratisbonenſes* litem, de corpore *S. Dionyſii Areopagitæ*, illis aſſerentibus ſeſe aſſervare pretioſum hoc depoſitum, his contra jactantibus, ſe e

Pari-

Pariſienſi ſuburbio corpus S. Dionyſii furto abſtuliſſe clanculum, & in *S. Emmerani* condidiſſe Monaſterio. Huic autem liti, tandem Leo Pontifex, judex interveniſſe, & pro Ratisbonenſibus ſententiam tuliſſe dicitur, promulgato in eam rem diplomate, quod apud Baronium, itemque Tomo VII. Conciliorum integrum extat. Sed hoc diploma, a Monachis imprudenter impudenterque confictum eſſe, & adeo S. Dionyſii corpus, ne quidem ullo unquam tempore in Gallia fuiſſe, erudito de duobus Dionyſiis edito libro, Johannes Launojus, Celebris, & antiquitatum Eccleſiaſticarum inſigniter in Gallia gnarus Vir, ſolide oſtendit.

VICTOR II.

Sublato e vivis Leone, per annum fere integrum, Pontifice caruit Romana Eccleſia. Cauſa diuturni *interregni*, erant turbæ, quas iterum dabat *Benedictus Pſeudopapa*, toties rejectus, nec tamen adhuc, præ ambitione & dominandi libidine, quieſcens. Ergo flagitabat neceſſitas, ut Legati ad Imperatorem, qui tum adhuc vivebat, *Henricum III.* mitterentur, rogatum ab illo malorum ſuorum remedium, hoc eſt, verum & legitimum Pontificem. Conabatur quidem ſubdole, & occultis artibus, *Hildebrandus*, qui inter cæteros Romanorum Legatos erat, in ſe derivare Pontificiam dignitatem: verum res non proceſſit, atque Imperator, cognatum ſuum, *Gebhardum*, ex illuſtri *Comitum de Kalb* familia natum, *Aichſtettenſem Epiſcopum*, in

Moguntinis Comitiis, ſuffragantibus univerſis pæne Germaniæ Epiſcopis, Pontificem deſignavit. Magna huic ſapientia, & morum gravitas, eique *Cuno*, *Bavariæ Dux*, in Pannonias iter faciens, omnis ſuæ ditionis adminiſtrationem conceſſerat. Romam cum legatis profectus, Clero, populoque Romano applaudentibus, a *Mainardo* Archidiacono conſecratus, Victorque II. appellatus eſt. Inde, in Germaniam regreſſus, *Goslariæ*, cum Imperatore, Principibusque plurimis, *Feſtum nativitatis S. Mariæ*, tanta ſolemnitate celebravit, ut totius Imperii opes eo congeſtas fuiſſe, quis crederet. Poſtea, Romam iterum contendens, *Florentiæ* diem obiit ſupremum, *nec ultra biennium* Romanam rexit Eccleſiam. Sunt, qui tradant, hunc quoque, a *Gerhardo Brazeto*, qui Hildebrandi conſiliorum intimus erat, quique tres prædeceſſores Pontifices veneno necaverat, ſimili ratione e medio fuiſſe ſublatum. In Bertoldi, Presbyteri Conſtantienſis, Chronico legitur: *Victor II. Papa CLV. ſedit tribus annis. Huic Subdiaconus toxicum in calicem miſit, quem, cum ipſe, poſt conſecrationem, levare vellet, nec poſſet, a Domino cauſam facti inquiſiturus, cum populo ad orationem proſternitur: ſtatimque toxicator, a dæmonio arripitur. Ita ergo cauſa manifeſtata, Dominus Papa calicem cum Sanguine Dominico, cuidam altari juſſit includi, & pro reliquiis in perpetuum conſervari. Deinde, cum populo ad orationem tam diu proſternitur, quousque Subdiaconus a Dæmonio liberatur.* Corpus Victoris, cum familiares Aichſtadium deferre

ferre vellent, *Ravennatenſes* id in via rapuerunt, & apud ſe, in Eccleſia S. Mariæ, condiderunt tumulo.

STEPHANVS IX.

Mortuo Victore, *Fridericus*, *Gothelonis*, *Lotharingiæ Ducis filius*, *Gothofredi frater*, a puero literis bene excultus, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ aſſuefactus, a Clero, & Romano populo, non tamen explorata prius Imperatoris voluntate. Pontifex creatus, Stephanusque dictus eſt. Is, *Mediolanenſem Eccleſiam*, quæ, jam a ducentis annis, Romanorum Præſulum imperio ſeſe ſubduxerat, denuo eidem ſubjecit. Per *Hildebrandum*, cujus opera plurimum utebatur, paſſim per Italiam & Burgundiam, *Eccleſias, Simoniaca corruptela infectas*, repurgavit. Hac vero contaminatos pronunciabant, quotquot Eccleſiaſtica munera a laicis acceperant. Ipſe adeo Henricus Imperator, hujus criminis inſimulatus damnatusque fuit. Sed, brevis Stephano erat poteſtas, ac ſeptimo ejus adminiſtratæ menſe, cum *Florentiæ Synodum* celebrare vellet, ibidem, & ipſe, veneno a *Brazeto* extinctus eſſe dicitur. Quo e medio ſublato, *Hildebrandus*, omiſſa, cui præerat, legatione, celeriter Romam petens, univerſum Clerum convocavit, & jurejurando eos obſtrinxit, ne ſe inconſulto novum Pontificem ſurrogarent, atque ſic deinde abiit Florentiam.

BENEDICTUS X.

Benedictus X. patria Campanus, & prius *Johannes Mincius* appellatus, Stephano IX. a quibusdam Cardinalibus & Clericis, etſi pauciſſimis numero, ut tumultuanti plebi ſatisfacerent, *contra fidem Hildebrando datam*, ſucceſſor conſtitutus eſt. Admodum inique tulit hanc electionem Hildebrandus, Romamque, comitante eum *Gerbardo*, Florentino Epiſcopo, venit, querens de injuria, atque *Gerbardum pro Pontifice obtrudere poſtulans*. Cum vero Romæ, ob plebis furorem, negotium non ſuccederet, ambo Senas profugiunt, atque ibi voto potiuntur. Benedictus enim, novem menſium, & dierum 20. Pontifex, cum eſſet pacis & quietis amans, factioſis ultro ceſſit, *ad Veliternum Epiſcopatum*, cui olim quoque præfuerat, reverſus.

NICOLAUS II.

Gerbardus, *Florentinus Epiſcopus*, poſtquam Pontificiam dignitatem adeptus eſt, Nicolai II. nomen aſſumſit. Is, *Bagellardum, Gothofredi, Apuliæ & Calabriæ Ducis*, filium orphanum, quem pater moriens heredem conſtituerat, omni ditione exuit, eamque *Roberto*, qui Gothofredi frater erat, conceſſit, illum Romanæ Eccleſiæ vaſallum ligium efficiens. Idem, in Lateranenſi Concilio, *Berengarianum errorem* damnavit, ipſeque autor errorem faſſus, & ore, ac ſcripto, palinodiam cecinit. Sedit Nicolaus annis duobus, men-

menſibus fere ſeptem, atque etiam iſtum, a *Brazeto*, veneno peremtum fuiſſe, memoriæ proditum.

ALEXANDER II.

Nicolao, e vivis ſublato, *Anshelmus*, patria Mediolanenſis, Lucæ Epiſcopus, ob magnam eruditionis, modeſtiæ, ac liberalitatis famam, abſens, ad Pontificiam dignitatem, verum inſcio Henrico IV. Imperatore, evectus eſt, Alexandrique II. nomen ei ſuit impoſitum. At *Longobardorum Epiſcopi*, ex ſuo potius numero Pontificem deſignari poſcentes, ſuadent Imperatori, pro ſua autoritate alium Papam ut conſtituat. Qui, conſentiens, *Cadolo*, *Parmenſi Epiſcopo*, hunc honorem tribuit, isque ſub HONORII II. nomine, pro Pontifice ſe gerere cœpit. Miſſus quoque Romam fuit *Colonienſis Epiſcopus*, Cadoli admiſſionem perſuaſurus, ſed hunc *Hildebrandi* impotentia eo perduxit, ut denique ipſe etiam, Alexandrum potiore jure Pontificem creatum eſſe, concederet. Cum vero poſt Colonienſis abitum, *Honorius exercitu Romam obſideret*, & vi jus ſuum vindicare conaretur, fruſtra fuit, fuſus enim fugatusque eſt, atque, coacto *Mantuæ Concilio*, Alexander, communibus ſuffragiis in dignitate confirmatur; quem deinde, quod gratiam Imperatoris ſectari velle videretur, in carcerem conjecit Hildebrandus, in quo, non ſine veneni ſuſpicione, diem clauſit ſupremum, ſedit vero annos 12. Alexandrum ajunt decreviſſe, ut *Pontifex Romanus deinceps a ſolis Cardinalibus eligeretur.*

GREGORIUS VII.

Ventum eſt ad Pontificem, pol! ſua nequitia & tyrannide famoſum, quemque *Antichriſtianorum* vulgo ducem faciunt, ac choragum. Quippe, omnes modeſtiæ limites primus perrupit, divina & humana omnia ad ſuum arbitrium & tribunal revocavit, & Imperatores, quibus hactenꝰ paruerant, & a quibꝰ renunciati erant Pontifices, ſibi ſubjicere, ſolioque dejicere conatus eſt. Fuit is natione Hetruſcus, patria Senenſis, *Bonicii*, fabri cujusdam filius, Hildebrandus dictus. Ab ineunte ætate monaſticen profeſſus, *ad Prioratus dignitatem apud Cluniacenſes* conſcendit: verum illius vitæ pertæſus, &, ad majora adſpirans, cœnobio valedicens, Romam ſe contulit. Ibi, *Laurentii* cujusdam, Archidiaconi, amicitiæ cum ſe inſinuaſſet, *Magiam cupide ab eo ita addidicit*, ut in iſta arte anteiret illum nemo, pauci pares putarentur. Hujus beneficio, *ſcintillas ſubinde ex manicis* excutiens, in ſimplicium animis magnam ſanctitatis de ſeſe progeneravit opinionem. Cæterum, quia is multa Romæ turbaverat, cum *Gregorio VI.* Pontificiæ Sedis invaſore, juſſu Henrici III. in Germaniam exulatum ire coactus eſt, verum poſtea cum Leone urbem repetiit, ab eo in numerum Cardinalium adſcitus. Tam bene vero res ſuas geſſit, ut eo potentiæ progrederetur, quo Alexandro II. mortuo, ipſam Pontificiam dignitatem ad ſe rapere poſſet. Quam, ubi involavit, *Henrico IV. Imperatori anathema dixit*, quod Eccleſiaſticas

ven-

vendidiſſet dignitates, &, per Nuncios, ut vocabantur, Apoſtolicos, Concilium in Germania poſtulabat cogi, quo, homines per Simoniam intruſi, officiis moverentur. Sed, abnuentibus id, velut inuſitatum, Epiſcopis, *& Concilii indicendi poteſtatem ipſi competere negantibus*, Hildebrandus, frequentibus per Italiam Synodis, *presbyteris uxores habendi facultatem* adimit, præcipitque per literas *Gallis & Germanis*, ut & ipſi, Sacerdotes, facultate uxores ducendi prohiberent. Adverſus hoc decretum, infremuit omnis Clericorum cœtus, Hildebrandum, hominem plane hæreticum, & nefandi dogmatis autorem eſſe quiritans, quodque oblitus ſermonis Domini, quo ait: *Non omnes capiunt hoc verbum, qui capere poteſt, capiat*: & Apoſtoli: *Qui ſe non continet, nubat; melius eſt enim nubere, quam uri:* violenta actione cogeret homines ritu vivere Angelorum, &, dum conſuetum naturæ curſum negaret, fornicationi laxaret fræna, & immunditiei. Sin pergeret, malle ſe Sacerdotium, quam conjugium deſerere, & tunc viſurum eum, cui homines ſorderent, unde gubernandis Eccleſiis Angelos eſſet comparaturus. Nihilo minus inſtabat Gregorius propoſito, minis dirisque urgens Epiſcopos, ut quantocyus injunctum ſibi negotium exſequerentur. *Tum Moguntinus, convocatis Erphordiam Sacerdotibus*, illis, ut aut conjugium abjurarent, aut ſacro munere abſtinerent, Pontificis nomine præcipit. Hi autem, velut ad conſultandum egreſſi, mire tumultuari, & pars, non redeundum, alii,

Epi-

Epiſcopũ iniqua imperantem, morte mulctandũ eſſe contendunt. Quare, de periculo monitus Antiſtes, eidem ſe ſubduxit in tempore. Pari ratione oppoſuit ſe, *tota* (uti Lambertus nominat,) *factio Clericorum* in Gallia. Non multo poſt, *Hildebrandus Cæſarem Romam evocat*, reſponſurum in Synodo, de criminibus, quorum reus poſtularetur, multa mala comminans, niſi morem gereret. Interea loci, ipſe Pontifex, a *Quintio, Præfecto Vrbis*, quem fœdo carcere maceraverat, de altari abripitur, &, priusquam populus auxilio eſſe poſſet, ipſa Dominici natalis nocte, ducitur in carcerem. Sed plebs poſtridie ad arma convolans, *coëgit Quintium, Papam e cuſtodia dimittere.* At Cæſar, illatam a Pontifice contumeliam indigne ferens, *Wormatiæ Concilium* inſtituit omnium Regni Epiſcoporum. In hoc Hildebrandus, necromantiæ, adulterii, aliorumque ſcelerum fuit damnatus, &, denunciatum ei, male invaſa, & pejus uſurpata poteſtate, cederet, ſciretque, quicquid impoſterum acturus aut decreturus eſſet, id ſe habituros irritum. Contra Hildebrandus, nihil territus, *Imperatorem & Epiſcopos anathemate ferit*, deſtinatisque in Germaniam & Galliam Legatis, Proceres, quoscunque poterat, ad ſeditionem concitat. Paſſi ſunt præ cæteris ſe ſeduci, *Rudolphus Suevus, Bertholdus Carinthius, & Guelfo Bavarus.* Hi, Epiſcopis Papam reverentibus ad ſe allectis, de novo Rege creando conſilia capiunt, Henrico tamen denunciant, ſi intra vertentem annum anathemate abſolvatur, & ſtatim dimittat a ſe armatos, tum parituros ſe iis quæ Pon-

Pontifex eſſet decreturus. Cæſar lætus, aliqua, etſi turpi conditione, ſumma, quibus premebatur, mala, allevari poſſe, rigidiſſima hyeme, Italiam petit, & *Hildebrandum*, apud *Mathildem*, *Canuſina in arce* morantem, humilis deprecator adit. Erat Mathildis, *Bonifacii Eſtenſis*, *ex Beatrice*, *Henrici III. Imperatoris ſorore*, *filia*, quæ, ampliſſimi paterni patrimonii heres, primis nuptiis, *Gothofredo Spoletano*, ſecundis, *Azoni II. Eſtenſi*, agnato, nupſerat. Ab hoc, prætextu nimiæ cognationis, ſeparata, cum *Guelfo Bavaro* matrimonium inivit, quod nec ipſum diuturnum fuit, quia Guelfum, ad conjugale debitum præſtandum, Mathildis ineptum querebatur, unde, eo deſerto, Pontifici poſtmodum adhæſit unice. Cæterum Pontifex, cum poſt lenem objurgationem, Epiſcopos, qui cum Henrico fecerant, abſolviſſet, Henrico tamen, ægre, &, non niſi intercedentibus Italiæ Principibus, accedendi facultatem conceſſit. Ergo, admiſſus miſer, intra ſecundum arcis murorum ambitum, ſine comite, ſine cultu regio, nudis pedibus, jejunus, a mane usque ad veſperam, perſtabat, ſententiam præſtolans Pontificis: idemque, ſecundo ac tertio die facere coactus fuit. Quarta demum luce, ab Hildebrando truci vultu exceptus, *his conditionibus ab anathemate abſolvitur:* Siſtat ſe cognitioni, reſpondeat accuſationibus Principum; convictus, ab imperio decedat, neque vindictam ullo tempore moliatur; interea vivat privatus, neque publico nomine aliquid gerat, fidem etiam ac jusjurandum ſuis remittat.

Con-

Conſiliarios & familiares ab ſe removeat, ſi quid contra faciat, nullum fore, quod nunc ei detur beneficium, & Principibus liberum futurum, ut mox alium ſibi deligant. His conditionibus datis, Papa *corpus Dominicum ſumſit*, imprecatus ſibi extrema quæque, & ſubitaneam mortem, ſi Simoniacis artibus Papatum adeptus eſſet. Poſt hæc invitavit Cæſarem, ſi ſe ſcelerum, quorum accuſaretur, inſontem noſſet, ſuum factum imitaretur. At ipſe, hunc purgandi modum ſapienter averſatus, in Comitiis apparitururum reſpondit, quam bene poteſtatem adminiſtraſſet. Ea re cognita, *indignari cœperunt Italiæ Principes*, & Henrico exprobrare, haud unquam abolendum dedecus ipſum majeſtati ſuæ inuſſiſſe, quod Papæ hæretico, omnibusque probris contaminato, ſe ſubjeciſſet: eſſe eum indignum, qui porro imperii faſces tractaret, quod, quem juſtitiæ patronum, legumque ſacrarum vindicem futurum ſperaverint, nunc, cum publico hoſte in gratiam rediiſſe videant. Iniverunt quoque de filiolo Cæſaris eligendo, & Romam traducendo, ejiciendoque Pontifice, conſilia. At Cæſar, *placare volens Italos, iis ſe ad jungit*, quæ cum Pontifice inita fuerant pacta, palam revocans. Unde commotus Gregorius, juſſit Germaniæ Principes de alio Rege ſibi proſpicere, *novoque exemplo, omnibus ſubditis, ne Henrico porro obſequium præſtent, præcipit.* Nec mora, à Principibus, RVDOLPHVS, *Sueviæ Dux*, Imperator conſtituitur, cui Hildebrandus coronam miſit, cum inſcriptione:

Petra

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Interea loci, Henricus in Germaniam reverſus, colligit copias, & *Rudolphum*, *qui Saxonum auxiliis potiſſimum nitebatur*, *bello* adoritur. In hoc, quarto prælio, *graviter ſauciatus Rudolphus*, non multo poſt exceſſit e vita. Ea de re, Helmoldi l. 1. c. 2. quæ notentur, verba digna ſunt: Rudolphus, inquit, vulneratus in manu dextra, fugit Marcipolin, mortique jam proximus, dixit ad familiares ſuos: Videtis manum dextram meam, de vulnere ſauciam. Hac ego juravi Domino Henrico, ut non nocerem ei, nec inſidiarer gloriæ ejus. Sed juſſio Apoſtolica, Pontificumque petitio, me ad id deduxit, ut juramenti transgreſſor, honorem mihi indebitum uſurparem. Quis igitur finis nos exceperit, videtis, quia in manu, unde juramenta violavi, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo ii, qui nos ad hoc inſtigaverunt, qualiter nos duxerint, ne forte deducti ſimus in præcipitium æternæ damnationis. Et hoc dicens, cum gravi moleſtia diem clauſit extremum. Hactenus Helmoldus. Æmulo Rudolpho ſublato, Henricus, omnem ſuperiorem Germaniam, ad obſequium reducit, *& Conventum agit Brixiæ.* Ibi, ab Epiſcopis Italis Germanisque, qui aderant, commune *decretum factum eſt*, *Gregorium non eſſe legitimum urbis Romæ Epiſcopum.* Decreto hoc edito, Cæſar Romam contendit, eamque obſidet, Saxonibus interim novum ſibi Regem, HERMANNVM, *Lotharingiæ Ducem,* deſignantibus. *Capta Leonina,* cum pax non conveniret,

niret, & percuſſor in Henricum ab Hildebrando ſubornatus, *cum ſaxo quod in ipſum orantem moliebatur*, decidiſſet in ſubjectum ſolum; Romani, & Epiſcopi Italiæ plerique, a Papa deſciſcunt. Quibus ex cauſis, cum Henricus urbem intraſſet, ejurato a Romanis Hildebrandi Pontificatu, *Guibertus* in ſede collocatur, *Clementis III.* nomine ei indito, ab illoque *Henricus, cum Bertha conjuge*, Auguſtalibus ornamentis fuit conſecratus. At Gregorius, qui in molem Hadriani ſe receperat, cum ibi clauderetur, ad eum liberandum, *Robertus Guiſcardus, Normannorum in Italia Dux*, quique ante, a Nicolao Pontifice, *Apuliam, Calabriam, & Siciliam* acceperat in feudum, Oriente, ubi contra Græcos bellum gerebat, relicto, ocyus approperat. Interea temporis, Imperator diſceſſerat, Clemente ſecum ducto. Igitur Guiſcardus Romam oppugnat, eaque occupata, poſt direptionem, ignem ædificiis ſubjicit, magnamque partem incendio abſumit. *Extractum deinde ex Hadriani mole Gregorium, ſecum Salernum* perduxit, ubi is non multo poſt, anno Pontificatus XII. inter vivos eſſe deſiit. Hic eſt ille Gregorius, qui celebres XXVII. *Dictatus* condidit; quorum, (quæ Onufrii Panvinii in vita ejus verba ſunt,) major pars antea parum in uſu fuerat, &, a nemine prædeceſſorum ſuorum, unquam attentata: verum, ad firmiſſimum Eccleſiæ ſtatum jaciendum, & ad omnia tentanda, quæ animo agitabat. Eſt igitur operæ pretium, aliqua ex illis apponere. Sic vero inter alia Hildebrandus ſancivit. *Romana*

Eccle-

Eccleſia a ſolo Domino eſt fundata. Solus Romanus Pontifex jure dicitur univerſalis. Solus poteſt Imperialibus uti inſigniis. Solius Papæ pedes omnes Principes deoſculentur. Vnicum eſt nomen in mundo, Papæ videlicet. Illi licet Imperatores deponere. Nulla Synodus absque præcepto ejus debet generalis vocari. Nullum capitulum nullusque liber Canonicus habeatur absque illius autoritate. Sententia illius a nullo debet retractari, & ipſe omnium ſolus retractare poteſt. A nemine judicari debet. Majores cauſæ cujuscunque Eccleſiæ, ad eum referri debent. Romana Eccleſia nunquã erravit, neq; in perpetuũ errabit. Romanus Pontifex ſi canonice fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur ſanctus: &, quæ ſunt alia ejus generis.

CLEMENS III.

Guibertus, Clericus Parmenſis, *ob eloquentiam & eruditionem*, in aula Imperatoris honorifice eſt habitus. Sed ab Hildebrando ob eam rem excommunicatus, poſtmodum in *Brixienſi Synodo Pontifex conſtitutus*, & ab Imperatore, armata manu, in ſedem Romanam poſitus fuit. Roma abeunte Imperatore, Senas cum illo conceſſit, ibique fixit larem ſuum, & eodem fere tempore, quo *Urbanus II.* cum quo continuæ ipſi de Pontificatu erant lites, vitam finiit.

VICTOR III.

Dauſerius, aut *Deſiderius*, Beneventani Principis filius, Gregorio mortuo, a *Mathilde & Roberto Normanno*, odio Clementis, qui autoritate Imperatoria ſedem tenebat, Pontifex

eſt deſignatus, *Victoris III.* ei impoſito nomine. *Is, in Synodo Beneventana*, cui Apuliæ & Calabriæ intererant Epiſcopi, *Clementem* Sacerdotali honore ac officio privavit, & anathematis vinculo conſtrinxit. At, non diuturna ei fuit poteſtas. Primo enim pontificatus anno, *veneno*, *quod ſacro calici injecerat ſubdiaconus*, extinctus eſt; alii tamen morbo periiſſe aſſeverant. Moribundus, *Ottonem*, Oſtienſem Epiſcopum, commendat ſucceſſorem, illumque manu apprehenſum, cæteris Epiſcopis tradit, dicens; *Accipite eum, & in Romana Sede locate.*

VRBANVS II.

Otto, *Gallus gente*, & *Caſtilio*, quod Remenſis diœceſeos oppidum eſt, oriundus, ex monacho Cluniacenſi, *Oſtienſis Epiſcopus*, ab Hildebrando creatus, eorundem autoritate opeque, qui Victorem ad Papatus honorem evexerant, in Petri cathedram, quinto a morte anteceſſoris menſe, fuit collocatus, & Vrbanus II. dictus eſt. Huic nusquam tutum fuit hoſpitium. Interim hinc & inde oberrando, *plures Synodos celebravit*, in quibus, non *Clementem tantum*, *ſed ipſum Henricum Imperatorem excommunicavit*. Ipſe viciſſim, Aventino l. 5. teſte, in *Moguntina Synodo*, præſentibus Epiſcopis pluribus, & Clementis quoque Legatis, ſacrilegii & irreligioſitatis accuſatus, & convictus, in impiorum numero computatus eſt. Cæterum Vrbanus, *Ciſtercienſem Ordinem*, in Burgundia excitatum, quin & *Ordinem Carthuſianorum* confirmavit. Idem Chri-

ſtia-

ſtianos Principes, & præcipue *Philippum Galliæ Regem, ad Bellum ſacrum*, pro recuperandis Hieroſolymis inſtigavit, militesque in Palæſtinam abeuntes, *Crucis* ſigno ſignavit. Sedit annos 12.

SCRIPTORES SACRI.

FULBERTUS CARNOTENSIS.

Fulbertus, non tantum literarum ſcientia, *ſed & prophetiæ dono*, ac vitæ ſanctitate conſpicuus, ex ludi moderatore, Carnotenſis Epiſcopus evaſit. Scripſit *Epiſtolas multas*, quarũ aliquas Baronius tom. XI. Ann. inſeruit. Scripſit item *Librum de laudibus Mariæ*, &, *Librum de officiorum Eccleſiaſticorum varietate*, qui poſtremus, in to. 3. Bibl. SS. Patrum conparet. Hunc ajunt primum *Feſtum Nativitatis Virginis Mariæ* in Gallia celebraſſe.

BURCHARDUS VORMATIENSIS.

Burchardus, nobili apud Heſſos familia oriundus, ab Othone III. Vormatienſis Epiſcopus conſtitutus eſt. Edidit XX. *libros Decretorum*, ex Conciliorum, & Pontificum ſanctionibus, ac Patrum dictis congeſtos; adjutus *ab Olberto*, Leodienſi ſive Gemblacenſi Abbate, ſuo olim Magiſtro.

BERNO.

Berno, Augienſis Abbas, fuit vir doctus, & Imperatori Henrico II. admodum charus,

multaque elucubratus eſt, uti, *ad Pilgrinum Colonienſem de Muſica volumen; Librum de inſtrumentis Muſices, ad Aribonem Moguntinum; Librum de menſura monochordi; Epiſtolam de vera laude Regis, ad Henricum II.* item *Epiſtolas ad diverſos; Sermones* quoque in nonnulla Feſta, & alia.

HERMANNUS CONTRACTUS.

Hermannus Contractus, Sangallenſis monachus, *a membrorum contractione & debilitate ſic dictus*, eruditione hac ætate non mediocriter claruit. Trithemius refert, eum non Latine modo & Græce, ſed & *Arabice* doctum fuiſſe. Habemus ejus *librum de ſex ætatibus mundi*, qui Euſebii & aliorum Chronicis ſubjungi ſolet, ab exordio mundi, ad annum usque Chriſti 1054. hiſtorias complectentem, *cui Bertoldus continuator*, paucos annos ſuperaddidit, ita ut ad Annum usque 1065. pertingat. Hermannus præterea, *de Muſica, de Monochordo, de Compoſitione Aſtrolabii, de Quadratura circuli*, commentatus eſt. Autor præterea eſſe dicitur *Antiphonæ: Salve Regina mater miſericordiæ &c.* itemque alterius: *Alma Redemptoris mater &c.*

HUMBERTUS CARDINALIS.

Leo IX. Papa, Humbertum Lotharingum, conterraneum ſuum, ob eruditionem & ingenium, ex Tullenſi cœnobio, ſecum Romam duxit, & primo Archiepiſcopum Siciliæ, poſtea Cardinalem Sylvæ candidæ creavit. Ab eodem, Conſtantinopolin, *ad Nicetæ* errores confutandos miſſus, *Diſputationem eam Dialogo complexus eſt,*

eſt, in quo Romanus & Conſtantinopolitanus colloquuntur. Edidit etiam *Epiſtolas*, item alia, juſſuque Synodi compoſuit formulam, qua *Berengarius*, ſuam opinionem de Sacramento Euchariſtiæ damnavit. Ajunt, hunc primum *Transſubſtantiationis* aſſertorem fuiſſe.

PETRUS DAMIANI.

Stephanus IX. Pontifex, delectatus Petri Damiani ingenio, illum Cardinalem Hoſtienſem creavit; *ſed Benedictus X.* cujus electionem Damianus improbabat, veſtibus ſacris exutum, in carcerem compegit. E quo ſolutus, abdicato Cardinalatu, in eremum ſeceſſit, tamque rigidam vitam ſectatus eſt, *ut lorica ferrea pro interula*, & duobus ferreis circulis pro cingulo uteretur. Scripſit *librum de correctione Epiſcopi & Papæ*, item, *de Perfectione monachorum; de Ordine Regulæ Eremiticæ; de Lapſu diabolorum*, nec minus *librum adverſus Judæos*, cum aliis quibusdam. In quadam epiſtola ad Dominicum aſſerit, *animas damnatorum die dominico refrigerium pœnarum habere*, &, in avicularum figura, de lacu Averni exire.

LANFRANCUS.

Lanfrancus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, Vir doctrinæ laudibus celebratiſſimus, ſedente Romæ *Nicolao II.* in Concilio, quod ibi coactum fuerat, cum *Berengario* diſputavit, eumque ita convicit, ut Berengarius librum ſuum in ignem conjiceret. Hoc vero priſtinum errorem repetente, Lanfrancus *librum de Veritate*

corporis Domini in Eucharistia, compoſuit, qui liber, & ſeorſim excuſus, & in Biblioth. SS. Patrum tom. 6. habetur. Porro, & *in omnes Pauli epiſtolas*, *Pſalmosque* commentatus eſſe, multaque alia edidiſſe dicitur.

ADAMUS, BREMENSIS CANONICUS.

Adamus, Canonicus Bremenſis, nobis reliquit *Eccleſiaſticam Hiſtoriam quatuor libris diſtinctam*, in qua propagationem religionis Chriſtianæ, quatenus in Regnis Septentrionalibus, a Carolo M. ad Henricum usque IV. accidit, perſequitur. Subjungitur ei libellus *de ſitu Daniæ*. Baronius, Adamum, vocat probatæ fidei Chronographum.

THEOPHYLACTUS.

Theophylactum, patria Conſtantinopolitanum, *Bulgarorum Archiepiſcopum*, etſi multi ad ſeculum IX. referunt, tamen illum ad hoc ævum pertinere, ex ipſius *Epiſtolis*, quæ Græce in Bibliotheca Vaticana extant, ſolide aſſeruit Cardinalis Baronius. *Commentatus eſt in Hoſeam, Jonam, Naum, & Habacuc*: item, *in quatuor Evangelia, & omnes S. Pauli Epiſtolas*, atque, in his poſterioribus lucubrationibus, *ita S. Chryſoſtomum ſequitur*, ut ejus quaſi quidam ſit Abbreviator. Bellarminus in lib. de Script. Eccleſ. ipſum *Schismaticum* vocat, quod Latinos, ob dogma de proceſſione Spiritus S. a Filio reprehenderit. Sic quoque paſſim id in eo carpunt, quod *Sudorem Chriſti ſanguineum*, non eſſe intelligendum de vero ſanguine docuerit, ex proverbiali locutione

tione id interpretatus, qua, qui amare flent, ſanguinem flere dicuntur. Illum tamen falſo hujus erroris accuſari, probat Dorſcheus in Theol. Zach. p. 299.

ANSHELMUS, LUCENSIS.

Anshelmus, Lucenſis urbis Epiſcopus a *Gregorio VII.* conſtitutus, ſcripſit *libros duos ex Patrum ſententiis, pro iſtius Gregorii Papæ Decreto, & rebus geſtis contra Henricum Imperatorem, ac contra Guibertum Antipapam*, qui extant apud Henricum Caniſium tom. 6. Antiquæ lectionis. Dicitur quoque ſcripſiſſe in *Lamentationes Jeremiæ, & in Pſalmos aliquot, explicationem.*

ANSHELMUS CANTUARIENSIS.

Anshelmus, Lanfranci diſcipulus, & in Cantuarienſi Epiſcopatu ſucceſſor, Italus natione, profeſſione monachus, ingenio, doctrinaque floruit. Ejus vita ab *Edinero* fideliter conſcripta, extat apud Surium die 2. Aprilis. Multa edidit, quæ in tres tomos digeſta habentur, atque Lutetiæ, & Coloniæ excuſa fuerunt. Ex iis, *Commentarium in Epiſtolas S. Pauli, & Commentarium in Apocalypſin, itemque alium in Canticum Canticorum,* nominaſſe nobis ſufficit. *Bellarminus* tamen, in lib. de Script. Eccleſ. dubium movet, num iſti libri Anshelmum Cantuarienſem habeant autorem.

ANSHELMUS LAUDUNENSIS.

Anshelmus, Laudunenſis Scholaſticus, *Gloſſam interlinearem*, quæ Gloſſæ ordinariæ, & Lyrani, additur, nobis reliquit.

OECUMENIUS.

Oecumenius, Græcus ſcriptor, *Catenam ex Antiquis Patribus in Acta Apoſtolorum, & Epiſtolas Paulinas* contexuit.

IVO.

Ivo, Carnotenſis Epiſcopus, *ex volumine Iſidori de Decretis Apoſtolicis Compendium excerpſit*, quod capitulis diſtinctum, ſententiis Patrum alicubi auxit, *idque Panormiam vocavit*, quo libro Jureconſulti usque ad Gratiani tempora uſi ſunt.

SAMUEL MAROCHIANUS.

Referunt vulgo inter Scriptores Sacros hujus ævi, Samuelem Marochianum, ex Judæo Chriſtianum, *ob Epiſtolam, ſeu librum de adventu Meſſiæ, & de cauſis obſtinationis Judæorum, ad R. Iſaacum*, quem Alphonſus Bonihominis ex Arabico in Latinum convertit. Relatus eſt is liber in tom. 4. Biblioth. SS. Patrum, & ſeorſim quoque excuſus paſſim habetur, quin & Italice atque Hiſpanice prodiit. Sed Johannes Hoornbeekius, Theologus celebris, in Prolegomenis libri de Convincendis Judæis, de ingenuitate libri Samuelis dubitat: cujus fides, mihi quoque ſemper ſubleſta viſa eſt. Penes me MS. in charta bombycina extat.

HÆRETICI.

BERENGARIANI.

Berengarius, *Turone oriundus, & Eccleſiæ Andegavenſis Diaconus*, Henrici III. Imperato-

rio

ris ætate, Galliam, doctrina, qua veram præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in ſacra Synaxi pernegabat, valde turbavit. Adverſus hunc multa celebrata ſunt *Concilia*, quorum primum *Romæ, Leone Pontifice* præſidente, habitum fuit. Deinde *Vercellis* quoque coacta eſt Synodus, ad quam Berengarius vocatus, venire recuſavit. Poſtea, *Nicolao* Romæ ſedente, *in Lateranenſi Synodo* iterum damnatum eſt Berengarii dogma, *ipſeque præſens, librum ſuum in ignem conjecit*, jusjurandum faciens, deſerturum ſeſe eam, quam hactenus foverit, opinionem. Formula in quam fidem ſuam juratus obſtrinxit, quamque Humbertus Burgundus Cardinalis præſcripſiſſe dicitur, & quæ in Corpus Juris Canonici redacta, Diſt. 2. de Conſecratione, canonem 42. efficit, talis fuit: *Ego Berengarius, indignus S. Mauritii Andegavenſis Eccleſiæ Diaconus, cognoſcens veram, catholicam, & Apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſin, præcipue eam, de qua hactenus infamatus ſum, quæ aſtruere conatur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, & poſt conſecrationem, ſolummodo Sacramentum, & non verum Corpus & Sanguinem Domini noſtri JEſu Chriſti eſſe, nec poſſe ſenſualiter, niſi in ſolo Sacramento, manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Conſentio autem Sanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedi, & ore, & corde profiteor, de Sacramentis Dominicæ Menſæ eandem fidem me tenere, quam Dominus & Venerabilis Papa Nicolaus, & hæc Sancta Synodus, auctoritate Evangelica & Apoſtolica tenendam tradidit, mihique firmavit: ſcilicet, panem & vinum,*

quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem, non ſolum Sacramentum, ſed etiam verum Corpus & Sanguinem Domini noſtri JEſu Chriſti eſſe, & ſenſualiter, non ſolum Sacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri; jurans per ſanctam, & homouſion Trinitatem, & per hæc ſacroſancta Chriſti Evangelia. Eos vero, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus & ſectatoribus ſuis, æterno anathemate dignos eſſe pronuncio. Quod ſi ego ipſe aliquando contra hæc aliquid ſentire, aut prædicare præſumpſero, ſubiaceam canonum ſeveritati. Lecto, & perlecto, ſponte ſubſcripſi. Additur deinde ibidem: *Hanc confeſſionem fidei, de Corpore & Sanguine Domini noſtri JEſu Chriſti, a Berengario, Romæ coram CXIII. Epiſcopis factam, miſit Papa Nicolaus per Vrbes Italiæ, Germaniæ, Galliæ, &, ad quæcunq; loca fama pravitatis ejus pervenire ante potuit: ut Eccleſiæ, quæ prius doluerant de averſo atque perverſo, poſtea gauderent de reverſo atque converſo.* Non tamen ſtetit promiſſis Berengarius, verum ad ingenium rediit, ac errorem late ſparſit. Sed vero cum Gregorius VII. præeſſet Romanæ Eccleſiæ, denuo culpam, in frequenti *Concilio Romano* deprecatus eſt, quam pœnitentiam veram & aſſiduam fuiſſe, plerique opinantur. Unde fertur *illius morituri vox*, quam, cum in mentem ſibi revocaret, quot homines prava opinione imbuerit, cum gemitu edidiſſe dicitur: *Hodie, in die apparitionis ſuæ, apparebit mihi Dominus noſter JEſus Chriſtus, propter pœnitentiam, ut ſpero ad gloriam, vel, propter alios, ut timeo, ad pœnam.*

SCRI-

SCRIPTORES PROFANI.

Johannes Curopalates.

Johannes Curopalates, a ſacro Palatio, cujus curam gerebat, ita dictus, *Hiſtoriam compoſuit*, quæ in obitu Nicephori, ſive A. C. 311. incipit, ac in rebus Nicephori Botoniatæ, A. 1078. imperium exorſi, deſinit.

Georgius Cedrenus.

Georgius Cedrenus, Græcus Hiſtoricus, *Compendium Hiſtoriarum, ab initio Mundi, ad Iſaacium Comnenum* usque elucubratus eſt. Caſaubonus in Exercitat. adv. Ann. Baron. p. 144. nullius admodum judicii Scriptorem, & veteris hiſtoriæ imperitiſſimum vocat. Interim, in centone hoc, ex Africano ac Euſebio fragmenta haud contemnenda habentur. Non extat niſi mutilum hoc opus, ſed, fortaſſe tamen erit, cum integrius prodeat, ait Voſſius l. 2. de Hiſtor. Græc. c. 26. Idem, cenſet, Cedrenum, quæ ab obitu Nicephori, usque ad finem hiſtoriæ tradit, ex Johanne Curopalate excerpſiſſe.

Michael Psellus.

Michaël Pſellus, ſcriptorum multitudine celebris, *Conſtantino Duca* Conſtantinopoli imperante, floruit, ac hujus filii, *Michaëlis Ducæ*, ſtudiorum fuit moderator. Vitam produxit ad tempora usque Nicephori Botoniatæ,

qui

qui eum omni dignitate exuit. Præter *librum de Septem Synodis*, & alia multa, *condidit quoque Hiſtoriam.* Extant præterea variæ ejus *Orationes*, panegyricæ quidem, ſed pariter Hiſtoricæ. *De Pſellis*, peculiarem librum Leo Allatius compoſuit.

JOHANNES XIPHILINUS.

Johannes Xiphilinus, patria Trapezuntius, & ipſe circa tempora Conſtantini Ducæ claruit, *redegitque Dionis Caſſii hiſtoriam in compendium.* Plerique eum faciunt Patriarcham Conſtantinopolitanum, ſed per errorem; nam ſe tantum Patriarchæ nepotem fuiſſe, ipſe in vita Auguſti teſtatur.

LAMBERTUS SCHAFNABURGENSIS.

Lambertus, Schafnaburgenſis, ſeu potius Aſchafnaburgenſis, Monachus Hirsfeldenſis, vixit temporibus Henrici IV. Imperatoris, & præter *Chronicon cœnobii ſui*, cujus Trithemius meminit, ſcripſit *Hiſtoriam Germanicam*, a mundi exordio, perduxitque ad A. C. 1077. quam, *monachus quidam Erphordienſis*, cujus nomen ignoratur, ad annum usque 1472. continuavit. Cæterum Lambertus, apud eruditos in pretio habetur, ac inter reliquos, ſic de eo Joſephus Scaliger in libris de Emendat, temporum, ſenſiſſe deprehenditur: Equidem, miror, inquit, in ſeculo tam barbaro, tantam hominis, & in loquendo puritatem, & in temporum putatione ſolertiam fuiſſe, ut in Chronologis noſtri temporis

poris pudorem aliquem exprimere poſſit, ſi aliquem ſenſum harum rerum haberent. Clariſſimus quoque Conringius, in Aſſertione Juris Moguntini in coronandis Regibus Romanorum, p. 9. Scriptorem prudentem, peritum, & diſertum, ac præter hoc candidum, merito vocavit. In rebus tamen pertinentibus ad contraverſiam inter Henricum IV. & Gregorium VII. fidem ejus multorum judicio claudicare, autor eſt Voſſius.

Marianus Scotus.

Marianus Scotus, *Chronicon ſuum* a Chriſti nativitate, usque ad annum 1083. pertexuit, quod *Dodechinus*, Abbas S. Dyſibodi ad annum usque 1200. adauxit. Sequitur Marianus in Chronico ſuo Caſſiodorum, uti Caſſiodorus Euſebium. Eam ob rem, ſicubi Euſebius lapſus eſt, etiam iſti errant, etſi hoc interim commodi præſtat Marianus, quod cum ſuo ævo meliores habuerit Codices, quam hodie ſuperſunt, *non pauca ex eo in Euſebio, Caſſiodoro, atque item Beda, & aliis, emendare nobis liceat.* Mariano huic Scoto, *Notitiam Imperii Romani*, opus præclarum, tribuit Cujacius.

Hilpericus.

Hilpericus, monachus S. Galli, Aſtronomus inſignis, ſcripſit *de Muſica, & Computo Ecdeſiaſtico.*

Guido Aretinus.

Guido Aretinus, monachus S. Benedicti in Italia, primus, uti de eo ſcribit Genebrardus ad

A.C.

A. C. 1031. ex Sigeberto, excogitavit novam rationem cantus, quam *Solmiſationem* vocant, &, per ſex ſyllabas, ſive notulas, in digitis lævæ manus, per integrum diapaſon diſtinguendas, *ut, re, mi, fa, ſol, la*, ſcalæ Muſicæ autor: ut planum, *ſive Gregorianum cantum, in artem redigeret*. Unde & Calviſius in Chronologia ad A. C. 1022. annotat: Guido, inquit, Aretinus, Muſicus, inclareſcit, evocatur hac æſtate a Pontifice Benedicto, ut videret ipſius rationem canendi & Antiphonarium. Habuit annos ætatis tum 28. Quando enim edidit ſuam *Muſicam, Micrologum dictam*, erat 34. annorũ, poſt annos ſex. Valde mirum viſum, quod cum antea, vix decennii ſpatio, aliquis rationem (*canendi*) diſceret, hic idem hac ratione pauciſſimis menſibus perficeret. Hactenus Calviſius. Sed vero ſex illas ſyllabas muſicas, Aretino ſuppeditaſſe vulgo ajunt ſtropham hymni Eccleſiaſtici:

UT queant laxis, REſonare fibris,
MIra geſtorum FAmuli tuorum,
SOLve polluti LAbii reatum
O pater alme.

JOHANNES GARLANDUS.

Johannes Garlandus, a puero, jactis in Anglia artium & linguarum fundamentis, propter crebras Danorum incurſiones, relicta patria, ad transmarina ſe contulit gymnaſia. Cujus eruditio & diligentia, cum viris nobilibus probata eſſet, ſibi cum multa benevolentia devinxerunt,

runt, ſuosque liberos ut *Latinæ linguæ elementa ac poëſin doceret*, honeſto ipſū conduxerunt præmio: iis dum gratificatur, magnum brevi juvenum, ſtudia æmulantium cœtum habuit. Varia ediiſſe dicitur opuſcula, uti de *Dictionibus obſcuris*; *de Accentu*; *de Miraculis B. Mariæ*, & alia.

JOHANNES SERAPION.

Johannes, Medicus hac tempeſtate celebris, librum *de arcendis morbis*, & *alios, de ſimplicibus medicinis* conſcripſit: atque, quod e cæterorum medicorum libris velut roſas colligeret, *Serapion* cognominatus eſt: nam, ea vox Plinii l. 12. Hiſt. Nat. c. 13. teſtimonio, *Roſeum* denotat.

CAMPANUS.

Campanus, natione Longobardus, Philoſophus & Aſtronomus celebris, edidit *Opus de Computo Eccleſiaſtico.* Item aliud, de *Compoſitione Quadrantis*; *nec non Calendarium*. Idem, *errorem Ptolemæi*, in ſupputatione motus lunæ, & aliarum ſtellarum, ortum ex ignorantia octavæ ſphæræ, animadvertit.

SIGEBERTUS GEMBLACENSIS.

Sigebertus, natione Gallus, monachus Gemblacenſis cœnobii in Brabantia, vir eruditiſſimus, carmine & ſoluta oratione multa ſcripſit. *Edidit libellos pro Henrico IV. contra Hildebrandum & Paſchalem Pontifices Romanos*, aſſerens, Papam non habere utrumque gladium,

neque

neque juris aliquid contra Imperatorem obtinere, & deteſtabilem eſſe hæreſin, quod Papa Secularium Dominorum ſubditos a juramentis abſolvat. Eam ob cauſam, male audit Sigebertus apud eos, qui Romani Pontificis tuitionem ſuſcipiunt, tanquam qui Henrici IV. Imperatori ſtudioſior, Gregorio VII. vero Pontifici iniquior fuerit. Reliquit quoque nobis *Chronicon*, quod ab anno Chriſti 381. ad annum 1112. hiſtoriam complectitur. Poſtea *Anshelmus*, ejusdem Gemblacenſis cœnobii Abbas, Sigeberti Chronicon perduxit usque ad annum 1135. quemadmodum inde usque ad annum 1149. continuavit alius incerti nominis; hinc, usque ad annum 1225. *Monachus* quidam *Aquitanicus*. Scripſit Sigebertus etiam *duos libros de Viris Illuſtribus*, in quibus & ſua opuſcula, diligenter enumerat: inter quæ duo ſunt libri, *alter, contra Epiſtolam Paſchalis II. alter, contra eos, qui calumniantur Miſſas Conjugatorum Presbyterorum.*

RASIS.

Tulit hæc ætas apud Arabes viros doctiſſimos, inter quos primus nominandus venit Raſis, qui Alexandriæ medicinam docuit, *&, quo Avicenna uſus eſt præceptore.* Scripſit librum *de medicinarum correctione*, item, *de morbis puerorum*, & alia.

AVERROES.

Averröes, & ipſe Arabs, Cordubæ *floruit, & in Ariſtotelem commentatus eſt*, Græcos Interpretos imitatus.

AVI-

AVICENNA.

Avicenna, ſive potius *Ebn Sina*, Philoſophus & Medicus Arabs inſignis, natus eſt in urbe Commagenæ *Edeſſa*, ad Euphratem ſita, & ſubjecta Regi Perſico, ex patre nobili, cui nomen fuit Hali, & matre Cithara, Perſici Satrapæ filia. *Ipſe, Medicinam, eruditiſſima, ac aptiſſima methodo propoſuit*, & quæ apud Galenum diſſipata leguntur, in unum corpus redegit. Qui liber, etſi in ſummo eſt pretio, & Reip. literariæ utiliſſimus, tamen alia quoque, & majora longe commoda, univerſo generi humano præſtitit Avicenna, quæ paucis cognita, Philippi Melanchthonis verbis, ex oratione de vita Avicennæ, quæ tom. 3. orationum p. 378. ſeqq. habetur, referemus. Nemo, inquit, pro dignitate eloqui poterit, quantum beneficium ſit Avicennæ, quod rationem commonſtravit, quomodo *ſucci herbarum cum ſaccharo decocti, in longum tempus conſervari poſſint*. Et, quod ipſe primus, *cocturam ſacchari ex cannis expreſſam*, quale ad nos hodie affertur, tradidit. Nusquam enim apud veteres Græcos talis coctura extat, nec ante Avicennæ tempora in uſu fuit. Primus etiam Avicenna, *caſſiam fiſtularem* in uſum deduxit, quæ eſt vere benedictum medicamentum: quod propter excellentem bonitatem, & pueris, & ſenibus, tuto exhiberi poteſt. Commonſtravit etiam *uſum radicis Rhabarbari*. Quam ſuaviter autem hæc radix bilem educat, & ſimul etiam viſcera, & præſertim epar corroboret, norunt qui ea utuntur. Nihil hic dicam

de *Tamarindis*, de *diverſis Myrabolanorum generibus*. Quam longum eſſet compoſita medicamenta recenſere, *quorum mixturam ipſe primus docuit*, & uſum eorum, ad diverſa morborum genera commonſtravit. Hactenus Philippus.

Mahmud Abulkafem.

Mahmud Abulkafem, prolixe in Alcoranum commentatus eſt, idque opus vulgo *Alceſchaf*, id eſt Revelatio, vocatur, conſtatque 5. tomis, qui Lugduni Batavorum in Cl. Golii Bibliotheca, extabant.

Ben Naphthali, & Ben Ascher.

Sed nec Judæi hoc ſeculo viris eruditis deſtituti fuerunt, atque, inter cæteros, R. Moſche Ben Naphthali, & R. Moſche Ben Aſcher, *Maſorethæ clariſſimi*, floruerunt. Sic quoque exiſtimant, *Poëſin Judæorum* his temporibus primum excultam fuiſſe, atque, tunc, ſcribit Genebrardus anno Chriſti milleſimo & trigeſimo, in *Hiſpania R. Selomo, quem Baal Haſſirim baſſekulim id eſt* magiſtrum canticorum dimenſione certa conſtantium, vocat Abeneſra Gen. 3. floruiſſe videtur. Nam eum ait refutaſſe quaſdam opiniones Raf Schemuel, filii Hophni, qui tunc vivebat in Babylonia. Ita circa iſta tempora poëtica Hebræorum, quæ hodie uſurpatur e Jathed i.e. Jambo, & Tenuoth, i.e. ſpondæis, & ſyllabis cum rhythmis, initium ſumſit. Quicquid vero ſit de principio poëſeos Judæorum, illud cum Cl. Hottingero in Hiſtor. Eccleſiaſt. c. 11. minime dubi-

dubium nobis videtur, ab Arabibus verſus ſuos Judæos condere didiciſſe.

MEMORABILIA.

FErax fuit hoc ſeculum, in gignendis novis Ordinibus Monachorum, quorum præcipuos enumerabimus.

Scilicet JOHANNES GUALBERTUS FLORENTINUS, circa Annum 1040. in ea Apennini parte, quæ *Vallis umbroſa* vulgo dicitur, novam Monachorum familiam inſtituit, eamque, a loco, *Valliſumbrenſem* vocavit. Cum enim die quadam, manu armatorum cinctus, in montibus prope *monaſterium S. Miniati*, in fratris ſui interfectorem incidiſſet, ac ei ſuppliciter deprecanti, veniam dediſſet, mox *imago crucifixi*, quæ in S. Miniati templo erat, Gualberto inibi oranti, viſa eſt capite annuere, & factum pietatis quaſi comprobare. Ideo Gualbertus, eo motus miraculo, in ſolitudinem conceſſit, & *amictum cæruleum induens*, novæ religionis autor fuit.

Haud multo poſt, CARTHUSIANORUM ORDO prodiit, idque hac, uti volunt, occaſione. A.C. 1080. *Lutetiæ, quidam Profeſſorum*, cujus vitæ integritatem, & eruditionem, omnes ſuſpexerant, diem ſupremum obiverat. Dum vero ſolemnes illi exequiæ in templo fiunt, in ſandapila ſeſe erigens, voce lugubri exclamavit: *Juſto Dei judicio accuſatus ſum.* Ad hanc vocem omnes qui aderant conſternati, humationem in

ſequentem diem differendam eſſe cenſuerunt. Altero die, defunctus in ſandapila conſidens, clamare cœpit: *Juſto Dei judicio judicatus ſum*: denique tertio, cum tota fere civitas in templum confluxiſſet, iterum ſe erigens cadaver, horrendum vociferatur: *Juſto Dei judicio condemnatus ſum.* Omnibus tum metu prope exanimatis, BRUNO, *patria Colonienſis*, ejusdemque Pariſienſis Scholæ Profeſſor, rei tam ſtupendæ ſpectator, videtis, inquit ad circumſtantes, quam miſerabilis ſit exitus viri celeberrimi, & omnium noſtrum opinione ſanctiſſimi. Nunquid & nos ſic perire volumus? Certe ſpes nulla ſalutis relinquitur, niſi mundum deſeramus.

Ergo ſecum conſtituit in eremum ſecedere, & conſilium cum 6. ſodalibus, *Ludovico* nimirum, Doctore Pariſienſi, qui poſt eum fuit Cœnobiarcha, duobus Stephanis, qui erant Canonici, *Hugone* Presbytero, & denique *Andrea* & *Guerino* hominibus laicis, communicavit. Hi, admonitionibus Brunonis perſuaſi, cum illo *Gratianopolim*, urbem Delphinatus in Gallia, proficiſcuntur, & *Hugonem*, qui tum illius Vrbis Epiſcopus erat, adeunt, ſolitarium locum ab eo petentes, in quo reliquum vitæ tempus exigerent. Nocte illa antequam Bruno ad eum veniſſet, videt Epiſcopus per quietem, Deum in eum locum deſcendere, qui *Carthuſia* vocabatur, & *VII. Stellas*, aurei coloris, in firmamentum aſcendere. Poſtridie, cum illi VII. Epiſcopum conveniſſent, & ipſe cauſam adventus eorum cognoviſſet, de interpretatione ſui ſomnii non dubi-

dubitavit, ipſisque dono perpetuo locum deſertum, Carthuſiam dictum, donavit, qui 10. paſſuum millibus Gratianopoli diſtat. Hac donatione ab *Hugone Archiepiſcopo Lugdunenſi*, & *Vrbano II. Papa* quoque confirmata, cœperunt caſulas exſtruere, ita invicem ſeparatas, ut unus alterius meditationem non impediret, & templum in vertice montis ædificarunt, vacantes in eo loco pietatis exercitiis, & carnem jejunio macerantes. Bruno, ab Vrbano Papa, diſcipulo quondam ſuo, Romam evocatus, utilem ei operam, ad componendas turbas, quibus tum Eccleſia affligebatur, præſtitit. Romam deſerens, in Calabriæ deſertum, quod *Turris* dicitur, apud Squillacum Vrbem, ſeceſſit, ubi vitam cum morte commutavit.

Utuntur Carthuſiani intima veſte cilicina, pallio nigro, ſubter candida toga, operculoque capitis cucullo. Carnibus nunquam veſcuntur; ſexta Feria pane & aqua jejunium ad edomandam vitioſam corporis naturam, inſtitutum, obſervant; in cubiculis, quæ veluti ſacella habent, ſoli edunt, certis tamen feſtis diebus una prandent. Silentium eis pæne perpetuum; nulli fas eſt cœnobio exire, præter Præfectum & Procuratorem, ad negotia eorum curanda; mulieribus, etiam ad templa eorum aditus interdictus, ut ne quid videant, quo ad libidinem incitentur; qui ſemel ab iſtorum conſortio deſcivit, nunquam iterum in illud recipitur. Sacrum officium, quod peragunt, valde eſt prolixum. Hic Ordo per varias Chriſtiani Orbis

partes diffunditur, & dividitur in XVII. Provincias, ac jampridem 93. Monaſteria numerabat.

A. 1098. CISTERTIENSIUM ORDO in Burgundia excitatus eſt. Siquidem, cum Monachi Benedictini in *Molismenſi* Galliæ cœnobio, ex omnium rerum affluentia, licentius viverent, XXI ex illo conventu fratres, una cum *Roberto Abbate*, cæterorum mores averſati, *Ciſtertium*, locum in Burgundia, Cabilonenſis diœceſeos, vaſtæ ſolitudinis, ac horrendi aſpectus, petunt, ibique ſedes ſuas figunt, & novam, auſteramque diſciplinam condunt.

Eodem hoc Seculo cœpit & FLAGELLANTIUM RITUS, tanto fervore & frequentia, ut Baronio autore, *in uno cœnobio tria millia ſcoparũ flagellando fuerint* abſumta. *In Caſſinenſi Cœnobio* ſtatutum fuerat, ut in capite quadrageſimæ, toto triduo, Monachi tantum verba lectionum & precum loquendo proferrent, nudis pedibus incederent, totum pſalterium cantando percurrerent, nihil niſi modicum panis cum aqua guſtarent, & mutua ſcoparum caſtigatione, ſeſe quotidie purgarent.

ORDO EQUITUM S. JOHANNIS, qui deinde *Rhodii* dicti ſunt, nunc *Melitenſes* audiunt, hac tempeſtate initium accepit. Nimirum, poſtquam A. 1012. Turcæ atque Infideles Palæſtinam occuparunt, templum S. Sepulchri quod Hieroſolymis eſt, intactum reliquere. Juxta illud *Mercatores* quidam *Amalphitani*, conſenſu Caliphæ Ægyptiaci, Monaſterium condiderunt,

dica-

dicatum B. Virgini, quod *S. Maria Latinorum* dictum eſt, cui Abbatem, & Monachos aliquot præfecerunt. Addiderunt deinde *Xenodochium*, ut voti cauſa adventantes, ibidem poſſent commorari, cum *Oratorio, dicato S. Johanni Baptiſtæ*. Inde Monachi, qui Xenodochii curam gerebant, *Johannitæ* dicti. Ii, ab his parvis initiis, inſignes opes, & potentiam conſecuti ſunt. *Gothofredus* enim, & *Balduinus*, recuperata Hieroſolyma, magnis eos ditarunt proventibus, eorumque fidei, Civitates & Caſtella, contra infideles defendenda, comiſerunt: eumque Ordinem poſtea Romanus Pontifex, & Hieroſolymitanus Patriarcha confirmarunt. Dehinc A. 1308. Hieroſolymis pulſi, armata manu Saracenis *Rhodum* eripuerunt, cum 5. aliis Inſulis adjacentibus. Rhodum iis *Solymannus* A. 1523. iterum extorſit, poſt 9. menſium gravem obſidionem. Sic diſperſi Equites, pars Nicæam, pars Syracuſas petierunt; usque dum A. 1529. Carolus V. Imp. *Melitam* Inſulam iis conceſſit, ea lege, ut contra Turcas & piratas ſemper triremes quatuor haberent inſtructas; Regem Hiſpaniæ Protectorem agnoſcerent, illique annuatim mitterent falconem. Geſtant hujus Ordinis Equites, ad latus ſiniſtrum in pectore, *crucem albam octangularem*, & Patronum colunt S. Johannem Baptiſtam. Amplectuntur *Regulam S. Auguſtini*, paupertatem & caſtitatem ſe ſervaturos jurati pollicentur; recitant quotidie 150. vicibus Orationem Dominicam.

Cum SVENO DANORUM REX, profligato Angliæ Rege, totius Angliæ imperio potitus eſſet, Angli, Danorum tyrannidis pertæſi, ejectis trucidatisque Danis, *Eduardum Sanctum*, Angliæ Regem crearunt. Is primus, *ſtrumas* in gutture, ſola ſaliva ſanavit. A. 1066. *Guiljelmus Normanniæ Dux*, ab Eduardo heres inſtitutus, Angliam invadit, & *Haraldum*, qui ſe Regem ferebat, occidit. Ejus filius *Guiljelmus Rufus*, fuit crudelis, & Eccleſiaſtica bona occupavit, inquiens: *Pinguis eſt Chriſti panis, & delicias Regibus præbet.*

Incidit in idem hoc Seculum, memorabilis illa, & omnibus fere hiſtoriis celebrata EXPEDITIO, CIRCA ANNUM SALUTIS 1096. PRO RECUPERANDA TERRA SANCTA SUSCEPTA. Chriſtiani enim Principes, injuriis Turcarum irritati, & *Petri Eremitæ*, Ambienſis, (qui primus *modum orandi per ſphærulas in filo pendentes docuiſſe traditur*) revelationibus, quas jactabat, commoti, *Vrbano Papa* imprimis id agente, ut bellum a ſe procul ſegregaret, conſilium ceperunt, de Palæſtina inimicis Chriſtiani nominis eripienda. Quare, ex Germania, Gallia, Hiſpania, Britannia, Scotia, Normannia, Lotharingia, Longobardia, Burgundia, Apulia, aliisque regnis & provinciis, concurrunt viri fœminæque immenſo numero, & *Crucis ſignum* veſtibus ſuis inſuentes, ad extorquendam ab injuſtis poſſeſſoribus terram ſanctam, mutuo ſeſe hortantur. *Primum impetum Judæi experti ſunt*, qui paſſim ad credendum Chriſto vi compellebantur, aut, ſi ter-

tergiverſarentur, bonorum, patriæ, vitæ deni-que jacturam ferebant. In hac expeditione pri-mas tenuit *Gothofredus Bullioneus*, Lotharingiæ Princeps, qui, paternum Ducatum Leodienſi Epiſcopo poſtquam vendiderat, pecuniam o-mnem in belli apparatum inſumſit, *Balduino*, & *Euſtathio*, fratribus, ſibi adjunctis. Præter hos, eminebant quoque in illo exercitu, *Ste-phanus Bleſenſis*, *Robertus Normanniæ*, & *Rai-mundus S. Ægidii Comites*, item *Hugo, frater Phi-lippi Regis Francorum*, & *Boëmundus Dux Apuliæ*. *Prima pugna* commiſſa eſt, in ipſo aditu Aſiæ, A. 1097. ubi Turcarum Sultanus *Solymannus* vi-ctus, & urbs *Nicæa*, ob Nicænam Synodum cele-bris, a Gothofredo expugnata fuit. Poſtea, *quatuor annorum ſpatio*, *Lycaonia*, *Cilicia*, *Syria*, perdomitæ ſunt, Turcis partim cæſis, partim fugatis: unde tantus terror injectus eſt Sara-cenis, ut *Calipha Ægyptius*, miſſis legatis pacem deprecaretur. Sic *Hieroſolymæ* captæ, & Sara-cenſis ereptæ ſunt, qui eas paulo ante, pulſis Turcis, occupaverant. Eam ob rem, GOTHOFRE-DUS, *Rex Hieroſolymorum creatus eſt*, præ mo-deſtia, haud aliam quam ſpineam coronam ad-mittens. Sed vero, obiit anno ſequente, ei-que in novo hoc regno BALDUINUS frater ſuc-ceſſit: poſt quem, ordine, BALDUINUS II. dehinc FULCO, mox BALDUINUS III. deinde ALMERICUS, poſtea BALDUINUS IV. denique GUIDO LUSIGNA-NUS, ſummas tenuerunt; cumque hoc Hiero-ſolymorum regnum, per annos *88. ab 8.* Regibus ſic gubernatum eſſet, tandem imperante in

Germania Friderico Barbaroſſa, in Saracenorum poteſtatem rediit, atque A. C. 1187. *a Saladino, Ægypti Sultano*, Hieroſolymæ iterum fuerunt ſubjugatæ.

Othiliam, quia cæca nata fuerat, pater *Atticus*, Alſatiæ Dux, perimere juſſit: ſed eam mater clam aluit, cumque ab *Erardo*, Bavariæ Epiſcopo, baptizaretur, oculorum uſum accepit. Monaſterium ingreſſa, pane tantum hordeaceo victitabat, &, pelle urſi pro lecto, lapide, pro pulvinari utebatur. Ejus Nutricis dextra mamma, qua Othiliam lactaverat, octogeſimo ab illius obitu anno, incorrupta reperta eſt.

SECV-

SECVLVM XII.

IMPERATORES ROMANI.

HENRICUS V.

HENRICUS V. exauctorato, & imperialibus inſignibus ſpoliato Henrico IV. patre, mercedis loco a Pontifice, & Proceribus, Imperium obtinuit, quod tamen parum lætum habuit, ab illis ipſis, quibus gratificatus erat, vehementer divexatus. Etenim in Italiam profectus, Lombardia & Thuſcia pacatis, *Romam venit*, ut Imperator renunciaretur, ac jura privilegiaque Imperialia conferendi Epiſcopatus & Prælaturas, vindicaret. Repugnabat *Paſchalis II.* Pontifex, tantasq; movit ſeditiones, ut Imperator de vita periclitaretur. Eo tamen denique res deducta eſt, ut Papa, vi compulſus, Coronam Imperatori impoſuerit, & jura conferendi Epiſcopatus *per baculum & annulum* reſtituerit, ſerio pollicens, nunquam ſe impoſterum Imperatoriæ poteſtati detrimenti quid allaturum. At, vix urbe exceſſerat Henricus, & Papa, *Concilio in Laterano* congregato, quæ cum Imperatore pactus erat, quaſi per vim expreſſa, irrita eſſe declarat, ipſumque *Imperatorem, extra Eccleſiæ communionem ejicit*, ſubditos omnes, ab obedientia ei debita ſolutos pronunciat; eademque in alio Concilio iterat. Interim *Rebelliones in Germania*, concitatoribus & ſtimulatoribus Epiſcopis, oriebantur plurimæ, qui-

bus

bus tamen Cæſar maſcule obviam ivit, *Moguntinum Præſulem*, qui cæteris facem ferrumque præferebat, carceri mancipans, *Saxones vaſtans, & Wurzburgenſem Epiſcopum Franconiæ privans Ducatu.* Sic *denique iterato in Italiam contendit*, injuriam ſibi illatam vindicaturus. Cujus non exſpectato adventu, Papa, ad *Rogerium*, Apuliæ Ducem, confugit, hujusque ope adverſus Cæſarem ſe tuetur. Cum autem paulo poſt e vita deceſſiſſet, *Gelaſius II.* ſurrogatus fuit, qui, cum injuſtis execrationibus Henricum minime abſolveret, ipſe indignatus, *Mauritium* Hiſpanum, *Bracarenſem Epiſcopum*, Pontificem deſignat: unde Gelaſius, quod Romæ ei eſſe non liceret, Cluniacum in Galliam contendit, habita prius Capuæ Synodo, qua Imperatorem cum ſuo Papa condemnavit: non diu autem ſupervixit. Mortuo Gelaſio, ſurrogatus eſt *Calixtus II.* is, *Mauritium Bracarenſem*, qui *Gregorii VIII.* nomen ſumſerat, poſt Imperatoris ex Italia diſceſſum, capit, *& pelle urſi contectum, Camelo averſo* imponit, atque per ludibrium ſic circumductum, in Caſſinenſe cœnobium relegat. *Concilia* etiam celebrata ſunt, *unum Romæ*, quo, Hildebrandi acta denuo confirmabantur; alterum *Remis in Gallia*, ubi Papam a nemine judicari debere Calixtus pronunciavit, miſſoque in Germaniam *Cunone*, Henrici excommunicationem vehementer urſit. Imperator, in anguſtiis conſtitutus, inducias ſibi dari petiit, tandemque A. 1122. in *Conventu Wormatienſi* conventum eſt, ut Epiſcoporum Abbatumque

ele-

electioni, & per baculum annulumque inveſtituræ renunciaret Cæſar, electis vero, per Sceptrum Regalia concederet: hujusque pacti *tabulæ publice in Laterano ſuſpenſæ* ſunt, quæ etiamnum Romæ extare dicuntur. Quarto poſt anno, *Henricus, Trajectum profectus*, in morbum incidit, quo extinctus eſt, cum annis 19. imperaſſet.

Vixit Henricus in conjuglo cum MATHILDE, *Henrici I. Anglorum Regis* filia, ex qua, plerorumque ſententia, nullam ſobolem ſuſcepit. Quidam tamen, *Mathildem* filiam genuiſſe volunt, quæ deinde, cum *Vladislao II.* Poloniæ Rege, connubium contraxerit. Mathildis Imperatrix, vidua, nupſit *Gaufredo*, Comiti Andegavenſi, cui *Henricum Normanniæ Ducem*, & Angliæ Regem, peperit.

LOTHARIVS II.

Henricum V. Imperatorem, Alberto Moguntino id annitente, LOTHARIUS II. excepit, qui patre *Gebbardo, Comite in Supplenburg & Arnsberg*, antiqua ſtirpe comitum Querfordi ad Herœyniam, natus, Henrico contra patrem adhæſerat, ab eoque, navatæ operæ præmium, *Saxoniam univerſam eſt* conſequutus. Sed huic controverſiam moverunt *Conradus Franconiæ*, & *Henricus Sueviæ Duces*, ex *Henrici ſorore prognati*, Imperium quaſi hereditario jure vindicare volentes. Inter quos CONRADUS, a ſua factione Rex creatus, redactis præcipuis imperii urbibus in poteſtatem, ivit in Italiam, & occupata Lom-

barg

bardiæ, Mediolani, ab Epiſcopo coronatus eſt. Verum, ab *Honorio Pontifice*, anathemate repulſus, in Germaniam revertitur, &, abjecta ſpe Imperii, *per S. Bernhardum, Clarevallenſem Abbatem*, ipſe, fraterque, Imperatori fuerunt reconciliati. Cæterum, *Lotharius bis in Italiam profectus* eſt, ſemel, *ad compeſcendos motus*, *quos Anacletus Antipapa*, *Innocentio II.* ejecto, concitarat: *deinde contra Rogerium*, Campaniam & Apuliam injuſte poſſidentem, quem Italia expulit. In hac expeditione, *Melfis*, in Apulia, reperit Imperator *Pandectarum Juris Civilis* Volumen, quod ipſe *Piſanis*, pro præſtita ſibi in hoc bello opera, donavit, illudque, ceu vulgo creditur, *Irnerium*, celebrem ICtum, qui jus civile, quod Conſtantinopoli didicerat, Bononiæ docebat, prælegere juſſit. Hi libri, poſtea Piſis A. 1406. a Florentinis, per Ginum Caponium in poteſtatem redactis, Florentiam, in Bibliothecam Mediceam translati, etiam nunc ibi extant, & nomine *Pandectarum Florentinarum* celebrantur.

Ut vero ſtudiis Jurisprudentiæ honos haberetur, & juventus ad ea capeſſenda excitaretur, gradum ſupremum, quem *Doctoratus* vocant, Lotharius conſtituit, ad benemeritos eodem decorandos. His rebus compoſitis, in Germaniam reverti volens Imperator, *morbo, in Tridentina valle correptus*, anno 13. imperii ſeptuagenario major, animam exhalavit, cujus cadaver in Monaſterium *Keiſersluther*, quod inter Brunſuigam & Helmſtadium eſt, fuit perlatum.

Con-

Conjugem Lotharius habuit RIXAM, filiam *Henrici Pinguis*, Comitis Northemii, ex qua ſuſcepit filium *Lotharium*, qui pubertatis annos non attigit. & duas filias, *Gertrudem*, quæ nupſit *Henrico Superbo Bavaro*, & *Hedwigem*, quæ collocata eſt *Ludovico Barbato*, *Comiti Thuringiæ*. Hunc Ludovicum, Lotharius nova dignitate *Comitis Provincialis*, *ſive Landgrafii*, *ornavit*, & *Haſſiam* inſuper ei tribuit. Ex eo deinde tempore, fuit Haſſiæ & Thuringiæ conjunctio, usque ad *Ludovicum* ultimum; quo, ſine maſcula prole extincto, Thuringiam occupavit *Henricus*, *Misniæ Marchio*; Haſſiam vero, *Henricus Dux Brabantinus*. Rixa, poſt mariti obitum, nupſit *Henrico I.* Duci Auſtriæ.

CONRADVS III.

Defuncto Lothario, certiſſimam imperii potiundi ſpem conceperat Gener, *Henricus Superbus*, Saxoniæ & Bavariæ Dux: ſed *in Comitiis Confluentiæ* Imperator creatur *CONRADUS*, *Filius Friderici Comitis in Hohenſtauffen*, Ducis Sueviæ, *ex Agneta*, *filia Henrici IV. Imperatoris*, unde acerrimum odium inter Conradum, & Henricum Superbum ortum: atque, cum Henricus moleſtus eſſe non deſineret, *Conradus eum proſcribit*, & Saxoniam, *Alberto Vrſo*, Marchioni Brandeburgenſi, Bavariam vero *Leopoldo Auſtriaco*, fratri uterino conceſſit, unde in tantum mœrorem Henricus fuit conjectus, ut inde extingueretur, *Henrico Leone* filio relicto. Cæterum, Leopoldum, *Guelfus*, *Henrici Superbi frater*, Ba-

variæ

variæ Ducatu iterum exuit, unde graviſſimum bellum oriri cœpit, in quo Guelfus victus, & in arce *Weinsberg* obſeſſus, matronarum, viros ſuccollantium, fide, gratiam Cæſaris impetravit. Ajunt vulgo, in hoc bello, *Guelforum & Gibellinorum* orta eſſe cognomina, quod ii qui Guelfo adhærebant, & quorum magna pars auſpiciis Epiſcoporum militabant, inter pugnandum hie Welf clamarint; ingeminantibus contra Cæſareanis, clamore, hie Weiblingen/ nam, in caſtro *Weiblingen*, quod haud procul Stutgardia diſtat, Conradus natus fuerat, educatusque. Hanc vero vocem Weiblingen, conjectura eſt, Italos in *Gibellinorum* nomen mutaſſe, apud quos *Guelforum & Gibellinorum appellationes*, factionibus inditæ ſunt, quorum illa Pontificum, hæc Imperatorum partibus, fuit addicta. Quibus ita geſtis, *S. Bernhardi* ſuaſu, Conradus expeditionem *in Syriam* ſuſcepit, opem laturus Chriſtianis, qui a Turcis & Saracenis miſere premebantur; adjunxeratque ſe Conrado, etiam *Franciæ Rex Ludovicus*. Verum non tantum nihil memorabile geſtum eſt, ſed & univerſus exercitus fuit conſumtus, *Immanuelis Comneni*, Byzantini Imperatoris perfidia, qui, Occidentalibus iniquior, præter cæteros, quibus eos circumveniebat, dolos, etiam gypſum farinæ immiſcuiſſe dicitur. Ergo, re infecta reverti coactus eſt Conradus, ac deinde *Bambergæ* poſtquem 14. annos imperaverat, diem obiit ſupremum. Iſte Conradus, præter *Lubecam, etiam Noribergam* valde exornatam reddidit,

didit, inque hac, *S. Ægidii monaſterium* fundavit.

Ex Vxore GERTRUDE, *filia Comitis Sultzbachii*, ſuſcepit Conradus filios duos, *Henricum & Fridericum*, quorum ille, ante patris e Syria reditum, deceſſit, hic vero, in Italia poſtea militans, peſte extinctus eſt. Dignum notatu, *Beringerum*, Solisbacenſem Comitem, fuiſſe ſocerum Conradi III. Occidentis, & Emanuelis, Orientis, Imperatorum, poſtremo enim, *Bertam* filiam elocavit.

FRIDERICUS BARBAROSSA.

FRIDERICUS, Conradi III. Imperatoris, ex fratre, filius, ab Italis, ob rubrum barbitium, per contumeliam, *Barbaroſſa dictus*, matrem habuit *Juditham*, Henrici Nigri, Bavariæ Ducis, filiam, tantaque ejus fuit autoritas, ut Conradus moriturus, neglecto filio, Imperatorem eum deſtinarit, quod judicium reliqui Principes ſunt ſequuti. Magnum ejus in pacanda Germania fuit ſtudium, unde *Henricum Auſtriacum*, vitricum, & *Henricum Leonem Saxonem*, privignum, de Bavariæ principatu contendentes, mutuo conciliavit. In hac compoſitione, *Auſtriacus*, *Ducis titulo* primum honoratus eſt, nam, qui prius huic regioni præerant, *Marchiones* vocabantur. Germania pacata, in *Italiam Cæſar contendit*, ut & ibidem ortos motus ſedaret, ac a Pontifice, pro more, admitteret coronationem. Cum vero *a Veronenſibus*, quod a Pontifice nondum inauguratus

 eſſet,

eſſet, urbe excluderetur; tale in eos ſtatuit exemplum, ut cæteras Italiæ civitates haberet obſequentiores; atque ſic Romam pergens, cum *Adriano IV.* Pontifici, equum conſcendere volenti, *ſtapedam dextram, pro ſiniſtra, miniſtraſſet*, tam male is error habuit Papam, ut coronationem denegaret, ad quam tamen concedendam, poſtea exorari ſe paſſus eſt. Reverſus in Germaniam Fridericus, in *Comitiis Ratisbonenſibus, Ladislaum Ducem Bohemiæ, Regem creat*, dato ei pro *Inſigni*, leone albo, cum cauda bifurca. Sequuta eſt *Mediolanenſium rebellio*, qui, Pontificum favore nixi, Longobardiæ dominium affectando, *in Papiam, Novariam*, aliaque oppida, multa licentius ſtatuebant. Ergo, *Mediolanum, vi expugnatum*, ſolo æquaturus erat Imperator, niſi cives, in ſignum reatus, ſtrictos gladios de cervicibus ſuſpenſos geſtantes, culpam fuiſſent deprecati. Fertur & hoc hominum rumore, idque Munſterus, Cruſius, aliique in literas retulere, cum prius *Beatrix* Auguſta, videndi Mediolani cupida, urbem ingreſſa eſſet, omnino nihil mali metuens, atque plebs incompoſita, Imperatricem mulæ impoſuiſſet præpoſtere, ita ut illa caudam beſtiæ tenuerit pro fræno, & ſic per urbem ignominioſe circumduxiſſet, Imperatorem, capta urbe, bene multos illius ludibrii & probri autores, ac ſceleris participes, mortis terrore coëgiſſe, ut ore ficum ex ano mulæ eximerent, atque hinc ortum eſſe, ut Itali qem contumelia affecturi, pollice inter duos digitos exerto, ei dicant; *ecco la fico: ecce ficum.*

ſtus. Cæterum, cum diſceſſiſſet Imperator in Burgundiam, *Mediolanenſes novam conſpirationem faciunt*, adſcito in ſocietatem *Wilhelmo Siculo*, & magno numero Cardinalium. Simul inſtigatur *Pontifex Adrianus*, *ut Imperatorem excommunicarèt*, qui, dum anathematis fulmen adverſus Fridericum meditatur, hauſtu aquæ, in qua muſca ſubmerſa fuerat, periit. Enim vero, deſtinatam ab Adriano excommunicationem, *Alexander III.* ſucceſſor exequutus eſt, qui ſimul *Venetos* contra Imperatorem concitavit. Ea re non leviter turbatus Fridericus, bellum omni vi reparat, quo, *Mediolanum vi captum*, *diripit*, *deletque* funditus: mœnia, templa, baſilicæ, domus civium proſtratæ, aratrum per urbis aream decuſſatim tractum, & ſal in ea diſſeminatum; atque omnes illi refractarii & rebelles, patrium ſolum vertere juſſi, & ultra centum ſtadiorum ſpatium relegati fuere. Receperat ſeſe interea temporis *Alexander Papa* in Galliam, inde reverſus, iterum *Venetos* Cæſari infeſtos reddit, ac horum præſidio, Mediolanenſes exules urbem reſtaurant. Ergo repetit Italiam Fridericus, & urbe Roma capta, *Calixtum* creat Pontificem, in quo tumultu, Alexander Papa, cuſtodibus habitu nautico deceptis, Venetias evaſit. Fugientem proſequutus eſt *Otho*, Imperatoris filius, cum 75. longis navibus, cui ad Iſtriæ oram, *Sebaſtianus Zani*, cum Veneta Claſſe poſtquam occurriſſet, Otho infeliciter pugnans, victus, & captivus Venetias perductus fuit. Ajunt Alexandrum Papam, hac victoria

ctoria lætum, *Zanio* urbem ingreſſo, *annulum aureum donaſſe*, ut hoc in mare projecto, illud ſibi deſponderet, juſſiſſeque, ut hanc ceremoniam quotannis Veneti Duces redintegrarent.

Poſt hæc Fridericus, ob filii amorem, pacem facit cum Pontifice, & Venetias profectus, publice *ad pedes Alexandri ſe humiliter proſternens*, abſolutionem ab excommunicatione ſibi concedi precatur. Fama eſt, tum *Alexandrum, pede preſſiſſe collum Imperatoris*, & adjeciſſe illud Pſalmographi: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem:* cumque reſponderet Imperator: *Non tibi, ſed Petro, cujus es ſucceſſor pareo!* regeſſiſſe Pontificem: *Et mihi, & Petro.* Addunt, indignitate rei commotum *Theodoricum*, *Misniæ Marchionem*, truci vultu, & minantibus oculis accurriſſe, ut humi proſtratum Imperatorem tolleret: atque continuo, hujus vim & arma metuentem Alexandrum Papam, in Imperatoris oſcula & amplexus ſe conjeciſſe, neque hunc prius dimiſiſſe, quam ſe extra periculum eſſe animadvertiſſet. Sane, non deſunt, qui illam de Alexandro III. collum Friderici Imperatoris calcantis, narrationem, inter nugamenta & aniles fabulas referant, quod imprimis *Thomas Reineſius*, & *Chriſtophorus Adamus Rupertus* noſter, Viri apprime docti, fecerunt, & aliis, ut idem facerent, perſuadere laborarunt. Sed nos, ejus, quod verum eſt, amore, ingenuitatem hiſtoriæ alibi prolixe aſſeruimus, quæ repetere inſtituti brevitas prohibet. Illud in hac cauſa mihi

mihi multo maximum eſt, quod *Joh. Franciſcus Loredanus*, Vir, Senatoria dignitate apud Venetos, & literarum gloria inter omnes nuper Illuſtris, in libello de vita Alexandri III. factum tuetur, & ſerio aſſeverat, infinitos propemodum extare antiquos Autores, qui hiſtoriam de calcato Friderico in literas retulerint, de aſſertionis vero fide dubitantes, *Bardum*, *Frangipanum*, & *Olmum* inſpicere jubet, qui multorum dicta congeſſerint. Ii Scriptores, etſi a noſtris regionibus, quod ſciam, exulant, apud Italos tamen, quibus Loredanus ſcripſit, ut vulgo habeantur, omnino neceſſe eſt. Et vero, ipſe ego Itali veteris Poëtæ, cui *Brandimarte Franconi* nomen, & R. *Davidis Ganſii*, in Zemach, teſtimonia, quæ aliis nondum innotuerant, obſervavi, & cæteris, non parvo quidem numero a noſtratibus jam allatis, ſuperaddidi, ut credere, plura reperiri, a ratione non ſit alienum.

Certum eſt, ſaltem Venetiis neminem unum reperiri, qui de veritate hujus hiſtoriæ dubitet, atque non tantum in majore aula Ducalis Palatii, ubi Nobilium Conventus habentur, omnis hæc res graphice extat depicta, ſed & in veſtibulo templi D Marci, lapis oſtenditur, coliturque ab incolis promiscue quadam religione, cui Fridericus Cæſar, cum calcaretur, collum impoſuerit; quo Catone, in præſentia, poſſumus eſſe contenti.

De reliquo, dum Venetiis moratur Imperator, cum *Wilhelmo Siculo* tranſegit, ejusque filiam *Conſtantiam*, Henrico filio deſpondit:

quin & *Longobardos*, certis pactionibus ad obſequium reduxit. Pacata Italia, reverſus eſt in Germaniam Fridericus, & hujus quoque motus, quos *Henrici Leonis* proſcriptio concitaverat, componere ſtuduit. Namque *Saxonici* ducatus ditionem, tranſtulerat Imperator in *Bernhardum Anhaltinum*, *Bavarici* vero, in *Ottonem Wittelsbachium*, ut compenſaret utrique navatam in bellis Italicis fidelem operam, Leone, in perfidiæ pœnam, Saxonia Bavariaque excluſo. Ademtus quoque eidem Leoni fuit *Angrivariorum Ducatus* in Weſtphalia, *a Colonienſi Epiſcopo*: ita, ut Cæſari, interceſſione ſoceri ſui, Angliæ Regis, Leo etiam reconciliatus, *Brunſuicenſem & Lunæburgenſem Ducatum* tantum receperit. Atque obiter hic notaſſe operæ pretium eſt, *Bernhardum Anhaltinum*, quem diximus, Alberto Vrſo patre natum, procreaſſe *Albertum*, *& Henricum*, filios; quorum *ille*, *Duces Saxoniæ*, qui eam regionem ante Miſniæ Marchiones tenuerunt, &, de quibus, *Lauenbergenſium Ducum* ſtemma, jam extinctum, nuper ſupereat, progenuit, hic vero, *Principibus Anhaltinis* originem dedit. Porro, ille, cujus mentionem injecimus, *Otto Wittelsbachius*, e veteri Palatinorum Scheirenſium gente orſundus, ſtirpis *Ducum Bavariæ, & Palatinorum ad Rhenum conditor habetur*. Hoc modo, cum Fridericus, Germaniæ & Italiæ rebus ſeſe ſatis conſuluiſſe arbitraretur, in *Aſiam adverſus Saracenos expeditionem* ſuſcepit. Etenim *Saladinus*, Ægypti Sultanus, tanto ſucceſſu bella gerebat in Syria, ut,

capta

capta Hieroſolyma, aliiſque urbibus, jam tota Aſia videretur potiturus. Hunc vero Fridericus feliciter repreſſit, Aſiamque a Saracenis liberavit, adeo, ut ſi diutius ſuperſtes fuiſſet, Saraceni & Turcæ penitus extingui potuiſſent, vel ſaltem ex Syria & Ægypto expelli. Sed fata urgebant Aſiam, & tantum Imperatorem Europæ invidebant. Cum igitur, recuperata Cilicia, *Saladinum ex Armenia ejeciſſet*, forte labore & æſtu defatigatus Fridericus, in flumen *Serram*, lavandi cauſa, ſe abjecit. Ibi, alii ferunt, eum vorticibus abreptum periiſſe; alii ex frigore in hepatis morbum incidiſſe, atque iſta ægritudine, intra paucos dies extinctum eſſe perhibent. Cadaver, filius, honorifice in *Tyro*, quæ, poſt amiſſas Hieroſolymas, munimentum fuit Chriſtianorum condidit in ſepulcro.

Imperavit Fridericus años *38*. Ejus habitudinem corporis, ingenium, mores, Æneas Sylvius, in Hiſtoria Friderici III. Imperatoris, ſatis verboſe perſequitur, cujus aliqua, &, quæ recenſione potiſſimum digna ſunt, hinc inde excerpta, huc in medium afferemus. Fuit, inquit, Fridericus Barbaroſſa, forma corporis decenti, ſtatura inter longiorem & mediocrem procera; flava cæſarie, a vertice frontis paululum criſpa; auribus, ſuperjactis crinibus, plerumque opertis; venuſto naſo, illuſtrib⁹ oculis; barba, quæ cognomini conveniret, ſubruffa: labiis ſubtilibus corallo ſimilibus; dentibus albis & æqualibus; malis ad gratiam rubeſcentibus; facie læta & hilari; gutture colloque non obeſo, neque macro; humeris

ris paululum prominentibus ; lato pectore, ventre parvo, cruribus ſuriſque maſculis ; voce clara, inceſſu gravi & conſtanti, geſtuque omni modeſto, valetudine proſpera ; denique ea morum Friderici formæque majeſtas extitit, ut ab ignotis vel ſolus inter venandum repertus, Imperator, ſæpe judicatus appellatusque ſit. Fuit in conſilio perſpicax, in bello fortis, manuque promtus, & ad cavendas inſidias idoneus ; vini, cibique, ac ſomni temperans : equorum domitor & amator : currere, ſaltare, jaculari, ſagittare, egregie callens. Pecuniarum ſuarum decimas, Eccleſiis, Monaſteriisque quotannis diſtribuit. Veterum geſta Regum cupide lectitavit. Auctoritate tanta uſus eſt, ut Reges Hiſpaniæ, Franciæ, Angliæ, Ungariæ, Bohemiæ, Datiæ, Scotiæ, quotiens Friderico ſcripſere, *penes eum imperandi poteſtatem, ſe penes obſequendi voluntatem eſſe*, profeſſi ſint. *Manuel* vero, qui ſe prius Romanorum Imperatorem appellabat, eo deflexus eſt Friderici monitis, ut deinceps novæ Romæ contentus titulo, Romanorum & Regnum, & Imperium, Germanico & ſanguini & genti reliquerit.

Habuit Fridericus primo conjugem Adilam, *Marchionis de Wogburg*, in Bavaria, filiam, cum qua, judicio Conſtantienſis Eccleſiæ, ob ſanguinis propinquitatem, divortium facere coactus eſt. Duxit deinde Beatricem, filiam *Reginaldi*, Comitis Veſontionis in Burgundia. Ex hac nati ſunt ei filii quinque, *Henricus* ſucceſſor in Imperio; *Fridericus* Dux Sueviæ; *Otho*, Comes Burgun-

gundiæ, maternæ dotis heres; *Conradus*, Sueviæ Dux; & *Philippus*, qui poſt fratrem Henricum imperavit. Filias præterea duas procreavit, *Sophiam*, Vxorem Marchionis Montisferrati; & *Beatricem*, in Quedlinburg Abbatiſſam.

HENRICVS VI.

HENRICUS VI. Friderici Barbaroſſæ filius, a Patre, ante ſuum ex Europa diſceſſum, imperio præfectus, uxorem habuit, *Cœleſtini III. Pontificis* venia, CONSTANTIAM, *Rogerii Siculi filiam*, monialem, e monaſterio S. Claræ Panormi eductam, *quæ, ad eum Siciliæ Regnum attulit, &, jam quinquagenaria filium enixa eſt Fridericum*, Panormi, in publico theatro, ne ſuppoſititius eſſe cenſeretur. Adverſarios habuit, *Colonienſem, & Leodienſem Epiſcopos*, quos tamen facile repreſſit, Leodienſi etiam interfecto. Italiam ingreſſus, atque a *Cœleſtino* Papa coronatus, *Apulos, & Campanos, rebelles*, graviter mulctavit, Hetruriæ vero, *Philippum* fratrem, præfectum dedit. Cumque Siculi, *Tancredum*, Wilhelmi filium nothum, pro Rege habere cœpiſſent, eum victum Henricus oculis privavit, & in complices quoque multa crudeliter ſtatuit. Nam, horum pars, in mare præcipitati pars igne toſti, pars aliis diris ſuppliciis interemti fuerunt. Ex eo tempore, Siciliæ Regnum penes Normannos eſſe deſiit, & ad Suevos tranſiit. Poſtea, Pontificis hortatu, patriſque exemplo, *expeditionem in Aſiam*, contra Saracenos, Henricus inſtituit, bellumque per Legatos geſſit ſatis feliciter.

Sed, hunc felicem rerum curſum, mors illius ſufflaminavit. Dum enim in Sicilia, claſſi inſtruendæ operam dat, *Meſſanæ, in febrem ardentem*, ex potu venenato incidit, quem ei *Vxor*, quam adulteriis, & ſævitia quoque in Normannos exacerbaverat, propinavit. Sepultus eſt Panormi, & 7. annis Imperium adminiſtravit. Reliquit filium quinquennem *Fridericum*, & *Mariam* filiam.

PHILIPPVS.

Henricus VI. moriturus, Fridericum filium, admodum puerum, conſenſu Ordinum, Regem Romanorum declaraverat; *Philippum* fratrem ſuum, quoad adoleviſſet infans, ei tutorem adminiſtratoremque adjungens. Poſt ejus igitur obitum, PHILIPPUS, fratris mandata exequi, & curam Reipub. ſuſcipere volens, *Innocentium III.* Papam, quem, Hetruriæ præfecturam hactenus gerendo, offenderat, habuit infeſtum, isque omni contentione id unum egit, ne Philippo rerum ſumma committeretur. Eam ob rem illum falſis criminationibus apud Ordines infamatum, *excommunicationis fulmine ferit*, &, ſe potius univerſam Italiam extremo diſcrimini expoſiturum, quam permiſſurum, ut Philippus regnaret, palam profitetur. Hinc inter Principes diſſenſio. Quidam enim territi, deſerto Philippo, BERTHOLDO, *Zaringiæ Duci*, homini ſordide avaro, adhærebant, alii, nihil a Philippo ſe dimoveri paſſi ſunt. At Bertholdus, quia periculum metuens, imperium repudiabat, ideo

ideo Pontifex, *Palatinum* & *Colonienſem* impulit, ut OTHONEM, *Henrici Leonis* filium, Imperatorem crearent. Inde nova motuum ſeges, bellumque atrox, in quo, commiſſo ad Moſellam prælio, Otho victus, Colonienſis vero Epiſcopus coactus fuit Philippum imperiali ornare diademate. Ob id factum, Colonienſis a Pontifice loco motus eſt, *Brunone* eidem ſurrogato, ſed quem *Philippus*, captum, carceri incluſit. Tandem controverſia omnis diremta eſt inter Pontificem & utrumque Imperatorem. Ac inter Philippum quidem & Papam ſic convenit, ut Philippus, Pontificis ex fratre filio, filiam ſuam nuptum daret, pro dote, *Tuſciam*, *Ducatum Spoletanum*, & *Anconæ Marchionatum concedens.* Cum *Ottone* vero pactum, ut ei Philippus alteram filiam ſuam *Beatricem* deſponderet, ſibi retineret Imperium, ſed, poſt obitum, Othonem haberet ſucceſſorem. Pace conſtituta, *Bambergam*, *curandi corporis cauſa. Philippus conceſſit*; ibi cum die quadam *phlebotomia* uſus eſſet, ſemotisque reliquis, in cubiculo quietem captaret, ab *Othone*, *Palatino de Wittelsbach*, illius, qui a Friderico Bavariam obtinuerat, fratre, pugione per jugulum adacto, interfectus fuit. Cauſa cædis, quod Imperator, huic interfectori ſpem fecerat, de nuptiis filiæ *Kunegundæ*, ſed quam, mutato poſtea conſilio, *Wenceslao*, *Ottocari*, *Bohemiæ Regis filio*, dare maluit, quia Otho Wittelsbachius, ob injuſtam cædem patratam, publicæ infamiæ notam contraxerat. Hic vero Sicarius, deinde *Henrico Palatino*, Philippi Mareſchal-

relenado, pœnam facinoris dedit, atque ab eodem ſimiliter vita eſt dejectus.

Imperavit Philippus annos 10. habuitque in conjugo IRENEM, Alexii Conſtantinopolitani Imp. ſororem, Iſaaci filiam, quæ, dolore ex obitu conjugis contracto, contabuit. Ea filias tantum peperit, nimirum *Kunegundam*, uxorem filii Regis Bohemiæ; *Ethiſam*, uxorem Ducis Brabantiæ; *Beatricem*, uxorem Othonis IV. Imp, itemque *aliam*, de cujus nomine non conſtat, quam, Innocentii III. Pontificis e fratre nepoti elocavit.

IMPERATORES ORIENTIS.

JOHANNES COMNENUS.

JOhannes Comnenus, qui & *Calojohannes* dicitur, &, *a quo Nicetas Choniates hiſtoriam ſuam incipit*, Alexii Comneni filius fuit. Is, Turcas, Hunnos, & Tartaros feliciter profligavit, atque *Antiochiam*, a *Raymundo* Principe Antiocheno, pecunia perſoluta redemit. Ad extremum, *venatum egreſſus*, cum manum ſagitta venenata, quam in aprum direxerat, paululum læſiſſet, celeriter veneno ad cor graſſante, moritur, cum annos 24. tenuiſſet Imperium.

MANUEL COMNENUS.

Manuel Comnenus, Johannis filius, qua perfidia erga *Conradum* Imperatorem, cujus Conjugis ſororem *Bertam*, Comitis de Sulzbach filiam, uxorem duxerat, uſus fuerit, *dum gypſo farinæ*

farinæ mixto, magnum militum numerum in Pa-
læſtinam contendentium perdidit, ſupra nota-
tum eſt. Cæterum, hujus ſceleris pœnas de-
dit *Rogerio* Siciliæ Regi, qui, bello illum perſe-
cutus, *Corcyra*, *Ætolia*, *Acarnania*, *Corintho*,
captis atque direptis, claſſem ipſi Byzantio ad-
movit, & ſuburbia flammis injectis exuſſit, ipſo
Manuele interim ægre ſeſe, cum Imperii titulo,
intra mœnia continente. Pace tandem facta,
cum Principibus Occidentis vires conjunxit,
& difficillimis bellis, cum Turcis, & imprimis cum
Sultano Iconii geſtis, quæ Nicetas Choniates ſe-
ptem libris deſcripſit, poſt 38. imperii annum,
vitam cum morte commutavit.

ALEXIUS COMNENUS.

Alexius Comnenus, impubes, patri Ma-
nueli ſucceſſit, *Andronici Comneni*, Iſaaci filii,
tutelæ ac curæ a patre commiſſus. Verum An-
dronicus, amore imperandi captus, pupillum
15. annos natum, ſtrangulavit, capiteque ab-
ſciſſo, reliquum cadaver in mare abjecit.

ANDRONICUS COMNENUS.

Andronicus Comnenus, Alexio agnato, eo,
quo dictum eſt, modo, trucidato, imperium
invaſit. Ante hoc ſcelus, *omnes Francos & La-*
tinos, Conſtantinopoli e medio tolli juſſerat, quod in-
ſidias, quas Alexio ſtruebat, impedituri vide-
bantur. Hanc cladem ulturi populares, Thra-
ciæ, Græciæque maritimam oram, ferro &
igne populantur. Mox, dum *Iſaacium Angelum*
peri-

perimere conatur, comprehenſus Andronicus, ac *abſciſſa manu*, *effoſſo oculo*, & caput reſte, diadematis loco, præcinctus, per urbem, camelo ſedens circumvectus, a furente plebe in partes diſcerptus eſt, cum imperaſſet triennio.

ISAACUS ANGELUS COMNENUS.

Iſaacus Angelus Comnenus, Andronici occiſor, primis imperii annis videbatur res fractas afflictasque Byzantinorum paululum reparare. Nimirum, exules reſtituit, Vrbem refecit, claſſem Siculam, ad Theſſalonicam, quæ Vrbi imminebat, diſſipavit, captis *Richardo & Balduino* Ducibus. Atenim, adverſus *Walachos* in Mœſia, parum proſpere res geſſit, qui ab Imperio deficientes, variis cladibus Græcorum exercitus afflixerunt. Prohibiturus etiam *Fridericum Barbaroſſam*, Imperatorem Occidentis, ad Helleſpontum, aditu & trajectu Aſiæ, aliquot præliis devictus, ad amicitiam cum illo ineundam compulſus eſt. Domi tandem, occultis quorundam ſuorum inſidiis impetitus, a variis etiam Tyrannis, imperium paſſim lacerantibus, vexatus, crudelius agere cœpit. Hinc odia ſuorum incurrit, &, a fratre *Alexio*, quem a Turcis magno lytro ſoluto redemerat, imperio & oculis poſt 10. adminiſtratæ poteſtatis annum, fuit ſpoliatus.

ALEXIUS ANGELUS.

Alexius Angelus, per fratris parricidium Imperium adeptus, cum ingenti ſuorum calamita-

mitate illud adminiſtravit. Quippe, *hinc*, *a Walachis*, *Mœſis*, *& Scythis*, *inde*, *a Perſis & Iconienſi Sultano*, multæ acceptæ clades ſunt. Denique, cum *Alexius*, Iſaaci Angeli excæcati filius, ad Germanos profugeret, multi principes, cum *Balduino Flandriæ Comite*, *& Venetis*, *adverſus Alexium Angelum incitati*, Conſtantinopolin petierunt, obſederunt, & expugnarunt: rapinis, ferro, & incendiis omnia fuerunt vaſtata: ipſe vero Alexius, fuga ſibi conſuluit.

ALEXIUS JUNIOR.

Alexius, Iſaacii filius 12. annorum puer, Venetorum, Gallorumque ope, pulſo Alexio Angelo, ſceptra capeſſivit. Sed, adverſus hunc, *Alexius Murzuflus* inſurrexit, & Alexium laqueo ſuſtulit. Idem, mox *Balduinum*, Flandriæ Comitem, qui, cum *Bonifacio*, Marchione Montisferrati, *& Henrico S. Pauli Comite*, *in Aſiam* contra Turcas & Saracenos moverat, bello adortus eſt, verum repulſus, Conſtantinopolin ſe recepit, quem, dum perſequuntur hoſtes, eam Vrbem iterum expugnant, diripiunt, & incendio deformant. *Murzuflus captus*, poſt exſcuptos oculos, de turri præcipitatus, a promiſcua plebe fruſtillatim eſt conciſus.

PONTIFICES ROMANI.

PASCHALIS II.

PAſchalis II. prius *Reginerus* dictus, in Cluniaco, monaſticam vitam profeſſus fuerat.

Cum

Cum autem Gregorii VII. amicitia uſus eſſet, ab eo Cardinalis creatur, atque Vrbanus II. rebus humanis valedicturus, hunc ſibi ſucceſſorem poſtulavit. Negotium Paſchali faceſſiverunt æmuli tres, *Albertus Atellanus*, *Theodoricus Romanus*, & *Maginulphus*, quos ipſe armis compeſcuit. De ejus cum Henrico V. Imperatore contentionibus, ſupra dictum eſt; non igitur iis repetendis actum agere volumus. Illud non prætereundum, Paſchalem primum fuiſſe, qui in Reſcriptis, & Epiſtolis, *Cæſarum annis prætermiſſis, ſui Pontificatus annos ſubſcriberet*. Extat ejus ad Abbatem Cluniacenſem Epiſtola, qua, in morem eorum invehitur, qui in Synaxi *ſacram hoſtiam calici intinctam diſtribuebant*, cum, ut inquit, ſub duabus ſpeciebus diſpenſari debeat. Et vero, fatetur hæc referens Spondanus, iſtam intingendi malam conſuetudinem, anſam præbuiſſe decreto, quo, ſequenti deinde tempore, Euchariſtiam ſub una tantum ſpecie celebrandam eſſe, fuit præceptum. Tribuunt hujus Pontificatui annos 18.

GELASIVS II.

Gelaſius, ante Pontificatum adeptum *Johannes* dictus eſt, &, *Cajetam* urbem patriam habuit. Hunc, factio *Cincii Frangipanii*, Patritii Romani, quod citra Imperatoris conſenſum electus fuiſſet, comprehenſum, &, humi proſtratum, calcibus contrivit. Sed Gelaſius, Romanorum accurrentium ope liberatus, &

& equo albo impoſitus, a clero & populo conſecratur. Cæterum, Henricum V. Imperatorem, adverſus iſtum, *Mauritium Burdinum*, Bracarenſem Epiſcopum, Pontificem deſignaſſe, & cum hoc, a Gelaſio, Cluniacum in Galliam profugo, excommunicatum fuiſſe, ex ſupra dictis repetendum eſt. Obiit Gelaſius, cum vix per unum annum Pontificis nomen tenuiſſet.

CALIXTUS II.

Qui cum Gelaſio Cluniacum fugerant Cardinales, eo mortuo, ſtatim *Guidonem*, *Viennenſem Epiſcopum*, Ludovici Francorum Regis inſtinctu, cujus propinquus erat, ſubſtituunt, eumque Calixtum II. appellant. Iſte, quomodo, *Mauritium Burdinum*, Bracarenſem Epiſcopũ, qui *Gregorius VIII.* ab aſſeclis vocabatur, in Caſſinenſe cœnobium relegaverit, quaque ratione, poſt diuturnum ſchisma, cum Henrico V. Imperatore, poſtquam is Epiſcoporum Abbatumque per Germaniam electioni renunciaverat, pacem fecerit, pridem diximus. Sedit Calixtus annos 6.

HONORIUS II.

Poſt Calixti obitum, inter Cardinales de ſucceſſore conſtituendo non convenit. Quidam enim *Theobaldum*, *Ravennatenſem Epiſcopum*, ſub Cœleſtini nomine ſurrogant. Alii, & quidem potior pars, *Lambertum*, *Epiſcopum Oſtienſem*, obſcuro loco in Imolenſi agro natum, depoſcunt, quod is Romanæ Eccleſiæ fidem ſuam,

in premendis Germanis Imperatoribus, per multos jam annos probaſſet. Et vero, cum iſte, præcipuorum in Curia Romana judicio, tanto honore dignus cenſeretur, *Honorii II.* nomen aſſumſit, cathedramque, competitore, (cujus tamen ut Onuphrius ait, magis legitima fuerat electio,) repulſo, ſolus obtinuit. Tranquilla fuit hujus Pontificis gubernatio, quam ipſe per quinquennium obtinuit. Hac tempeſtate *Arnulphus*, Chriſtianæ religionis prædicator eximius, &, quem multi ex nobilitate Romana, tanquam verum Chriſti diſcipulum & Prophetam ſuſpiciebant, inſidiis Cleri Romani fuit necatus: nam, dicente his verbis cauſam Platina, acerbe nimium in eorum laſciviam & libidinem invehebatur, eorumque pompam, &, in comparandis divitiis nimium ſtudium, improbabat, paupertatem Chriſti, & integerrimam vitam, ad imitationem omnibus proponens.

INNOCENTIUS II.

Innocentius II. patria Romanus, Pontifex creatus, contra *Rogerium* Siciliæ Ducem, qui in Italia regium uſurpabat nomen, expeditionem ſuſcepit, ſed, quæ minus ex voto ceſſit, nam in ea captus eſt. Interea temporis quidam *Petrus*, Romanus civis, Papa creatur, ANACLETI nomine ei indito. Is, omnes Eccleſiarum theſauros ſpolians, magnam pecuniæ vim conflavit, largitionibus homines, ut ſuis ſtuderent partibus, corrupturus. Et ſane tantum hæc liberalitas ei pro-

profuit, ut Innocentius e captivitate liberatus, Romæ non toleraretur. Eum tamen deinde, *Lotharius Saxo*, in ſedem reſtituit, atque ſic ab Innocentio viciſſim fuit coronatus. Hujus inaugurationis memoriam conſecraturus Pontifex, in Lateranenſi palatio, Lotharium ſuis genibus advolutum, manibusque complicatis Imperii Coronum expetentem, pingi curavit, adſcriptis verſiculis:

Rex venit ante fores, jurans prius Vrbis honores,
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

Præfuit Innocentius Eccleſiæ Romanæ annos 14. poſt cujus reſtitutionem, *Anacletus* adverſarius, nuſpiam amplius comparuit, illumque a Deo percuſſum eſſe, teſtatur Sigeberti Continuator.

COELESTINUS II.

Poſt Innocentii obitum, *Guido Caſtellanus*, Romana ſede potitus, Cœleſtinus II. vocari voluit. Nihil de illo dignum memoria extat, brevis enim ejus fuit poteſtas, cui, vitæque pariter, peſtilens morbus, quinto ſtatim menſe finem impoſuit.

LUCIVS II.

Cœleſtino, *Gerardus*, patria Bononienſis, Lucius II. deinde dictus, ſucceſſit, eumque Friſingenſis, ob religionis ſtudium, & literarum ſcientiam, illuſtrem fuiſſe ſcribit. Florebat tum *Arnoldus de Brixia*, cujus dogma erat, Pontifici & Prælatis nullam politici regiminis compe-

tere poteſtatem, ſed ſacrorum tantum curam; neque ex tributis, alio quovis nomine pendi ſolitis, ſed ſolis oblationibus, illis victitandum. Hujus ſectatores, *Arnoldiſtæ* vocati ſunt, multosque in ſuam opinionem pertraxerunt. Inde accidit, ut Romani, Lucio Pontifici rebelles facti, jura Reip. ab illo repeterent, *Senatum novum*, & *Patritium* crearent, qui ſolus in commune conſuleret. At Pontifex, collecto milite, die quadam Senatum Romanum, in Capitolio congregatum, oppimere inſidiis molitur. Id plebs perſentiens, ad arma concurrit, Pontificemque, Capitolium oppugnantem, lapidibus ita contundit, ut paulo poſt ex doloribus mortem obierit, undecimo Pontificatus ſui menſe.

EUGENIUS III.

Lucio e vivis exemto, *Bernhardus Piſanus*, S. Anaſtaſii Abbas, &, S. Bernhardi, Claravallenſis Abbatis quondam diſcipulus, ſurrogatur, Eugenii III. nomine ei indito. Is, excommunicationis fulmine, &, Tiburtino milite territos Romanos, pacem petere coëgit, illamque hac conditione ipſis conceſſit, ut, *abrogata Patritiatus dignitate*, Senatores deinceps ex Pontificũ arbitrio acciperent. Juratus Saracenorum hoſtiscũ eſſet, *Conradum* Imperatorem, & *Ludovicum Galliæ Regem*, exſtimulat ad bellum ſacrum. *Genuenſes* imprimis concitavit, qui aliquot victorias retulerunt, exitu tandem infelici. *Decretorum Volumen*, a Gratiano compilatum, approbavit, & in Academiis prælegere juſſit.

juſſit; denique, octavo Pontificatus ſui anno, diem obiit ſupremum.

ANASTASIUS IV.

De Anaſtaſio IV. ante adeptum Pontificatum, *Conradus* dicto, nihil memorabile proditum eſt, niſi quod famis tempore, qua cum tota tum Europa conflictabatur, egenis, etiam extra Romanæ urbis pomœria degentibus, largiſſime ſuppetias tulerit, quodque Lateranenſi Baſilicæ, *Calicem* pulcherrimi operis, magnæque æſtimationis donaverit, condideritque egregias ædes juxta Pantheon, ſive D. Mariæ Rotundæ templum. Non ſedit totum biennium.

HADRIANVS IV.

Hadrianus IV. Anglus gente, & olim *Nicolaus* dictus, *Roberti* cujusdam, Monachi, & Sacerdotis, ex ſcorto domeſtico filius fuit. Cum adoleviſſet, Lutetiam ſtudiorum gratia profectus, haud ſegniter literis operam navavit, & poſtea, in Cœnobio S. Rufi, prope Valentiam Galliæ, monachum induit. Cæterum, cum propter cœnobii ſui negotia Romam veniſſet, ejus prudentiam, eruditionem, & facundiam miratus Eugenius Pontifex, ultro in Cardinalium numerum ipſum adſcivit; a quo etiam ad *Norwegos* ire juſſus eſt, ut Chriſtiana illos religione imbueret. Hoc munere laudabiliter peracto, Romam reverſus, poſt Anaſtaſii obitum, concordibus ſuffragiis Papa fuit electus. Hujus faſtum & impotentiam, qua *Friderico* Impera-

peratori; ob male miniſtratam ſtapedam ſuccenſere auſus eſt, jam ſupera notavimus. Idem, hoc quoque ægerrime tulit, quod Imperator, ſuum nomen, Pontificio in literis præpoſuerat. Ei tamen fortiter reſtitit Imperator, ac picturam Lotharii in Laterano deletam volebat. Hinc gravis ſimultas inter utrumque exorta, quam, Pontificis inſtinctu, Mediolanenſium rebellio conſequuta eſt. Sed Hadriano, anno quinto Pontificatus, muſca, ceu ſupra narravimus, exitium attulit.

ALEXANDER III.

Extincto Hadriano, duo eodem die electi ſunt Pontifices, unus *Rolandus*, patria Senenſis, *qui Alexander III. & Octavianus; qui* VICTOR *IV. dicti* fuerunt. Cum igitur neuter alteri cedere vellet, requiſita eſt Imperatoris Friderici Barbaroſſæ autoritas, qui, Alexandrum repudians, ſuo judicio Victorem confirmavit. Hinc Alexander in Galliam fugiens, *in Concilio Claromontano*, Cæſari & Victori anathema dixit, ac deinde, prout ſupra retulimus, ignominioſe Fridericum Venetiis tractavit. Idem Papa Alexander, *Hericum Angliæ Regem* duriſſime quoque habuit. Turbaverat tum Angliam, *Thomas, Cantuarienſis* Archiepiſcopus, jura Regni in Epiſcopatibus enervando. Qui, ad tempus exul, cum ope Pontificis recepiſſet Sedem, nec adverſarios anathemate ſolvere vellet, a regiis eſt interfectus. Hujus cædis etſi inſcium ſe prorſus eſſe Rex jurabat, tamen rigidam pœnitentiam,

tiam, interdicto & excommunicatione illum terrente Pontifice, ſubire coactus fuit: nam, non jejuniis tantum & eleemoſynis, ſed & conceſſione totius regni, in feudum ab Apoſtolica Sede recipiendum, abſolutionem redimere cogebatur. Memorant Wilhelmus Neubrigienſis, & Matthæus Pariſienſis, Regem, cum nudis pedibus peregrinatus eſſet, mox deinde in ſacrario, tanquam in ſchola puerum, virgis pœnam dediſſe, a ſingulis religioſis, quorum multitudo magna convenerat, ictus ternos aut quinos excipientem. Thomam, triennio poſt, ut martyrem coli Alexander præcepit, eumque in Divorum numerum retulit. Cæterum, iſte Alexander, univerſos 22. annos Eccleſiæ Romanæ præfuit, cum quo, poſt Victorem, qui 4. annis pro Pontifice ſe geſſit, etiam *Paschalis III.* Cremonenſis Epiſcopus per quinquennium, &, hoc mortuo, *Calixtus III.* ex Pannonia inferiori oriundus, de dignitate contenderunt. Horum poſtremus, compoſita Venetiis inter Imperatorem & Alexandrum pace, ſua ſponte Pontificatu ſe abdicavit.

LUCIUS III.

Alexandro ſucceſſit Lucius, prius Vbaldus dictus, individuus anteceſſoris comes, omniumque laborum & periculorum particeps: extantque hujus Papæ, in Decretalibus, multa *Epiſtolarum fragmenta*. Enimvero, cum is Romæ, *Conſulum* nomen & poteſtatem abolere conaretur, urbe ejectus eſt; ſocii ejus, pars adverſis

vultibus aſinis impoſiti, pars luminibus orbati atque occiſi fuerunt. Ob hanc injuriam, Veronæ, ubi profugus ad vitæ finem usque latitabat Papa, coacto Concilio, anathemata in Romanos jaculatus eſt. Sedit annos 4.

VRBANVS III.

Vrbanus III. patria Mediolanenſis, e gente *Cribella*, Sedem Romanam conſcendit. Is, Regnum Hiberniæ, Henrico II. Anglorum Regi confirmavit, coronam, de pennis pavonis textam, transmittens, & Octavianum Cardinalem ablegans, ut coronet Johannem, Moretonii Comitem, Henrici filium, in Hiberniæ Regem. Chriſtianos terræ ſanctæ Principes, quibus diſſidentibus miſere a barbaris loca illa vaſtabantur, ad concordiam revocare annixus eſt. Sed, cum ſurdis fabulam ſe narrare animadverteret, atque de capta iterum *Hieroſolyma, & ſancta cruce amiſſa* nuntius afferretur, mœrore animi, anno Pontificatus 2. periit.

GREGORIVS VIII.

Gregorius VIII. cui Beneventum patria fuit, tam ob ſcientiam literarum facundiamque, quam ob vitæ integritatem celebratur, atque ad cleri vulgique vitioſos mores corrigendos, animum appuliſſe dicitur. Idem, Chriſtianos Principes ſedulo hortatus eſt, ut conjunctis viribus, infidelium manibus Hieroſolymam rurſus extorquerent. Eandem ob cauſam *Genuenſes*, & *Piſanos*, qui odiis diſſidebant, componere ſtuduit,

duit, quo ſacræ expeditioni ſe mancipare poſſent. Sed, dum Piſis hæc agitat Gregorius, venenata potio, ejus vitæ finem attulit, cum Sedem tenuiſſet diebus 57.

CLEMENS III.

Clemens III. Romæ primum lucem aſpexit. Pontifex creatus, nihil prius habuit aut antiquius, quam ut afflictæ Terræ Sanctæ ſuccurreret. Ad hujus igitur exhortationem, *Fridericus Imp. cum Philippo Galliæ Rege, & Richardo Anglo* expeditionem in Palæſtinam ſuſcepit. Præterea, Clericorum cœlibatum in Poloniam invexit Clemens, in Danos vero, eundem admittere nolentes, excommunicatione animadvertit. Diſcordias ab Innocentio II. huc usque cum Senatu Populoque Romano, per annos 50. circiter protractas, compoſuit, Senatorum liberam creationem concedens. Tum, in locum Patritii, Præfectus, ſeu Gubernator Pontificius, ſubſtitutus eſt. Amplius Clemens, poſt *Wilhelmi Siciliæ* Regis obitum, id regnum ad Eccleſiæ jus pertrahere conatus eſt, cui tamen *Tancredus, Rogerii*, ex pellice, filius, reſtitit, & ſuperior evaſit. Tribuunt Clementis Pontificatui annos tres, & menſes inſuper quinque.

COELESTINUS III.

Cœleſtinus, ante Pontificatum Hyacinthus dictus, *Tancredum* Romanæ Sedi Siciliæ Regnum præripuiſſe indigniſſime ferens, *Conſtantiam*, Rogerii filiam, Sanctimonialem licet,

Apoſtolica diſpenſatione, e Panormitano eductam cœnobio, *Henrico IV.* Imperatori matrimonio junxit, eique dotis nomine utriusque Siciliæ Regnum, Tancredo auferendum, tribuit, reſervato cenſu, quotannis, Romanæ Eccleſiæ fiſco, feudatario jure ſolvendo. Inficiantur nonnulli ex Pontificiis Scriptoribus, Conſtantiam Monialem fuiſſe, negantque Papam votum caſtitatis ſolemniter præſtitum, irritum reddere poſſe. Sed his cum Platina tranſigendum, qui aperte ſcribit: *Cœleſtinus, Conſtantiam Rege Rogerio natam, occulte e Monaſterio Panormitano eduxit, eamque licet Deo dicatam, Henrico VI. Friderici Barbaroſſæ filio, diſpenſatione Apoſtolica, in matrimonium collocavit*: tranſigendum item cum Jacobo Philippo Bergomenſe, qui idem hoc confirmat. Sex annis Pontificatui Cœleſtinus præfuiſſe dicitur.

INNOCENTIVS III.

Innocentius III. antea Lotharius dictus, natione Campanus, ab ineunte ætate, Lutetiæ literis operam dedit, in quibus addiſcendis non mediocres profectus fecit; extantque quædam ejus ſcripta, ſub nomine *Lotharii Levitæ*, uti, *de miſeria humanæ conditionis libri duo*, *in ſeptem pſalmos pœnitentiales liber unus*, & alia. Pontifex deinde creatus, condidit *capitulum Venerabilem* quod lib. 1. Decretal. tit. 6. habetur. In eo, jus ſibi vendicat, electum Cæſarem examinandi, approbandique ſi ſit idoneus, rejiciendi vero ſi ſit indignus; tum eligendi etiam, ſi eligere

noiint

nolint Principes, ac, ſi Principum ſuffragia dividantur, gratificandi utri parti velit. Et vero, non intra ſola verba continuit ſe iſte faſtus, ſed *Philippo*, & *Othoni*, graviſſimum negotium faceſſivit, & utroſque diris devovit, qua de re ſupra nonnulla dicta ſunt, quædam etiam dicentur impoſterum. Idem Innocentius Papa, in *Concilio Lateranenſi*, cui interfuerunt 1300. Prælati, primus *auricularem confeſſionem* fidelibus injunxit, *Tranſſubſtantiationem* confirmavit, *Laicis communicantibus uſum ſacri calicis ademit*; *circumgeſtationem hoſtiæ* cum tintinnabulo & facibus, probavit, denique, in *conjugia Clericorum* graviter animadvertit, & *canonizationes Sanctorum* ſoli Pontifici competere ſancivit. Exegit in Pontificatu annos 18. atque de eo id notari poteſt, *quod tres Imperatores*, *Philippum*, *Othonem*, *& Fridericum*, durante Pontificatu ſuo, coævos habuerit, qua felicitate, pauci alii Pontifices fuere gaviſi. In hoc Papa, *terminat duodecimum, & ultimum*, *Annalium Eccleſiaſticorum Tomum Baronius*, quos Bzovius continuavit.

SCRIPTORES SACRI.

ZACHARIAS CHRYSOPOLITANUS.

Zacharias, Chryſopolitanus, circa tempora Paſchalis II. Pontificis vixit, & *IV. libros Commentariorum in Evangelicam concordiam* reliquit.

EVTHY-

EVTHYMIVS ZIGABENVS.

Euthymius Zigabenus, Monachus, ætate Alexii Comneni Imperatoris floruit. Scripſit *Commentarios ſuccinctos in Sacram Scripturam.* Eidem *Panoplia* adverſus omnes hæreſes, tribuitur.

RUPERTUS TUICIENSIS.

Rupertus, temporibus Henrici V. præfuit Tuicienſi Cœnobio, quod a Colonia haud procul diſtat. De eo narrat Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, quod munere B. Mariæ Virginis, quam lacrymis ſuis & precibus aſſidue fatigaverat, *pro inepto, ſtupidoque ingenio, docile & ſagax*, variarumque rerum ſcientiâ ſit conſecutus. Scripſit multa, e quibus, præter *Comentarios in pleroſque utriusque fœderis Sacræ Scripturæ libros*, *Libri XII. de Divinis Officiis*, & *Libri XIII. de Victoria Verbi Dei* eminent. In his operibus, publice pæne tunc receptum dogma Transſubſtantiationis, ut vocant, ſæpe impugnat, panem & vinum manere aſſerens, & aſſumi a Chriſto, non deſtruendo; ſicut nec carnem ſuam ita aſſumſit, ut illam transmutaret in ſubſtantiam Verbi.

ALGERUS SCHOLASTICUS.

Algerus, Scholaſticus Leodienſis, & poſtea Cluniacenſis Monachus, *varia conſcripſit Opuſcula, de Gratia, Libero Arbitrio*, & *de Miſericordia ac Juſtitia*: ſed, præcipuum opus eſt *de Corpore & Sanguine Domini contra Berengarium*, quod

quod tomo 6. Biblioth. SS. Patrum edit. ſecundæ habetur inſertum.

HILDEBERTUS TURONENSIS.

Hildebertus, Turonenſis Archiepiſcopus, Berengarii, (cujus errores tamen non approbavit) diſcipulus, multa tam verſibus, quam ſoluta oratione conſcripta, ad poſteros transmiſit, e quibus *Epiſtolas*, *Sermones*, & *Hymnos*, qui in tomo 3. Biblioth. SS. Patrum reperiuntur, nominaſſe ſufficiat.

S. BERNHARDUS.

S. Bernhardus, natione Burgundus, in loco *Fontaines*, prope Diviònem, patre *Tecelino*, viro militari, & matre *Alethe* genitus, vir non minus pietate, ſapientia, & melliflua ſermonis dulcedine, quam miraculorum gloria celebratiſſimus fuit. Inde magna ejus apud omnes veneratio: atque, in vita illius legimus, *Mediolanenſes, omnia quæ tetigiſſet, ſancta reputaſſe*, vellicaſſe pilos, quos poterant, de veſtimentis ipſius, hisque ad curandos morbos fuiſſe uſos. Vitam ejus, illo adhuc ſuperſtite, deſcripſit *Guiljelmus, Abbas S. Theodorici*, unico libro comprehenſam, cui ſecundum librum *Arnoldus Abbas Bonæ Vallis* adjecit, tres vero ultimi, *Gofridum, Monachum Claravallenſem*, habent autorem. Circa ætatis annum 22. in Cœnobio Ciſtertienſi, paulo ante inſtituto, monaſticam vitam profeſſus eſt; deinde *Claravallenſi* Cœnobio, tunc primum *Roberti*, Illuſtris Viri, impenſis conſtructo, per annos 36. præfuit. Scripta Bern-

Bernhardi multa extant & varia, quæ alii ordine recenſent, ſunt tamen quædam dubiæ fidei. Ex veris, *Homilias LXXXVI. in Canticum Canticorum*; *librum Epiſtolarum ad diverſos*; *libroſque de gradibus humilitatis*, *de diligendo Deo*, *de gratia & libero arbitrio*, *de vita S. Malachiæ Epiſcopi Hiberniæ*, item *librum de anima*, qui alias *Meditationes* inſcribitur; nobis nominaſſe ſatis ſit. Vocant vulgo Bernhardum, *Sigillum Patrum*, eumque Patrum ultimum conſtituunt. Mortuus eſt A. C. 1153. Malachiæ veſte indutus: eumque paulo poſt *Alexander III.* Pontifex, Catalogo Sanctorum inſeruit. Ab illo, *Bernhardini* dicti ſunt, ipſeque Bernhardus adhuc vivus 186. Monaſteria inſtituiſſe fertur, valles præcipue ſeligens: unde illud tritum natum eſt:

Bernhardus valles, montes Benedictus amabat.

Bernhardi lectione, teſte Thuano, *Carolus V. Imp.* in ſeceſſu ſuo præcipue ſe oblectabat, ejusque *Diſcurſu de duplici hereditate Chriſti*, in agone mortis ſe ſolatus eſt. Verbis Sacræ Scripturæ ita ab infantia ſe addixit Bernhardus, ut quoties aliquid loqui aut ſcribere tentaret, toties in verba & ſententias S. Scripturæ prorumperet. Vniverſa ejus ſcripta, inquit Sixtus Senenſis, nihil aliud ſunt, quam centones divinorum voluminum, quibus Veteris & Novi Teſtamenti dicta, adeo commode & apte inſerta ſunt, ut ibi nata credantur.

PETRUS

PETRUS CLUNIACENSIS.

Petrus, Cluniacenſis Abbas, nobilis Aquitanus, ac primo miles, deinde Monachus, reliquit nobis *Libros duos de miraculis ſui temporis*; *librum de autoritate Veteris Teſtamenti*; *librum de laudibus Dei in canticis & Muſicis Inſtrumentis*, & quædam alia.

HUGO DE S. VICTORE.

Hugonis de S. Victore, Monachi Anglo-Saxonis opera, Pariſiis, & Venetiis *tribus Tomis* excuſa habentur: potiora, primo inſerta ſunt. Eminent ex his, *Anotationes in Pentateuchum, libros Judicum, Regum, & aliquot Pſalmos. Annotationes in Threnos, Joëlem, Abdiam. Annotationes Allegoriarum in totum Vetus Teſtamentum, exceptis Prophetis. Annotationes Allegoriarum in quatuor Evangeliſtas*: item *Annotationes ac quæſtiones literales in Epiſtolas Paulinas*.

RICHARDUS de S. VICTORE.

Hugonis æqualis fuit Richardus, & ejuſdem Cœnobii S. Victoris incola, Scotus natione, qui, non pauciora Hugone elucubravit, *in duos tomos digeſta*, quibus tum varii tractatus alii, tum *multæ in Scripturam S. Explanationes*, continentur.

GRATIANUS.

Gratianus, Monachus ordinis S. Benedicti, Bononiæ, poſt *Ivonem Carnotenſem*, Decretorum opus, ex Conciliorum Canonibus, Pontificum Epiſtolis Decretalibus, Antiquorum Patrum ſcriptis, ipſis denique Romanorum Imperatorum

torum Civilibus legibus, compilavit, inſcripſitque *Concordiam Diſcordantium Canonum*, quod nunc Corpori Canonici Juris inſertum habetur, idque *Eugenius III.* Pontifex approbavit, & in Academiis prælegere juſſit. Magna proinde hujus libri apud Pontificios autoritas: non tamen diſſimulant cordatiores, multis refertú eſſe erroribus, dignaque imprimis ſunt verba Antonii Auguſtini in Dialogo de emendatione Gratiani p. 5. quæ annotentur. *Sæpe*, inquit, *erratum eſſe video in nominibus hominum, urbium, provinciarum, Conciliorum, & aliarum rerum. Sæpe falſæ ſunt inſcriptiones, &, quæ ſunt Conciliorum, Pontificum Maximorum eſſe dicuntur, aut, quæ ſunt unius Epiſcopi inferioris, Romano Pontifici, aut Concilio Generali, vel Provinciali tribuuntur. Ex hoc genere ſunt illa, quæ ex Concilio Martini Papæ, aut Hadriani Papæ ſumta eſſe feruntur, quæ, vel Martino Braccarenſi, & Græcis Conciliis, vel Engelramo Epiſcopo, vel Hadriano ad Engelramum inſcribi debuerunt. Multa Gregorii, Ambroſii, Auguſtini, vel Hieronymi verba eſſe dicuntur, quæ aut nusquam extant, aut aliena ſunt. Illa quoque ipſa, quæ inſcriptiones habent veras, non recte referuntur. Sæpe enim contrarias ſententias referri ſcimus, ſæpe valde præciſas. Jam vero quæ ex Græcis fontibus manant, ex variis interpretationibus afferuntur, quaſi ſint aliorum ſcriptorum, ac ſæpe aliud Græce, aliud Latine ſonant.* Hactenus ille. Cum quibus conferri poſſunt, quæ Bellarminus in lib. de Scriptor. Eccleſ. perſtringit. Obiter addimus, Bellarminum, & pleroſque aſſerere, Gratianum

Cluſii

Cluſii, quod Tuſciæ oppidum eſt, natum eſſe. Quod ſi vero Angelo Rocchæ in Commentatione de Bibliotheca Apoſtolica Vaticana fides, extat in ea Bibliotheca antiquiſſimus Codex, *qui Bononienſem fuiſſe* teſtimonium perhibet.

PETRUS LOMBARDUS.

Petrus Lombardus, Novarienſis patria, & Pariſinus Epiſcopus, eodem tempore, quo, Gratianus Canones, ipſe *Theologorum ſententias collegit libris quatuor.* Horum *primus*, continet ſententias Patrum de Trinitate & Unitate Dei. *Secundus*, de Creatione mundi, & præcipue Angelorum, & hominum, item de gratia Dei. *Tertius*, de Incarnatione Verbi, deque Virtutibus & Vitiis. *Quartus*, de Sacramentis, & Noviſſimis. *Damaſcenum* ſecutus eſt; qui, eodem ordine, quatuor libros de fide orthodoxa adornaverat. Cæterum, a Lombardo confecti libri, *fundamentum velut ſunt totius Scholaſticæ Theologiæ*, eosque varii Commentariis illuſtrarunt: unde & *Lombardus, Sholaſticæ Theologiæ Pater*, &, *Magiſter Sententiarum* audire ſolet. Notantur nihilo minus *XXVI. Articuli*, in quibus Magiſter, a Scholaſticis Doctoribus rejici ſolet. Quin imo, hæreſeos eum accuſatum, ejusque ſententiam, qua docuerat, *Chriſtum ut hominem non eſſe aliquid*, in Concilio aliquo Pariſienſi, Alexandri III. autoritate, palam damnatam fuiſſe, Matthæus Pariſienſis teſtatur.

WILHELMUS MALMESBURIENSIS.

Wilhelmus Malmesburienſis, Monachus

Anglus, nobis reliquit *libros V. de rebus geſtis Regum Anglorum, usque ad Henricum I.* item, *Hiſtoriæ Novellæ libros duos.* Denique, *de rebus geſtis Pontificum Anglorum libros IV.*

OTHO FRISINGENSIS.

Otho, primum monachus Ciſtercienſis, poſtea Epiſcopus Friſingenſis, *Leopoldi Ducis Auſtriæ*, ex *Agnete* filia Henrici IV. Imp. filius, frater uterinus Conradi III. & Friderici Barbaroſſæ patruus fuit. *Libris ſeptem Chronicorum*, complexus eſt hiſtoriam rerum ab initio mundi geſtarum, ad ſua usque tempora; quibus addidit *librum octavum de fine mundi, Antichriſti perſecutione, Reſurrectione mortuorum, judicio finali, & gloria beatorum, damnatorumque ſuppliciis.* Porro, ſcripſit *de rebus geſtis Friderici I. Imp. libros duos*, in quibus, judicio Æneæ Sylvii, usque adeo legem veritatis ſervavit, ut, quamvis Friderici patruus eſſet, non tamen cognatio obſtiterit veritati. Iſtis duobus Othonis libris, *totidem alios adjecit Radevicus, Friſingenſis Canonicus*, Othonis Epiſcopi ſacellanus, ac familiaris. Sed, quia & hic ante Fridericum Imperatorem vita exceſſit, *alius inſuper, XI. annorum Hiſtoriam ſupplevit.*

PETRUS COMESTOR.

Petrus, quem Trithemius *Comeſtoris* nomen tuliſſe refert, *quod Biblica dicta ita memoriter proferret*, quaſi ea in ventrem comeſtione condidiſſet, Trecenſis Presbyter, autor eſt *Hiſtoriæ Scholaſticæ*, e Pentateucho, cæterisque hiſto-

hiſtoricis S. Scripturæ V. & N. Teſtamenti, tam Apocryphis, quam Canonicis libris, conſarcinatæ. Cæterum, ipſis ſacris verbis, *multa partim ex gloſſis, partim Scriptoribus profanis inſeruit*, quæ ſæpe incerta, frequentius falſa deprehenduntur. Pervulgata fabula eſt, *Petrum* hunc, & *Lombardum*, *Gratianumq;*, fratres uterinos fuiſſe: cujus falſitas inde liquet, quia conſtat, Comeſtorem, Trecis in Campania Gallicana; Lombardum, Novariæ, Inſubriæ urbe; Gratianum vero in Hetruria natum eſſe.

HUGO ETHERIANUS.

Hugo Etherianus, natione Tuſcus, vir Græce & Latine doctus, ſcripſit elegantem *librum*, *de proceſſione Spiritus S. adverſus errores Græcorum*, quem Alexandro III. miſit Pontifici, cujus Papæ Epiſtola, qua gratias Hugoni agit, à Baronio Tom. XII. Annalium inſerta deprehenditur. Idem Hugo, ſcripſit *de Regreſſu animarum ab inferis*, extatque uterque libellus in tom. 9. Biblioth. SS. Patrum edit. 2.

ARNOLDUS CARNOTENSIS.

Arnoldus Carnotenſis, Abbas Bonæ vallis, S. Bernardi diſcipulus, inſigne *Opuſculum* edidit *de ſeptem verbis noviſſimis a Chriſto in cruce prolatis*, itemque aliud, *de laudibus Beatæ Virginis Deiparæ*, quæ reperiuntur in Tom. 1. Bibl. SS. Patrum edit. 2. Eundem, *ſecundi libri de vita S. Bernhardi* autorem eſſe, ſupra indicavimus.

JOHANNES SARESBERIENSIS.

Johannes Sareſberienſis, Carnotenſis Epiſcopus, fuit vir Græce Latineque doctiſſimus, &

multa elucubratus eſt: in his, *Policratici libros VIII. Opus pœnitentiale. Objurgationem Cleri. Vitam S. Thomæ Cantuarienſis. De nugis Curialium*, &, *Epiſtolas ad diverſos.*

Petrus Blesensis.

Petrus Bleſenſis, Archidiaconus Bathonienſis, plurima edidit. Ex iis ſufficiat notaſſe, *Tractatum de transfiguratione Domini*; alium, *de Converſione Pauli*; *Compendium in Jobum*; *Inſtructionem fidei ad Soldanum Iconii*, quam ſcripſit nomine Alexandri III. Pontificis, a quo Soldanus ille, ſuaſu matris, fœminæ Chriſtianæ, religionem Chriſtianam edoceri petierat.

Guilielmus Tyrius.

Guilielmus, Archiepiſcopus Tyri, *condidit hiſtoriam belli, per Occidentis Principes Chriſtianos, in terra Sancta, totaque Syria geſti, usque ad imperium Balduini IV. per annos 84. eamque XXIII. libris complexus eſt.* Sed, poſtremum, quem tantum inchoavit, *Johannes Heroldus* perfecit, qui *Tyrio VI. libros addidit.* Eſt Tyrius, Scriptor modeſtus, prudens, acris judicii, veri amantiſſimus, & pro ætate, qua vixit, literatus.

Theodorus Balsamon.

Theodorus Balſamon, Patriarcha Antiochenus, *tum in Nomocanonem Photii, tum in Canones variorum Conciliorum & SS. Patrum commentatus eſt.* Non laudant eum Pontificii, quia non

non minus ac Photius, Romanæ Eccleſiæ fuit infeſtus.

Joachimus Abbas.

Joachimus, Abbas Florenſis Monaſterii, natione Calaber, *in Eſaiam, Jeremiam, & Apocalypſin Commentarios*, nec non *Concordiam Teſtamenti Veteris & Novi* reliquit. De ejus *Prædictionibus*, ad futuros Pontifices attinentibus, quæ vulgo jactantur, operæ pretium eſt, Bellarmini, ex libro de Scriptoribus Eccleſ. verba adducere: *Circumferuntur*, inquit, *quædam vaticinia, ſub Joachimi Abbatis nomine, de futuris Pontificibus Romanis, quæ, quam fidem mereantur, aliorum ſit judicium. Illud mirum eſt, quod cum ea vaticinia ad ſolos XV. Pontifices pertineant, tamen curioſitas hominum, ad noſtra usque tempora extendere illa conatur.* De Joachimo, Chalcondylas l. 6. ſequentia memorat: Cum eſſet idiota, nec vel modicum eruditionis haberet, janitor in quodam Monaſterio Italiæ fuit, & quondam in hortum egreſſo, apparuit vir forma pulcherrimus, qui aſſiſtens ad Joachim, manuque amphoram tenens, inquit; Joachim cape, bibe vinum hoc, eſt enim optimum. Qui, dicto audiens, bibit ad ſatietatem usque, amphoramque reddidit, inquiens, ſe ſatis bibiſſe. Cui vir reſpondit: o Joachim, ſi totum exhauſiſſes vinum, nulla te ſcientia fugiſſet. Deinde, in colloquium & diſputationem veniens cum viris ea tempeſtate doctiſſimis, plane divinus, quantum ad ſcientiam attinet, apparuit.

HÆRETICI.

Gilbertus Porretanus.

Gilbertus Porretanus, Pictavorum Epiſcopus, cum Theologica dogmata, ſubtiliter ad Philoſophiæ Ariſtotelicæ præcepta exigeret, dubitare cœpit; utrum recte dicatur, *Divinam eſſentiam eſſe Deum. Proprietates Perſonarum eſſe ipſas Perſonas; Divinam naturam eſſe factam carnem; non ſalvandos vere baptizari.* Huic ab *Eugenio Papa*, & *Bernhardo* obviam itum eſt, habitæque ſunt ejus rei cauſa, *Synodi Antiſiodori*, *Pariſiis*, & *Remis*: in qua poſtrema, contra Gilbertum, Symbolum edidit Bernhardus, conquerentibus apud Eugenium Cardinalibus, quod is tale quid inconſulto Pontifice auſus eſſet.

Petrus Abelardus.

Petrus Abelardus, Anglus natione, & ipſe Philoſophia, ad corrumpendam Theologiam peſſime abuſus eſt, docens, *Deum humana ratione comprehendi poſſe. Eandem eſſentiam eſſe Patrem & Filium, & Spiritum S. ſicut una enunciatio, in ſe contineat majorem, minorem, & concluſionem: Patrem eſſe plenam potentiam; Filium quandam potentiam, Spiritum Sanctum nullam potentiam. Chriſtum non aſſumſiſſe carnem, ut nos a jugo Diaboli liberaret. Paſſionem ejus ad nihil aliud prodeſſe, quam ad exemplum virtutum.* Hinc de illo S. Bernhardus in Epiſtola ad Epiſcopos & Cardinales Curiæ: Legite, ſi placet, librum Petri Abelardi, quem dicit

dicit Theologiæ, ad manum eſt enim: cum, ſicut gloriatur, a pluribus lectitetur in Curia, & videte, qualia ibi de Sancta Trinitate dicantur, de genitura Filii, de proceſſione Spiritus Sancti, & alia innumera, catholicis auribus & mentibus diſſueta.

TANDEMUS.

Tandemus, laicus homo, ſed ingenii vaferrimi, *Antverpianam* Eccleſiam turbavit, *docens, Sacros ordines nullius momenti eſſe; Eucharistiæ uſum ad ſalutem nihil conferre.* De cætero amabat conviviorum apparatus, & *turpitudinem cynicam exercebat*, filias, in matrum, & ſponſas, in maritorum conſpectu violans. Habebat, in ſui defenſionem, tria millia armatorum ſectatorum, & aliquando in navi cum clerico quodam diſputans, ab eo ita fuit ſauciatus, ut ex vulneribus diem ſupremum obiverit.

WALDENSES.

Inter Hæreticos hujus ævi referuntur a Pontificiis Waldenſes, qui *a Petro* quodam *Waldo*, cui *Waldis*, in Marchia Galliæ oppidum, patria erat, ſic dicti fuerunt, non quod is Sectæ autor eſſet, ſed quoniam nemine uno autore exiſtente, inter reliquos eximius, vulgi ſermonibus deſignabatur. Ipſe quoque, quod eſt apud Thuanum, *Biblia in vernaculum ſermonem convertit*, antiquorum Patrum aliquot teſtimoniis adjunctis; nec minus per plateas & vicos Evangelium plebi interpretabatur. Vocantur Waldenſes aliis nominibus, *Pauperes Lugdunenſes, Albingenſes* item *Picardi*, quia Lugduni, atque in Albiorum

civitate, nec non in Picardia, magno erant numero. In Hiſpania peculiare nomen *Inſabbatatorum*, a *zabbata*, quod eſt pedis indumentum, naſti ſunt. Nam, ut eſt apud Nicol. Eymericum 2. parte Directoris Inquiſitorum: Inſabbatati dicuntur, quod in ſotulari, quod zabbato Hiſpanis dicitur, ſignum ſingulare deferebant, unde a complicibus ſuis noſcerentur. Non enim aperte profitebantur ſectam ſuam, nec niſi ubi confeſſio requirebatur, propalabant qui eſſent, metu perſecutionis, quæ graviſſima illis incumbebat; ipſi vero inter ſe ſibi invicem noſcebantur, pauperes plerumque, & patria extorres, *bonosque homines* ſeipſos vocabant. Cæterum, produnt ſeipſas de iis calumniæ inimicorum, multum inter ſe pugnantes, quibus Manichæorum, Catharorum, & Arianorum errores, vitæ vero illam turpitudinem ipſis affingunt, quam in Minutii Felicis Octavio, Cæcilius, homo gentilis, Chriſtianorum cœtibus affingit. At, notabile eſt *Raineri Sachoni*, qui circa A. C. 1250. quatuor libros adverſus Waldenſes ſcripſit, de iis teſtimonium, dum fatetur: Quod omnia bene de DEO credant, & omnes articulos, qui in Eccleſia continentur, recipiant; ſolam autem Romanam Eccleſiam blasphement & oderint. Atque idem autor eſt, quosdam hujus ſectæ, originem a temporibus *Sylveſtri*, alios, jam inde a temporibus Apoſtolorum repetere, eamque tam generalem eſſe, ut fere nulla terra ea expers ſit. Amplius teſtatur, ipſos habere ſpeciem pietatis, coram hominibus juſte vivere, eſſe

eſſe in moribus compoſitos & modeſtos, ſuperbiam non habere, caſtos eſſe ac temperatos in cibo & potu, ad tabernas non ire, nec ad choreas; ab ira ſe cohibere, ſemper operari, & vel diſcere, vel docere. Sed, juvat, ſummatim domagata illorum, prout ea, ex Æneæ Sylvii Hiſtoria Bohemica, Chronico Hirsaugienſi, & Nauclero excerpta, Cl. Kromayerus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſuæ p. 482. inſeruit, repetere, quæ iſta ſunt: S. Scripturam ſolam eſſe normam fidei, Concilia vero, Patrumque Scripta, eatenus eſſe probanda, quatenus congruant verbo Dei. Sacramenta duo eſſe, Baptismum & Cœnam. Euchariſtiam ſub utraque ſpecie dandam eſſe Sacerdotibus & Laicis. Miſſas eſſe impias, præſertim pro mortuis. Animas e corporibus diſcedentes, aut in æternas e veſtigio pœnas mergi, aut gaudia perpetua conſequi. Purgatorium nullum eſſe. Sanctorum mortuorum invocationem eſſe cultum idololatricum. Romanam Eccleſiam factam eſſe meretricem magnam. Papam non habere primatum, ſed eſſe lupum Eccleſiæ. Eccleſiam Chriſti puram eſſe, quæ verbum Chriſti habeat, & Sacramentis utatur, ubicunque illa ſit. Mendicantium religiones malos dæmones inveniſſe. Tot Ordines eſſe characteres beſtiæ. Vota Monaſtica figmentum eſſe hominum. Templorum ſuperſtitioſas dedicationes, benedictiones aquarum, coacta jejunia, & tot feſta Sanctorum, peregrinationes votivas, aliasque iſtiusmodi ceremonias, veram Religionem impedientes, eſſe

figmentum Diaboli. Denique, Conjugium Sacerdotibus eſſe licitum. Impulit *Waldum*, ut fidei & vitæ puriorem eligeret rationem, inopinatus caſus, quo, vir quidam eximius, in conſortio cum aliis, ſubito mortuus corruit. Ipſe, cum aſſeclis, Lugduno pulſus, in *Toloſanam* & *Narbonenſem provinciam* ſe contulit, ibi *Petrum*, *Regem Aragoniæ*, aliosque patronos nactus eſt. Ob excommunicationes & perſecutiones, cœtus per omnes regiones diſperſus fuit. *Alexander III.* in Concilio Lateranenſi I. quod Occidentalium generale primum vocatur, Waldenſes ut hæreticos damnavit. *Lucius III.* Alexandri III. ſucceſſor, iis *Franciſcum Aſſiſium*, &, *Dominicum Hiſpanum* oppoſuit, cui poſteriori, ejusque monachis, cum jus Inquiſitionis conceſſiſſet, primum vanis miraculis & concionibus, dein variis tormentorum generibus is ſe Waldenſibus oppoſuit; quin & *Simonem Comitem Montisfortenſem* ad arma hortatus eſt. *Innocentius III.* Reges, Principes, ad religioſam militiam contra Waldenſes, crucis ſigno erecto, concitabat, & pecuniam, ſacro bello dicatam, in hos uſus convertebat. Multa millia crucigerorum Toloſatum ditionem petierunt Duce Montfortio, igitur perculſus *Raimundus Comes*, Waldenſium patronus, Legato Papæ ſubmittere ſe coactus eſt, qui, ſtola collo injecta, eum in templum traxit, & virgis cæcidit. Captis urbibus oppidisque, nullum crudelitatis genus omiſſum, Bliteræ (*Beziers*) 50000. hominum occiſa. Diſſidiis inter Burgundiæ Ducem, & Nivernenſem Comitem exortis, uterque co-

pias

pias ſuas abduxit, poſt quorum diſceſſum, Montis fortenſis bellum adminiſtravit languide, & in oppugnatione Toloſæ A. 1218. lapide ictus occubuit. *Ludovicus VIII.* deinde Rex Galliæ A. 1226. *Avenionem*, Waldenſium partes ſequentem, expugnavit, & funditus delevit. Sequentibus temporibus, *Picardia*, ubi conſederant, pulſi, pars in Angliam transfretavit, a quibus *Joh. Wiclefus* ſua hauſit, pars, per Flandriam & Germaniam, in Bohemiam penetravit, ubi facem prætulerunt *Joh. Huſſo*, & *Hieron. Pragenſi.* Seculo XV. jam adulto, *Innocentius VIII.* cum magna manu adverſus Waldenſes miſit *Albertum de Capitaneis*, Archidiaconum Cremonenſem, is, in Delphinatu omnia ferro & flamma vaſtabat. At, favere illis cœpit *Philibertus Dux Sabaudiæ*, poſtquam Monachorum calumnias falſas deprehendit, quibus mentiebantur, Waldenſium liberos eſſe monſtroſa forma, uno in fronte oculo, duplici palato, & quaterna nigrorum ac piloſorum dentium ſerie. *Lutherus* primo ſiniſtre ſenſit de Waldenſibus, ſed, cum ex ſcriptis illorum pervidiſſet, eis injuriam fieri, mutavit animum. Videnda illius Præfatio, quam Confeſſioni Picardorum præmiſit. Waldenſium Eccleſiæ in Bohemia & Moravia, *librum, varias Cantiones Eccleſiaſticas*, easque idiomate Germanico conſcriptas, & rhythmicas quidem, notisque Muſicis illuſtratas, complectentem, *Maximiliano II.* A. 1566. obtulerunt, per primarios illorum Antiſtites, *Michaëlem Tham*, *Johannem Geletzky*, & *Petrum Herbertum Fulnecenſem.* Ex iis

reti-

retinemus., Chriſtus der uns ſeelig macht. Et, Nun laſt uns den Leib begraben.

SCRIPTORES PROFANI.

Azo.

Azo, Bononienſis, primus, plerasque Digeſtorum leges, juſtis commentariis, ex quibus *Accurſius* in ſuas gloſſulas plurima tranſtulit; interpretatus eſt, *Mens & fons legem*, item, *Vas electionis*, ideo dictus. Is, ut etiamnum Bononiæ perdurat fama, cum in diſputatione a quodam provocatus, ex fervore concertationis, a verbis, eo denique delaberetur, ut ſtricto pugione adverſarium invaderet, in carcerem pertractus, & captis damnatus eſt. Cum vero identidem exclamaret, *Ad beſtias, ad beſtias*, nempe principium l. 3. ff. *de pœnis* allegans, probaturus, æquum eſſe, ut propter artis excellentiam, ſontibus, & noviſſima meritis, pœnæ fiat remiſſio, judices ab eo ſe pro *belluis* haberi credentes, itati, non deſtiterunt, donec ſupremo ſupplicio afficeretur. Cum Azo Bononiæ doceret, *decem millia Scholarium* ibi commorabantur. A Nevizano proditum eſt, Advocatos non admitti in Collegium Mediolani, niſi deferant Summam Azonis, jurentque ſuam eſſe.

Johannes Zonaras.

Johannes Zonaras, Monachus Græcus, *Hiſtoriam univerſalem ab Orbe condito, usque ad finem Alexii Comneni, tribus Annalium libris* complexus eſt. Scatet undique portentis & miraculis, aliisque ejusmodi fabulis, quibus, ut Græculus

culus, mirifice oblectatur: quare Erudiciſſimus Caſaubonus, eum *legitimæ hiſtoriæ dehoneſtamentum* vocavit.

IRNERIUS.

Irnerius, ſive Wernerus, Jus Civile expoſuit, unde *Juris Lucerna* dictus eſt. Huic tribuuntur pericopæ ex Novellis excerptæ, & Codici Juſtiniani ſub titulo *Authenticarum*, inſertæ.

BAGAROTUS.

Pilius Bagarotus, ſimiliter hujus ævi juris interpres, ſcripſit *librum de ordine judiciorum*, & alia quædam.

GOTHOFREDUS VITERBIENSIS.

Gothofredus Viterbienſis, Notarius Conradi III. & Friderici Imperatorum, erat Latine, Græce, Hebraice, & Chaldaice doctus. Scripſit *Chronicon*, *quod Pantheon vocat*, proſa & ligata oratione confectum. Cauſa appellationis, quod in hoc opere, omnium Principum, qui in Scriptura ſacra Dii vocari ſolent, hiſtoriæ contineantur. Diviſum eſt in partes XX. idque dedicavit *Vrbano III.* Pontifici, cui nimium adulatus eſt, iniquior propterea Friderico Imperatori ſuo.

GUNTHERUS.

Guntherus, Poëta, tempore *Friderici Barbaroſſæ* claruit, & *de rebus ab eo geſtis compoſuit libros X.* Eum a Conrado Celte repertum, primus evulgavit *Conradus Peutingerus*. Eſſe poëtam, pro illo ſeculo, magni ingenii & ſpiritus, atque etiam elegantem, Voſſius affirmat. Poëma

ſuum

ſuum *Ligurinum* vocat: quia Barbaroſſæ imprimis negotium fuit cum urbe Ligurina, hoc eſt Mediolano, cujus incolas *Ligures* ſemper appellat.

GUILIELMUS NEUBRIGENSIS.

Guillelmus Neubrigenſis, *libros duos de Regibus Anglorum, & quinq; de Anglorum geſtis*, reliquit ſuperſtites.

Referamus huc Rabbinos celebres, quorum hoc ſeculum ferax fuit. Offert ſe primus RABBI MOSES MAIMONIDES, abbreviate *Rambam dictus*, Cordubenſis patria, ſed in Ægypto educatus, unde & *Moſes Ægyptius* vocari ſolet. Is, anno 23. ætatis, cœpit conſcribere *Commentarium in Miſchnajot*, quem abſolvit anno trigeſimo. Anno quadrageſimo ſecundo perfecit magnum iſtud opus, *quod Jad Chaſaka* inſcribitur. Poſtea, anno quinquageſimo conſcripſit *librum More Nevuchim*, lingua Arabica, quem R. Samuel Aben Tibbon in Hebræam convertit. Non leves iſte liber apud Rabbinos Gallos, & imprimis Monteſpeſſulanos, turbas concitavit, habitique ab illis ſunt pro hæreticis, qui illum legerent. Sed Maimonidis partes multi defenderunt: erat enim cæteroquin ſummæ inter ſuos, imo & *Chriſtianos, autoritatis*, unde Judæi de illo dicere ſolent: *A Moſe, usque ad Moſen, non fuit ſicut iſte Moſes:* Chriſtiani vero, *hunc primum Judæorum ineptire deſiiſſe*, pronunciant.

Sequitur R. SALOMO JARCHI, ſeu RASCHI. *Lunellum*, Galliæ, ad oram maris mediterranei, in

Ocei-

Occitania provincia oppidum, patriam habuit, unde & Jarchi cognomen aſſumſit. In integra *Biblia, & univerſum fere Talmud, nobis Commentarios reliquit*, ſed breves ſæpe, & obſcuros, itaque alii eos expoſitionibus illuſtrarunt. Coævi fuerunt R. ABEN ESRA & R. DAVID KIMCHI, qui & ipſi, in explicanda Scriptura, laudabilem operam præſtiterunt.

MEMORABILIA.

SUb initium hujus Seculi, ORDO TEMPLARIORUM, ſeu MILITIÆ TEMPLI inſtitutus eſt. Cum enim latrones plurimi terram ſanctam luſtrantibus inſidiarentur, & quosdam ſpoliarent, quosdam etiam necarent, quidam, commiſeratione & pietate moti, obtulerunt ſuam operam Patriarchæ Hieroſolymitano, in illis ſicariis coërcendis. Primus autor rei fuit *Hugo de Paganis*, cui ſocium ſe præbuit *Godofredus de S. Almaro*. Inſtitutum fuit, ut caſte & pie, more Canonicorum, viverent, nihil proprii tenerent, & pro impetranda peccatorum remiſſione, itinera tuta præſtarent, in peregrinantium commodum. Ab his exiguis initiis, tantum is Ordo divitiis & opibus auctus eſt, ut in alendis exercitibus nulli Regi cederet. *Habitus*, fuit pallium album, cum cruce rubra, ut ſanguinem & vitam pro ſociis fidelibus ſe profundere debere meminiſſent. Hunc Ordinem, *Stephanus Patriarcha Hieroſolymitanus*, & *Honorius III. Papa* confirmarunt. Sub initium deinde Seculi XIV.

hoc

hoc eſt A. 1312. annitente *Philippo Pulchro* Rege Galliarum, conſenſu *Clementis V.* Pontificis, die 12. Martii, totus ille Ordo, per omnem prope Europam, fuit deletus. In Germania & Bohemia, a cædibus quidem temperatum eſt, attamen, ut decreto Pontificis ſatisfieret, abjurato nomine, aliis Ordinibus immixti, mortis periculum effugerunt. *Bona illorum*, partim confiſcata, partim Johannitis, Teutonibus, & Equitibus Jeſu Chriſti addicta fuerunt.

B. NORBERTUS, *Colonienſis*, *Ordinem Præmonſtratenſium* fundavit, poſtquam ei Diva Virgo locum, ubi in Gallia Cœnobium condere deberet, præmonſtravit, qui, ob id, *Præmonſtratum* dictus eſt. Inſuper *Diva Virgo* veſte candida, & *S. Auguſtinus*, Regula ſua, aureis literis ſcripta, Norbertum donarunt; isque poſtremo Archiepiſcopus Magdeburgenſis evaſit, cujus reliquiæ, A. 1626. Pragam tranſlatæ ſunt. Solemnia tranſlationis enarrat Adolphus Brachelius lib. 3. Hiſtor. noſtri temp. additque: *A multis e plebe Magdeburgenſi hæc translatio Divi tutelaris, urbi exitio futura haud dubie prædicabatur: &, ſecutum paucos poſt annos excidium, non vanam hanc formidinem fuiſſe, luculento exemplo affirmavit.*

Circa medium hujus Seculi, ALMERICUS, PATRIARCHA ANTIOCHENUS, Legatus Romani Pontificis, *Anachoretas Montis Carmelis* in unum corpus collegit, Cœnobium iis condidit, atque ſic *Ordini Carmelitarum* auſpicia dedit. Illi vero addicti Monachi, vulgo, inſtituti ſui autorem, *Eliam Prophetam*, propagatores, multos Prophetarum,

tarum, imprimis vero Johannem Baptiſtam fuiſſe jactant, cujus Diſcipuli, templum in monte Carmelis, in honorem Divæ Virginis Mariæ exſtruxerint, eamque Protectricem elegerint. *Geſtant Carmelitani* epomidem albam: nempe, quia Diva Virgo, Patri cuidam ex hoc Ordine apparuit, ac epomidem albam obtulit, his eum affata verbis: *Accipe, mi dilecte, hanc epomidem, quæ data eſt a me tuo Ordini, in ſignum meæ Confraternitatis.* Multa ſeria, quæ diu jam ſtylo perſecuti ſumus, tandem joco aliquo temperemus, recitando lepidam rem, quam Guido Patinus, Medicus Pariſienſis haud inglorius, A. 1658. die 9. Aprilis, Lutetia ad Amicum ſuum perſcripſit: *Vous ſaurez pour nouvelles que, depuis 9. ou 10. jours, les Exempts s' etant transportez au Convent des Carmes, à deux heures apres minuit, à la requête du Superieur, ils en enleverent douze, qu' ils amenerent en caroſſe au For-l' Euêque. C' étoit des Compagnons, qui ſe moquoient de leur Regle, & de leur Superieur: qui faisoient grand' chere là dedans, en depit du Carême. On a trouué dans une de leurs chambres 22. bonnes perdrix, des pâtés, des jambons, & force bouteilles de vin. Voila comment ces maitres Moines jeunent le Carême, tandis que les gens de bien mangènt du ris, & des pruneux.*

JOHANNES DE TEMPORIBUS, qui Caroli M. armiger fuerat, hoc ſeculo, & quidem A. 1128. mortuus eſſe dicitur.

A. 1135. tantus fuit ÆSTUS, *ut frugibus* univerſis exſiccatis, magna fames inde orta ſit. Ardebant ſylvæ, quicquid igni concipiendo

aptum, in terram delapſum, ſtatim in quibusdam locis ignem concepit: *ipſe Rhenus ita arefactus eſt*, ut ſine omni periculo, ubivis locorum tranſiri potuerit.

A. 1169. CATANA, *urbs Siciliæ*, terræ motu tota everſa eſt, ita ut ne unica quidem domus ſalva permaneret. Perierunt ultra XV. millia hominum, cum Epiſcopo, Clericis, & Monachis.

THOMAS CANTUARIENSIS, cognomento *Becquetus*, Londinenſis, Cancellarius primo Henrici II. Angliæ Regis, dein *Archiepiſcopus Cantuarienſis*, cum Regi, jura Regni antiqua circa ſacra reſtauraturo, obniteretur, A. 1170. in templo Cantuarienſi, a quatuor ſicariis occiſus eſt, Rege, ceu ferebatur, aſſentiente. Eum *Alexander III.* Papa, paulo poſt inter Martyres retulit. At Henricus VIII. Rex, anno deinde 1538. reliquias effodi, & cremari juſſit.

Hoc ævo, *Hiſpani Saracenos magnis cladibus affecerunt*, atque PETRUS, PRIMUS ARAGONIÆ REX, uno prælio quatuor Arabum Reges occidit. Similiter PORTUGALLIÆ REX ALPHONSUS, quinque Maurorum Reges devicit, ac eam ob rem, quinque ſcutulis pro inſignibus uſus eſt, quem poſteri ſucceſſores ſunt imitati.

Acceſſere circa hoc tempus, ad Chriſtianam fidem, RUGII, a Woldemaro Daniæ Rege vi coacti: LIVONI item, quantum ejus gentis adibatur mercimoniorum cauſa a mercatoribus Lubecenſibus & Bremenſibus, a quibus ſacra Chriſtiana primum in regionem hanc illata ſunt.

Circa

Circa Annum 1190. cœpit ex communi opinione Ordo Teutonicus. Cum enim in obſidione Ptolemaidis, Chriſtiani milites dyſenteria vexarentur, Dux Sueviæ *Fridericus*, vel, ut alii volunt, *Henricus VI. Imperator*, Ordinem Germanorum militum, ex Nobilibus conſtantem, inſtituit, qui milites ægrotos, contra barbaros certantes, foverent, curamque pauperum in terra ſancta agerent. Huic Ordini, *Rex Hieroſolymitanus* ibidem domum dedit, *Hoſpitalem dictam B. Mariæ*, unde hi milites *Mariani* appellabantur. Alii, rem ita narrant: Quidam Hieroſolymis *Germanus locuples*, cum vidiſſet multos populares Hieroſolymas petere, pietatis cauſa, qui, linguæ ignari, a nemine recipiebantur, iis *Xenodochio* ſuccurrere decrevit, &, in hunc uſum ædes ſuas convertit. Xenodochio deinde *templum, B. Virgini dicatum*, fuit adjectum. Utrique præfecti, *Hoſpitalarii S. Mariæ Hieroſolymitanæ* dicti ſunt. Poſt hæc, creſcente numero, *Magiſter* lectus eſt, ejusque ſocii, qui jam Equites vocabantur, Crucem albam, pallio nigro affixam, geſtare cœperunt, aucti, ſucceſſu temporis, opibus & potentia. At, Hieroſolymis deinde a Saladino pulſi, Acconem ſe contulerunt; qua urbe A. 1220. a Saracenis expugnata, magna Equitum pars, Germaniam petens, contra Boruſſos, qui tum pagani adhuc erant, pugnare cœpit, & poſt annos 53. Boruſſiam occupavit, conſtituta Magiſtri ſede Mariæburgi in Boruſſia.

Saladinus, Turcomannorum Rex bellicoſiſſimus, fuit primo Dux copiarum *Noradini*,

Sultani Damaſci, & Ægyptum occupavit, Principis Cairi vidua ibi ducta. Dein, Noradino mortuo, dum filius ejus adoleſceret, ad clavum vocatus eſt: quo tempore Chriſtianos omni vi perſequi cœpit. Et quidem A. 1177. *invaſurus Hieroſolymam*, grandi clade affectus eſt. Qua irritatior, A. 1180. Euphrate trajecto, plurimas urbes, Niſibin usque, in ſuam poteſtatem redegit, vicinis formidabilis. A. 1184. *Alepum* cepit, & poſtmodum inducias pactus eſt. His, Comitis Tripolitani, Guidonis Regis Hieroſolymitani æmuli, ſuaſu ruptis, vicit Chriſtianos A. 1187. collectoque 800000. hominum exercitu, denuo ſuperior, cepit *Guidonem*, capiteque plexis Equitibus Templariis, & S. Johannis, plurima loca ſubegit, ipſa tandem *Hieroſolyma potitus.* Eam ingreſſus, campanas primo e turribus dejecit. Mox baſilicas omnes, præter *Sophiæ templum*, profanare juſſit, id vero priusquam ingrederetur, totum aqua roſacea abluebatur. Manſere, permiſſu Saladini, Hieroſolymis, Chriſtiani Aſiatici, Syri, Armeni, Jacobitæ, Georgiani, Græci, & Neſtoriani. Obiit Saladinus A. 1194. Jam moriens præcepiſſe dicitur, ut in funere ſuo, interior tunica, haſtili ſuffixa, tanquam trophæum geſtaretur, præcone proclamante: *Saladinus Aſiæ domitor, ex tanto regno, tantisque opibus, nihil aliud, quam hanc interulam, ſecum aufert.* Fertur fuiſſe autor *Mamalucorum*, qui Regnum Ægypti circiter annos 200. tenuerunt. Nimirum, Saladinus, poſtquam Ægyptum in poteſtatem redegerat, emtos

emtis a Tartaris, ex Mengrelia, Gurgeſtania, & Circaſſia, Chriſtianorum pueris, illos armis eruditos, cuſtodiæ corporis ſui, ac defenſioni Regni præfecit, titulo Mamalukorum. Eſt autem *Mamaluk*, Turcomannorum lingua, mancipium regium. Iſti, cum proceſſu temporis viderent, Turcomannos otio & volupatibus enervatos, conſilium ceperunt regni ad ſe transferendi, idque A. 1382. dederunt effectum, ac primum ex ſua gente Regem crearunt *Berkukum*. Dehinc longa ſerie, perpetuo Reges Ægyti ex Mamalucis creati ſunt: quorum viceſimus primus, nomine *Campſon Gaurius*, in prælio contra *Selimum I.* Turcarum Imperatorem A. 1516. occubuit. Huic ſucceſſit *Tomambajus*, qui, ab eodem Selimo in Ægypto victus, captus, ac miſerabiliter in porta urbis Alcairæ A. 1517. occiſus eſt. Hoc pacto, extinctis Mamalucis, Ægyptus, Arabia, Palæſtina, ac Syria, Turcico Imperio acceſſerunt.

Circa finem hujus Seculi, *S. Franciſcus*, & *S. Dominicus* prodierunt; atque ajunt, iſtos duos Beatam Mariam Virginem, Chriſto filio, cum orbem plectere vellet, obtuliſſe, quaſi ſequeſtros, ad faciendam ſcelerum & impietatum expiationem. De utroque, aliqua eorum, quæ illis devoti in literas retulere, varie excerpta, huc transſcribo, pro veris tamen, id enim abominor, minime vendito.

S. Dominicus, ex nobili Gusmannorum familia ortum traxit. Multo, antequam naſceretur, tempore, ejus *imago* Venetiis in S. Marci

templo jam depicta extabat, cum lilio in manu, eo habitu quem etiamnum gerunt illius ſequaces. Erat e regione depictus S. Paulus, cui ſupraſcriptum, *Agios Paulus.* Infra legebatur: *Per iſtum itur ad Chriſtum.* Dominici figura ſupraſcriptum habebat: *Agios Dominicus.* Infra conſpiciebantur verba: *Facilius itur per iſtum.* Natus autem eſt deinde, expletis fatorum ſpatiis, Dominicus, *Calagoræ* in Hiſpania. Ejus mater gravida, viſa ſibi eſt per quietem, continere in alvo catulum, ore præferentem facem; qua, editus in lucem, orbem terrarum incenderet. Eo ſomnio ſignificabatur, fore, ut filii ejus ſplendore ſanctitatis ac doctrinæ, gentes ad Chriſtianam pietatem inflammarentur. Super ejus baptizandi fronte mater ſpiritualis, fulgentem ſtellam conſpexit. Sæpe, infans, lectulum deſeruiſſe, & in nudo ſolo jacere repertus eſt. Adultus, totam aliquando Quadrageſimam, in pane & aqua peregit. Romam profectus eſt ad Concilium Lateranenſe ſub *Innocentio III.* a quo novi Ordinis eligendi facultatem accepit. Proinde una cum XVI. Diſcipulis, Regulam S. Auguſtini amplexus eſt, veſtis geſtandæ formam coloremque Diva Virgo ei oſtendit. Ordinem legitime conceptum, *Honorius III.* confirmavit. Poſtea *Toloſam* ſe contulit Dominicus, ubi fratres hortatus, eos ablegavit, ut bini prædicatum irent, monuitque, ut nomine & reipſa *Prædicatores* eſſent. Nam Papa Innocentius ipſis jam permiſerat, ut nomen Prædicatorum ſibi ſumerent. Dominicus, cum ſociis, acer-

acerrime ſe Waldenſibus oppoſuit, & Principes ad arma contra eos excitavit, ita ut ex illis ultra centum millia fuerint trucidata. Idem & *Fraternitatem Roſarii* inſtituit: hinc preces, quæ certo numero B. Virgini offeruntur, dicuntur Roſarium, quia illius hic eſt ornatus. Ipſa autem B. Virgo, Dominico conſilium dedit Roſarii effingendi, ut eo, pro armis adverſus Waldenſes uteretur, quin & eadem Diva Virgo, 150. lapides in Waldenſes projecit, atque hinc *Roſarium Majus* continet 15. decades, in memoriam prædictorum lapidum, vel, ut referat numerum Pſalmorum Davidicorum. Eſt aliud *Roſarium Minus*, quod continet grana 63. quot annis B. Virgo dicitur vixiſſe. Multas Dominicus habuit *viſiones*. Vidit aliquando cœlum apertum, & de omni genere Religionum Fratres in gloria, & ſuos Dominicanos non vidit: ſed a Filio Dei fuit dictum, quod erant ſub chlamyde Virginis Mariæ, quos ibi vidit. Fecit & miracula: Ambuſſit aliquando Diaboli manum, dum eum coëgit candelam usque ad conſumtionem ſibi miniſtrare. Libellus, ejus doctrinam continens, ter illæſus e flammis exiit, cum hæreticorum libri comburerentur. Copioſa aliquando pluvia decidente, Dominicum iter facientem, ne una quidem gutta madefecit. Libros ejus in flumen prolapſos, piſcatores ſiccos extraxerunt. Mortuus eſt Bononiæ A. C. 1221. eum *Gregorius IX.* A. 1230. in Sanctorum numerum retulit. Ordo dividitur in duas Familias, *Obſervantiæ*, & *Conventualium*. Dignum

notatu eſt, quod *Dominicani Monachi in Miſſa, hoſtiam ſacratam ſiniſtra tantum manu elevant.* Ejus rei cauſa, vulgo a Monachis aliis,& Sacerdotibus Eccleſiæ Romanæ, quos percontari mihi licuit, omnibus, ea reddebatur, ut dicerent, id in pœnam ſic irrogatum eſſe, quia Henricum VIII. Imperatorem, & Henricum III. Galliæ Regem, illum quidem hoſtiam venenatam ei porrigendo, hunc, cultro in viſcera ejus adacto, Monachi Dominicani, dextris manibus peremerint. Ipſi Dominicani rogati, ut me, rei monſtro ſimilis, rationem edocerent, reſpondebant, privilegio Pontificis, non niſi ſiniſtra manu ſe hoſtiæ facere exhibitionem, argumento, dextram manum, pro illo enſe etiam defendendo, ſemper ſibi promtam eſſe, & expeditam.

S. Franciscus natus eſt Aſſiſiis in Umbria, ſive in Ducatu Spoletano. Fuit primum mercator, deinde miles, tandem monachus. Hactenus Monachorum ratio fuerat, ut ſingulis nihil proprii habentibus, collegio,ſeu ſodalitio, bona poſſidere liceret. Franciſcus vero, Regulam quæſivit, qua ſui, nec privatim, nec in commune quicquam poſſiderent. Ergo ingreſſus Aſſiſiis templum B. Mariæ, Evangelio aperto, invenit locum: *Si vis eſſe perfectus, vade, & vende omnia.* Iterum aperto libro, reperit verba: *Nihil tuleritis in via; neque peram, neque virgam, neque panem.* Cum tertia vice codicem evolviſſet, invenit dictum: *Qui vult venire poſt me, abneget ſe ipſum, & tollat crucem ſuam.* Ille ergo, ſine

ſine mora, calceamenta depoſuit, virgam ac peram abjecit, tunicam incultam ſibi circumjecit, eamque funiculo cinxit. Poſtea Regulam ſuam XII. capitibus expoſuit, eamque *Innocentio III.* Papæ confirmandam obtulit. Innocentius autem averſatus eſt Franciſcum, eumque ad porcos ablegavit. Quamobrem, poſtquam cum his ſe diu in luto volutaſſet Franciſcus, ad Papam revertitur, qui, viſa illius obedientia, Regulam tandem approbavit. Tres autem Ordines ac Regulas Franciſcus inſtituit. Primus Ordo complectitur *Conventuales*, *Obſervantes*, *Cappucinos*, & *Recollectos*. In altero ſunt *Moniales Clariſſæ*. Tertius Ordo habet *viros & fœminas, domi ſuæ juxta præſcriptum tertiæ Regulæ viventes*. Monachi, qui Franciſci Regulam ſequuntur, vocantur, ſecundum autorem, Franciſcani, ſed Franciſcus in humilitatis ſignum, eos *Minores*, & *Minoritas* appellavit. B. Virgo puerulum Jeſum Franciſco, per integram noctem, tenendum, & oſculandum præbuit. Franciſcus vocatur *Jeſus Typicus*, id eſt, quaſi JEſu Chriſti crucifixi antitypus. Quemadmodum enim character in cera ſignum imprimit, ita Chriſtus ſua in Franciſci corpore vulnera impreſſit, atque is, in Franciſci corpore tanquam imago in ſpeculo apparuit. Non ſolum vero Franciſci manus & pedes fuerunt perforati, ſed & clavi in eis apparuerunt, quorum capita erant nigra, oblonga, repercuſſa. Ipſi clavi erant duri, longi, ad partem aliam reſultantes, recurvati; moveri poterant, ſed tamen non dimoveri. Vulnus

lat rale erat adinſtar vulneris lateralis Chriſti. Sentiebat Franciſcus maximum dolorem, & ſanguis jugiter emanabat, huicque impreſſioni ſtigmatum, biennium ſupervixit. Facta impreſſio in monte *Alverno*, ubi cum Franciſcus 40. diebus, propter honorem Michaëlis Archangeli, in jejunio & oratione manſiſſet, feſto die Exaltationis S. Crucis, ei Seraphim, Crucifixi effigiem inter alas continens, apparuit, ipſumque ſtigmatibus notavit. Franciſcus, interdum corvis, milvis, picis, & aliis avibus, attente auſcultantibus, concionabatur. Cum libidine ureretur, ſtatuam ex nive confecit, & cum hac in lecto cubavit. Idem, pediculos ſemel excuſſos, rurſus veſtibus immiſit, ne ſe homicidio pollueret. Mortuus eſt A. 1226. eumque *Gregorius IX.* A. 1236. Divis accenſuit. Tenet autem in cœlo eum locum, e quo fuit dejectus Lucifer. Generalis Franciſcanorum promiſit aliquando Imperatori 30. millia militum, ex ſuo Ordine adverſus Turcas. Quidam raptus in cœlum, cum neminem e ſociis Franciſci ibi deprehendiſſet, valde triſtabatur. Sed mox, Angelo commonſtrante, vidit Franciſcum cum vexillo, ſequente eum ingenti Fratrum multitudine, e laterali Chriſti vulnere prodeuntem. In Henrici Kippingi Supplementis, Johannis Pappi Theologi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſubjectis, pag. 18. ad annum 1535. legitur: *Eodem tempore,* Godofredus Varaglius, *Pedemontanus, novam Franciſci Regulam prodit, & Capuccinorum Ordinem*

nem format. Ipſe Autor demum a Papiſtis fecit diſceſſum, & Religionem Evangelicam amplexus, Taurini vivus ardere, quam veritatem agnitam deſerere maluit. Ejus rei, poſtquam familiari aliquando, cum Guardiano celebris alicujus Cœnobii Cappucinorum, ſermone, mentionem forte feciſſem, ipſe non totus exhorruit tantum, ſed & quaſi peſtilenti Meduſæ capite afflatus, prope obriguit. Ad ſe rediens, ſignó crucis frontem & pectus muniebat, &, propere diſcedens, verbum nullum amplius mecum commutare voluit. Eſt tamen omninò novus Cappucinorum Ordo, & Friderici III. Imperatoris ætate poſterior, quod exinde colligo, quia barbas illi promiſſas alunt. At Fridericus nunquam viderat Monachum, cui barba hiſpida, nec adeo fas erat illo ævo Monachis aut Clericis barbam nutrire. Hujus rei teſtem habeo Æneam Sylvium, qui in hiſtoria illius Imperatoris, narrat, ipſum, cum Romam tenderet, ſimul ac territorium Pontificis attigiſſet, *Beſſarionem Legatum Apoſtolicum mox occurrentem reperiſſe, Græcum hominem, barbatum & cucullatum, quem ille diu multumque demiratus ſit, quoniam inter Latinos, neque Monachis, neque Clericis ſecularibus, nutrire barbam fas eſt.*

S. Claram, vulgo Franciſci Sororem faciunt plerique omnes, maxime vero Monachi Franciſcani Conventuales, qui Aſſiſiis utriusque Reliquias, adhæc ſanguinem qui ex Franciſci latere emanavit; parietem cui veſtigium corporis impreſſum reliquit; dumetum, in quo, erubeſcendis

igni-

ignibus æſtuans, ſeſe volutabat; Sacellum Portiunculi, quod in portionem hereditariam ex hoc orbe Chriſtus illi donavit; locū ſepulchri, obliteratum quanquā, & alia tenent, ac peregrinantib' oſtendunt. At, cum ex ipſo Breviario Romano, tot Pontificum, totiusque adeo Eccleſiæ Romanæ autoritate roborato, manifeſtum fiat, illam aſſertionem, quod Clara & Franciſcus iisdem parentibus geniti fuerint, vacillare, metus eſt, ne hoc uno argumento, cæterorum quæ de Franciſco narrantur, commonſtranturque, fides, apud veritatem ſubtiliter e radicibus limantes laboret. De S. Clara ſic eſt in Breviario: *Clara*, nobilis virgo, Aſſiſii nata in Umbria, *Sanctum Franciſcum civem ſuum* imitata, facultatibus ſuis in pauperes erogatis, quemadmodum ille Fratrum, ſic ipſa ſacrarum Sororum Collegium inſtituit; cum quibus in Eccleſia S. Damiani admirabili vixit ſanctitate. Quæ, Saracenis Aſſiſium obſidentibus, & Monaſterium, cui illa præerat, invadere conantibus, ægra ſe ad portam afferri voluit, unaque vas, in quo ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum erat incluſum: ibique oravit hunc in modum: *Ne tradas, Domine, beſtiis, animas confitentes tibi; & cuſtodi famulas tuas, quas pretioſo ſanguine redemiſti.* In cujus oratione, ea vox audita eſt: *Ego vos ſemper cuſtodiam.* Saraceni autem partim ſe fugæ mandarunt, partim, qui murum aſcenderant, capti oculis, præcipites ceciderunt. Ipſa Virgo, paulo poſt jejuniis, orationibus,

nibus, vigiliiſque confecta, cum duos & quadraginta annos, ſumma cum laude monaſterium gubernaſſet, multaque edidiſſet miracula, pridie Idus Auguſti, ſacra Euchariſtia ſumpta, animam Deo reddidit, *Innocentio IV.* ſummo Pontifice; qui, ægrotantem Virginem inviſit, eique ſupplicitet petenti, indulgentiam peccatorum impertivit. Quam poſtea *Alexander IV.* inter Sanctas Virgines retulit.

SECVLVM XIII.

IMPERATORES ROMANI.

OTHO IV.

OTHO IV. Brunſuicenſis, Leonis Saxoniæ Ducis filius, quia haud multo poſt mortem Henrici VI. a quibusdam Germaniæ Principibus Rex Romanorum fuit ſalutatus, ac Aquisgrani coronatus, & confirmatus a Pontifice, ideo illum multi ad Seculum XII. referunt, quod & nos, in Mnemonicis, Schraderi tabulas Chronologicas, quæ in iis concinnandis ad manus erant, ſequuti, fecimus. Vere autem, non niſi *Philippo* interfecto, hoc eſt ſub Seculi XIII. initium Otho regnavit, tantisper ex pacto cum Philippo inito, poteſtate abſtinens. At, iſto e medio ſublato, Imperium adiit, ac a Papa *Innocentio III.* Romæ eſt inauguratus. Cæterum, cum invito Pontifice *Siciliam* occupaſſet, & in *Apulia* quoque, multa oppida, dolis Pontificum ab Imperio avulſa, cepiſſet, Innocentii iram provocavit, ab eodemque *anathemate eſt percuſſus*. Excommunicationis formulam publicavit Sigfridus, Moguntinus Archiepiſcopus, cui quidam Principes reſtiterunt, unde bellum exortum, in quo Moguntina ditio direpta eſt, &, ipſe Archiepiſcopus profligatus, ad *Hermannum*, Thuringiæ Landgrafium, confugit. Poſtea Otho, indicto Noribergæ conventu Principum, & de Papæ injuriis queſtus, quibusdam in ſuam partem per-

pertractis, bellum renovat, verum nullo ſucceſſu. Propter faſtum enim, potentiſſimos Germaniæ Principes, Bohemum, Bavarum, Saxonem, aliosque habebat inimicos, qui non tam ſtudio Pontificis, quam odio erga Othonem, ex Sicilia, tanquam legitimum heredem, ad imperium evocabant *Fridericum*, Henrici VI. Imperatoris filium. Is, in Germaniam contendens, Othonem occurrentem reprimit, totam ad Rhenum Germanium occupat, &, admiſſa Aquisgrani corona, fœdus cum *Philippo Galliæ Rege* iniit, indeque in Sueviam ſe contulit, a Papa contra Othonem confirmatus. Interea loci, cum *Johannes Angliæ Rex*, fœdus Friderici cum Galliæ Rege, iniquo ferret animo, *Othoni auxilia promittit*, eumque in Belgium attrahit. Ibi prælio acerrimo ad *Bovinenſem pontem* inter Inſulas & Tornacum A. 1214. commiſſo, Gallus victor diſceſſit, Othone, & fœderato Angliæ Rege, ſuccumbentibus. Poſt eam cladem, Otho nervo rerum gerendarum deſtitutus, *Imperio ſe ſponte abdicavit*, & Brunſuigam abiens, reliquum vitæ tempus, hoc eſt quadriennium fere, ibidem inglorius tranſegit, extinctus tandem dyſenteria, nulla relicta ſobole.

Uxorem primam habuit Otho MARIAM, filiam Ducis Brabantiæ, quam, ob conſanguinitatem, repudiavit. Duxit deinde BEATRICEM, filiam Philippi Cæſaris, ex Irene.

FRIDERICUS II.

FRIDERICUS II. Henrici VI. filius, Friderici I. Barbaroſſæ nepos, qui Othonem Imperatoria

toria dignitate ſpoliaverat, Princeps animi juxta & corporis dotibus inſignis fuit, literatus præterea, & literatorum fautor eximius. Eam ob rem, literas omni ratione promovere ſtuduit, huncque in finem *Viennenſem Academiam in Auſtria, & Patavinam in Italia* inſtituit: *Ariſtotelis quoque, Galeni, & Avicennæ monumenta, ut in Scholis publicis prælegerentur, ex Græco & Arabico in Latinam Linguam curavit transferri.* Idem, quo pacem & concordiam in Imperio conſervaret, aliquot *Authenticas* de rebus maximi momenti compoſuit, quæ Codici Juſtinianeo hodienum inſertæ leguntur. Huic Friderico, plurimum negotii *Honorius III. Gregorius IX. & Innocentius IV.* Pontifices crearunt, eumque indigniſſimis vexarunt modis. Cum enim *expeditionem Hieroſolymitanam*, Imperii curis diſtentus, exhortationibus Pontificis neglectis, ſuſcipere differret, excommunicatus eſt, nec prius anathemate ſolutus, quam profectionem inſtituit. Nimirum, hoc volebant illis temporibus Pontifices, ut Imperatoribus Germanicis, ad remotas orbis partes velut in exilium transmiſſis, & ſpe religionis omnes fortunas effundentibus, ſuas interim veteratorias artes, domi libere, citraque ullius contradictionem exercere poſſent. Sed vero, trajicere in Palæſtinam volentem Fridericum, *Pontifex rurſus inhibet*, minime ex dignitate Auguſta inſtructam claſſem eſſe objectans. Ille nihilominus inſiſtit cœpto, & rem in Palæſtina feliciter gerit, *Hieroſolymam, Bethlehemum, & Nazaretham recuperans.* Dum Imperator peregre abeſt, *Gregorius* Pontifex, ejus *ſubditos ad defectio-*

fectionem ſolicitat, hic ille ſua repetere coactus, reverſus domum, perfidos ſternit & profligat, ac Pontificem ingenti pecunia placat. Victis dein *Longobardis*, domitis *Mediolanenſibus*, *Sardiniam* quoque, ab antiquo Siculis Regibus obedientem, ſubegit; quam, cum Pontifex Eccleſiæ reddendam contenderet, nec obediret Fridericus, eum diris devovit, totum Orbem adverſus Imperatorem ſolicitans. Tum exorti magni *tumultus inter Gibellinos & Guelfos* paſſim in Italia; Imperator vero fortuna proſpera uſus, omnes Pontificis molitiones eluſit, eoque deſperationis ipſum adegit, ut morbo ex dolore contracto, extingueretur. Gregorio ſuccedit *Innocentius IV.* & ipſe Friderico infenſiſſimus. Sic continuata bella, & inter hæc Chriſtianus Orbis, paſſim a Saracenis, Turcis, ac Tartaris, fœdum in modum laceratus eſt. Innocentius Italia pulſus, in Galliam profugit; ibique lectis novis Cardinalibus, & indicta Synodo, *Imperatorem excommunicat*, imperatque Principibus alium in ejus locum ut ſubſtituant. Fridericus premi ſe animadvertens, offert conditionem Papæ, ſe, ſi abſolveretur, *perpetuum in Palæſtina bellum geſturum*, quam ille contemtim ſprevit. Ergo coactus Imperator vim vi repellere, ſicarios a Pontifice immiſſos ſupplicio afficit, *Henricum* Thuringiæ Landgrafium, *Clericorum Imperatorem* dictum, miſſo adverſus eum *Conrado* filio, vincit, theſauros a Papa *Wilhelmo Hollando* ſubmiſſos, intercipit. Tot igitur & tam variis fortunæ procellis jactatus Fridericus, & ab ami-

cis deſertus, cum inſidias ſibi in Italia ſtrui animadverteret, in Siciliam reverti conſtituit, ſed, in itinere ardentiſſima febre correptus, ex propinato veneno vitam cum morte commutavit. Sunt qui perhibent, cum medicorum opera ſpes eſſet convaleſcentiæ, a *Manfredo* filio notho, ex *Blanca*, Marchioniſſa Montisferrati, pellice, pulvino in os injecto ſuffocatum periiſſe. Regnavit annos 36. Male apud aliquos audit hic Imperator, qui eum ſermonibus differunt, tanquam impium hominem, qui neque officia divina audiverit, neque Deum prece propitiaverit, nec debitum Sacerdotibus honorem habuerit, mulieres Saracenicas amicas habuerit, &, blaſphema verba crebro in ore habuerit, tres fuiſſe inſignes impoſtores, qui genus humanum ſeduxerint, Moſen, Chriſtum, Muhammedem. His accuſatoribus Lipſium aures præbuiſſe, ex Monit. Polit. c. 4. apparet.

Vxorem primum habuit Fridericus CONSTANTIAM, Aragoniæ Reginam, ex qua ſuſcepit *Henricum Seniorem*, *Sueviæ Ducem*, qui Pontificum concitatione, Patri ſe oppoſuit, in ſpem Imperii pellectus: ſed a patre captus, in carcere obiit, relictis duobus filiis gemellis, *Friderico* & *Henrico*, ex *Margaretha* Leopoldi Auſtriæ Ducis filia, quam deinde viduam duxit *Ottocarus*, Bohemiæ Regis filius. Verum hi gemelli, a patruis, *Conrado* & *Manfredo* interfecti ſunt, ne eſſent æmuli in Imperio. Altera Friderici conjux fuit JOLE, *Johannis de Bregna*, Regis Hieroſolymitani filia, quæ, dotis loco, titulum *Regis Hieroſolymorum*, Regibus Siculis & Neapolitanis

tanis attulit. Ex hac Jole natus eſt *Conradus*, cui pater Siculum & Neapolitanum Regna teſtamento deſtinavit. Amplius duxit Fridericus AGNETEM, Othonis Moraviæ Marchionis filiam, quæ repudiata Duci Carinthiæ nupſit. Duxit deinde RUTHINAM, Othonis Comitis de Wolferſthauſen in Bavaria filiam. Hac mortua duxit ISABELLAM, Ludovici Bavariæ Ducis filiam; & iſta quoque fato functa, adſcivit MECHTILDEM, Johannis Angliæ Regis filiam, ex qua *Agnes*, *Conſtantia*, & *Blanca* filiæ natæ ſunt. Præter Manfredum, habuit & alium filium nothum, *Hencium* nomine, *Sardiniæ Regem*, quem Bononienſes captum, ferreæ caveæ incluſum, necarunt, ejus liberationem facere renuentes, etiamſi a Friderico tantum auri, quantum ad cingenda circulo ipſa urbis moenia ſatis eſſet, offerretur.

INTERREGNUM.

Friderici obitum, famoſum illud *Interregnum*, quod per *XXIII. annos* duravit, excepit. Etſi enim hoc tempore aliquot Imperatores, a diverſis quidem electi, & invicem quaſi oppoſiti ſunt; tamen quia omni autoritate & poteſtate deſtituebantur, fere pro talibus non fuere agniti. Offert ſe hic primo CONRADVS IV. Friderici II. filius, a Patre adhuc vivo Rex Romanorum creatus. Is, æmulum, WILHELMUM, Florentii, Hollandiæ Comitis filium, quem quidam Aquisgrani inauguraverant, vicit, domumque revorti compulit, ubi in expeditione adverſus Friſios,

 labente

labente equo, glacie fracta, ab hoſtibus cæſus eſt. Poſtea, cognita patris morte, in Italiam protinus abit Conradus, Siculum & Neapolitanum Regnum occupaturus: quæ, cum in poteſtatem redegiſſet, a *Manfredo*, fratre ſpurio, veneno tollitur. Hic Conradus, pater eſt infelicis illius *Conradini*, quem *Carolus Andegavenſis*, Galliæ Regis frater, Pontificis favore Rex Siciliæ ſalutatus, ad lacum Fuſcinum magno prælio ubi viciſſet, ex fuga retractum, una cum *Friderico Auſtrio*, in urbe Neapolitana carnificis gladio ſubjecit, ipſo *Clemente* Pontifice ſententiam ferente, dictanteque, *Vitam Conradini, mortem eſſe Caroli, ſed mortem Conradini, Caroli eſſe vitam.* Carnifex illico etiam capite plexus, ne gloriari poſſet, quod tam nobilem ſanguinem fudiſſet. Mortuo Conradino, inſultatum quoque eſt epitaphio ſarcaſtico:

Aſturis ungue Leo pullum rapiens aquilinum
Hic deplumavit, acephalumq; dedit.

Supererat ex Suevico ſanguine ſolus *Conradus Antiochenus*; ſed & hunc Carolus Andegavenſis, per *Guidonem Comitem Montisfortis*, claſſe perſequutus fuit in Siciliam, ubi a Siculis proditus, & vivus captus, oculis privatus, & deinde ſuſpendio enecatus eſt. Atque ſic vetuſtiſſima & nobiliſſima ſtirps Ducum Sueviæ, rebus ſapienter & fortiter geſtis clariſſima, Pontificum ſcelere deleta eſt, cum Imperium per annos 115. Regna Siculum & Neapolitanum, per 76. annos tenuiſſet. Cæterum, poſt Conradi mortem, *diſceptatio fuit, utrum alicui ex Germanis, an vero exte-*

exteris potentioribus imperii ſumma ſit committenda. Poſt longam deliberationem, obtinuit illorum ſententia, qui volebant, exterum aliquem eſſe quærendum. Duo igitur venerunt in deliberationem: ſcilicet, ex Anglia *RICHARDVS Comes*, filius Johannis Anglorum Regis, & *ALPHONSUS Caſtellæ Rex, ex Hiſpania*, ambo magna contentione petiti, & ambitione ardentes, Imperiũ auro quaſi licitari videbantur. Sed, utrique res parum proſpere ceſſit. Nam Richardus præſens, accepto a Moguntino, Colonienſe, & Palatino, quorum ſuffragia multa pecunia emerat, Imperio, ut ſe magis confirmaret, turbata publica pace, graſſari ac ſævire cœpit in eos, quos in electione habuerat adverſarios. At, ob nimias largitiones pecunia exhauſtus, & a ſuis deſertus, ex deſperatione in Angliam reverſus eſt ad *Henricum* fratrem, bella cum ſubditis gerentem, ubi in obſidione cujusdam oppidi, telo transfixus periit. Quod vero ad *Alphonſum* attinet, is quidem aberat, & in Gallia, quid Principes Imperii de ſe ſtatuerent, præſtolabatur. Venerunt interim Principum Legati, ut illum in Germaniam abducerent, ibi, dum diſcordias Germaniæ & Italiæ reformidat, ſuisque magis ſpeculationibus Philoſophicis incumbit, cunctando, præter Imperium, ſuum quoque Regnum amiſit, exutus eo domi *a Sanctio* filio. Reverſus igitur Hiſpalim, mœrore contabuit. In hoc Germaniæ Interregno, & in his motibus, *ſeptem Imperii Principes primarios*, qui deinde *Septemviri*, atque *Electores* dicti ſunt, id juris nactos fuiſſe,

ut ſolis iis liceret Imperatorem eligere, Viris Doctis evadit veriſimile.

RUDOLPHUS HABSBURGENSIS.

Poſt longam Imperii vacationem, multaque bella inter Principes ultro citroque habita, hortante Pontifice *Gregorio X.* ut tandem Imperio Caput imponeretur, *RUDOLPHUS Comes* Habsburgenſis, poſtquam *Ottocarus* Bohemiæ Rex delatam ſibi poteſtatem repudiaverat, Imperator electus fuit. Eſt autem Habsburgenſis Arx, in Helvetia ſita, a *Rapotone*, Guntrani Altenburgenſis Comitis filio, condita, ſed nunc ſolo æquata. Ante adeptam dignitatem, in aula Ottocari *Curiæ Magiſtrum* egerat Rudolphus, quæ res, non apud Ottocarum tantum, ſed & alios Imperii Principes, *Bavarum* ſcilicet, *Badenſem*, & *Würtenbergenſem*, contemtum ei initio peperit. Cum enim *Comitia Noribergæ* habenda, hanc maxime ob cauſam, ut qui privata poteſtate aliena bona ad ſe rapuiſſent, illis cederent, indixiſſet, cæterique Principes frequentes advenilſent, ii, quorum mentio injecta, ſoli emanſerunt. Hoc in contumeliam accipiens Rudolphus, ne quid tamen immoderate ageret, per Legatos, ab *Ottocaro Auſtriam*, ab aliis alia repetit. Cum vero nihil proficeret, & jam ad tertia Comitia contumaces fruſtra evocaſſet, ad arma deveniendum erat. Devicto igitur *Marchione Badenſi*, & hujus confœderatis in Suevia & Alſatia, qui occupata reddiderunt, in Auſtriam bellum tranſtulit adverſus *Ottocarum*, qui jam in an-

num

num 22. Auſtria potiebatur, & *Legatos Rudolphi, contra fas gentium, ſuſpenderat.* In hoc bello, devicto *Henrico Bavaro*, *Ottocari ſocio*, cum Rudolphus Auſtriam omnem in deditionem accepiſſet, & Ottocarus cum vicino Rege Hungariæ amicitiam junxiſſet, Amicorum interceſſione factum eſt, ut Ottocarus in gratiam receptus, *feuda Bohemiæ & Moraviæ impetrarit*, ea conditione, ut ab Auſtria abſtineret: quæ pacta, matrimonio fuerunt confirmata, dum *Wenceslao* Ottocari filio, nuptiæ filiæ Rudolphi, ſunt promiſſæ. His conventis cum non ſtaret Ottocarus, ſed aliquanto poſt bellum redintegraret, a Rudolpho acie victus & interfectus eſt, cujus filio Wenceslao regnum Bohemiæ relictum, data ei in uxorem *Gutha*, filia Rudolphi, quæ antea illi fuerat deſponſata; *Auſtriam* vero Rudolphus filio ſuo *Alberto* conceſſit, a quo deinde Duces Auſtriaci ortum ſuum traxerunt. Dehinc *Helvetios* perdomuit Imperator, *latrones* præterea in Germania compeſcuit, Arces eorum devaſtans: ajuntque in ſola Thuringia, arces 70. fuiſſe deſtructas, quæ, durante Interregno, aut conditæ, aut occupatæ, prædonibus lares & perfugium præbuerant. *Romam evocatus Rudolphus*, ad coronam Imperialem accipiendam, comparere noluit, publice novas ſemper occupationes cauſatus, apud amicos vero minime diſſimulans, ideo ab hoc itinere ſe deterreri, quod Cæſarum in Italiam tendentium veſtigia læta, inde redeuntium, triſtia, & luctuoſa cerneret. Ut tamen Civitates Italiæ, *Florentiam* nempe

nempe, aliasque ad Imperium attinentes, contra molitiones *Nicolai III.* Pontificis, qui cognatos ſuos Italiæ Reges creare conabatur, æquiores haberet, accepta pecunia, libertatem iis indulſit. Idem, ut Pontificem placaret, *Romandiolam* ei, & *Ravennam*, cum *Exarchatu*, gratis conceſſit: ex qua re Pontificum autoritas & potentia crevit, contra Imperatoria dignitas fere extincta eſt, Regnumque Romanorum in Italia defecit. Pſeudo-Fridericum *Tilo Colup* alias vocatum, qui ſe pro Friderico juniore Suevis & Thuringis oſtenderat, urbesque quasdam ad ſe pellexerat, Noveſii expulſum, Wezlariæ comburi juſſit, in loco, qui etiamnum der Käyſers-grund vocatur. Imperavit Rudolphus *annos 17.* atque ætate provectior, coactis Erphordiæ Comitiis, a Principibus petiit, ut filium Albertum crearent Imperatorem. Quod, cum impetrare non potuiſſet, Francofurti ægritudine correptus, Spiram deferri voluit, ſed, in itinere, in oppido Germersheim fato functus eſt.

Vxor Rudolphi prima fuit, ANNA, filia Alberti Comitis de Hohenberg. Ex hac nati ſunt, *Rudolphus* Dux Sueviæ, qui ante patrem obiit. *Hermannus*, qui ſimiliter ante patrem mortuus eſt. *Fridericus*, *Rudolphus II.* *Albertus* Dux Auſtriæ & Imperator, *Hermannus*, *Carolus*, *Euphemia*, Monialis in monaſterio Tulna. *Gutha*, uxor Wenceslai Regis Bohemiæ, Ottocari filii. *Mathildis*, quæ nupſit Ludovico Seniori, Duci Bavariæ. *Agnes*, uxor Alberti Ducis Saxoniæ. *Catharina*, uxor Othonis Regis

Hun

Hungariæ, & Bavariæ Ducis. *Hedwigis*, uxor Othonis Marchionis Brandenburgici. *Clementia*, uxor Caroli, Regis utriusque Siciliæ & Hungariæ. AGNES, Burgundiæ Ducis filia, altera Rudolphi uxor, qum ætate provectior duxit, mater haud facta eſt, & poſt mortem mariti, in Burgundiam rediit.

ADOLPHUS NASSOVIUS.

Poſt obitum Rudolphi, ADOLPHUS Naſſovius, Ordinum illius Dux, aſtu *Gerhardi* Moguntini Archiepiſcopi, qui ei cognatus erat, Imperator creatus eſt. Cum enim is deſperaret, ſe aperta prenſatione ei ſuffragatores conciliare poſſe, ſuum cuique æmulum, velut imminentem Imperio objiciens, ut omnes in Adolphum conſentirent, effecit. Nihil vero ab eo valde memorabile geſtum reperitur, brevique toti Imperio exoſus redditus eſt, quia contra dignitatem, *Eduardo Angliæ Regi*, adverſus Galliæ Regem bella gerenti, mercenariam operam, centum millium aureorum accepto ſtipendio, addixerat, & quidem mala fide. Cum enim illa tempeſtate, *Albertus Thuringiæ Landgrafius*, cum filiis *Friderico & Ticemanno*, armis contenderet, Adolphus, ab Alberto accitus, ſpemque Thuringiæ occupandæ animo concipiens, pecuniam quam ab Anglo acceperat, in Thuringicum bellum convertit. Ea res, prout dictum, animos Principum ab eo alienavit, atque idem Moguntinus, qui antea autor iis fuerat, ut Adolphum Imperatorem eligerent, nunc, ut imperio

pelleretur, ſua autoritate facile perſuaſit. Ab Electoribus igitur poteſtate exutus eſt, eaque in *Albertum*, Rudolphi filium collata, qui cupide annuit; Adolphumque in prælio prope Spiram commiſſo, interemit, poſtquam 6. annis Imperio præfuerat.

Conjugem nactus eſt Adolphus IMAGINAM, Comite Limburgio genitam; ex hac ſuſcepit filium *Adolphum*, aliosque duos, quorum nomina ignorantur. Suſcepit item filiam *Mechtildem*, quam Rudolpho Comiti Palatino Rheni elocavit.

ALBERTUS AUSTRIUS.

ALBERTUS Auſtriacus, Rudolphi Habsburgenſis filius, Imperium quod per 10. annos adminiſtravit, parum lætum habuit, *triſtique fato eſt extinctus*; quali etiam periiſſe feruntur Socii omnes, qui ei contra Adolphum adhæſerunt. Creditur Albertus *avaritiæ* laboraſſe vitio, unde & multi, bella ab eo ſuſcepta, non admodum juſta fuiſſe dictitant. Geſſit autem Albertus bella *cum Rudolpho Palatino*, *Othone Bavaro*, *& duobus Miſniæ Ducibus, Friderico & Ticemanno*. Et primum quidem bellum, ſatis ex ſententia confectum fuit, cætera non item. In bello enim adverſus Othonem, *oculum perdidit*, in Miſnico vero, cladem & damna retulit. Tentavit etiam Albertus, *Hungariæ, & Bohemiæ Regna*, ſed, illo excidit, hoc vero *Rudolpho* filio impetravit, cum *Wenceslaus VII.* per ſeditionem in Moravia eſſet occiſus. Peremto paulo poſt ſimi-

liter

liter Rudolpho, cum Bohemiæ Regnum arripuiſſet *Henricus Dux Carinthiæ*, illud valido collecto exercitu eidem eripere molitus eſt. At, in ipſa expeditione, Albertus a fratris Rudolphi filio *Johanne*, Sueviæ Duce, cui tanquam prodigo, Sueviæ adminiſtrationem ademerat, ope trium conjuratorum, *Rudolphi de Warth*, *Waltheri de Eſchebach*, & *Ulrici de Palm*, cum e thermis Badenſibus rediret, prope Vindoniſſam, (in quo loco Conjux poſtea Monaſterium Königsfeld fundavit,) crudeliſſime fuit trucidatus. *Johannes enim* Dux, initium cædis fecit, ſica in jugulum Imperatoris adacta: cæteri ſecuti, caput diſſecuerunt, mediumque pectus perfoderunt.

Vxor Alberti fuit ELISABETHA, Mainhardi Ducis Carinthiæ & Comitis Tyrolis filia. Ea *ſalis mineram invenit Hallis*, prope Gemundam, in ſuperiori Auſtria, omnibusque Monaſteriis de ſale in Auſtria proſpexit. Vixit aliquot annos poſt mariti interfectionem, & ſepulta eſt in Cœnobio Königsfeld, quod condidit. Ex ea nati ſunt: *Rudolphus Mitis*, Rex Bohemiæ. *Henricus Placidus*. *Otho Venuſtus*. *Leopoldus*. *Fridericus Pulcher* Cæſar. *Albertus Sapiens*. *Agnes*, uxor Andreæ III. Regis Hungariæ. *Eliſabetha*, uxor Theobaldi Ducis Lotharingiæ. *Anna*, uxor Hermanni Marchionis Brandenburgenſis, poſt Ducis Poloniæ. *Catharina*, uxor primo Caroli Ducis Calabriæ, deinde Hencici VII. Imp. *Gutha*, uxor Ludovici Comitis de Oettingen.

gen. Nati ſunt ex eadem Imperatrice filii alii X, qui omnes præmatura morte diem obierunt.

IMPERATORES CONSTANTINOPOLITANI.

BALDUINUS.

Balduinus, Flandriæ Comes, cujus in præcedente Seculo mentionem jamdum injecimus, expugnata Conſtantinopoli, Orientis Imperator factus eſt. Cæterum, is honos brevis illi fuit; qui enim ex urbe Conſtantinopoli evaſerant, auxilia paſſim quærebant, & imprimis per *Bulgarorum Principem Johannem*, multas urbes receperunt. His ad Adrianopolin occurrens Balduinus, per inſidias captus, & truncatis manibus pedibusque, miſere excarnificatus eſt. Notandum vero, adverſus Balduinum, alium Nicææ a Græcis creatum fuiſſe Imperatorem, *Theodorum Laſcarim*, *diviſo ſic Orientali Imperio, unaque Sede Conſtantinopoli, altera Nicææ conſtituta.* Theodorum excepit *Johannes Ducas*, & iſtum, *Theodorus Laſcaris* junior. At hos ſequutus *Michaël Palæologus*, ejectis Flandris, Conſtantinopolin Græcis iterum aſſeruit.

HENRICVS.

Balduino fratri, ſucceſſit Henricus, & imperavit annis 11. qui, *pace cum Walachis firmata*, & filia Ducis eorum in uxorem ducta, domi foris-que cum prudenter ſe gereret, in Theſſaliam profectus, *Guiljelmum*, *filium Bonifacii*, *Regem*

Theſſa-

Theſſaliæ declarat: mox moriens, Jolantam filiam, Petro Antiſiodorenſi nuptam, reliquit heredem.

PETRVS ANTISIODORENSIS.

Petrs Antiſiodorenſis, cum *Jolante,* Henrici filia, Imperium quaſi hereditario jure adiit, *Romamque profectus eſt, ut ibi a Pontifice coronaretur;* ſed valde infeliciter. Nam, *Theodorus Laſcaris* intereà *Epirum* occupabat, & *Dyrrachium*, inde Petro reditum ad urbem Conſtantinopolin intercluſurus. Delatus igitur Petrus in nemoroſa Theſſaliæ loca, incidit in inſidias, & poſt diuturnam captivitatem, a Theodoro trucidatus fuit, cum Imperium per annos 5. tenuiſſet.

ROBERTVS.

Petro extincto, illius vidua imperium adminiſtravit usque ad reditum ex Gallia Roberti filii. Is, *impenſe coluit Venetorum amicitiam, Romamque abiit inaugurationis cauſa*: unde reverſus, in Achaja morbo extinctus eſt, cum 7. annis imperaſſet.

BALDVINVS.

Balduinus junior, Roberti filius, ſeu, ut alii volunt, frater, *ultimus fuit ex Flandris Byzantinorum Imperator:* qui initio, vim reliquorum Græcorum, ex omni parte ad Imperium amiſſum confluentium, auxiliis Venetorum, & ſoceri *Johannis Bryennii*, Regis Hieroſolymitani, fortiter

titer ſuſtinuit. Sed tandem *victus a Michaële Palæologo Imperatore Nicæenſi*, Imperioque exutus, in Euboeam ad Venetos, & inde in Italiam profugit, deſiitque in Oriente Imperium Flandrorum, quod pæne 60. annos, etſi exigua poteſtate circumſcriptum, duraverat. *Græcæ interim, & Orientales Eccleſiæ, circa hoc tempus, ab obedientia Papæ Romani plane receſſere.*

MICHAEL PALÆOLOGVS.

Michael Palæologus, Alexii III. ex filia *Irenè* pronepos; vir manu ſtrenuus, ingenti animo, *cum Deſpota Theſſaliæ & Epiri, Michaële Angelo*, cumque fœderato illi Principe Peloponeſi & Achajæ, feliciter bella geſſit. Proclamatus à Proceribus Imperator, *Flandris & Venetis, proditione agricolarum, ipſam Conſtantinopolin eripuit*: filioque Theodori Laſcaris Johanne, cujus tutor erat, per ſummum ſcelus occiſo, *Eubœam, Lemnum, & Chium recepit*, ſed non retinuit. *Genuenſibus, Venetis, & Piſanis*, qui hactenus quietè Conſtantinopolin incoluerant, fidemque ſe porro Imperatori ſervaturos pollicebantur, *Golatam*, ſeu *Peram* urbem, habitandam conceſſit. Cum variis difficultatibus premeretur, ut auxilia ab Eccleſia Romana impetraret, in *Concilio Lugdunenſi* fidem ejus profeſſus eſt, Græcosque ſuos Papæ Romano ſubjecit. Sed Epiſcopi Græcorum, nihil horum ratum habuere, ipſeque Imperator irrita fecit quæ promiſerat, ideo à *Martino IV.* Papa anathemate percuſſus. Nec minus ſuis deinde inviſus fuit, & fato functus, a filio ne

plebs-

plebejo quidem ritu ſepultus, haud procul a caſtris, in quibus tunc erat, humo eſt obrutus. Imperavit annos 22.

ANDRONICVS PALÆOLOGVS.

Andronicus Palæologus, Michaëlis filius, qui *Senior* cognomento dici ſolet, per univerſos 48. annos imperium tenuit. Fuit ignavus, & infelix, atque propter domeſtica diſſidia, cum negligeret res Aſiaticas, *Turcis* commodiſſimam occaſionem ſuas res agendi ac promovendi dedit. Horum enim potentia, continuo progreſſu, in omnem ſeſe Aſiam anteriorem, incredibilibus ſucceſſibus extendit, adeo, ut partas armis provincias, *ſeptem Principes* inter ſe dividerent, quos univerſos paulo poſt Ottomannidæ oppreſſerunt. Cæterum, Andronicus Palæologus, mortuo *Michaële* filio, Imperii conſorte, filium ejus *Andronicum*, nepotem ſuum, heredem deſignat: ſed is avo ſæpius rebellis, tandem ſenecta feſſum, imperio privavit & monaſterio incluſit, ſic igitur privatus diem obiit ſupremum.

Notandum, Andronico Seniori, ex JOLANTA, filia Bonifacii V. Marchionis Montisferrati, filium fuiſſe *Theodorum*, a quo genus traxere poſtremi *Marchiones Montisferrati*. Horum ultimus ex Palæologis, *Johannes Georgius*, A. C. 1534. fato functus, Ducatum Montisferrati, qui 200. amplius annos in familia Palæologorum fuerat, ad *Mantuæ Duces* transmiſit.

PON.

PONTIFICES ROMANI.

HONORIVS III.

HOnorius, ex Illuſtri *Sabellorum* familia natus, *Fridericum II.* Cæſarem Romæ coronavit, utque expeditionem celeriter contra Saracenos ſuſciperet, ei præcepit. Quod cum exequi non poſſet Cæſar, impeditus *Longobardorum motibus*, iram Pontificis concitavit, qui eum diris devovit, & ſubditos fidelitatis juramento ſolvit. Mortuus eſt Honorius, cum annis fere 11. Eccleſiæ Romanæ præfuiſſet.

GREGORIVS IX.

Gregorius IX. natione *Hernicus*, *contra Fridericum II. excommunicatum*, *crucem prædicavit*, tanquam adverſus infidelem, vitamque æternam omnibus eum impugnaturis promiſit. Adjecit, opera uſus *Raymundi Barcinonenſis*, *Decreto Gratiani libros quinque Decretalium.* Idem *Franciſcum*, *Dominicum*, *Antonium Vliſſiponenſem*, & *Eliſabetham Heſſam in numerum Sanctorum retulit:* atque hæc poſtrema quidem, dum Sancta pronunciabatur, *duodecies centena hominum millia* Marpurgum confluxiſſe traditur. Tenuit Gregorius Romanæ Eccleſiæ clavum annis 14.

COELESTINVS IV.

Cœleſtinus, paucorum dierum Pontifex, *ante adeptum Pontificatum*, *animo in Cæſarem bono*, *poſtea hoſtili erat*, unde & Fridericus, non læti-

tiæ, ſed doloris cauſam ſe habere dixit, quod Cardinalem amicum amiſiſſet, infenſum Pontificem paraſſet. Poſt Cœleſtini obitum, *ſedes plus quam annuo ſpatio vacua perſtitit*, cum Cardinales aliquos, Fridericus ſecum captivos haberet: eos igitur, ne diutius protraheretur electio, libertati reddidit.

INNOCENTIVS IV.

Innocentius IV. annos 11. Eccleſiam Romanam rexit, atque *ejus ſedem primo Lugdunum in Galliam, hinc Genuam, inde Mediolanum tranſtulit*. *Concilium Lugduni* habuit, in quo Fridericum Imperatorem excommunicavit, quin & repudiato Filio ejus *Conrado*, *Wilhelmum* Hollandiæ Comitem, ſucceſſorem conſtitui voluit. Ajunt Innocentium *Cardinalibus rubrum galerum donaſſe*, ut monerentur, paratos ſe eſſe debere ad profundendum pro Eccleſiaſtica libertate ſanguinem. *Scripſit Innocentius Apparatum ſuper Decretales*, quin & alium librum, *Novellas* ſive *Authenticas* appellatum; præterea *librum de Pontificis autoritate & Imperatoris juribus, contra Petrum de Vineis*: etſi duos hos poſteriores, ipſe Bellarminus lib. de Script. Eccl. nunquam ſe vidiſſe teſtatur. *Ludovicum*, Galliæ Regem, caput Expeditionis ſacræ in Saracenos conſtituit, eique titulum diu intermiſſum, *Chriſtianiſſimi* renovavit, ut perpetuus ſucceſſoribus eſſet. Vixit hac ætate *Robertus Epiſcopus Licolnienſis*, Romanorum malleus & contemtor dictus, qui Papam, *palam Antichriſtum vocabat*, deque eo dixerat verſu:

Ejus avaritiæ totus non ſufficit Orbis,
Ejus luxuriæ, meretrix, non ſufficit omnis.

Neque tantum vivus Innocentio, ſed & poſt obitum moleſtus fuiſſe dicitur: cum enim Innocentius qui eum extreme oderat, oſſa defuncti e templo ejicere conſtituiſſet, apparuiſſe huic Robertus, *illique lethale vulnus inflixiſſe* fertur, ex quo obierit. Addunt, ſub obitum exauditam eſſe vocem: *Veni miſer ad Dei judicium.*

ALEXANDER IV.

Alexander, *Manfredo* Siciliæ regnum, poſt mortem Conradi, vindicanti, totis viribus ſe oppoſuit, & factionem *Gibellinam*, quam inde *Manfredus in Apulia*, hinc *Eccelinus, per Tuſciam & Inſubriam* tuebantur, armis extinguere conatus eſt, ſuis partim ſtipendiis milites alens, partim crucis prædicatione, & propoſitis indulgentiis, ex Gallia exercitum adducens: miſſis etiam Monachis mendicantibus per Italicas urbes, qui concionibus ſuis adverſus Gibellinos populum excitarent. Idem *Angliam* exactionibus vexavit, ita ut venderet Prælatos tanquam boves & aſinos. Ægre id multi tulere, atque Londinenſi Epiſcopo expreſſit vocem: *Papa operatur omnia, ſed non in ædificationem verum ruinam.* Ad quæ, cum *Ruſtandus*, Legatus reſpondiſſet: *Eccleſias omnes eſſe Domini Papæ:* ſubjecit quidam Anglus: *Verum eſt, tuitione, non fruitione, defenſione, non diſſipatione.* Alexander ſex annos, & aliquot menſes, Pontificatum adminiſtravit.

VRBANVS IV.

Vrbanus IV, Gallus origine, patre ſutore veteramentario in Trecenſi urbe natus, feſtum *Corporis Chriſti*, quod vocant, hoc eſt circumgeſtationem hoſtiæ conſecratæ in hierotheca, in gratiam *Evæ*, fœminæ Leodienſis, quam amabat, & quæ per inſomnia de hàc re ſe monitam fuiſſe prædicavit, vel, ut alii volunt, *Thomæ Aquinatis* inſtinctu, inſtituit. Sedit annos tres, & menſem unicum.

CLEMENS IV.

Clemens IV. *conjugatus antea*, & liberorum pater, *Ludovici Regis Galliæ Conſiliarus*, *Carolum Andegavenſem Comitem*, contra Manfredum advocat, ac Siciliæ & Hieroſolymæ Regem illum creat, ea tamen lege, ut Romanæ Curiæ quotannis *48. millia aureorum nummûm, & tertio quoq; anno equum candidum in cenſum perſolveret, nec Romanum imperium etiam ultro oblatum reciperet. Conradinum*, Conradi filium, Siculum paternum regnum repetentem, nefarie prodidit; autorque fuit Carolo Andegavenſi, ut eum cum *Friderico* Auſtriaco capitis ſupplicio afficeret. Clemens, per quadriennium fere pontificatu functus eſt, atque juvenis, *multa, ad Jus Civile pertinentia, item in primum & ſecundum Decretalium Commentarios ſcripſiſſe dicitur.* Poſt ejus obitum, Sedes vacavit annis tribus, eo quod Cardinales, de ſucceſſore eligendo convenire non poſſent.

GREGORIVS X.

Poſt longam contentionem, tandem Clementi IV. contra Romanæ Eccleſiæ inſtituta, *Viterbii*, Succeſſor datus eſt *Gregorius X. Placentinus*, abſens, per æmulationes Cardinalium. Vnde de illo evulgati verſus:

Papatus munus, tulit Archidiaconus (Leodienſis) *unus*,
Quem Patrem Patrum fecit diſcordia Fratrum.

Iſte celebravit *Concilinm Lugdunenſe*, cui præter eum, & *Michaëlem Palæologum* Imperatorem Byzantinum, interfuerunt *Epiſcopi quingenti*, & *mille amplius Prælati.* Diſceptatum cum Græcis, *de proceſſione Spiritus S.* Concluſum tandem, *ut Papa Romanus inter Patriarchas primus nominaretur*; *ut Romam e Græcia appellatio fieret: ut in omnibus rebus primum locum Pontifex Romanus obtineret:* & ita Eccleſiam Græcam Romanæ ſubjecit Michaël, non tam adductus religione, quam ſpe auxiliorum, quibus fore ſibi opus intelligebat, ad tuendum Imperium, quod parricidio ſibi pepererat. Cæterum, unio illa adeo diſplicuit Græcis, ut Michaële mortuo, non tantum omnia retractarint, ſed & ipſum ne ſepultura quidem in loco ſacro dignarentur. Actum præterea in hoc Concilio, de Reformatione Cleri, verum incaſſum, expeditio tamen in Palæſtinam decreta, & *ritus in Pontificis electione obſervandi*, conſtituti ſunt. Gregorius annos 4. Pontificatum adminiſtravit.

INNO-

INNOCENTIVS V.

Innocentius V. natione Burgundus, 6. tantum menſium Pontifex, ad Italiæ motus ſedandos ſtatim poſt electionem adjecit animum: itaque Legatos miſit, qui Hetruſcos, in Piſanorum perniciem conſpirantes, ad mitiora conſilia flecterent; Genuenſes vero & Venetos ab armis utrinque diſcedere juſſit, anathema ipſis interminans. Ante adeptum Pontificatum *ſcripſit in quatuor libros Sententiarum.* Dicitur etiam ſcripſiſſe *in Pentateuchum, in Pſalmos, in Evangelium Lucæ, & in Epiſtolas S. Pauli,* & denique *Compendium Theologiæ.*

HADRIANVS V.

Hadrianus V. Genuenſis, *Innocentii IV. nepos,* qui ſolis *40. diebus* Pontificatum obtinuit, nihil memoria dignum, in tantillo ſpatio gerere potuit.

JOHANNES XXII.

Johannes XXII. Sedi Romanæ per menſes 8. præfuit, nihilque de eo traditur, niſi quod Legatos miſit ad *Michaëlem Palæologum,* & Occidentis Reges, qui eos hortarentur, ut pace inter ſe compoſita, junctim arma in Saracenos converterent. Periit *ruina conclavis,* quod in Palatio Viterbienſi ipſe ſibi exſtruxerat, contra opinionem; longam enim vitam ex ſtellis ipſe ſibi prædixit.

NICOLAVS III.

Nicolaus III. a Rudolpho Imperatore *Exarchatum Ravennatenſem, cum Romandiola,* ea conditio-

ditione impetravit, ut ſuo ſumtu bellum in Palæſtina perſequeretur; quod cupide quidem arripuit, ſed bellum interim neglectum eſt. *Carolo Siciliæ Regi*, Senatoriam in urbe Roma dignitatem, & Vicariatum Hetruriæ Nicolaus ademit, ideo exacerbatus, quod Carolus Regiæ ſtirpis puellam, nollet fratri Pontificis nuptum dare, dictitans: *Etſi Nicolaus calceo rubro uteretur, ejus tamen agnatos regii ſanguinis puella indignos eſſe.* Non ultra biennium poteſtatem Nicolaus geſſiſſe deprehenditur.

MARTINVS IV.

Martinus, Turonenſis Gallus, Carolo Siculo honores ademtos reſtituit, *Petrum Aragonium excommunicavit*, regnum *Carolo Valeſio* Philippi III. Regis Galliæ filio, donavit, *Bellum cum Forolivienſibus* geſſit, qui moniti a *Guidone Bonato*, Mathematico, quo die, & qua hora pugnare feliciter poſſent, prælium ſecundum faciunt, & patriam obſidione liberant. Sedit Martinus annis 4.

HONORIVS IV.

Honorius IV. ex nobiliſſima *Sabellorum familia* oriundus, annis duobus Eccleſiæ Romanæ præfuit, quibus nihil admodum memorabile geſſit. Miſerat Legatum in Germaniam, ad *Conventum Imperii Würzburgenſem*, qui flagitabat nervos belli ſacri, quartam videlicet partem omnium redituum in Germania ad annos 4. Sed vero nihil obtinuit, nam *Probus, Tullenſis Epi-*

ſcopus.

ſcopus, præſente Rudolpho Imperatore, contra Papas aculeatiſſimam Orationem habuit, eos Romulæos vultures, ac Nebulones, genusque Archiſynagogæ peſſimum, vocitans.

NICOLAVS IV.

Nicolaus IV. Picentinus natione, & Minoritarum antea Generalis, *Carolo utriusque Siciliæ Regnum*, tanquam feudi dominus poſſidendũ tradidit, a quo viciſſim poteſtatę exigendi decimas a Sacerdotibus, per annos ſex impetravit. Pro tuenda *Ptolemaide*, milites mille quingentos, ære conductos miſit, aliosque cruce ſignatos quam plurimos. De eo, fato ſuo proximo, ſic eſt apud Cranzium l. 8. Saxoniæ c. 35, *Moriturus*, inquit, *Cardinales omnes ad unum usque convocavit, atque a dignitate in qua conſtituti erant, abſolvit. Conſternati purpurati Patres primum, mox tanquam mente captum deſerunt. Vocat igitur totidem Minoritas, quibus titulos Cardinalitios aſſignat, & jurejurando obligatos ab illis flagitat, ut ex ſuo numero aliquem eligant ſucceſſorem, & impoſterum ſemper aliquem, qui ordinis Minorum ſit.* Hactenus Cranzius. Nicolaus annis 4. Romanam rexit Eccleſiam. Poſt ejus mortem Cardinales *Peruſii* ad electionem convenientes, *annos duos menſesque tres* in contentionibus perſeverarunt.

COELESTINVS V.

Cœleſtinus, pridem *eremita* fuerat, illamque vitæ conſuetudinem, ægre cum Pontificio

habitu permutavit, utpote vir ſimplex, & literarũ penitus rudis. Id cum ſciret *Bonifacius Cardinalis*, abuti ſimplicitate ejus cœpit, eiq; perſuadere, ut Pontificatu ſe abdicaret. Quod cum facere promtus eſſet Cœleſtinus, dummodo id ſibi licerę ſciret, ſubornavit quosdam Bonifacius, qui clam per canaliculum noctu in Cubiculum Cœleſtini vocem immitterent, tanquam cœlitus delapſam: *Cœleſtine, Cœleſtine, dimitte Papatum ſi vis ſalvus fieri; negotium ſupra vires eſt.* Paruit igitur Cœleſtinus, & ſe abdicavit poſt annum unum & menſes quinque initi Pontificatus, ſuccedente Bonifacio, qui illum in eremum reverſurum, retrahit, carcerique includit, eam cœpti cauſam allegans, ne homines mali & ſeditioſi illius patientia ad res novas moliendas abuterentur. In hoc carcere duobus annis egit Cœleſtinus, edens miracula, prædicens futura, & Deum orans pro ſucceſſore. Retulit poſtea hunc Cœleſtinum Clemens V. in numerum Sanctorum, propter opinionem ſeverioris vitæ: quæ cauſa etiam fuit, ut *novus Monachorum Cœleſtinorum ordo*, ab ipſo dęnominaretur.

BONIFACIVS VIII.

Bonifacius, Pontificatum, per 8. annos tenuit, *primus anni Jubilæi celebrationem*, centeſimo quoque anno deinde renovandam, inſtituit, in eaque plenam omnium delictorum indulgentiam, & remiſſionem peccatorum, omnibus Sanctorum Petri & Pauli limina Romæ viſitan-

viſitantibus, tribuit. Ad hanc igitur ab omnibus partibus Chriſtiani Orbis concurſus ingens factus eſt. Cæterum Bonifacius, Gibellinorum hoſtis ingens fuit, notumque, ipſum *Porchetæ Spinolæ*, *Archiepiſcopo Genuenſi*, die cinerum ad pedes ipſius proſtrato, cinerem in vultum conjeciſſe, addita exprobratione: *Memento homo, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem reverteris.* Idem, *Philippum Pulchrum, Galliæ Regem*, ob Epiſcopum *Apamenſem*, Legatum Romanæ Sedis, propter inſolentiam carceri incluſum, excommunicavit, ſcribens: *Deum time, & mandata ejus obſerva. Scire te volumus, quod in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes: aliud credentes, hæreticos reputamus.* Sed vero reſpondit Rex: *Philippus Dei gratia Francorum Rex, Bonifacio ſe gerenti pro ſummo Pontifice, ſalutem modicam, aut potius nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non ſubeſſe, Eccleſiarum & Præbendarum collationem ad nos jure Regni pertinere. Secus credentes, fatuos, & dementes reputamus.* Interim Papa, *Albertum Imperatorem*, quem antea diris devoverat, amplexus, Apoſtolica poteſtate donat inſignibus ac titulo Regum Franciæ, eumque ad bellum, quo regnum vindicaret, incitat. Philippus, ut obviaret Pontifici, jungit ſibi affinitate Albertum Imp. ejusque filio *Rudolpho*, filiam *Blancam* in matrimonium collocat. Inſuper *Synodum Pariſiis* indicit, in qua Bonifacius, *Simoniæ*, *homicidii*, *uſurarum*, *atheiſmi*, *ſcortationum*, & *colluſionis cum Saracenis*, convictus eſt, & condemnatus.

Porro, ejusdem Regis juſſu, *Wilhelmus Nogaretus* Pontificem Ananiæ capit, vinctumque Romam perducit, ubi paulo poſt, animi mœrore, & rabie confectus, miſere deſperabundus periit. Proinde verum eſt, quod de Bonifacio vulgo jactatur: *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus eſt ut canis.* Confecit Bonifacius *Sextum Decretalium*, totum cauſidicum, & clericorum contentionibus inſervientem, uſus ad eam rem, *Richardi Senenſis*, & *Berengarii Widerenſis Epiſcopi*, nec non *Wilhemi Archiepiſcopi Eberodunenſis* opera. Extat ejus conſtitutio inter Extravagantes Communes, titulo de Majoritate & Obedientia, in qua legas: *Dicentibus Apoſtolis, Ecce gladii duo hic: in Eccleſia ſcilicet, cum Apoſtoli loquerentur, non reſpondit Dominus nimis eſſe, ſed ſatis. Certe qui in poteſtate Petri temporalem gladium eſſe negat, male verbum attendit Domini proferentis: Converte gladium tuum in vaginam.* Poſtrema verba ſunt: *Quicunque huic poteſtati, a Deo ſic ordinatæ, reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, niſi duo (ſicut Manichæus) fingat eſſe principia, quod falſum & hæreticum judicamus: quia (teſtante Moſe) non in principiis, ſed in principio, cœlum Deus creavit & terram. Porro, ſubeſſe Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus, omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.*

SCRIPTORES SACRI.

GUNTHERUS.

Guntherus; Monachus Pariſienſis, *ſui ævi hiſtoriam Conſtantinopolitanam* conſignavit,

quæ

quæ apud Henricum Caniſium tomo 5. antiquæ lectionis extat.

NICETAS CHONIATES.

Nicetas Choniates, *libris XXI. complexus eſt hiſtoriam annorum 85.* nempe ab obitu Alexii Comneni, ubi deſierat Zonaras, usque ad annum 1203. ſive obitum Balduini, primi ex Latinis Imperatoris Conſtantinopolitani. Lipſius, purum rectumque ingenium illi tribuit, & addit, narrationem ejus eſſe fidam, monita crebra & opportuna, judicia libera & ſana. Scripſit præterea *quinque libros de fide orthodoxa.*

CONRADUS VRSPERGENSIS.

Conradus a Lichtenau, Abbas Vrſpergenſis, Præmonſtratenſis Ordinis, ſcripſit *Hiſtoriam a primo Aſſyriorum Rege Belo, usque ad Fridericum II. Imperatorem.* In rebus quidem Aſſyriis, Perſicis, Græcis, Romanisque, fontes ipſos adire ſatius erit. At, *in rebus Germanicis* ſui ævi, & ſeculorum quæ proxime anteceſſerunt, habet multa, quæ magno cum fructu legantur. Idem *libris XII. complexus eſt vitas Sanctorum.*

S. ANTONIUS DE PADUA.

S. Antonius de Padua, ſic appellatus, quia in ea civitate multa miracula edidiſſe dicitur, in eaque ſepultus, etiamnum ſumma colitur ceremonia. Patria cæteroquin *Vlysſiponenſis* fuit, &, vivente adhuc S. Franciſco, ejus ordinem ingreſſus eſt. Habentur quædam illius *Conciones.* *Arcæ ſacrarum literarum* cognomen tulit, obiitq;

A. C.

A.C.1231. *Eum ſequenti ſtatim anno Gregorius IX. catalogo Sanctorum inſcripſit.*

S. RAYMUNDUS DE PENNA FORTI.

S. Raymundus de Penna forti, Barcinonenſis, ordinis Prædicatorum, *Gregorii IX. Pontificis juſſu, collegit in unum volumen quinque libris diſtinctum, Epiſtolas Decretales Summorum Pontificum*, ut ipſe Gregorius Papa in procemio Decretalium teſtatur. Amplius, *ſummam quoque Theologiæ* edidit Raymundus, illumque ſub hujus demum Seculi initium, Clemens VIII. in numerum Sanctorum retulit.

GVILIELMVS ANTISIODORENSIS.

Guilielmus, Antiſiodorenſis Epiſcopus, *ſcripſit Summam Theologicam*, Scholaſtico more, diſtinctam in Libros, Tractatus, Capita, & Quæſtiones. Notatur a Pontificiis, & imprimis Bellarmino l. 5. de Juſtificat. quod docuerit, *merita hominum juſtorum, prius & principalius a fide, quam a charitate dependere.*

GUILIELMUS PARISIENSIS.

Guilielmus, Epiſcopus Pariſienſis, *de Summa Trinitate, de Sacramentis, de animabus hominum, de dæmonibus*, & alia plurima commentatus eſt.

JACOBUS a VITRIACO.

Jacobus a Vitriaco, Gallus gente, Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, & Epiſcopus Tuſculanus, volumen magnum congeſſit *Concionum de Tempore*, in quibus multus eſt in Sacris Scripturis

ris citandis & exponendis. Condidit præterea *Hiſtoriam Orientalem*, in qua etiam Occidentales res perſequitur: necminus *librum adverſus Saracenos* compoſuit.

Alexander ab Ales.

Alexander ab Ales, Anglus natione, Profeſſor vero Pariſienſis, & Sanctorum Bonaventuræ atque Thomæ Aquinatis Præceptor, *Doctor irrefragabilis* dictus, juſſu Innocentii IV. Papæ, *Summam Theologiæ* meditatus eſt, quæ celebratur maxime. Scripſit *& Poſtillam in Univerſa Biblia*, nec non *Summam Virtutum*.

Hugo de S. Caro.

Hugo de S. Caro, natione Burgundus, Ordinis Prædicatorum, & Romanæ Eccleſiæ Cardinalis tituli S. Sabinæ, *commentatus eſt breviter in totam ſacram Scripturam, ſeorſim etiam in Pſalmos.* Idem, *inventor eſt Concordantiarum Biblicarum*, primusque *libros Sacros in Capita diviſit*, quod deinde imitati ſunt Hebræi, e quibus illi, qui ad fidem Chriſtianam acceſſere, fecerunt initium.

Matthæus Pariſienſis.

Matthæus Paris, ſive potius Pariſienſis, Albanenſis in Anglia monachus, ſumma fide *hiſtoriam Anglicanam, ab occupatione Angliæ per Wilhelmum Normanniæ Ducem facta, incipiens, usque ad tempora Henrici III. annumque 1250. perduxit*; ſic tamen, ut aliorum Regnorum negotia, & Eccleſia;

cleſiaſtica imprimis, non omitteret. *Quæ conſequuntur, usque ad annum 1273. ab alio ſunt addita.* Quia Pontificum fraudes magna libertate Matthæus ediſſerit, ideo Pontificiis Scriptoribus non usque quaque eſt acceptus.

MARTINUS POLONUS.

Martinus Polonus, Innocentii IV. Pœnitentiarius, *ſcripſit Chronicon*, in quo breviter Imperatorum & Pontificum vitas, inde a Chriſti nativitate, & Cæſare Auguſto, ad ſua usque tempora perſequitur: item *Sermones de tempore, & Sanctis.* De Martino hoc Polono valde prolixus eſt Lambecius Tom. 2. Biblioth. Vindob. p. 860. ſeqq. docetque inter alia, eum paulo ante obitum a *Nicolao III.* Pontifice, Archiepiſcopum Gnesnenſem declaratum eſſe, nec Polonum, ſed *Oppavienſem* vocari debere, cum Oppaviam, Sileſiæ ſuperioris urbem, in confinio Poloniæ & Bohemiæ, ad Oppam fluvium, qui in Viadrum influit, ſitam, nunc *Troppa* dictam, patriam habuerit.

VINCENTIUS BELLÒVACENSIS.

Vincentius Bellòvacenſis, Ordinis *Prædicatorum*, ſumtus ſuppeditante B. Ludovico Francorum Rege, *Speculum quadruplex elaboravit.* Nimirum *Doctrinale*, quod libris XVII. omnium ſcientiarum rudimenta complectitur; *Hiſtoriale*, quod exhibet hiſtorias ab origine mundi ad annum usque 1244. *Naturale*, in quo libris XXXII. de rebus omnibus naturalibus tractat; denique *Morale*, in quo de paſſionibus animi,

lege

lege ac gratia, vitiis & virtutibus copioſe diſſerit.

ROBERTVS SORBONA.

Robertus Sorbona, ætate Ludovici S. Galliæ Regis, doctrina & pietate claruit, inſtituitque celeberrimum illud *Sorbonæ collegium Lutetiæ*. Ejus *Opuſcula* nonnulla, uti *de Conſcientia*, *de Confeſſione*, *de Itinere ad Paradiſum*, tomo 5. Biblioth. SS. Patrum habentur inſerta.

ALBERTUS MAGNUS.

Albertus, qui ob ſingularem eruditionem, *Magni* cognomen meruit, Suevus natione, primum monachus Dominicanus, deinde vero Epiſcopus fuit Ratisbonenſis. Ætate ingraveſcente, Epiſcopatu ſeſe abdicavit, & privatus Coloniæ vixit, publicis prælectionibus vacans, ibique *octogenarius* fato functus eſt. Multa illius extant, e quibus notaſſe ſufficit, *Commentaria in libros Sententiarum*, *Commentaria in quatuor Evangelia*, & *Commentaria in 12. Prophetas minores*. Opera omnia *XXI. Tomos* implent. Cæterum, liber *de Mirabilibus*, & alius, *de Secretis Mulierum*, Alberto M. inſcripti, ſuppoſititii ſunt, & tanto Viro indigni. Conditor eſt Albertus *Sectæ Albertiſtarum*, quæ Ariſtotelis Philoſophiam S. Scripturæ æquiparat. Ferdinandus Caſtillus, & ex eo Antonius Poſſevinus, memorant, *ipſum quinquennio ante mortem, omnium quæ in Philoſophia didicerat, oblitum eſſe.* Rogaverat enim Divam Virginem, ne ſe in Philoſo-

loſophorum opinionibus, ſed in fide Chriſtiana & charitate mori ſineret.

THOMAS CANTIPRATENSIS.

Thomas Cantipratenſis, Brabantinus gente, & Suffraganeus Epiſcopi Cameracenſis, Alberti M. diſcipulus, ſcripſit elegantem *librum de Proprietatibus Apum*, in quo, capta ab Apibus ſimilitudine, multa diſſerit de officio Prælatorum, & ſubditorum. Idem, fertur in gratiam Thomæ Aquinatis, condiſcipuli, *Ariſtotelem ex Græco in Latinum convertiſſe.*

THOMAS AQUINAS.

Thomas Aquinas, in oppido Latii Aquino, patre *Landulpho*, Comite Aquini, matre *Theodora Carraciola*, Comitis Theatini filia, natus, cum a teneris totum ſe mancipaſſet literis, adultior factus, *Ordini Dominicanorum* nomen dedit. *Præceptore uſus Alberto M.* tantos in Scholaſtica Theologia profectus fecit, ut inter ejus Doctores primatus illi deferatur, & *Doctor Angelicus* audiat, ex eoque *Thomiſtarum Secta* nomen traxerit. *Opera* illius, quibus tum Sacras Literas & Theologiam, tum Philoſophiam & Ariſtotelis Scripta illuſtravit, *quæque XVII. Tomis continentur*, recenſere, nimis longum foret. *Summam Theologiæ*, in tanta fuiſſe æſtimatione, ut illam non Græci tantum, ſed & Arabes ac Chinenſes in ſuum ſermonem converterint, Chytræus teſtatur. Secundum Sixtum

Senen-

Senenſem, Thomas, ita *mentem S. Auguſtini* introſpexit & exhauſit, ut juxta Pythagoræ μετεμψύχωσιν, communi omnium doctiſſimorum virorum adagio jactatum ſit, Auguſtini animam migraſſe in Thomam. Reperti adeo, qui Thomam S. Auguſtino præferrent, Dermitio Thadæo teſte, cujus hæc propria verba ſunt: Audivi ego virum ſane gravem, Inſtituti Dominicani, & alioqui doctum, qui ita viſionem Ezechielis explicarit in laudem S. Thomæ, ut quatuor animalia, quatuor eſſe Eccleſiæ Doctores, Ambroſium, Auguſtinum, Hieronymum, Gregorium intellexerit: in ſimilitudine vero hominis quæ firmamento extaret, D. Thomam intelligi debere dixerit, tanquam altius in veritate inveſtiganda progreſſum, majorisque authoritatis. Vidi & Currum quendam typis efformatum, in quo primum eum poſt Canonicos Autores, locarunt inventores, ſingulis prælatum Patribus. Non defuerunt, qui Auguſtino præferendum ſuis in theſibus proponerent. Hæc ille. Monſtrant Neapoli imaginem Chriſti crucifixi, quæ ad eam oranti Thomæ dixerit: *Bene ſcripſiſti de me Thoma.* Mortuum Johannes XXII. in numerum Sanctorum retulit.

S. Bonaventura.

S. Bonaventura, primum monachus ordinis Minoritarum, deinde Epiſcopus Albanenſis, tandemque Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, Alexandri ab Ales Diſcipulus, Pariſiis Magiſtrum

ſententiarum, nondum ætatis annum trigeſimum egreſſus, cum omnium admiratione expoſuit; eique *Cherubici & Seraphici* cognomen tributum fuit. *Libri, quos plurimos ſcripſit, in VIII. tomos ſunt* diſtributi. *Habitum, quo nunc utuntur Franciſcani Cardinales*, Bonaventura inſtituit, cum prius aliorum Cardinalium modo incederent.

ÆGIDIUS ROMANUS.

Ægidius Romanus, ex nobili Columnenſium familia ortus, S. Thomæ diſcipulus, multa conſcripſit, ſed quæ magna ex *parte nondum ſunt edita.* Extant tamen impreſſa, *de Regimine Principum libri III. in quibus Bonifacium VIII. Papam impugnat; Commentaria in primum & ſecundum Sententiarum; in Cantica Canticorum lectiones XIX. Tractatus de renunciatione Papæ*, item alia. Ob doctrinæ ſoliditatem, *Fundatiſſimi* cognomen nactus eſt. Sixtus Senenſis eum celebrat, quod fuerit in Divinis Scripturis eruditiſſimus, & in Philoſophia Ariſtotelica nulli ſecundus, ingenio ſubtilis.

RAYMUNDUS LULLUS.

Raymundus Lullus, Majoricanus, *ſcripſit lingua vulgari Hiſpanica multa opera*, quorum aliqua verſa ſunt in Linguam Latinam, quæ inter præcipue eſt, *Ars magna & parva.* Doctrinam ſuam reconditam divinitus ſe accepiſſe, objecta ſibi in monte, Chriſti Dei, quaſi cruci affixi ſpecie, venditabat. Hunc Raymundum, Eimericus in Directorio Inquiſitorum ſcribit accuſatum

tum fuiſſe apud *Gregorium VII. Papam*, vel potius accuſata fuiſſe ſcripta ejus, quod continerent plusquam trecentos errores; unde & Bernhardus de Lutzenburgo, Raymundum Catalogo hæreticorum palam inſeruit. Contra non deſunt, qui eundem Raymundum pro Martyre (in Mauritania enim Saracenis evangelium prædicans, lapidibus fuit obrutus,) colant, ejus ſcripta in pretio habeant, ipſumque Raymundum, *Doctorem illuminatum* appellent. Quid de hac controverſia ſtatuendum ſit, *non liquere ſibi ait Bellarminus*, cum Sedes Apoſtolica nondum id definiverit.

JOHANNES PARISIENSIS.

Johannes Pariſienſis, Ordinis Prædicatorum, *ſcripſit in quatuor libros Sententiarum, & varia Quodlibeta:* item, *de poteſtate Regia & Papali*, quo in libro, Bonifacio VIII. palam adverſatur.

JOH. DUNS SCOTUS.

Obiit A. C. 1308. Tertiæ Scholaſticorum ſectæ, quæ *Scotiſtarum* vocatur, auſpicium fecit, & Thomam Aquinatem ſibi præcipue oppugnandum ſumſit. Ob ſubtilitatem in diſputando, *Doctor Subtilis* dici meruit. Quidam *Tenebricoſum*, alii, *Limam veritatis* appellant. Jovius in Elogiis refert, eum apoplexia correptum, nimis feſtinato funere pro mortuo tumulatum, miſerabili mugitu edito, pulſatoque diu ſepulchri lapide, eliſo tandem capite periiſſe. Opera XII. Tomis comprehenſa habentur.

DURANDUS.

Guiljelmus Durandus, vel Durantes, Provincialis, Epiſcopus Mimatenſis, elaboravit *Speculum, in tria volumnia diſtinctum*, ad Ottobonum, poſtea Hadrianum V. dictum, undè *Speculator* vocari ſolet. *Rationale etiam Divinorum officiorum octo libris complexus eſt.* Hujus, de myſterio Sacramenti Euchariſtiæ, tale circumfertur dictum: *Verbum audimus, modum neſcimus, motum ſentimus, præſentiam credimus.*

HÆRETICI.

ALMARICANI.

Almaricus, Doctor Pariſienſis, docuiſſe dicitur, Deum eſſe animam cœli, Patris omnipotentiam Chriſti adventu deſiiſſe, atque Chriſti doctrinæ, Spiritus S. adventum finem impoſuiſſe. Si homo non peccaſſet, in duplicem ſexum non fuiſſe diviſum, nec generaſſe. Quod cæteroquin peccatum eſt, ſi fiat in charitate, peccatum non eſſe. Baptismum & Euchariſtiam poſt Spiritus S. miſſionem in Eccleſia locum nullum habere. Nullum eſſe Paradiſum, nec Infernum, qui vero cognitione Dei ſit imbutus, paradiſum intra ſe, & qui peccatum mortale patret, infernum intra ſe habere. Cæterum Almaricus, *in Synodo Pariſienſi damnatus*, e terra erutus, & per ſterquilinia tractus, tandem roge ardenti fuit impoſitus.

FRATRICELLI.

Fratricellos, multi eosdem cum Waldenſibus faciunt, quibus in Italia id nominis impoſitum

ſitum fuerit. Fama eſt, docuiſſe illos, Romanam Eccleſiam, ob malitiam Prælatorum, nullius eſſe pretii, omnesque Pontifices, inde a Sylveſtro, ſolo Cœleſtino excepto, fuiſſe illegitimos. Sed apud Philippum Jacobum Bergomenſem, mira de Fratricellis leguntur, & excedentia pæne fidem, quæ afferemus contracta. Hæreſis, inquit, eorum qui ſe Fratricellos nuncupabant, a Bonifacio Pontifice damnabatur, &, perquiſita, exterminari jubebatur: unde & *Hermani* cujusdam corpus, ejus Sectæ autoris, apud Ferrariam urbem 20. jam annos ſepultum, quod pro ſancto colebatur, exhumari & exuri fecit, nec tamen hujusmodi hæreſis exterminari potuit. Quippe, usque ad tempora Johannis XXII. diffuſa, multas Italiæ urbes, & Græciæ oram occupavit. Committebant illi addicti, ſtupra & adulteria non tantum in abditis locis, ſed & ſolemni ceremonia. Vocabantur nempe formoſiores virgines vel viduæ, in antrum aliquod nocturno tempore. Ibi Clerici Sectæ, & Sacerdotes, divinas primum laudes cantabant. His nocte media finitis, Sacerdotes hortabantur cœtum, ut Spiritu ſancto invocato, ruerent in complexus, idque extinctis luminibus factum. Ex ea commixtione natus infans, in antrum deferebatur, quem ibi congregati, per manus ordine ſibi mutuo porrigebant, quoad moreretur. Is, in cujus manibus infantulus exſpirabat, ſummus Pontifex divino ſpiritu creatus habebatur, cæteros infantes prunis aſſabant, collectoque inde pulveri vinum

 aſſun-

affundebant, cujus potu novitios initiabant. Teſtatur Bergomenſis, ſuperfuiſſe ſua adhuc ætate alicubi crudeliſſimam & diabolicam hæreſin.

SCRIPTORES PROFANI.

Petrus de Vineis.

Petrus de Vineis, JC. crimina quæ Gregorius IX. Papa, Friderico II. Imp. objecerat, refutavit, & anathematis fulmen eliſit. Fuit Friderici II. Cancellarius, & ab eo in magno pretio eſt habitus; ſed corruptus a Pontifice, una cum medico, ad Fridericum veneno tollendum conſilium iniit. Re detecta, medicus ſuſpendio periit, ipſe luminibus fuit orbatus, cujus mali impatientia, ſibimetipſi mortem in publico omnium conſpectu conſcivit.

Johannes de Sacrobosco.

Johannes de Sacroboſco Anglus, compoſuit libellum de *Sphæramundi*, qui diu in Scholis legebatur. Edidit quoque *Computum Eccleſiaſticum*, & librum de *Aſtrolabio*.

Henricus de Gandavo.

Henricus de Gandavo, Tornacenſis Archidiaconus, Lutetiæ docuit, ac ob variam eruditionem, *Doctoris Solemnis* nomen promeruit. Commentatus eſt in Phyſicorum & Metaphyſicorum libros Ariſtotelis, nec non in 4. libros Sententiarum.

ALA-

ALANUS.

Alanus de Inſulis, vel Inſulanus, A. C. 1294. obiit. *Doctoris Vniverſalis* elogium, ob omnium diſciplinarum notitiam promeruit. Eum dormientem, licet omnium mortalium maxime deformis eſſet, Galliæ Regina, Belleforeſto teſte, ſuaviter deoſculata eſt. Scripſit opus contra Claudiani Rufinum, unde *Anti-Claudianus* vocabatur. Edidit Parabolas, verſibus conſcriptas. Extat quoque ſcriptum ejus, de *Planctu Naturæ*, partim proſa, partim carmine.

ACCURSIUS.

Franciſcus Accurſius, Florentinus, Jus Civile Bononiæ docuit. Anno ætatis demum 37. Legum ſtudio vacare cœpit, primusque Jus Civile gloſſis illuſtrare auſus eſt. Barthius in notis ad Claudianum, vocat hominem ingenii prorſus ſtupendi. Tanta eſt illius autoritas, ut ſemper ex ejus ſententia, cauſa judicanda ſit, quoties inſignis aliquis Interpres ipſi adhæret.

MEMORABILIA.

ORDO MONACHORUM S. TRINITATIS A. 1223. eſt inſtitutus, autoribus *Johanne Matta*, & *Felice*. Iis *Innocentius III.* negotium dedit, colligere eleemoſynas pro redimendis captivis.

Circa initia Friderici II. Imperatoris, CONRADUS DE MARBURUS, Inquiſitor hæreticæ pravitatis in Germania, multos hæreſeos conde-

mnavit, cremavitque Argentorati homines octoginta. Examen ejus hoc erat, ſi quis eſſet hæreſeos accuſatus, & negaret, ſubjiciebatur judicio candentis ferri: qui adurebantur, tanquam impietatis convicti, rogo addicebantur. Trithemius.

Milites Ordinis Teutonici, Magiſtro HERMANNO DE SALZA, Boruſſiam, jubente Imperatore Friderico II. petunt, eamque brevi tempore ſibi ſubjiciunt, coloniisque ex Germania eductis, habitatam reddunt.

Mersburgi A. 1226. LUDI EQUESTRES celebrantur, ubi Virgo ſumtuoſe veſtita, equo graduario inſidens, & niſum cum cane venatico manu geſtans, victori præmium conſtituta fuit. Propoſuit eam *Waldmannus a Setelſtätt*: is vero omnes ſuſtinuit, nec a quoquam equo dejici potuit. Illorum igitur qui victi fuerant, quisque coactus eſt annulum aureum Virgini dare. *Chron. Querf.*

TARTARI circa A. C. 1242. in Sileſiam irrumpunt. *Vratislavienſes* ſibi metuentes, urbem incendunt, & in arcem confugiunt. Quamobrem Tartari, iis miſſis, *Lignitium* petunt, ubi *Henricus Dux* initio feliciter cum eis pugnat, poſtea tamen magna clade vincitur, & in ipſo prælio trucidatur. Tot Chriſtiani in hoc prælio dicuntur occubuiſſe, ut auriculis, quas ſingulas, ſingulis occiſis, barbari præciderant, novem ſaccos implerent. Sed & ipſi poſtea cæſi fuerunt, in tantum, ut ulterius progredi non auderent.

Anno

Anno 1248, horribilis TERRÆMOTUS Sabaudiam concuſſit, quo, plurimæ urbes & pagi corruerunt, & montibus obruti ſunt, perieruntque novem millia hominum.

FLAGELLANTIVM SECTA, durante Interregno exorta, & Germaniam pervagata eſt. Erant umbilico tenus nudi, facie tecta, ne agnoſcerentur. Nunc in terram corruebant, nunc nuda brachia ad cœlum elevabant, nec frigore a cœptis ſuis deterrebantur.

MARGARETA, Hermanni Comitis Hennenbergiæ uxor, Florentii Comitis Hollandiæ & Seelandiæ filia, Guiljelmi Regis Romanorum ſoror, annos 46. circiter nata, ipſo die Paraſceves, nonam circiter horam, Anno 1276. trecentos & ſexaginta quinque enixa eſt pueros, qui prius a *Guidone*, Suffraganeo Trajectenſi, omnes in duabus ex ære pelvibus baptizati ſunt, quorum maſculi, quotquot erant, *Joannes*, puellæ autem *Eliſabethæ* vocatæ ſunt: qui ſimul univerſi, cum Matre, uno eodemque die fatis conceſſerunt. Quod quidem accidit, ob paupercuIam quandam fœminam, ſtipem petententem, quæ ex uno partu gemellos in ulnis geſtabat pueros. Quam rem ipſa Comitiſſa admirata, dicebat, id per unum virum fieri non poſſe, ipſamque contumelioſe rejecit. Vnde hæc paupercula, animo perturbata ac perculſa, mox tantum prolium numerum ac multitudinem ex uno partu ipſi imprecabatur, quot vel totius anni dies numerentur. Sic eſt in Tabula ſuſpenſa Lauſ-

dunæ, quod Hollandiæ eſt municipium, in templo, eademque confirmat, matrem, cum cœtu liberorum ibi ſepultam jacere.

Galli, cum in Sicilia, quam per annos 14. tenuere, incolas tractarent inclementius, *Johannes Prochyta*, cujus uxorem illi vitiaverant, conſilium cum Proceribus Siciliæ, & *Petro* Aragoniæ Rege, Manfredi genero, init, de Gallorum jugo excutiendo. Sic A. C. 1282. die 30. Martii, feria ſecunda Paſchatos, cum ſignum daretur ad preces veſpertinas, omnes Galli per Siciliam fuere trucidati, infantibus etiam, quos Siculas fœminas e Gallorum compreſſione concepiſſe ſuſpicabantur, ex utero exſectis, & ad ſaxa alliſis, ne quid Gallici ſanguinis ſupereſſet. Periiſſe dicuntur Gallorum octo millia. Petrus Aragoniæ Rex, ea de re certior factus, ſtatim in Siciliam tranſit, & ſe Siciliæ ac Apuliæ Regem coronari jubet. *Carolus Andegavenſis* ex Hetruria advolat, & Meſſanam aggreditur, ſed re infecta diſcedere, regnumque deſerere fuit coactus.

A. 1284. moritur Alphonsus X. cognomento *Sapiens*, Hiſpaniæ Rex, Hiſtoricus, Philoſophus, & Mathematicus inſignis. Is, Biblia cum Commentariis decies & quater perlegit; convocavit non Chriſtianos tantum, ſed & ex Hebræis & Mauris Aſtronomos præſtantiſſimos, qui, illius auſpiciis, *Tabulas Alphonſinas* fecerunt, in quas ipſe quater centena millia aureorum expendit. *Equitum S. Jacobi Ordinem*, Concham ſupra pectus geſtantem, *gladio ſanguino-*

guinolento decoravit, quia in prælio cum Mauris ipſi apparuit S. Jacobus, equo candido vectus, cum gladio cruento ex Maurorum ſanguine, atque exinde Jacobus Hiſpanorum Patronus eſt habitus. Merito in dubium quis vocet, quod de Alphonſo hoc, incertum quo autore, Lipſius l. 4. Monit. Polit. ſcripſit, nempe, ipſum ſolitum Divinam Providentiam identidem culpare, & dicere, ſi principio mundi ipſe Deo adfuiſſet, multa melius ordinatiusque condenda fuiſſe.

Cum hoc ævo Hamelia, ad Viſurgim oppidum, valde a murium copia affligeretur, ita ut frumentum omne in granariis abſumerent, & nec veneno nec felibus quicquam incolæ adverſus illos proficerent, tandem quo ſe verterent neſciis A. 1284. vir quidam ſe obtulit, ſolita humana ſtatura major, verſicolorem indutus veſtem, pollicens, ſe, ſi præmium dare parati eſſent, oppidum a calamitate qua premeretur, penitus liberaturum. Convenit utrinque de mercede, atque mox homo ille e mantica fiſtulam depromens, dulce canere cœpit, ac confeſtim omnes uſpiam latitantes mures, ex abditis locis ſeſe proripiunt, & factis agminibus hominem proſequuntur; quos ille præcedens, in fluvium ſecum deduxit, ubi omnes periere. Re confecta reverſus oſtenti patrator, promiſſam pecuniam efflagitat, ſed incolæ, quod malo ſe liberatos vident, jam audaciores facti, recuſant promiſſa exequi. Ergo poſtridie reverſus muricida, dum cives in templo (erat enim

ſacra

ſacra dies) agunt, aliam fiſtulam inflat, nec mora pueri & puellæ omnes, intra quartum & duodecimum ætatis annum conſtituti, 130. numero, ad eum confluunt, veſtigia præeuntis ſectantur, & cum eo intra vicinum clivum Calvariam, den Koppfelberg / ſontium ſuppliciis deſtinatum, ſeſe abdunt. Eam rem puella paulo adultior, e longinquo cœtum proſequens, oculis ſuis ſpectavit, atque ea de re parentes reddidit certiores. Ajunt, infantes illos in Tranſylvania iterum e terræ viſceribus in dias luminis auras emerſiſſe, atque horum ſobolem eſſe illos, qui, in media Dacia, linguam Germanicam adhuc habent vernaculam. Kircherus adeo in Muſurgiæ t. 2. l. 9. c. 3. teſtatur, in Chronicis quoque Tranſylvaniæ ſcriptum deprehendi, circa ea, quibus Hamelienſes liberorum jacturam paſſi ſunt, tempora, in Tranſylvania ignotæ linguæ pueros derepente apparuiſſe.

Tilo Golup ſenex & veterator aſtutus, circa annum 1285. prodit, fingitque ſe *Fridericum* Imperatorem eſſe, & in Palæſtina hactenus captivum fuiſſe detentum. Eum plerique ſpreverunt, Noveſienſes tamen, cum aliis quibusdam, fidem illi habuere. Tanta ei fuit audacia, ut *Rudolpho* Imperatori mandaret, Imperium deponeret, & privatus ad ſe veniret ac homagium præſtaret. Captus a Rudol-

Rudolpho, & per tormenta quæſitus, faſſus eſt, ſe quondam in aula Friderici vixiſſe. Eum Rudolphus cremari juſſit.

TARTARI A. 1287. menſe Decembri, in Poloniam irrumpunt, eamque miſere devaſtant, incolis utriusque ſexus occiſis, & ſervatis tantum virginibus, quæ 20000. numerum ſuperabant, ad libidinem complendam. Abeuntes, fontes & flumina veneno inficiebant, ut terram inhabitabilem redderent.

SECVLVM XIV.

IMPERATORES ROMANI.

HENRICVS VII.

ALberto Cæſare peremto, *Philippus Pulcher*, Galliæ Rex, ſpem Imperii concepit, quia Pontificia Sedes jam in Galliam erat translata. *Clemens V.* Pontifex, id ſi eveniat, ſuis rebus parum commodum futurum ratus, hortatur Germaniæ Principes, electionem maturarent. Electus igitur eſt, Balduini, Trevirenſis Archiepiſcopi potiſſimum opera, HENRICUS COMES LUZELBURGENSIS, *Henrici* Comitis, & *Beatricis* Comitiſſæ Hannoniæ filius, opibus haud potens, ſed pietate, juſtitia, prudentia, & rerum gloria inſignis. Is, pacavit Germaniam; *Fridericum Auſtriacum*, Alberti Imp. filium, ea lege in Auſtriæ poſſeſſione confirmavit, ut Bohemia cederet. *Henricum Carinthium* ejecit ex Bohemia, & filium ſuum *Johannem*, Bohemiæ Regem creavit, deſponſata ei *Eliſabetha*, Wenceslai ſenioris, Bohemiæ Regis filia, Rudolphi Imperatoris nepte. *Adolphum*, & *Albertum* Cæſares, in locis ubi peremti fuerant, ſepultos, effodi, Spiramque deferri, & regia pompa ſepeliri curavit. Convertit ſe deinde in *Italiam*, Guelforum & Gibellinorum factionibus ſciſſam. Ibi Longobardicas urbes in deditionem accepit; Mediolano, *Guidonem Turrianum*, Guelforum Principem ejecit, & *Matthæum Vice-Comitem* in priſtinam dignitatem reſtituit. Compeſcuit

poſtea

poſtea Cremonenſes, Placentinos, Parmenſes, Papienſes, & Brixienſes, Turrianorum ſocios: Lombardiæ adminiſtrationem commiſit Wernero Comiti de Hohenberg: Genuæ decretum fecit, Imperatorem Pontifici Romano juramentum præſtare minime debere, cum ſit res inuſitatiſſimi & novi exempli, Principem & Dominum orbis terrarum, Servo ſervorum fidelitatis juramento obſtringi. Hac re, uti & Romæ poſt coronationem poſcendo aurum coronarium, plebem & Pontificem offendit qui ei adverſarium *Robertum* Regem Apuliæ excitarunt, quem Imperator proſcripſit. Cum Florentinos obſideret, ab iis ſubornatus eſt *Bernhardus*, Monachus Dominicanus, qui ei in Euchariſtia, ſive hoſtiam venenatam, ſive calicem toxico infectum, (utrumque enim traditur, & nondum tum laicis calicis uſus fuerat ademtus,) vel fortaſſe ambo exhibuit. Ajunt Imperatorem, ſcelere mox animadverſo, pro moderatione ſua, dixiſſe parricidæ: *ô Domine recedatis, nam ſi percipient devoti noſtri malum quod nobis feciſtis, morte miſerabili moriemini. Deus vobis ignoſcat.* Verum pœnam non effugit, captus enim excoriatus eſt, Monaſterium igne deletum. Sic Henricus nondum V. Imperii anno occubuit. Cadaver Piſas translatum, ibidem in cathedrali templo, marmoreo monumento, ſupra portam (ſi recte memini) majorem, conditum eſt, quod etiamnum extat. Inſcriptionem, quæ adjicitur, Strada in libro de Vitis Imperatorum profert, ſed mendoſam, & mutilam. Ego ſic legebam:

Hoc

Hoc in Sarcophago, non quidem ſpernendo,
Henrici olim Lucenburgenis Comitis ſeptimi,
poſthæc ſeptimi ejus nominis Romanorum
Imperatoris, oſſa continentur, quæ, ſecundo
poſt ejus fatum anno, videlicet MCCCXV.
die vero XXV. Sextilis Piſas translata,
ſummo cum honore, VII. funere in hoc phano,
ad hunc usque diem collocata permanſere.

Vxorem primo habuit Henricus, CATHARINAM Auſtriacam, Alberti Imperatoris filiam, quæ in ſterilitate deceſſit. Duxit deinde MARGARETAM, Brabantiæ Ducis filiam, quæ maritum in Italiam ſecuta, Genuæ diem obiit ſupremum. Hæc, peperit *Johannem* Bohemiæ Regem, & filias tres: *Beatricem* nempe, Caroli Regis Hungariæ uxorem: *Mariam*, Caroli Pulchri, Galliæ Regis Conjugem, & *Helenam*, quam Rudolphus Comes Palatinus Rheni, & Bavariæ Dux, thori habuit ſociam.

FRIDERICUS AUSTRIACUS.

FRIDERICUS Auſtriæ Dux, cognomine *Pulcher*, poſt Henricum, aliquorum Principum ſuffragiis Imperator electus eſt. Alii tamen LUDOVICUM Bavariæ Ducem ſuis ſuffragiis Imperatorem deſignarunt, Friderici conſobrinum. Etenim Fridericus, patre Alberto Imperatore, Rudolphi filio; Ludovicus matre Mechtilde, filia Rudolphi, Ludovici Palatini Conjuge, natus fuit. Ludovicus igitur Aquisgrani, Fridericus Bonnæ eodem die coronatur, atque mutuis odiis diſſident. Sic Germania in duas

partes diſtracta eſt, quin & exteri acciti. *Hungari* Fridericum defendebant, *Johannes Bohemus* Ludovicum tuebatur. Dimicatum eſt quinquies juſtis præliis; cumque dolerent quidam Principes, inter Cognatos tantum ſanguinis profundi, conſilium pro publica pace ac tranquillitate invenerunt, ut nimirum Fridericus & Ludovicus, more quondam etiam recepto, Collegæ eſſent, paris autoritatis. Sed hæc cogitata irrita reddidit *Johannes XXII.* Pontifex, cauſatus, ad ſe pertinere hanc cauſam, ſeque ſolum iſtius controverſiæ eſſe judicem. Anno 1323. Fridericus cum 10000. Hungarorum, & 20000. Auſtriacorum, Bavariam invadit, totamque regionem miſere devaſtat. Interea loci Ludovicus ſumma celeritate contrahit vicina auxilia, & Friderico obviam procedens, cum eo confligit. Principio dubio Marte pugnatum eſt, nec deſunt, qui aſſerant, Fridericum 50. ex hoſtibus ſua manu confeciſſe. Sed tandem victus, una cum fratre *Henrico*, in Ludovici pervenit poteſtatem. Pugna commiſſa eſt ad oppidum *Muldorfium*: nec leve ad victoriam momentum attulit *Seyfridus Schweppermannus* Noribergenſis, cum cohorte equitum cataphractorum in ipſo prælii ardore commodum adventans, & Bohemos, qui jam fugiebant, in aciem reducens. Hanc ob cauſam illi duo ova in cœna apponi Imperator juſſit, cum ipſe, & reliqui, ob inopiam commeatus, vix ſingulis veſcerentur. Atque fertur his verbis uſus eſſe Imperator: Jedem ein Ey / dem frommen Schwep-

 per-

permaun zwey / quæ hujus ſepulchro, Caſtelli quod, in ſuperiore Palatinatu Benedictinorum quondam Cœnobium fuit, nunc autem Patres Societatis Jeſu ſibi vindicarunt; ſpectantur inciſa. Triennalis ſequuta eſt Friderici in arce *Trautſenitz* cuſtodia, atque ajunt, *Leopoldum* ejus fratrem, cum multa pro illo liberando fruſtra tentaſſet, tandem egiſſe cum Necromantico, ut Dæmon ſub habitu viatoris Fridericum educeret e cuſtodia. At Fridericus, cum veniſſet ad ipſum execrabilis viator, precibus ſe Deo commendavit, fœdi liberatoris gratiam aſpernatus. Tandem e carcere dimiſſus eſt; ea, ſecundum pleroſque, conditione, ut liceret illi nomen Imperatoris gerere, ſed neque jus, neque poteſtatem. Paulo poſt deceſſit Fridericus A. C. 1330. amatorio poculo tabefactus, eique 15. annos aſſignant adminiſtratæ poteſtatis.

Vixit Fridericus in conjugio cum Elisabetha, Jacobi Aragoniæ Regis filia, quæ, cum ille in captivitate ageret, peregrinationibus votivis, jejuniis, ac lacrymando ſe pæne confecit. Ea peperit *Fridericum* Juniorem, Auſtriæ Archiducem; item *Annam*, uxorem primo Alberti Regis Poloniæ, deinde Johannis Ducis Carinthiæ; nec non *Eliſabetham*, quæ nupſit Johanni Bohemiæ Regi.

LVDOVICVS BAVARVS.

Ludovicus, Ludovico ſeniore, & Mechthilde, Rudolphi Habsburgici filia, quod diximus

mus, parentibus genitus eſt. Huic poteſtatem adminiſtranti, mox ſe oppoſuit *Johannes XXII.* Pontifex, duo illi objectans crimina: nempe, quod *Galeatio* Mediolanenſi opem tuliſſet, ad Guelfos Longobardia ejiciendos; quodque nondum confirmatus, Imperatoria munera obiret. Reſpondit Imperator, ſe in electione juraſſe defenſionem juſtitiæ, ac ideo Galeatio, in cauſa juſta & æqua, opem tuliſſe. Porro, cum Imperator conſtitutus ſit, facere ſe quod Imperatorem decet. At Pontifex reſcribit, Petro datam eſſe ſummam autoritatem, etiam in politica gubernatione. De hac quæſtione deinde paſſim motæ fuerunt diſceptationes, & editus eſt liber a *Marſilio Patavino*, ad Ludovicum Imp. cum inſcriptione: *Defenſor Pacis*: in quo ille graviſſimis rationibus probat, Papam ſubeſſe Imperatori. Interim Pontifex Ludovicum hæreticum declarat, & anathemate in eum animadvertit. Damnat etiam *Wilhelmum Occamum* Anglum, quod pro Imperatore ſcripſiſſet. Nihil ea re territus, in Italiam proficiſcitur Ludovicus, & primum Mediolani a *Guidone Tarlato* Aretinorum Antiſtite, deinde Romæ, a *Stephano Columnio* Cardinale coronatur. Creatus deinde adverſus Johannem ab illo eſt *Nicolaus V.* Papa, ex familia Columnenſium, Franciſcanus, ſed quem *Bonifacius Piſanus* Comes, poſt diſceſſum Cæſaris, in Galliam miſit, ubi, ejurato honore, in carcerem conjectus eſt, vitamque in ærumnis abſolvit. Ludovicus in Germaniam reverſus, congregatis Francofurti Imperii Or-

dinibus; ex illorum conſenſu decernit, Electorum eſſe, nec alterius cujusquam, Regem conſtituere Romanorum: teneri Pontifices inungere eum quem Principes elegerint, niſi horrendo quodam ſcelere, eoque notorio, ſit commaculatus: inunctionem iſtam eſſe ſolemnitatem adventitiam: Pontifici nullum jus competere in Imperatorem, cum ſint diſtinctæ poteſtates, Civilis & Eccleſiaſtica: falſum eſſe, quod Imperio vacante, potentia ad Papam devolvatur. Eluendo crimini hæreſeos, profeſſus eſt Imperator ſingulos fidei articulos, teſtando ſe illis plenum aſſenſum adhibere. Moritur inter hæc Johannes Pontifex, ſucceſſore *Benedicto XII.* qui, ob metum Galliæ Regis, non auſus eſt Ludovico abſolutionem ab anathemate concedere, eam petenti. Nec æquiorem illi ſe præbuit, qui Benedicto ſurrogabatur *Clemens VI.* quin potius Johannis XXII. excommunicationem renovavit, hortatusque eſt Principes Imperii, ut de alio Cæſare eligendo conſilium inirent. Cumque multos haberet ſibi addictos, tandem res eo deducta eſt, ut *Carolus* Bohemiæ Regis filius, Imperator deſignaretur. Ludovici nihilo ſecius autoritas tanta adhuc erat, ut Carolus eo ſuperſtite, poteſtate uti haud ſuſtineret. Tandem, ab adverſariis Ludovico venenum propinatum eſt, cui, cum in venatione motu mederi vellet, ab equo excuſſus, finem vivendi habuit ex vulneribus, anno Imperii 33.

Duxit Ludovicus principio BEATRICEM filiam Ducis Poloniæ. Ex hac nati ſunt *Ludovicus*, Dux

Dux Bavariæ, & Marchio Brandenburgenſis, itemque *Stephanus*, Dux Landshutæ. Altera Conjux MARGARETA, Guiljelmi III. Comitis Hollandiæ & Seelandiæ fuit filia. Ea cum Marito Romam profecta, & ibi inaugurata, peperit in illa urbe *Ludovicum* cognomento Romanum, Marchionem Brandenburgenſem & Comitem Tyrolenſem; porro deinde *Othonem*, Marchionem Brandenburgenſem; *Guiljelmum*, Comitem Hollandiæ: Adelbertum, Ducem inferioris Bavariæ: *Eliſabetham*, Conjugem Maſtini Scaligeri, & *Hageſam*, Conjugem Comitis Würtenbergici.

GVNTHERVS COMES SCHWARZENBURGICVS.

Poſt obitum Ludovici, magnæ inter Electores ortæ ſunt diſſenſiones, eorumque major pars, *Caroli Bohemi* electionem, tanquam ex mero Papæ odio profectam, declaravit irritam. Ergo A. C. 1348. Francofurti habito Conventu, Moguntinus, Palatinus, Saxo, & Brandenburgenſis, qui Ludovici filius erat, decretum faciunt, de *Eduardo III.* Angliæ Rege, ob res inſigniter adverſus *Philippum Valeſium* Galliæ Regem geſtas, evocando, ad Imperium capeſſendum. Verum is, ne majoribus difficultatibus ſeſe involveret, honorem illum detrectavit. Renovata igitur deliberatione, Electores Imperium deferunt *Friderico* Miſniæ Marchioni, & Landgrafio Thuringiæ, qui ſimiliter illud ad-

mittere noluit. Ergo ad GUNTHERUM Comitem Schwarzenburgicum itum eſt, is vero aſſenſum dare recuſavit, niſi prius major Electorum pars Francofurdiæ conveniret, & Imperium vacare declararet. Congregatis igitur Principibus in campis Francofurdiæ, unanimi conſenſu Guntherus Rex Romanorum eligitur: qui, cum Vrbem ingredi vellet, a civibus aditu prohibebatur. Negabant enim ſibi licere Regem ullum in urbem intromittere, qui habeat Imperii æmulum, niſi prius urbs obſeſſa aliquam vim patiatur, adverſariusque, aut manum cum eo conſerat, & inferior evadat, aut ultro poteſtate cedat. Proinde, ingenti coacto exercitu Guntherus urbem per duos menſes obſedit, atque ſic demum in eam regio more fuit admiſſus. At Carolus, Imperialem dignitatem vehementer affectans, allectat in partes *Rudolphum Palatinum*, filiæ ejus matrimonium ſibi pactus. Cumque Guntherus in levem morbum incidiſſet, *Freydanckium* Medicum, pretio corruptum, eo perduxit, ut venenum, medicinæ illi propinandæ, miſceret. Medicus, pharmacum prægustare coactus, paulo poſt periit. Guntherus enervatus & debilitatus, nec ipſe diu ſuperſtes fuit.

Habuit Guntherus in matrimonio ELISABETHAM, Friderici Archiducis Auſtriæ filiam.

CAROLVS IV.

CAROLUS IV. Johañis Bohemiæ Regis, ex uxore Eliſabetha, Wenceslao Seniore genita, filius, Hen-

Henrici VII. Luzelburgici Imp. nepos, Princeps fuit, amore religionis, & literarum ac linguarum variarum cognitione commendabilis. In ſacro Baptismate dictus eſt *Wenceslaus*, ſed in Confirmatione poſtea, a Rege Franciæ *Carolo Pulchro*, apud quem pueritiam exegit, Caroli nomen accepit, quod &, altero miſſo facto, retinuit. Suis commodis valde ſtuduiſſe dicitur. Nempe, cum Sileſiæ Principes inter ſe diſſiderent, id enixe operam dedit, ut Sileſiam omnem, & huic cohærentem Luſatiam, Bohemiæ adjungeret, Civitates vero ita muniret, ut Principes nihil adverſus eas moliri poſſent. In *Sigismundum* filium, Marchionatum Brandenburgenſem tranſtulit, una cum Electoratu. De reliquo, *Mechlenburgicos Principes*, Duces Imperii creavit. Noribergæ, Senatum & cives diſſentientes, ad concordiam redegit, abrogatis Tribunis, & omni poteſtate in Senatum translata. In Italiam profectus, conſtitutis Longobardicis rebus, primum Mediolani, deinde Romæ, ſolemni ceremonia fuit inauguratus, ſed ea lege, ut ſtatim Vrbe Italiaque diſcederet, quod etiam executus eſt, eadem die, qua Auguſtalia inſignia acceperat, Roma excedens. Pedes quoque quia Vrbem ingreſſus fuerat, ideo riſere illum Cardinales, ac de eo prædicarunt: *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* Reverſus in Germaniam, Legem publicam, quæ *Aureæ Bullæ* nomine cenſetur, ac imprimis qua ratione Regis Romani peragenda ſit electio, diſponit, Noribergæ A. 1356. condidit. Magna hujus ſemper extitit autoritas, nec defuerunt, qui eam,

 tan-

tanquam *legem fundamentalem*; *nervum firmiſſimum pacis publicæ*; *firmamentum*, *propugnaculum*, *murumque tranquillitatis & pacis in Imperio*; *firmiſſimam Romani Imperii petram*, *ſuper qua etiamnum majeſtas & pax ejusdem tuta quieſcit*, *veriſſimumque Imperii noſtri Paladium*, dilaudarent, aliisque præconiis eveherent. Vnde & recens electi Imperatores, ſemper diſertis verbis jurant, ſe eam ſartam ac tectam conſervaturos. Multa tamen, quæ in illa diſponuntur, abiere in deſuetudinem, & ſicut aliis, ſic Imperii quoque rebus, longa vetuſtas, imprimis ob auctum Electorum numerum, aliam faciem induit, ut proinde nova Bulla Aurea, magis ad præſentem Imperii ſtatum accommodata, omnino opus eſſe videatur. Commodum, ex occaſione juvat notaſſe, Germanicas Aureæ Bullæ Verſiones, quæ variæ ſunt, prope omnes, ſub finem Capitis XI. habere integram pericopen, quæ, cum in Latinis, quas hactenus vidimus, editionibus univerſis deficiat, ideo creditum eſt, verba illa Germanicis libris vitio fuiſſe inſerta. Mirum vero, ex tot numero tantisque, qui in Auream Bullam commentati ſunt, nemini tam beato eſſe licuiſſe, ut in Codicem aliquem MS. incideret, illud auctarium, quod probum & genuinum eſt, &, re ſic poſtulante, ab ipſomet Carolo IV. (ceu exigunt frequenter ſemel latæ leges, ut tale quid fiat,) fuit additum, referentem. Scilicet, extat in inclyta Bibliotheca Imperatoria, Aureæ Bullæ Codex membranaceus, jam anno 1400. juſſu ipſius Wenceslai

ceslai Imperatoris ſcriptus, & totus figuris inauratis pulchre pictus, ſuo merito inter potiora illius Bibliothecæ cimelia locum ſibi poſtulans, atque is pericopen, quæ pro ſuppoſititia usque nunc habita eſt, repræſentat. Extant item Noribergæ, Codices membranacei duo, unus Ebnerianus, alter Grundherrianus, qui ambo ſimiliter verba agnoſcunt. Contuli Codices laudatos ſedulo cum excuſis, Imperatorii tractandi copiam mihi faciente, Præfecto Bibliothecæ, Petro Lambecio V.C. Conſtitit ergo, in noſtris Aureæ Bullæ, quibus utimur, libris, ad Francofurtenſe & Moguntinum exemplaria Manuſcripta, verbis, quæ mox dabimus, carentia, expreſſis, ſic ſupplendum eſſe: *Hanc autem Legem, propter quædam dubia, quæ ex ea ſuborta fuerunt, de illis duntaxat feudalibus Vaſallis & ſubditis debere declaramus intelligi, qui feuda, bona, & poſſeſſiones, a Principibus Electoribus, Eccleſiaſticis & Secularibus, dependentes, quæ de temporali ipſorum jurisdictione conſiſtunt, obtinere dinoſcuntur, & actualiter, ſeu realiter, reſident in eiſdem. Si vero tales Electorum Principum Vaſalli, & Homines, ab aliis etiam Archiepiſcopis, Epiſcopis, ſive Principibus, ſimilia feuda poſſident, & larem fovent in illis, ex tunc, ſi iidem Archiepiſcopi vel Principes, ab Imperio bannum habent, & privilegia, duella coram ſe agi, permittere apud illos agatur de talibus. Alioquin ad Imperialis Curiæ Judicis examen, ſuper his decernimus recurrendum.* Porro, Carolus IV. *Pragenſem Academiam*, A. 1361. conſtituit, quam *Innocentius VI.* Papa confirmavit.

In hac per horas multas Doctorum diſputationibus ſæpe interfuit, ac cum aliquando, ab Aulicis, moleſte id ferentibus, moneretur, cœnæ tempus inſtare, reſpondit, *mihi tempus eſt minime, nam hæc cœna mihi ſapit.* Ferunt *Maximilianum I.* Cæſarem, de Carolo IV. crebro ſermone jactaſſe, *quod peſtilentior quam ille peſtis, nunquam alias contigerit Germaniæ.* Et vero, quod aqud Theodoricum a Niem proditum eſt, *Veronam, Paduam, Vincentiam*, cum earum Marchiis, per Venetos occupatas, amiſit, & *Ludovico Andegavenſi*, Caroli Francorum Regis fratri, ejusque heredibus, pro uno ſolemni prandio, ſibi apud Villam novam prope Avenionem præparato, *Arelatenſe Regnum* conceſſit. Conſtat præterea, ab eo *Florentinos* libertatem, *Galeatios*, Vicariatum Lombardiæ, & Ducatum Mediolanenſem, pretio ſoluto eſſe conſecutos. Amplius, ut *Wenceslao* filio, dignitatem Imperatoriam conciliaret, multa ex Imperii patrimonio alienavit, teloniis ad Rhenum, Eccleſiaſticis Electoribus conceſſis. *Sedecim* quoque *Sueviæ Civitates* liberas, vicinis Principibus pecunia vendidit. Mortuus eſt Carolus Pragæ A. 1376. natus annos 63. cum annos 33. imperaſſet. Refert Albertus Argentinenſis in Chronico, ipſum Moguntiæ volentem recedere, exſpectante omni gente ſua armata ante hoſpitium, non pagatis hoſpitibus curiæ & coquinæ ſuæ, ad querelam unius carnificis fuiſſe arreſtatum ne diſcederet, & tumultum factum eſſe in populo. Refert Thraſybulus Lepta, ſive Andreas Dinnerus,

rus, hujus quondam Academiæ Jureconſultus celebris, in Commentariis de ortu, vita, & rebus geſtis Georgii a Seinsheim, extare Caroli IV. Codicillos ſolemnes, datos Noribergæ A. 1355. quibus ſub ſuo ſigillo fatetur, & Regnum Bohemiæ ſolutionis ergo in hypothecam conſtituit, ſe *Erkingero a Seinsheim, in Gnetzheim*, debere 9300. aureos Rhenenſes, quos ipſe repræſentarit ſuæ Majeſtati Noribergæ, ad ejusdem & Imperii luculentum uſum: nimirum 7000. aureos in promta pecunia, reliquos 2300. ad exſolvendum ipſum nexu debiti, quo hoſpiti ſuo Noribergenſi obſtrictus tenebatur. Addit Autor laudatus, Seinsheimiis adhuc iſtos Codicillos in manibus eſſe, nec ſolutionem a Carolo factam.

Conjuges Caroli, & Liberos ex iis ſuſceptos, non eodem omnes modo recenſent, quos nos ex Octavio Strada dabimus. Apud hunc vero legitur: ELIZABETHA, Auguſta, Caroli IV. prima uxor, filia Ducis Stetinenſis, ſterilis fuit. AGNES Auguſta, Caroli IV. ſecunda uxor, filia Rudolphi Junioris, Rheni Palatini Comitis, ſterilis & infœcunda fuit. BLANCA Auguſta, Comitiſſa Valeſii in Francia, filia Caroli Comitis Valeſii, & ſoror Philippi de Valeſio, poſt Regis Franciæ, Caroli IV. Imp. uxor tertia. ANNA, alias Joanna Auguſta, quarta fuit Caroli IV. Imp. (ſupplendum; *uxor, Bulconis Suidnicenſis Ducis filia,*) ex qua ei nati ſunt: *Wenceslaus* Imp. *Sigismundus Auguſtus*, &! (ſupplendum: *Margareta*) filia, uxor (ſupplendum *Ludo-*

Ludovici) Regis Hungariæ. *Eliſabeth*, uxor Alberti Archiducis Auſtriæ.

WENCESLAUS.

Wenceslaum, Caroli IV. filium, monſtrum hominis futurum, omnia quæ circa vitæ illius initium evenerunt, mature ſignificabant. Mater enim Noribergæ partus doloribus extincta eſt; aqua baptiſmo adhibenda, dum caleſit, clericalis domus S. Sebaldi, templo vicina, incendio conſumta; ipſe in luſtratione, aquam illam cœno ſuo polluit. Ajunt, tantum auri pondus, quanto infans erat, miſſum Aquisgranum, ut Divæ Virgini ibidem commendaretur. Cœpit imperare A. C. 1378. annos natus 15. & imperavit annos 22. Sed ventri curando potius, quam Imperio regendo, intentus erat, adeo ut ab Ænea Sylvio proditum ſit, crebro illum dixiſſe: *Ego, ſi me diripiendis urbibus Italiæ ſors præſentem dederit, cæterarum rerum prædam militibus impertiar, vini tantum apud me ſpolia reſervabo. Si quis autem in cellam vinariam fuerit ingreſſus, gladio ferietur.* Acceſſit ad crapulam ſævities. Multos enim menſæ ſuæ adhibitos, per ludum & jocum jugulavit: carnificem aſſiduum penes ſe habuit, quem familiariter compatrem vocabat, quod ejus filium de ſacro fonte levaſſet, eumque ſecum eodem equo vehentem, ſubinde deſilire, & homines perimere juſſit. In Magno Chronico Belgico legitur: *Quando Rex Wenceslaus bibit exceſſive, & ad ebrietatem, incurrebat in furiam, & fuit tunc multum perverſus, & periculoſus, & dicitur quadam vice coquum ſuum, qui* ad

ad voluntatem ſuam, ſed ſecundum appetitum ſuum cibos non paraverat, ad veru ligatum aſſari juſſiſſe. Item quodam tempore, ad experiendum, quid decapitandi ſub tempore executionis cogitarent, accerſiviſſe ſpiculatorem, cujus compater fuit, & flexis genibus, oculisque ſuis velatis, præcepiſſe, ut ſe decollaret, & quia ſpiculator enſe nudo, diſſimulans, ipſum cum platto in collum percuſſiſſet, ſurrexiſſe Regem, & dixiſſe ſpiculatori, ut poneret ſe ſuper genua, quem ſic, velatis oculis tunc decollavit. Accidit etiam quodam tempore, dum Rex cauſa venationis ad nemus pergeret, & Monachum in via reperiret, ut ſtatim a mangone bodiſtam peteret, qua tenſa, & ex pharetra, (quam ſemper ad latus ſuum ferebat) ſagitta extracta, Monachum ſic ſagitta percuſſit, ut inde mortem obiret, dicens aſtantibus, ſe ferum ſingularem ſagittaſſe; quibus dicentibus, non ferum, ſed Monachum, reſpondit, Monachum, eſſe, & debere manere in ſuo clauſtro, non in ſylva, ubi eſſet habitatio & converſatio ferarum. Cum ſequius quid de JOHANNA Conjuge, *Alberti ſenioris*, Bavariæ Ducis, filia, ſuſpicaretur, Sacerdotem qui illi erat a confeſſionibus cogere voluit ad revelanda ſecreta, quæ ab ea in confeſſione percepiſſet. Renuentem, in Muldavia flumine merſit, Reginæ vero, animi dolor, aut moloſſus, quem Wenceslaus in cubiculo alebat, exitium attulit. Talis cum eſſet Wenceslaus, A. 1393. ab Ordinicus Bohemici Regni captus, & in cuſtodiam datus eſt. Ex hac poſt hebdomadas quatuor dimiſſus, ut in balneo ſordes ablueret, opera *Suſannæ* ambubajæ, quam deinde pæne

pro

pro uxore habuit, conſcenſa cymba evaſit in novam arcem. Accerſitur inter hæc *Sigismundus*, Wenceslai frater, ut Rex Bohemiæ eſſet; qui adveniens, fratrem abductum cuſtodiendum dedit *Alberto Auſtriaco*, qui illum Viennæ concluſit. Inde piſcatoris cujusdam auxilio elapſus, & Pragam reverſus, mendici habitu arcem ingreditur, & Præfectum cogit Proceres evocare, quos ille apprehenſos, gravibus ſuppliciis peremit, atque ſic Regnum recepit, & deinde ad finem usque vitæ retinuit: ducta, ut res dubias ſtabiliret, SOPHIA, Johannis Bavariæ Ducis filia in uxorem. Cæterum, Germaniæ Electores, communi conſenſu, Imperium ei abrogarunt, cauſas allegantes, 1. Quod pacem in Eccleſia non promoverit. 2. Quod Imperium aliquot membris, uti Mediolano, & provincia Longobardiæ, mutilaverit. 3. Quod membranas perplures nudas, ſuo ſigillo munitas, amicis pecunia vendiderit, quibus inſcribere illi poterant, quodcunque erat collibitum. 4. Quod cum propria, tum aliorum facinoroſorum, quos ſecum habuit, manu, Sacerdotes complures, honeſtosque homines, contra juris normam, aquis ſubmerſerit, igne cremaverit, aliisque modis neci dederit. Lecta ac recitata fuit ſententia exautorationis per Johannem Archiepiſcopum Moguntinum, ſub Caſtro Lœnſtein ad Rhenum, e publico ſolio, in formam tribunalis erecto, quod etiamnum ſupereſt, diciturque der Königſtul; tali, quam Goldaſtus in Conſtit. Imper. repræſentat, formula: *Quas*

propter

propter cauſas, & alia multa gravia facinora, damna atque defectus, nos Johannes Archiepiſcopus, nomine prædictorum Dominorum S. R. I. Coëlectorum, noſtroque, prædictum Dn. Wenceslaum, ceu inutilem, negligentem, diſſipatorem, & indignum S. R. I. defenſorem, eodem Romano Imperio, omnique ejus gradu, dignitate, ac ditione, ad idem pertinente, privamus & ſubmovemus: cunctis Principibus, Optimatibus, Equitibus, Ingenuis, Vrbibus, Provinciis, & Subditis R. I. denunciantes, eos ab omni homagio & juramento, perſonæ Wenceslai, nomine Imperii, præſtito, prorſus eſſe liberos: requirentes atque monentes eos, ſub jurisjurandi fide, qua S. I. obſtricti tenentur, ne prædicto Dn. Wenceslao, tanquam Romanorum Regi, deinceps obediant & obſequantur, neque illi jus ullum, obſequium, cenſum, reditum, aut ullam aliam penſionem, quocunque nomine tandem appellanda veniat, ceu Romanorum Regi, pendant, exhibeant, aut exhiberi permittant: ſed ejusmodi debita, utili & idoneo Romanorum Regi, divino favente Numine, deinceps ſufficiendo, aſſervent. Adhæſere tamen nihilo ſecius Wenceslao aliquot Imperii Ordines, donec ipſe eos jurejurando, ſive pretio accepto, ſive ultro exſolvit. Inter cæteros, Noribergenſes, ſpretis viginti, quos offerebant, aureorum millibus, & acceptis illorum loco aliquot plauſtris vini Rhenani, ab obſequio liberos declaravit. Vixit annos 57. & extinctus eſt apoplexia, cum ei prandenti nunciaretur, populum Pragenſem, ſeptem Senatoribus de Curia præcipitatis, ad Aulam properare. Prole caruit.

RVPER-

RVPERTVS.

Wenceslao loco moto, ſubſtitutus eſt FRIDERICVS Dux Brunſuicenſis, *Magno* Juniore, & *Catharina*, filia Woldemari Marchionis Brandenburgenſis genitus, Princeps æque bellicoſus ac ſapiens. Sed eum averſatus Moguntinus Præſul, operam dedit, ut in reditu a Comitiis, ad Friſlariam, Henrici *Waldeccenſis Comitis* inſidiis, manu verò *Friderici Hertingshuſii*, & *Cunomanni Falcoburgii* e medio tolleretur. Non caruit ea res magnis motibus, Electores autem Bopardiæ conventum inſtituentes, Imperialem dignitatem deferunt Collegæ, RUPERTO, Bavariæ Duci, & Palatino Electori, Principi ingentis animi, ſummique erga Patriam amoris. Cum Aquisgrani coronandus eſſet, & Aquenſes ipſum in urben nollent intromittere, ob juramenti, quo Wenceslao adhuc obſtricti erant, religionem, *Coloniam* deductus, ibique more majorum eſt inauguratus. Poſt adeptum Imperium ſolicitus fuit de motibus Italicis, quos *Johannes Galeatius Vicecomes Mediolanenſis*, Ducis titulo a Wenceslao auctus, & totius Italiæ Regnum affectans, concitaverat, ſedandis, ſed fruſtra. Impedivit enim illum *Moguntinus*, effecitque, ne decimæ, quas *Bonifacius IX.* Papa, a Sacerdotibus exigere permiſerat, illi perſolverentur. Neque hac tantum parte adverſatus eſt, ſed & *Leopoldum Auſtriacum*, ac *Archiepiſcopum Colonienſem*, expeditionis Italicæ ſocios, abſtraxit, Pergit nihilominus Imperator in inſtituto, literis Pontificis & Florentinorum motus,

ut Galeatii furorem compeſceret, ejusque creſcentem infringeret potentiam. Sed a Galeatio victus, nihil profecit, imprimis quia inſuper a Papa & Florentinis ſe deſeri animadvertebat. Re igitur infecta in Germaniam reverſus, abjecta Italiæ cura, domi Rempublicam bene & feliciter per decennium adminiſtravit.

Habuit Rupertus Conjugem, ELISABETHAM, Friderici Burggrafii Noribergenſis filiam, quæ, tum liberos alios, tum præcipue peperit *Ludovicum Cæcum* cognomine, progenitorem Palatitinorum Electorum, usque ad Ottonem Henricum; *Johannem*, unde Chriſtophorus Rex Sueciæ, Daniæ, & Norwegiæ; *Stephanum* item, autorem ſtirpis Simmerenſium & Bipontinorum.

IMPERATORES ORIENTIS.

ANDRONICVS II.

ANdronicus II. ſive Junior, adjunctis ſibi Turcis, *Mitylenæos* & *Phocenſes* oppugnavit. Cumque recuperandæ Theſſaliæ magis, quam arcendis aditu Europæ Turcis, eſſet intentus, hi, in derelicta Aſia ſe confirmarunt, & ad Hellespontum usque imperium protulerunt. Ex *Anna* Conjuge, reliquit duos filios, *Johannem*, & *Manuelem*, quorum curam commendavit *Johanni Cantacuzeno*. Imperavit annos 13. obiit A. 1338. vixit annos 49.

JOHANNES CANTACVZENVS.

Johannes Cantacuzenus, Johannis Palæologi, qui duodecennis erat, tutor conſtitutus, imperatoriam poteſtatem uſurpat, ita tamen, ut *Johannem* in ejus adminiſtratione conſortem faceret, atque ut firmior eſſet amicitia, filiam ſuam ei matrimonio junxit. Sed regna ſocium non ferunt, & cito diſſiliit male inita inter utrumque concordia; multumque ac diu bellis invicem certatum, tandemque Cantacuzenus ſuccubuit. Ergo A. 1357. poteſtate ſe abdicavit, & *Joſephi Chriſtoduli* nomine ſumto, in monte Atho Monaſterium ingreſſus eſt, ubi *Hiſtoriam de rebus ſub Andronico & ſe geſtis*, compoſuit. Attribuuntur quoque illi *Commentarii contra Mahometanos & Judæos*: & *Paraphraſis in quinque libros priores Ethicæ Ariſtotelis.*

JOHANNES PALÆOLOGVS.

Johannes Palæologus, *Calo-Johannes* alias dictus, pulſo Cantacuzeno, *Genuenſibus*, a quibus adjutus fuerat, Lesbum Inſulam, Ducique eorum Johanni Gateluzio ſororem ſuam conjugem dedit. *Bulgarorum* & *Serviorum* crebris irruptionibus ad incitas prope redactus, ut haberet, quem illis opponeret, turpe cum *Amurate* Turcarum Rege fœdus iniit, ſe & Imperium in fidem illius tradens, tributum annuum promittens, filio *Theodoro*, minimo natu, dato obſide. Poſt hæc Imperatoribus Byzantinis præter inane nomen, nihil fere manſit reſiduum, ac Amurates

rates, bona Thraciæ parte potitus, *Adrianopolim* Regni ſui ſedem conſtituit. Interea temporis Johannes Imperator, *Andronicum* filium, tanquam Imperii invaſorem, infuſo in oculos ejus aceto fervido, viſu privat. Ille, e cuſtodia elapſus, ad Bajazetem Amuratis filium, profugus, ejus ope Byzantio potitur, & patrem fratremque *Emanuelem* in carcerem compingit, in quo pater A. 1384. eſt extinctus, cum annos 30. imperaſſet.

ANDRONICVS & EMANVEL.

Andronicus, cui III. cognomentum eſt, patre ac fratre in carcerem conjectis, imperavit triennium. Hoc exacto, *Emanuel* liberandi ſeſe occaſionem nactus, & ipſe *Bajazetem* adit, ejusque opem implorat. Quem, cum ingenti tributo promiſſo, ſibi propitiaſſet, ab illo adjutus, fratrem Andronicum poteſtate exuit: atque ſic deinde annis 30. rebus præſuit, A. 1418. fato ſuo concedens. Hoc tempore, *tenue Imperium Orientale magis fuit diſcerptum*, Venetis & Genuenſibus Archipelagi Inſulas intercipientibus, & Bulgarorum ac Serviorum Principibus in Epiro, Macedonia, Ætolia & Theſſalia, plurima ſibi vindicantibus.

PONTIFICES ROMANI.

BENEDICTVS XI.

BEnedictus XI. alias *Nicolaus Bocaſinus*, opilionis in Marca Treviſana filius, ſucceſſit Bonifacio

facio VIII. Juvenis, Venetiis pueros Grammaticam docuit. Pontifex creatus, matrem ſplendidis veſtibus ſe adeuntem, agnoſcere noluit, niſi reaſſumto prius habitu vili. *Johannem*, & *Jacobum* Cardinales Columnenſes, quos ingenti odio Bonifacius fuerat proſecutus, in gratiam recepit, iisque bona reſtituit. Regem Galliæ *Philippum*, excommunicationis cenſura abſolvit. Mortuus eſt Peruſii, non ſine ſuſpicione veneni, in ficu præbiti, menſe 8. a quo fuerat electus.

CLEMENS V.

Clemens V. Vaſco, prius *Bertrandus Agoutius*, poſt 11. menſium altercationem Benedicto ſucceſſit. Is, ut *Burdegalenſis Epiſcopatus*, cui hactenus præfuerat, reditibus, perpetuo frueretur, *ſedem Pontificiam Avenionem in Galliam tranſtulit*, ubi 72. annos permanſit, ac præter eum, 5. alii Pontifices eam occuparunt. Coronatus eſt Lugduni, tanto populi concurſu, ut pars muri, onere ſpectatorum preſſa corruerit, &, præter cæteros, *Johannem* Ducem Britanniæ, & *Galliardum* Pontificis fratrem oppreſſerit: *Philippus* Pulcher Galliæ Rex, & *Carolus* Valeſius læſi fuere. Ipſe Pontifex, equo dejectus, carbunculum, ſex millibus aureorum æſtimatum, ex tiara amiſit. Cæterum Clemens A. 1311. *Concilium Viennæ* in Gallia celebravit, 300. Epiſcoporum interventu. In eo deliberatum de Bello ſacro, de Reformatione Eccleſiæ, & de excidio Templariorum. Confirma-

firmatum quoque eſt Feſtum Corporis Chriſti, & decretum factum, de diſcendis Græca, Hebræa, & Chaldæa linguis: inſuper Gradus Honorum Academicorum probati. Amplius *liber Clementinarum Conſtitutionum* promulgatus eſt. Ob Ferrariam occupatam, in Venetos excommunicatione animadvertit Clemens, & *Franciſcum Dandulum* Ducem, qui culpam deprecaturus advenerat, ad pedes ſuos provolutum, canis inſtar; ferrea catena revinctum, ſubter menſam ſuam jacere eſt paſſus. Cœleſtinum V. Pontificem inter Sanctos retulit, ſub nomine *Petri Confeſſoris*. In Waldenſes crucem aſſumi juſſit, quorum in Italia 4000. fuere cæſi. Tandem, a *Jacobo Burgundione*, Ordinis Templariorum Magiſtro, Lutetiæ cum 50. Equitibus cremando, ad Dei tribunal citatus, dicta die 40. deceſſit, Pontificatus anno 9.

JOHANNES XXIII.

Cum poſt Clementis obitum Cardinales 23 toto biennio circa Papam eligendum diſceptaſſent, tandem uni *Jacobo Oſſæ* negotium commiſſum, ut omnium nomine Pontificem deſignaret. Is vero ſeipſum elegit, dicens: *Ego ſum Papa*: ac nomen Johannis aſſumſit, quem alii hujus nominis XXIII. alii XXII. dinumerant. Erat *Cadurcenſis*, ſutoris filius, ſtaturæ exiguæ, ſed ingentia animo verſans. Docuit animam humanam cum corpore mori, usque ad diem reſurrectionis. Eum errorem refutavit Schola Pariſienſis, & impetravit a Philippo

Valeſio Rege, ut, voce præconis, omnibus ſuis interdiceret conſuetudine hujus Pontificis, niſi ab hoc errore deſiſteret. Ipſi adeo Pontifici ſcripſiſſe dicitur, *que s'il ne retractoit, il le feroit ardre.* Porro Johannes hæreticos declaravit, qui docerent, *Chriſtum ejusque diſcipulos, in hac terra nihil proprii poſſediſſe, Clerumque ſimiliter in paupertate vivere debere*, & diplomate edito, vetuit ea de re in Academiis diſputare. *Thomam Aquinatem* retulit in numerum Sanctorum. Acerbiſſimo odio proſecutus eſt *Ludovicum Bavarum* Imperatorem, quod Gibellinos in Italia contra Guelfos tuebatur, unde publico decreto eum citavit, diſerte præcipiens, ut intra tres menſes Avenioni ſe ſiſteret, factorum rationem redderet, ac interea deponeret Imperium. Sed Cæſar, in Comitiis, (quorum querela excepta eſt: *Non licet per hunc Antichriſtum, pacem a Deo datam ſervare*) ad generale Concilium provocavit, & in Italiam pergens, *Nicolaum V.* creavit Pontificem. Amplius, Johannes Papa *Tholoſanam Eccleſiam* in Archiepiſcopalem evexit, ordinavitque, ub ſub veſperam ter campanæ ſonitus ederetur, ad quemque monendum, de ſalutione Angelica ter recitanda. Edidit *Conſtitutiones XX.* quæ, tam paucæ, quia peculiaris alicujus Voluminis Decretalium nomen non promerebantur, in generali appellatione *Extravagantium* ſubſtiterunt. Extravagantes enim dicebantur, omnes Conſtitutiones Pontificiæ, quæ Gratiani Decreto non erant comprehenſæ. Inſtituit quoque Johannes *Ordinem*

Equi-

Equitum Chriſti, crucem rubram cum limbo aureo geſtantium, ut Saracenis opponerentur. addixitque illis bona multa Templariorum, Græcos ad ſubjectionem revocanti, reſponſum ab iis: *Potentiam tuam ſummam, circa ſubditos tuos, credimus: Superbiam tuam ſummam tolerare non poſſumus: Avaritiam, ſatiare non valemus. Diabolus tecum, quia Dominus nobiſcum.* Obiit Avenione Anno 1334. ætatis 90. Pontificatus 19. milliones auri 25. in theſauris relinquens.

BENEDICTVS XII.

Benedictus XII. olim *Jacobus du Four*, Tholoſam patriam, patrem vero piſtorem habuit. Erat eruditionis expers, unde ſe eligentibus dixiſſe fertur: *Scite feciſtis, quod aſinum elegeritis.* In *Johannem* Bohemiæ, & *Eduardum* Angliæ Reges, anathemate animadvertit, atque inter poſtremum, & Galliæ Regem, pacem compoſuit. Ordinem in expeditione *Pœnitentiariæ Apoſtolicæ* ſervandum, inſtituit, pretiumque Bullarum & Brevium definivit. Ei tribuitur Vita, quæ extat, S. Gualberti, Inſtitutoris Ordinis Vallis umbroſæ. Sex tantum Cardinales creavit, rogatus, cur non plures? reſpondit: *Feciſſem, ſi novum mundum creare poſſem; qui enim eſt, iis, qui jam ſunt, ſatis non eſt.* E vita exceſſit Anno 1342. cum ſediſſet annos 7. cui a nonnemine factum epitaphium:

Hic ſitus eſt Nero; Laicis mors; vipera Clero:
Devius a vero; cupa repleta mero.

CLEMENS VI.

Clemens VI. olim *Petrus Rogerius*, tam divina fuit memoria, ut nihil eorum quæ audiebat aut legebat, oblivione perderet. Hanc conſecutus eſſe dicitur, ex quo aliquando ingenti ictu occiput illius fuit percuſſum. Is Jubilæum ad 50. annos reduxit, Bulla Avenione promulgata, cujus hoc memorabile eſt initium: *Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei &c. Cum natura humana ad ſtatum magnæ ſenectutis minime perveniat, & ratione ſuæ grandis fragilitatis, qua indeſinenter vexatur, & de centum annis in iſta Civitate Romæ, ſint indulgentia & remiſſio peccatorum, & pauci ſint quibus ad decrepitam ætatem liceat pervenire, propter quod a deſiderio prædictarum Indulgentiarum quam plurimi remanent fruſtrati: autoritate noſtra, & poteſtate Apoſtolorum Petri & Pauli, qua nos fungimur, ex Parte Dei Omnipotentis, omnibus Chriſtianis venientibus ad ſanctam Civitatem Patriarchalem, numerando a die datæ, completis XLIX. annis, totum quinquageſimum annum Indulgentiæ & Remiſſionis damus & impertimur. Quicunque igitur peregrinationis cauſa, ad Sanctam Civitatem Patriarchalem, ante dictam, accedere propoſuerit, prima die qua de hoſpitio ſuo viam arripere voluerit, eligere poteſt Confeſſorem ſeu Confeſſores in via, & in locis aliis quibuscunque. Quibus quidem Confeſſoribus autoritate noſtra, concedimus plenam poteſtatem omnes Caſus Papales abſolvere, ac ſi perſonaliter noſtra ibidem eſſet poteſtas. Item concedimus, ſi verus confeſſus in via moriatur,*

quod

quod ab omnibus peccatis ſuis penitus ſit abſolutus. Et nihilominus prorſus mandamus Angelis Paradiſi, quantum animam illius a purgatorio penitus abſolutam, in Paradiſi gloriam introducant. Notatum eſt, vix decem e millenis, qui Romam confluxerant, ob peſtiferæ luis vehementiam, rediiſſe. Idem Clemens, *Galliæ Regibus* indulſit, ut Euchariſtia integra, ſub utraque Sacramenti ſpecie, frui poſſent. *Moravis*, Bavariam prædæ expoſuit, odio erga Ludovicum Imperatorem, adverſus quem a Johanne XXIII. & Benedicto XII. promulgata anathemata confirmavit, Germaniæ Principibus imperans, ut alium eligant Imperatorem. *Antonii porcum*, hactenus magna devotione vicatim nutritum, porro alere prohibuit. *Ivonem* Jureconſultum, qui pauperibus gratis advocatum ſe præſtiterat, in numerum Sanctorum retulit. Platinæ de hoc Pontifice verba ſunt: *Vrbem Avenionenſem a Johanna Regina emit, ejus enim patrimonium habebatur. Perſolvitur pretium feudi permutatione: tantundem enim, & eo amplius, ob Regnum Neapolitanum, Eccleſiæ Romanæ debebat.* Deceſſit Avenione A. 1352. cum 10. annos Eccleſiæ Romanæ præfuiſſet.

INNOCENTIUS. VI.

Innocentius VI. Lemovicenſis, cui antea *Stephanus Albertus* nomen, Canonici, Civilisque juris fuit peritiſſimus. Hic menſtrua ſalaria Auditoribus Rotæ, & Judicibus conſtituit, ut a munerum corruptione illos immunes redderet. *Carolo IV.* duos Cardinales, ad id delectos,

coronam imponere juſſit, ſed ea lege, ut Roma & Italia quamprimum excederet. *Feſtum* Clavorum & Coronæ Chriſti, Lanceæque Longini, inſtituit. *Johannem de Rupeſciſſa*, Franciſcanum, quod Apocalypſin Johannis contra Papas exponeret, eosque Antichriſtos vocaret, comburi juſſit. Mortuus eſt anno 9. Pontificatus.

VRBANVS V.

Vrbanus V. Gallus gente, *Grimoardi* filius, Juris Civilis & Decretorum Doctor erat. Romam, quod proxime anteceſſorum nemo auſus fuerat, petens, *Vaticanum* collapſum reſtituit, hortisque & viridariis exornavit. Reperit Capita Petri & Pauli Apoſtolorum, eaque incluſa loculis argenteis, ad aram maximam Lateranenſis Baſilicæ collocavit. *Jeſuatorum Ordinem*, a Johanne Columbano, & Franciſco Vincentio, Senis in Hetruria inſtitutum, & ſic appellatum, quod illi addicti, nomen Jeſu ſemper in ore ferrent, confirmavit, conceſſitque, ut alba tunica, tegumento capitis albo quadrato, ſcortea zona, & ſoccis ligneis uti poſſent. Hic *Roſam Auream* excogitavit, eamque *Johannæ* Apuliæ Reginæ dono miſit. *Agnos* item *cereos* finxit, eandem illis vim, qua Chriſti Sanguis pollet, attribuens. Mortuus eſt Pontificatus anno 9. in Gallia, quo fuerat reverſus.

GREGORIVS XI.

Gregorius XI. patria Lemovicenſis, *Comitis*

mitis Bellefortis filius, Clementis VI. ex fratre nepos, *Baldi* Jureconſulti diſcipulus fuit. Is Sedem Apoſtolicam Romæ poſtliminio reddidit, ad id inductus, tum hortatu *Catharinæ Senenſis*, tum dicto Epiſcopi cujusdam, qui, cum ab eo interrogaretur, cur non rediret ad Eccleſiam ſuam, cum haud æquum ſit eam tam diu ſine Paſtore nudam relinquere, reſpondit: *Et quare tu Summe Pontifex, cæteris exemplum daturus, tuum Epiſcopatum Eccleſiamque Romanorum non repetis?* Quæ referens Platina, addit: *Motus his verbis Pontifex, paratisque in Rhodano una & viginti triremibus, alio ſe iturum ſimulat, ne a Gallis retineretur, ſi ſe profecturum ad Vrbem intellexiſſent, ipſam namque Curiam, emolumenti cauſa, in Gallia volebant.* Comitem ſecum duxit *Petrum de Luna*, Hiſpanum, Cardinalem, qui poſtea magnarum turbarum cauſa fuit. Exceptus eſt Romæ fauſtis acclamationibus, & incredibili omnium incolarum lætitia. Scilicet, quæ Platinæ rurſus verba ſunt, *indigebant omnia adventu Pontificis. Nam & mœnia, & publica ac privata ædificia, ubique ruinam minabantur. -- Labefactati etiam ita Civitatis mores erant, ut nihil urbanitatis habere videretur; utque illi mores aliunde petendi eſſent, quæ totum orbem terrarum quondam ad urbanitatem redegerat.* Extinctus eſt Gregorius, A. 1387. veſicæ dolore, cum in Pontificatu octo fere annos exegiſſet.

Poſt Gregorium *Schisma* peſſimum exortum eſt, quod 50. annos duraſſe ſcribit Onufrius. Alius Romæ, vel alicubi in Italia, alius Aveni-

oni

one in Gallia reſidebat. *Illi* adhæſerunt Italia, Germania, Hungaria, & Polonia; *huic* Gallia, Hiſpania, & Britannia. Ille hunc, & hic viciſſim illum pro Pſeudopapa habuit, & tanquam adulterinum, imo tanquam Antichriſtum, una cum aſſeclis & complicibus damnavit. *Fuit hæc ſchismatica diviſio*, ait Johannes Marius, Ludovici XII. Galliarum Regis Hiſtoricus, in ſuo de Schismatibus & Conciliis libello, *adeo dubia atque perplexa, ut etiam peritiſſimi, ac præcipui quique Clerici, diſcernere non poſſent, quis eorum verus Petri ſucceſſor eſſet.* Johannes autem Gerſon, Sermone de Signis Eccleſiæ, *ad tantam*, inquit, *ambiguitatem, univerſalis Eccleſia devenit, quod ignoravit, apud quam partem vera Sedes Romana erat, niſi forſan Deus alicui revelaſſet, aut Salomonis judicium, de puero dividendo, & vera & falſa matre hoc perſuaderet.* Wernerus Rolevinck, in Faſciculo Temporum, nominat Schisma hoc, omnium quæ ante fuerunt, *peſſimum & ſubtiliſſimum; conjunctum cum grandi ſcandalo totius Cleri, & grandi jactura animarum, propter hæreſes, & alia devia:* denique concludens: *Ab iſto Vrbano VI. usque ad Martinum V. neſcio quis fuit Papa.* Æneas vero Sylvius, nomine Imperatoris Friderici III. Calixto III. Pontifici recens creato, habita oratione, ut fieri conſuevit, gratulatus, inter cætera dixit: *Tu ſolus es, qui poſt Gregorium XI. per annos octuaginta & amplius, ſine competitore, certus & indubitatus B. Petri ſucceſſor invenieris.*

Scili-

Scilicet Gregorio XI. Itali *Vrbanum VI.* Galli *Clementem VII.* ſubſtituebant. Ille Romæ, hic Avenione ſedebat. Mortuo Vrbano ſurrogatus eſt Romæ *Bonifacius IX.* Clementi extincto, a Cardinalibus Gallicis ſuffectus eſt *Benedictus XIII.* olim Petrus de Luna Hiſpanus, qui ſedit annos 30. univerſos. Bonifacio e vivis ſublato, ſucceſſor datus *Innocentius VII.* & huic *Gregorius XII.* Coacta fuerat interea temporis *Synodus, Piſis* in Hetruria. Ea tantæ rei judicium ſibi ſumſit, circa Gregorium XII. ac Benedictum XIII. declarando, *eorum utrumque fuiſſe & eſſe notorios ſchismaticos, & antiquati ſchismatis nutritores, defenſores, fautores, approbatores, & manutentores pertinaces, nec non hæreticos a fide devios, univerſalem Eccleſiam ſanctam Dei notorie ſcandalizantes, cum incorrigibilitate, contumacia, & pertinacia notoriis, evidentibus, & manifeſtis.* Vnde & Synodus *utrumque per definitivam ſententiam abjecit, & præcidit, inhibendo eisdem, ne eorum aliquis pro Summo Pontifice ſe gerere præſumat.* Sed vero neuter obſequium præſtitit. Itaque cum Synodus duobus illis exauctoratis, tertium, quem legitimum haberi volebat, Pontificem, creaſſet, *Petrum* videlicet *e Candia*, qui *Alexandri* V. nomen ſibi ſumebat, & cui poſt paucos menſes defuncto, *Johannes* XXIV. ſive XXIII. ſucceſſit, jam tres erant Pontifices, qui ſinguli pro veris ſe gerebant, & ſinguli duos reliquos damnabant. Tandem in *Conclio Conſtantienſi*, tribus Papis exautoratis, electus fuit *Marti-*

Martinus V. in quo Schisma ceſſaſſe vulgo dicitur.

VRBANVS VI.

Vrbanus VI. Neapolitanus patria, extra Cardinalitii Senatus ordinem, & abſens, Pontifex electus eſt, plebe Italum Papam depoſcente, & Cardinalibus, congeſto igne minitante, ſe illos niſi morem gerant, crematuram. Vrbanus natura ferox fuit, utpote qui 6. Cardinales in vincula conjectos necari juſſit, quod diceret, eos cum Antipapa contra ſe conjuraſſe, & Genuam petens, 5. Cardinales, Nuceriæ captos, totidem ſaccis involutos, in mare demerſit. Vna die creavit XXIX. Cardinales, in quibus tres Romani, cæteri Neapolitani. Reipublicæ adminiſtrationem Senatui Romano ademit. Diem ſupremum obiit A. 1389. anno Pontificatus fere 12. *paucis admodum,* ſic Platina dicente, *ejus mortem, ut pote hominis ruſtici & inexorabilis, flentibus.*

BONIFACIVS IX.

Bonifacius IX. Neapolitanus, ante *Petrus Tomacellus* vocabatur. Is primus, Lateranenſi Palatio relicto, quod hactenus Pontifices inhabitaverant, prope S. Petri Baſilicam, *in Vaticano ſedem fixit*, ac S. Angeli Arcem munivit. *Annatas*, ſeu penſiones primi anni, pendendas Pontifici ex majoribus beneficiis, & prædiis Eccleſiaſticis, a novis poſſeſſoribus, primum inſtituit: quam conſtitutionem omnes admiſere

præter

præter Anglos. *Duo Jubilæa* celebravit, unum ſibi derelictum ab Vrbano, qui annum ſui ſeculi nonageſimum ſacraverat; alterum a ſe promulgatum, centeſimum ſcilicet. S. Brigittam catalogo Sanctorum adſcripſit, ac A. 1404. obiit ex pleuritide.

VIRI DOCTI.

Quos hactenus in Sacros & Profanos Scriptores diſtinximus, nunc uno Virorum Doctorum nomine complecti ratio flagitat, non ita prono amplius inter divinas & humanas literas, quibus quisque maxime inclaruit, cum plerique utrisque operam dediſſe deprehendantur, diſcrimine ſe offerente.

Petrus Aureolus.

Petrus Aureolus, Aquenſis Epiſcopus, *Doctoris facundi* nomen promeruit, & ſcripſit *in libros Sententiarum.* Sub Ludovico Bavaro claruit.

Nicolaus Lyranus.

Nicolaus Lyranus, a *Lyra*, pago diœceſeos Ebroicenſis in Normannia ſic dictus eſt. Fuit origine Judæus, & *Samuel Levita* audiebat: ſed poſtea Chriſtianæ religioni nomen dedit. Compoſuit *Poſtillam*, ſive Commentarios in univerſa Biblia, item *librum contra Judæos.* Ob eruditionem Principibus gratus fuit, unde & *Johan-*

Johanna Regina, Philippi V. Galliæ Regis Conjux, eum inter executores teſtamenti ſui nominavit. Vulgo dicitur: *Lyra Luthero equum admovit, & ſtapedes tenuit, quo equum ille commodius aſcenderet.*

Joh. Sangvinacius.

Johannes Sanguinacius, Medicus Patavinus, clarum nomen adeptus eſt. Is, ex ſolo aſpectu vultus, & genus, & tempus, & paroxysmum morborum conjicere ſolebat. Cum eam ob cauſam in Magiæ ſuſpicionem veniſſet; a Franciſcanis Romam pertractus, cum ſufficienter ſe purgare non poſſet, in Melitam Inſulam relegatus eſt.

Durandus.

Durandus a S. Porciano, Arvernas, A. 1333. e vita exceſſit. Vulgo *Doctor Reſolutiſſimus* dictus eſt. Scripſit *in IV. libros Sententiarum*, in quibus, Bellarmino judice, ſunt nonnulla, quæ a communi Doctorum ſententia abhorrent, & ab Eccleſia improbantur.

Hervæus Natalis.

Hervæus Natalis, Brito, Dominicanus Monachus, & Thomæ Aquinatis celebris defenſor, condidit *librum adverſus Durandum & Henricum a Gandavo.* Scripſit etiam de Æternitate mundi, de Relationibus, & de Secundis intentionibus.

Franciscus Mayronus.

Franciſcus Mayronus, e Provincia oriundus,

dus, Johannis Scoti diſcipulus, vulgo *Doctor Illuminatus* dictus, reliquit *Commentarium in IV. libros Sententiarum*. Primus A. 1315. *certamen Sorbonicum* in Academiam Pariſienſem invexit, quo, in æſtate, per ſingulos dies Veneris, reſpondetur a quinta matutina, usque ad ſeptimam veſpertinam, ſine Præſide, ſine Socio, ſine prandio & paſtu, ſine ulla emigratione, in eadem perpetua corporis ſede, & animi contentione, donec cunctis Opponentibus ſatisfactum ſit, qui ſunt minimum 60. & argumenta circiter centum agitant.

HENRICUS FRAUENLOB.

Henricus Frauenlob minime tacendus eſt. Fuit Doctor Theologiæ, & *carminibus ſuis fœmineum ſexum collaudavit*, Divam quoque Mariam Virginem pro merito extollens. Mortuus eſt Moguntiæ, & ibidem in Cathedrali templo terra conditus, matronis feretrum ejus ſuccollantibus, & ingentem vini copiam monumento affundentibus.

WILHELMUS OCCAM.

Wilhelmus Occam, Anglus, autor eſt *Nominalium*, ſicut Scotus Realium. Dictus fuit, *Venerabilis inceptor*, *Doctor ſingularis*, item *Doctor invincibilis*. Scripſit *librum de Poteſtate Pontificum & Imperatorum*, adverſus Johannem XXII. ideo anathemate notatus. Vnde ad Ludovicum Bavarum, æque excommunicatum, ſe contulit, eique dixit: *Defende me gladio, & ego te ſcriptis defendam.*

NICEPHORUS CALLISTUS.

Nicephorus Calliſtus, Xanthopulus, ſcripſit XXIII. *libros Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, ad Andronicum Palæologum, quorum XVIII. ſuperſtites, ad mortem usque Imperatoris Phocæ, ſive A. C. 610. pertingunt. Poſtremi V. ad exceſſum usque Imperatoris Leonis Philoſophi, hoc eſt A. 911. producti, perierunt. Putidas eum interdum fabulas afferre, & graviter lapſum eſſe, etiam Baronius, Poſſevinus, aliique non diſſimulant.

NICEPHORUS GREGORAS.

Nicephorus Gregoras, *Hiſtoriam 145. annorum* compoſuit, incipiens a Theodoro Laſcare, & deſinens in obitu Andronici Palæologi poſterioris. De eo Lipſius in notis ad Politicam ſic judicat: *Superfluit, aut evagatur: & res orationesque proprias miſcet, indecore, imo inepte. Judicia tamen ejus crebra, & plerunque recta: cauſæ eventuum curioſe poſitæ: pietas inculcata, & multa opportune ad primam illam cauſam relegata, id eſt Deum. Sane Providentiam & Fatum non alius Scriptor magis aſſeruit.*

JACOBUS RAVANUS.

Jacobus Ravanus, Lotharingus, Jureconſultus, compoſuit *Summam Feudorum*. Primus, ad Dialecticum modum diſputandi Diſcipulos ſuos deduxit.

MARSILIUS PATAVINUS.

Marſilius Patavinus, acerrime vitia Cleri inſectatus eſt. Scripſit ad Ludovicum Bavarum Imp.

Imp. *Defenſorem Pacis*, in quo Papam Imperatori ſubeſſe, ſolide adſtruit, anathemate ideo percuſſus.

MUGELLANUS.

Dynus Roſſanius Mugellanus JCtus, Bononiæ Jus Civile docuit. Expoſuit *Digeſtorum titulum de Regulis Juris*, juſto commentario.

DANTES.

Danti Aligerio, Florentino, Poëtæ celeberrimo, verum nomen *Durantes* fuiſſe, ex eoque, abbreviando, Dantes prognatum eſſe, Volaterranus prodidit. Apud eundem legitur, quod in adoleſcentia *Beatricem* amaverit, eique multa dicaverit carmina. Excoluit principio Latinam poëſin, ſed cum exiſtimaret ea minus ſe valere, animum ad vernaculam contulit, in qua ſumma conſequutus eſt. Extant illius *carmina de Inferno, Purgatorio, & Paradiſo*, Hetruſco ſermone, quæ feruntur in primis. *Scripſit*, quod rurſus Volaterranus ait, *opuſculum de Monarchia, ubi ejus fuit opinio, quod Imperium ab Eccleſia minime dependeret. Cujus rei gratia, tanquam hæreticus, poſt ejus exitum damnatus eſt, cum aliorum, tum Bartoli Jurisperiti ſententia, ſuper lege 1. §. Præſides tit. Digeſtorum de inquirendis reis.* Florentiæ, in S. Mariæ Floridæ templo, Dantis imaginem ſcite pictam vidi, legique ſubſcriptum:

Qui Cœlum cecinit, Mediumque, Imumque tribunal,
Luſtravitque animo cuncta, Poëta, ſuo.
Doctus adeſt Dantes, ſua quem Florentia ſæpe,
Senſit conſiliis & pietate parem.
Non potuit tanto mors ſæva nocere Poëtæ,
Quem vivum, Virtus, Carmen, Imago, facit.

PETRARCHA.

Franciſcus Petrarcha, ſeculi ſui Phœnix, Philoſophus, Orator, & Poëta inſignis, literas humanitatis, intermortuas quaſi, in vitam revocavit. Filius fuit *Petrarchæ Parentini*, ex *Brigitta* vel *Lieta Carrigiana*, qui ambo Florentini, e patria urbe, Guelforum Gibellinorumque diſſidiis pulſi, Aretium commigrarunt, ubi filius hic A. 1304. in lucem fuit editus. Adoleſcens Avenioni, ubi tum Pontificum ſedes, Carpentoracti, Monſpelii & Bononiæ literis operam dedit. Romæ dein, in Capitolio, magna populi frequentia, intermiſſo diu more *lauream* accepit, quam ingenti Nobilium caterva ſtipatus, in tholo Petrini templi ſuſpendit. Avenionem reverſus, in ejus vicinia agentem *Lauram* Virginem, amare cœpit, eamque carminibus ſuper æthera evexit. Archidiaconatum Parmæ, favore Dominorum Corregii nactus, varios Epiſcopatus, imo purpuram, a Papa Benedicto, hac conditione, ut ei ſororis ſuæ 18. annorum Virginis, omnium ætatis ſuæ multo formoſiſſimæ, pudicitiam proſtitueret, oblatam, magnanimus reſpuit, quod frater *Girardus* dein feciſſe, ſed promiſſo fruſtratus eſſe

eſſe dicitur. Obiit Arquæ, prope Patavium A. 1374.

TAULERUS.

Johannes Taulerus conſcripſit *librum, de novem gradibus perfectionis Chriſtianæ*; item, *Tractatum de Virtutibus*, nec non *Speculum & Exemplar Domini JEſu Chriſti*. Dixit, Eccleſiam indigere reformatione.

THOMAS BRADWARDINUS

Thomas Bradwardinus, Epiſcopus Cantuarienſis, cognomento *Doctor profundus*, pro gratia Dei, contra Pelagianos Lutetiæ diſputavit. Edidit *librum de Cauſis Dei*, item alium, *de Virtute Dei, cauſæ cauſarum*. Dicitur nonnihil ab Auguſtino receſſiſſe, & ad Stoicos acceſſiſſe propius.

BARTOLUS.

Bartolus de Saxoferrato, juris ſcientia claruit, a quibusdam, *Juris lucerna & cæcorum dux*, item, *ſpeculum, & veritatis pater*, dictus. Hebraicas quoque literas, & Mathematicas diſciplinas calluit. Peruſii jus civile docuit, itemque Piſis: cujus in hac poſteriore urbe ædes, publicæ factæ, & adoleſcentum, qui bonæ menti ac liberalibus diſciplinis operantur, commodis dicatæ ſunt, tali, quam Academiam Piſanam olim luſtrans, mihi notavi, aliisque notandam cenſeo, inſcriptione:

Ferdi-

Ferdinandus Medices Magnus Dux Etruriæ III. has ædes, quas olim Bartolus Juris interpres celeberrimus, incoluit, nunc renovatas & inſtructas, adoleſcentibus, qui ad Philoſophorum & Jureconſultorum Scholas miſſi, publico urbium atque oppidorum ſuorum ſumptu ſeparatim alebantur, publicæ utilitati conſulens, addixit, legesque, quibus in victu, veſtitu, vitaque ſimul degenda uterentur tulit, Anno ſalutis M D XCV.

Carolus IV. Imperator, & Bohemiæ Rex, conceſſit Bartolo, ut ille, & cæteri de agnatione ejus, *leonem rubentem cum caudis duabus in campo aureo* portarent, ceu ipſe teſtatur de ſeſe in tract. de Inſignibus & armis num. 2. Fallunt ergo nos Jovius, & qui eum ſequuntur plerique omnes, aſſerentes, Bartolum, ipſiſſimis Regum Bohemiæ Inſignibus a Caroli IV. donatum eſſe. Fuit enim illa tantum imago Inſignium Bohemicorum, quippe, in his leo eſt argenteus, cujus corona, lingua, & falculæ, auratæ, cauda biſulca, in parma rubea. Gloriatur amplius Bartolus alio loco, eundem Carolum Imperatorem, ſibi, poſterisque, quos legum Doctores eſſe contingeret, dediſſe poteſtatem legitimandi, & veniam ætatis concedendi. Thoma Diplovatatio in vita Bartoli teſte, decreto regio in Hiſpania & Luſitania ſancitum eſt, ut in caſibus in quibus reperitur contradictio Doctorum, opinio

nio Bartoli prævaleat, tanquam principalior, & ſecundum illam judicetur.

Baldus.

Petrus Baldus de Vbaldis, Peruſinus, Bartoli fuit diſcipulus, & jus Civile ac Canonicum Commentariis illuſtravit, in quibus ſubinde a Præceptoris opinionibus diſcedit.

Boccatius.

Johannes Boccatius, Florentinus, Petrarchæ diſcipulus, ſcripſit *Genealogiam Deorum*, itemque *Fabulas centum*, & plura alia, vernaculo, quo imprimis valuit, ſermone.

Emanuel Chrysoloras.

Emanuel Chryſoloras, primus *Græcas literas*, variis Barbarorum irruptionibus expulſas, poſt ſeptingentos annos, denuo in Italiam importavit. Miſſus fuerat a *Johanne* Imperatore Conſtantinopolitano, ut totius Europæ Reges adeundo, illorum opem imploraret, laboranti, imo vero perituræ Græciæ ſuccurrerent. Cum autem Bajazetem a Tamerlane captum audiviſſet, Græcia præſenti metu liberata, in Italia ſubſtitit, ac Venetiis primum, mox Florentiæ, Romæque, demum Ticini, evocante eum ingentibus præmiis Johanne Galeatio Principe, Græcas literas docuit. Condidit *Artis Grammaticæ Regulas*. Reliquit etiam varias *Epiſtolas Græcas*, quæ in Leidenſi Bibliotheca MS. aſſervantur.

***

HÆRE-

HÆRETICI.

Lolhardi.

Lolhardi, a *Walthero Lolhardo* ſic dicti ſunt, qui Coloniæ vivicomburii ſupplicium luit. Si fides hujus ætatis Scriptoribus, docuit, Luciferum, cum aſſeclis, injuria de cœlo deturbatum, & aliquando in beatitudinem recipiendum: Divam Deiparam a partu virginem eſſe deſiiſſe: fugere divinos oculos ea ſcelera, quæ ſub terra perpetrantur.

Beguardi, Beguinæ.

In Clementina de Hæreticis cap. 3. ex Concilii Viennenſis, a Clemente V. habiti, decretis, damnantur, qui hoc ſeculo, procurante ſatore malorum operum, in regno Alemaniæ damnabiliter inſurrexiſſe dicuntur, maligni homines Beguardi, & infideles mulieres Beguinæ, tenentes & aſſerentes doctrina ſua ſacrilega & perverſa, eos, qui ſequuntur errores: I. Quod homo in vita præſenti, tantum & talem perfectionis gradum poteſt acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit; cum ſi quis ſemper poſſet proficere, poſſet aliquis Chriſto perfectior inveniri. II. Quod jejunare non oportet hominem, nec orare, poſtquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit aſſecutus: quia tunc ſenſualitas eſt ita perfecte ſpiritui & rationi ſubjecta, quod homo poteſt libere corpori concedere quicquid placet. III. Quod illi qui ſunt in prædicto gradu perfectionis & ſpiritu libertatis, non ſunt hu-

mana

manæ ſubjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Eccleſiæ obligantur: quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas. IV. Quod homo poteſt ita finalem beatitudinem, ſecundum omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi, ſicut eam in vita obtinebit beata. V. Quod quælibet intellectualis natura, in ſeipſa naturaliter eſt beata: quodque anima non indiget lumine gloriæ, ipſam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum. VI. Quod ſe in actibus exercere virtutum, eſt hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat a ſe virtutes. VII. Mulieris oſculum (cum ad hoc natura non inclinet) eſt mortale peccatum: Actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non eſt, maxime cum tentatur exercens. VIII. Quod in elevatione corporis JEſu Chriſti non debent aſſurgere, nec eidem reverentiam exhibere. Enim vero Johannes XXII. poſtea nova conſtitutione, quæ in Corpus Canonicum redacta, efficit *cap. un. de Relig. dom. in Extravag. Com.* Beguinas quæ culpa carent, declaravit Clementis conſtitutione non teneri, ac proinde nulla injuria afficiendas eſſe. Hinc in Belgio Hiſpanico, in plerisque majoribus civitatibus, Beguinæ etiamnum reperiuntur magno numero. Sunt vero illæ, non veræ profeſſæ, quales Regulares & Religioſæ, nec Monialium numero continentur, utpote obedientiæ vel paupertatis voto minime adſtrictæ, atque adeo nulli Regulæ, a Sede Apoſtolica approbatæ addictæ. Separatæ tamen degunt, in locis clauſis,

quæ vocant, die Beginnen-Höf/ ibi domicilia habent propria, & peculiari quoque utuntur veſtium genere.

BERTHOLDUS DE RORBACH.

Bertholdum de Rorbach A. 1356. Herbipoli ſequentes errores diſſeminaſſe ſcribit Nauclerus: I. Chriſtum in paſſione ſua ſic a Patre fuiſſe derelictum, ut præ dolore nimio dubitaverit, an anima ſua ſalvari poſſet. Ideo eum quoque in cruce Mariæ matri maledixiſſe. II. Quod terræ maledixerit, quia ſuſcepit ſanguinem ejus de cruce ſtillantem. III. Hominem in hac vita in tantum poſſe proficere, ut nec orare, nec jejunare eum oporteat. IV. Hominem devotum, in perceptione cibi communis, poſſe percipere tantam gratiam, ac ſi perciperet Euchariſtiæ Sacramentum. Cum à ſententiis quas mente conceperat, diſcedere nollet Bertholdus, iisque mordicus inhæreret, vivicomburio in eum fuit animadverſum.

ANGLICA VIRGO.

Hoc Seculo Anglica quædam Virgo, Spiritum S. ſe eſſe aſſerebat, in ſalutem mulierum incarnatam, baptizabatque fœmineum ſexum, in nomine Patris, & Filii, & ſuo. Poſt obitum fuit combuſta.

TURILUPINI.

Turilupini, profeſſione Cynici, docebant, de nulla re, quæ nobis a natura data eſt, erubeſcendum eſſe.

MEMO-

MEMORABILIA.

ITaliam cum Rudolphus Imperator prope neglexiſſet, ac Albertus deinde occiſus eſſet, Præfecti qui ibi erant Cæſarei, occaſionem nacti ſunt poteſtatem ſibi vindicandi. Sic Mediolanum in Vicecomitum, Verona in Scaligerorum, Mantua in Paſſerinorum, Patavium in Carrarienſium, Mutina in Eſtenſium, Luca in Caſtruciorum venere poteſtatem. Poſtea Florentini a Caſtrucio, inteſtinisque diſcordiis fatigati, ſeſe Carolo Duci Calabriæ, Roberti Neapolitani Regis filio dediderunt. Ludovicus Gonzaga, Paſſerino Bonacoſſo Mantuæ domino interfecto, dominatum occupavit. Canis Scaliger, Veronæ Dominus, Patavio de Carrariis in deditionem accepto, Tarviſioque expugnato, moriens Maſtinum filium heredem reliquit. Maſtinus, paternæ hereditati Vicentiam, Brixiam, Bergomum, Parmam, Lucamque adjecerat, jamque Venetiis imminebat. Ergo Veneti, Petri Rubri Parmenſis opera, Patavium & Tarviſium, Luchinus Vicecomes Brixiam, Bergomumque Scaligero adimunt. Victo ita pax data, ut, quod quisque cepiſſet, retineret; ipſe Verona, Vicentia, Parma, Luca contentus eſſet.

Circa annum 1300. JOHANNES GOJA (alii *Flavium Giram* vocant) Amalfitanus, obſervavit Magnetem indicem eſſe lineæ meridianæ, eoque plagam Septentrionalem ſemper monſtrare. Fieri id alicubi cum aliqua declinatione,

tione, quam Chalyboclisin vocant, primus deprehendit *Sebaſtianus Cabottus.*

In initia hujus Seculi incidunt HELVETIORUM VINDICIÆ SECUNDUM LIBERTATEM, quibus Præfectorum ſævities, & inſolentia occaſionem dederunt. Erat Helveticarum Civitatum diſſimilis ratio. Quædam certis conditionibus ſubjectæ Abbatibus, ab Imperio accipiebant Præfectos, penes quos ſumma judiciorum publicorum, & vitæ necisque fuit poteſtas. Aliæ, inter Civitates Imperii liberas numerabantur. Nonnullæ Auſtriacorum terris adjectæ, iſtis erant obnoxiæ. Cæterum, vivebat hoc tempore apud Vnterwaldios, vir gravis ætate aſpectuque, nec opibus deſtitutus, *Henricus a Melchthal*: ad hunc mittebat Præfectus *Landenbergius* ſervum, cum mandato, ut aliquot juga boum ei abducat. Repugnante Melchthalio, & ſibi ſuis bobus ad terram colendam opus eſſe dicente, affore tempus ajebat ſervus, quo ruſticis ipſis aratra trahenda ſint, & ſimul boves vi abducere nitebatur. Ibi Melchthalii filius, *Arnoldus*, indignitate rei permotus, ſtimulo, quem in manibus habebat, ſervum Præfecti percutit, eique digitum frangit: iram vero Præfecti metuens, in vicinos montes evadit, & apud cognatum latibulum quærit. Landenbergius, re cognita, patrem ad ſe vocat, ubinam filius eſſet ſciſcitans. Cum vero is ſe hoc neſcire reſponderet, iratus Præfectus, ſeni oculos eruere jubet, & non jugis tantum boum, ſed & magna bonorum parte illum mulctat. Eodem tempore Præfe-

ctus

ctus *Grislerus*, Altdorfii in foro pileum perticæ imponit, ac omnes jubet nudato capite, & poplite flexo, honorem ei exhibere. Illum, cum *Wilhelmus Tellius*, Vrii incola, & honeſtis natalibus ortus, aliquoties citra reverentiæ ſignum tranſiiſſet, Præfectus, Tellio, quem optimum ſagittarium noverat, hanc pœnam irrogavit, ut eum pomum, filioli unice chari capiti impoſitum, ſagitta petere juberet, mortem utrique interminans, niſi imperata exequeretur. Coactus ergo obedire Tellius, fortuna proſpera manum dirigente, pomum dejicit, ſed quia duabus ſagittis inſtructus venerat, quærit ex eo Præfectus, in quem uſum alteram ſecum attuliſſet? Tellius, nihil tergiverſatus, reſpondit, ſe hoc conſilio ſumſiſſe duas ſagittas, ut, ſi una filium feriiſſet, eam quæ ſupererat, in Præfecti cor adigeret. Tum Præfectus, Tellium ad perpetuos carceres damnaturus, vinctum navi imponi jubet, ut eum, per vicinum Altdorfio lacum, Suiziam abduceret. Cum vero in medio lacu veheretur, oborta ſubito gravi tempeſtate, ut vitæ ſuæ conſuleret, Tellius, qui & viribus corporis præſtabat, & navium regendarum peritus erat, vinculis ſolutus, gubernaculo admovetur; atque is navim e fluctibus eripit, cumque terræ appropinquaſſet, arrepto arcu prope in terram deſilit, viamque per quam tranſiturus Præfectus erat, celeri curſu præoccupans, hunc ſequentem incautum ſagitta conficit. Tellius ad ſuos reverſus, ac convocata concione, rem prout geſta erat enarrans,

rans, autor fuit fœderis, quod A. 1308. Pagi tres, *Suizius* nempe, *Vrius*, & *Vnterwaldius*, ad vim injuſtam amoliendam, & libertatem tutandam, magna religione contraxerunt. Extat etiamnum *Sacellum* eo in loco, quo Præfectus cæſus eſt, & alterum in ſaxo, in quod Tellius e navi deſiliit, hujusque arcus, cum gladio, in armamentario Tigurino oſtenduntur, memoria celebratur in hilariis, cantilena, quæ incipit Wilhelmus von den Telle / cujus nemo unus ignarus deprehenditur. Cæterum, in bello, quod fuit inter *Ludovicum* & *Fridericum* Imperatores, Vrii, Vnterwaldii & Suizenſes, odio Nobilitatis, & metu Auſtriacorum, Ludovico adhæſere, reliqui ſtabant a Friderici partibus. Ludovicus, devicto Friderico Auſtriaco, pro opera fideliter præſtita, αὐτονομίαν tribus illis Pagis conceſſit, quibus cæteri, ſucceſſu temporis ſeſe adjunxerunt.

Sciendum: *Philippus III.* Audax, Galliæ Rex, tres procreavit filios, unum *Philippum IV. Pulchrum*, qui poſtea Regnum adminiſtravit, ac Navarram quoque, cum Conjuge Johanna in dotem accepit; alterum *Carolum*, Valeſiorum & Alanſonii Comitem: hunc Valeſiorum ſtirps habet progenitorem: tertium, *Ludovicum* Comitem Eburovicenſem. Philippus IV. filiam reliquit unicam *Iſabellam*, uxorem *Eduardi II.* Angliæ Regis, ex qua natus eſt *Eduardus III.* Filii autem hujus Philippi fuerunt *Ludovicus* X. Hutinus, *Philippus V.* Longus, & *Carolus IV.* Pulcher, qui omnes, ordine, unus

poſt

poſt alium, in Gallia imperarunt; neque tamen ex ſe natos filios reliquerunt. Igitur Carolo IV. rebus humanis A. 1328. exemto, Proceres, propter legem Salicam, neglecta Iſabella ejus ſorore, hujusque filio Eduardo III. rerum ſummam detulerunt ad *Philippum Valeſium*, qui VI. vulgo dicitur, Caroli IV. proximum agnatum, quippe Caroli, primi Valeſiorum Comitis, filium. Ea res graviſſimorum bellorum inter Gallos Anglosque origo fuit ac materies, quia Eduardus inſignia titulumque Regis Galliæ aſſumebat. Pugnatum ad *Sluſas* Flandriæ oppidum, navali prælio, in quo 30. millia Gallorum mari hauſta ſunt. Succeſſit An. 1346. alia longe funeſtior, ad *Creſſiacum pugna*, hac Johannes Bohemiæ Rex cæcus, & Rex Balearium, tem Carolus frater Regis Philippi, Dux Lotharingus, Comes Flandriæ, Epiſcopi 4. Principes 10. Comites 23. Barones 80. Equites 1200. e vulgaribus militibus 32000. perierunt. Rex ſaucius, equo dejectus, & prælio ereptus, cum ad Brojam arcem perveniſſet, interrogatus quisnam eſſet, reſpondit: Fortuna Franciæ. Tum præter magnam Galliæ partem, Caletum quoq; a Gallis expugnatum. Sequuta eſt An. 1356. clades atrociſſima, in Pictonibus. Ducebat *Joannes* Francorum Rex, Philippi filius, & ſucceſſor, ſexaginta millia contra *Eduardum* Walliæ Principem, in cujus exercitu vix 8000. numerabantur. Anglus, conſcientia infirmitatis, precabatur ſibi tutum abitum, pollicens, ſe occupata redditurum. Abnuebant Galli. Igitur deſperatio

rans, autor fuit fœderis, quod A. 1308. Pagi tres, *Suizius* nempe, *Vrius*, & *Vnterwaldius*, ad vim injuſtam amoliendam, & libertatem tutandam, magna religione contraxerunt. Extat etiamnum *Sacellum* eo in loco, quo Præfectus cæſus eſt, & alterum in ſaxo, in quod Tellius e navi deſiliit, hujusque arcus, cum gladio, in armamentario Tigurino oſtenduntur, memoria celebratur in hilariis, cantilena, quæ incipit Wilhelmus von den Telle / cujus nemo unus ignarus deprehenditur. Cæterum, in bello, quod fuit inter *Ludovicum* & *Fridericum* Imperatores, Vrii, Vnterwaldii & Suizenſes, odio Nobilitatis, & metu Auſtriacorum, Ludovico adhæſere, reliqui ſtabant a Friderici partibus. Ludovicus, devicto Friderico Auſtriaco, pro opera fideliter præſtita, *αὐτονομίαν* tribus illis Pagis conceſſit, quibus cæteri, ſucceſſu temporis ſeſe adjunxerunt.

Sciendum: *Philippus III.* Audax, Galliæ Rex, tres procreavit filios, unum *Philippum IV. Pulchrum*, qui poſtea Regnum adminiſtravit, ac Navarram quoque, cum Conjuge Johanna in dotem accepit; alterum *Carolum*, Valeſiorum & Alanſonii Comitem: hunc Valeſiorum ſtirps habet progenitorem: tertium, *Ludovicum* Comitem Eburovicenſem. Philippus IV. filiam reliquit unicam *Iſabellam*, uxorem *Eduardi II.* Angliæ Regis, ex qua natus eſt *Eduardus III.* Filii autem hujus Philippi fuerunt *Ludovicus X.* Hutinus, *Philippus V.* Longus, & *Carolus IV.* Pulcher, qui omnes, ordine, unus poſt

poſt alium, in Gallia imperarunt; neque tamen ex ſe natos filios reliquerunt. Igitur Carolo IV, rebus humanis A. 1328. exemto, Proceres, propter legem Salicam, neglecta Iſabella ejus ſorore, hujusque filio Eduardo III. rerum ſummam detulerunt ad *Philippum Valeſium*, qui VI. vulgo dicitur, Caroli IV. proximum agnatum, quippe Caroli, primi Valeſiorum Comitis, filium. Ea res graviſſimorum bellorum inter Gallos Anglosque origo fuit ac materies, quia Eduardus inſignia titulumque Regis Galliæ aſſumebat. Pugnatum ad *Sluſas* Flandriæ oppidum, navali prælio, in quo 30. millia Gallorum mari hauſta ſunt. Succeſſit An. 1346. alia longe funeſtior, ad *Creſſiacum pugna*, hac Johannes Bohemiæ Rex cæcus, & Rex Balearium, item Carolus frater Regis Philippi, Dux Lotharingus, Comes Flandriæ, Epiſcopi 4. Principes 10. Comites 23. Barones 80. Equites 1200. e vulgaribus militibus 32000. perierunt. Rex ſaucius, equo dejectus, & prælio ereptus, cum ad Brojam arcem perveniſſet, interrogatus quisnam eſſet, reſpondit: Fortuna Franciæ. Tum præter magnam Galliæ partem, Caletum quoq; a Gallis expugnatum. Sequuta eſt An. 1356. clades atrociſſima, in Pictonibus. Ducebat *Johannes* Francorum Rex, Philippi filius & ſucceſſor, ſexaginta millia contra *Eduardum* Walliæ Principem, in cujus exercitu vix 8000. numerabantur. Anglus, conſcientia infirmitatis, precabatur ſibi tutum abitum, pollicens, ſe occupata redditurum. Abnuebant Galli. Igitur deſpe-

ratio in virtutem verſa, & Angli, communitis tota nocte caſtris, tam ſtrenue Gallorum impetum ſuſceperunt, ut 7000. cum flore Nobilitatis cæſis, reliqui in fugam verſi, ipſum Regem, cum Philippo filio, prædæ hoſtibus exponerent. Johannes in Angliam abductus, non niſi tota Aquitania, hoc eſt plus quam dimidia Galliæ parte, Anglis conceſſa, & tribus aureorum millionibus ſolutis, libertati poſt annos quatuor fuit redditus. Reverſus eſt deinde *Johannes* in Angliam, ut, quia ſacrum bellum meditabatur, fœdus cum Eduardo Rege ſanciret; obiit autem ibi mortem An. 1364. regnavitque poſt eum in Gallia filius illius *Carolus V.* cognomento Sapiens, qui in Pictonum & Xantonum provinciis, urbes aliquas munitas, Anglis ſubjectas, expugnavit, & An. 1380. vitam finiit, ſucceſſore filio *Carolo VI.* non niſi 14. annos nato, & qui 42. annis regno utcunque præfuit, erat enim interdum mente captus. Ejus filia, *Iſabella*, cum Richardo II. Eduardi III. cui ſucceſſerat, nepoti, & *Catharina*, cum Henrico V. Angliæ Regibus nupſiſſent, crevit mirum in modum Anglorum potentia in Gallia, quod Anglus, velut Regis Curator, omnia conſtitueret. Sic ergo Angli totam Normanniam & multa alia loca occupavere. Ferunt Carolum VI. autorem eſſe *Inſignium*, quibus nunc Reges utuntur, &, quæ tribus tantum liliis notantur, nam priores, liliis ſine certo numero, ſcuta exornabant. Aliquando Carolus nocturnis ludis, pice, cui linum adhærebat, delibutus, Satyri ſpeciem præbebat, eodemque habitu quinque

alii

alii in cœtum matronarum virorumque prodibant. Frater Regis cum quemque eorum cognoſcere vellet, correptam facem propius admovit. Scintilla ex ea in Regem forte incidens, repentinum, in omnes illos, effuſa flamma, conflavit incendium. Duo, inopes auxilii, miſerabili ululatu periere. Duo elati, cum biduum animam traxiſſent, exſpirarunt. Vnus ruens in propinquam Promi cellam, aqua vinoque ſe proluens, ſalutem ſibi peperit. Fœmina princeps, Regem veſte, quod caudata fluxaque erat, involvit, ignemque reſtinxit. Exin valetudo Regis multo magis afflicta fuit, quoad An. 1422. vivere deſiit.

Notandum, Eduardo III. natos filios & nepotes, divulſione Regiæ ſtirpis in familias Eboracenſem, & Lancaſtriam, funeſtis Albæ. Rubræq; Roſæ nominibus & inſignibus diſtinctas, Regnum Angliæ in contraria diſcidiſſe ſtudia, donec *Henricus VII. matre Lancaſtria natus, ducta Eliſabetha, Eduardi IV. Eboracenſis filia*, utramque familiam, ſanguinis commixtione, circa annum 1486. copulavit.

ROCHVS, in Gallia, patre *Johanne*, viro principe natus, illo mortuo, pecunia inter pauperes diſtributa, & paternis in Provincia oppidis patruo commendatis, pera & baculo inſtructus, in Italiam contendit. Eam regionem tum atrox peſtilentia vexabat, qua lue correptos, ſigno crucis ſanabat: ille vero in ſiniſtra coxa ſagitta fuit vulneratus, & ægre ſanitati reſtitutus. Reverſus in Galliam, quam bella inteſtina affligebant

bant, in paterno oppido captus, pro exploratore detruditur in carcerem, *in quo*, ceu habent verba Petri de Natalibus in Appendice Catalogi Sanctorum cap. 15. *exacto quinquennio, in maxima patientia & vitæ auſteritate, Dominum orans, ut invocantes nomen ſuum a ſæviſſima peſtilentia protegerentur, in pace obdormivit, An. 1327. ætatis ſuæ 32. Ad cujus latus reperta eſt tabella, his literis inſcripta:* Peſte laborantes, ad Rochi patrocinium confugientes, contagionem illam truculentiſſimam evaſuros ſignifico. *Quo, a patruo cognito, inter multas lacrymas, peractis longo tractu exequiis, ſanctum corpus tradidit ſepulturæ, eidem templum magni ſumtus erigens.*

CONRADVS DVX STEINAVIENSIS, & Præpoſitus Vratislavienſis, vulgo Herzog Köberlein dictus, cum An. 1303. Archiepiſcopus Salisburgenſis eligeretur, & audiret nullam Salzburgi cereviſiam haberi, maluit Steinaviam ad ſuum dolium redire, quam Archiepiſcopatum admittere. Turri ab Henrico fratre incluſus, a Nobilitate, quæ illum propter placidos mores diligebat, liberatus eſt.

LADISLAVS LOCTICVS, ancipiti fortuna diuturno tempore uſus, tandem auxilio Pontificis *Johannis XXII.* Regnum Poloniæ obtinet, & An. 1320. coronatur. Is, ut erga Pontificem gratus eſſet, viciſſim Pontifici *Denarium S. Petri*, pro ſingulis capitibus in Regno offert. Repugnabant hac in re Duces Sileſii, qui ideo a Pontifice fuere excommunicati.

An

An. 1332. ALPHONSVS, Caſtellæ Rex, *Johannem* dictum *Tuerto*, Biscajæ Dominum ſive Regulum, ad convivium vocatum, immiſſis percuſſoribus occidendum curat. Mortuum, velut multorum ſcelerum reum damnat; ac omnem ejus ditionem in Fiscum agit. Sic Biscaja, complexa tum 80. Villas; cum Caſtellæ Regno fuit conjuncta.

An. 1335. in Alſatia ruſticus quidam, der König Armleder/quia brachium corio muniverat, dictus, concitata contra *Judæos* plebe, quaſi juſſus eſſet cœleſti oraculo cædem Chriſti vindicare, ita eos afflixit, ut paſſim, liberis prius ſtrangulatis, præcipites ſe darent, aut vivos comburerent. Collegerat agreſtium turbam, quæ quinquies mille exſuperabat.

HUMBERTUS DELPHINUS, cum filium infantem, cum quo ad feneſtram luſerat, infelici caſu e manibus amiſiſſet, herede deſtitutus, *Philippo Valeſio* A. 1349. ea conditione Principatum donavit, ut apanagii jure haud ulli præterquam Franciæ Regis filio primogenito, ideo *Delphino* ſemper vocando, concedi poſſet.

A. 1342. inſtituit EDUARDUS III. Angliæ Rex, Ordinem Periscelidis, *l'Ordre de la Jarretiere.* Ejus Equites, crus ſiniſtrum exornant cærulei coloris fibulata faſcia, gemmis auroque diſtincta; cum verbis, *Hony ſoit il qui mal y penſe.* Origo talis. Cum Eduardus Rex *Adelheidæ Comitiſſæ Salisberienſis*, quam ſummo affectu proſequebatur, faſciam cruralem quæ ſoluto nodo inter choreas in terram deciderat, propriis ſuſtuliſſet

 mani-

manibus, Nobilium adſtans corona in cachinnos ſoluta eſt, unde Comitiſſa rubore perfundebatur, Rex vero facto colorem quærens, exclamabat: *Hony* &c. ſimul addens, tempus propediem adfuturum, quo, qui faſciam nunc riſerunt, illam ſumma veneratione eſſent excepturi. Hunc igitur Ordinem Equeſtrem inſtituit, qui ab exiguis initiis, evaſit ſplendidiſſimus.

A. 1370. JOHANNES FVGGERVS, agricola in pago Geggingen prope Auguſtam Vindelicorum civis fit Auguſtanus, artemque exercet textoriam.

Eodem hoc anno inſtituit AMADEUS VI. Sabaudiæ Dux, *Ordinem Equitum Annunciationis Mariæ*, in memoriam victoriæ, quam avus *Amadeus IV.* A. 1310. cum Equitibus Rhodienſibus auxilio veniſſet, a Turcis reportavit. Inſigne eſt Torques aureus, in quo Gordii nodi, literæque FERT: quas interpretantur; *Fortitudo Ejus Rhodum Tenuit.* Appenſa eſt imago Archangeli Gabrielis, cœleſte nuncium ad Divam Mariam Virginem perferentis.

Similiter hoc anno GREGORIUS XI. Papa ad Waldemarum Daniæ Regem literas miſit, quibus imperabat, ut lenius tractaret ſubditos, ni anathema Apoſtolicum incurrere vellet. Ille, ut erat iracundior, reſcripſit: *Naturam habemus a Deo, Regnum ab incolis, fidem a tuis Deceſſoribus, quam, ſi nobis invides, per præſentes remittimus.*

A. 1371.

A. 1374. Maniaca quædam passio homines in Germania invaſit, ita ut aſſidue ſaltarent. Cadebant primum in terram, ſpumabantque; inde ſurgentes, quaſi mentis inopes ſaltabant, donec vires deficerent. Medicina unica fuit, ut a ſuis fortiſſime funibus conſtringerentur. Morbus ille vocabatur der Veits-Tantz.

Hoc ævo, incertum quo anno, Bertholdus Schwarz, Monachus Franciſcanus, Friburgo Brisgojæ oriundus, cum in mortario pulverem ſulphureum haberet, medicinæ faciendæ cauſa, illumque texiſſet lapide, accidit, ut, dum ignem ex ſilice in propinquo conſtitutus, excutiebat, ſcintilla in mortarium forte illapſa, pulverem inflammaret, ignisque lapidem in altum vibraret. Id cum animadvertiſſet, re ſecum perpenſa, ferream fiſtulam excogitaſſe, eamque pulvere repletam, ad diſploſionem aptam reddidiſſe dicitur. Ex communi opinione, Tormentis Veneti omnium primi in bello contra Genuenſes A. 1380. uſi fuere. At in Chronico Slavico legimus, ſexageſimo hujus Seculi anno, exuſtameſſe per negligentiam eorum, qui pulveres pro bombardis parabant, Lubecam. Munſterus vero ſcribit ex Achille Gaſſaro, Daniæ Regis Claſſiarios, anno ſeculi 54. bombardis & pulvere pyrio in mari Balthico uſos eſſe.

Hedwigis, filia Ludovici, Poloniæ & Hungariæ Regis, natu minor; ſpreto a Polonis *Sigismundo*, poſtea Imperatore, Mariæ primogenitæ marito, quem Ludovicus ſocer ſucceſſorem declaraverat, A. 1382. Regina ſaluta-

tur. Eam duxit *Jagello*, Odgerdi filius, nepos Gedimini, Dux Lithuaniæ; poſt Chriſtiana ſacra ſuſcepta *Vladislaus II.* dictus, omnesque ſuas provincias, inter quas Samogitia, & pars Ruſſiæ, præter Lithuaniam, Poloniæ Regno jure ſempiterno adjunxit. Conceperat fiduciam potiundæ Hedwigis *Wilhelmus Auſtriacus*, ſimul cum ipſa, & in ſpem talis conjugii, in aula Ludovici educatus, eumque Hedwigis ingenti affectu proſequebatur. Sed Proceres interceſſere, magis Regno Poloniæ, quam amori, conſulendum eſſe cauſati.

JOHANNES WICLEFUS, Theologiæ in Academia Oxonienſi Profeſſor, vir ingenio acer, Purgatorium, cultum Imaginum, Sanctorum invocationem, Indulgentias, Miſſam, transſubſtantiationem, horas Canonicas, Chrisma Baptismi, Confeſſionem auricularem, Ordines Monachorum, & alia Eccleſiæ Romanæ placita, voce & ſcriptis impugnat, Papam Hæreſiarcham & Antichriſtum vocat, contendit Romanam Eccleſiam non eſſe caput omnium Eccleſiarum, nec Petro majorem poteſtatem datam quam cuilibet Apoſtolorum: Papam non habere majorem poteſtatem quam alios Sacerdotes: tum vero Biblia in linguam vernaculam convertit. Quare hæreſeos damnatus, & in exilium pulſus, in Bohemiam conceſſit, Waldenſium in eo Regno doctrinæ lucem afferens. Revocatus poſtea in patriam, ibi A. 1384. diem obiit ſupremum. Oſſa ejus 40. poſt mortem annis, Concilii Conſtantienſis decreto, effoſſa, atque cremata fuere.

BRI-

Brigitta, in Suecia illuſtribus parentibus genita, ex *Vltone*, Nericiæ Principe, 8. liberorum mater, cum marito Compoſtellam abiit, atque eo deinde Ciſtertienſi monacho facto, & paulo poſt defuncto, Romam, Dei juſſu, & hinc in Palæſtinam profecta eſt. Romam rediens, in febrim incidit, atque per annum integrum afflicta morbis, cumulata meritis, in cœlum migravit. Corpus ad Vaſtanenſe in Suecia Monaſterium translatum eſt. Miraculis illuſtrem, Bonifacius IX. in Sanctorum numerum retulit. Quæ, & alia, leguntur in Romano Breviario. Scripſit librum Revelationum, in quo, *Papam animarum interfectorem, Judæis, Pilato, Lucifero pejorem, Sedem ejus demergendam ut lapidem ponderoſum, aſſeſſores ejus arſuros igne inextinguibili*, aſſerit. Teſtatur quoque ſe audiviſſe, matrem Chriſti filio ſuo dicentem: *Romam eſſe feracem agrum*: illum vero reſpondentem: *eſt, ſed zizaniæ. Monaſterium*, quæ verba ſunt Breviarii Romani. *Vaſtanenſe, ſub Regula S. Salvatoris ab ipſo Domino accepta, inſtituit.* Hæc autem Ordinis illius eſt ratio, ut monaſteria communia ſint tam viris quam fœminis, ſed tali murorum interſtitio, ut ſine neceſſitate convenire nequeant. Unum ambobus templum eſt: ſed Religioſi, tanquam miniſtri rerum ſacrarum, inferiorem, Religioſæ, ſuperiorem locum, ad officium & preces peragendas occupant. Ad hæc voluit Brigitta, ut Religioſarum 60. Religioſorum 25. eſſent in unoquoque Monaſterio, nempe 13. Presbyteri, ſecundum numerum Apoſtolorum, Paulo comprehenſo:

4. Diaconi, totidem Eccleſiæ Doctores, Ambroſium, Auguſtinum, Gregorium, & Hieronymum repræſentantes; denique 8. Converſi, qui negotia domus expedirent; ita, ut omnium Fratrum & Sororum numerus eſſet ſecundum 13. Apoſtolos, & 72. Diſcipulos Domini noſtri. Hi, ut poſſint dignoſci, geſtant Presbyteri rubram crucem in ſiniſtro latere pallii, ſub qua ſegmentum panni candidi ponunt, in memoriam ſacræ hoſtiæ. Quatuor Diaconi geſtant orbiculum panni candidi, ſymbolum Sapientiæ 4. Doctorum, eique imponunt 4. particulas rubri coloris, ſimilitudinem linguarum habentes, ut innuant Spiritum S. inflammare linguas, ad recitanda ſacra myſteria. Fratres converſi, in pallio crucem candidam gerunt, quæ denotat innocentiam vitæ ipſorum. Supra eam ſunt 5. ſegmenta rubra, in memoriam 5. vulnerum Domini. Sed vero, eventus, (& in promtu ſunt exempla) docuit, periculoſæ plenum opus aleæ eſſe, Moniales & Monachos in idem Monaſterium ſimul compingere, itaq; pauca fuere excitata ejus generis, nec mihi niſi de uno ſolo in Germania conſtat, quod Abensbergii in Bavaria extare dicitur. Fuit aliquod olim in hujus Academiæ vicinia, vix bis mille paſſibus ab ea diſtans, cui Gnadenberg / *Mons gratiæ*, nomen erat. Id, A. 1436. *Alberto II.* Cæſare imperante, conſenſu *Eugenii IV.* Pontificis, condiderat *Johannes* Comes Palatinus Rheni, & Bavariæ Dux, Ruperti Imperatoris filius, ad preces Conjugis, *Catharinæ*, Pomeranæ. Hæc a pueritia,

in

in Sueciæ Vaſtanenſi, ſive, ceu rectius enunciatur, Watſteinenſi, S. Brigittæ Cœnobio educata, firmum propoſitum ceperat, de amplectendis ibi regulis aſceticæ vitæ, ſimul ac decimum octavum vitæ annum impleviſſet. Sed quia provocatione indefeſſa Johannes ab inſtituto eam dimoverat, rogavit illum poſtea, ut ſaltem Cœnobium honori S. Brigittæ conſtruendo, quadantenus ei ſatisfaceret, quod illi jam prope mancipatam, a ſervitio abſtraxiſſet. Creditum, non caruiſſe hanc religionem mercede. Ex ipſis enim natus Chriſtophorus, Sueciæ, Daniæ, & Norwegiæ Regnis præfuit. Sed illud Cœnobium, una cum Templo, ſuperiorum temporum, quibus Suecico bello Germania implicita erat, devaſtavit calamitas. Rudera tamen quæ ſuperſunt, indicant fabricæ amplitudinem. Reditibus inſignibus gaudent nunc Sanctimoniales, quæ ſecundum Franciſci Saleſii in Monachienſi Vrbe Regulam vivunt. Cum A. 1645. Leonhartus Torſtenſonius, Suecici exercitus Dux, in Jancovienſi prælio victor, ad Viennam usque Auſtriæ progreſſus eſſet, & urbi immineret, Ferdinandi III. Cæſaris juſſu, in citeriore Danubii ripa, (cujus ulteriorem hoſtis occupaverat,) Sacellum rotunda forma honori S. Brigittæ exſtructum eſt, cum voto, ut adverſus a religione & pietate, quam ipſa coluerat, penitus devios populares ſuos, Diva libens volens præſidio eſſet. Id ſupereſt etiamnum, & impenſe colitur, quia fert opinio, adfuiſſe Brigittam vocatam, & voti incolas damnaſſe.

 Bri-

Brigitta haud minorem, imo majorem etiam ſanctitatis ſpeciem præ ſe tulit, æqualis temporum illius CATHARINA, Senenſis Virgo, ex *Benincaſia*, una cum *Burgeſia* familia, ab eodem ſtipite proveniente, piis orta parentibus. Huic dormienti, Dominicus, lilium manu tenens, cæterique Sacrorum Ordinum fundatores, apparuerunt, pro ſe quisque ſuum illi Ordinem commendantes. Fidem autem Dominico dedit, & vitæ genus auſterum ſectata eſt, humi cubans, catenis ferreis corpus ter quotidie ad ſanguinem flagellans: ſemel nimirum pro ſeſe; altera vice defunctorum in gratiam; & tertia, ob ſuperſtites. Fertur Chriſtus ei cor vetus abſtuliſſe, novumque in locum repoſuiſſe; vere illam deſpondiſſe annulo; amiciviſſe eam veſte ſanguinea quam e latere ſuo eduxerit, & teſtatum illi fuiſſe, ſi adhuc naſcendus foret, haud aliam quam ipſam, ſe habiturum eſſe matrem. Monſtrant Senis in templo Dominicanorum caput ejus, & locum, ubi inter ambulandum Breviarium recitanti, præſentem & comitem ſe adjungere ſolebat Servator, & tum illa commune precum exodium, ſic efferebat: *Gloria Patri, & tibi, & Spiritui S. &c.* Quæ porro ſequuntur, ex Breviario Romano exſcribimus: Summa ejus fuit abſtinentia, & admirabilis vitæ auſteritas. Inventa eſt aliquando a die Cinerum, usque ad Aſcenſionem Domini, jejunium perduxiſſe, ſola Euchariſtiæ communione contenta. Luctabatur quam frequentiſſime cum dæmonibus, multisque illorum moleſtiis vexa-

vexabatur; æſtuabat febribus, nec aliorum morborum cruciatu carebat. Magnum, & ſanctum erat Catharinæ nomen, & undique ad eam ægroti, & malignis vexati ſpiritibus deducebantur. Languoribus, & febribus in Chriſti nomine imperabat, & dæmones cogebat ab obſeſſis abire corporibus. Cum Piſis immoraretur, die Dominico, refecta cibo cœleſti, & in ecſtaſin rapta, vidit Dominum crucifixum, magno cum lumine advenientem, & ex ejus vulnerum cicatricibus quinque radios, ad quinque loca ſui corporis deſcendentes; ideoque myſterium advertens, Dominum precata, ne cicatrices apparerent. Continuo radii colorem ſanguineum mutaverunt in ſplendidum, & in formam puræ lucis pervenerunt ad manus, pedes, & cor ejus; ac tantus erat dolor quem ſenſibiliter patiebatur, ut niſi Deus minuiſſet, brevi ſe crederet morituram. Hanc itaque gratiam amantiſſimus Dominus nova gratia cumulavit, ut ſentiret dolorem illapſa vi vulnerum, & cruenta ſigna non apparerent. Quod ita contigiſſe, cum Dei famula Confeſſario ſuo Raymundo retuliſſet, ut oculis etiam repræſentaretur, radios in imaginibus B. Catharinæ, ad dicta quinque loca pertingentes, pia fidelium cura, pictis coloribus expreſſit. Doctrina ejus infuſa non acquiſita fuit. Sacrarum literarum Profeſſoribus, difficillimas de Divinitate quæſtiones proponentibus, reſpondit. Nemo ad eam acceſſit, qui non melior abierit. Multa extinxit odia, & mortales ſedavit inimicitias.

Pro

Pro pace Florentinorum, qui cum Eccleſia diſſidebant, & interdicto eccleſiaſtico ſuppoſiti erant, Avenionem, ad Gregorium XI. Pontificem Maximum profecta eſt; cui etiam votum ſuum de petenda Vrbe, ſoli Deo notum, ſe divinitus cognoviſſe monſtravit: deliberavitque Pontifex, ea etiam ſuadente, ad Sedem ſuam Romanam perſonaliter accedere; quod & fecit. Eidem Gregorio, & Vrbano VI. ejus Succeſſori, acceptiſſima fuit, adeo, ut legationibus eorum fungeretur. Denique poſt innumera virtutum inſignia, dono prophetiæ, & pluribus clara miraculis, anno ætatis ſuæ tertio circiter & trigeſimo, *migravit ad Sponſum.* Quam Pius II. Pontifex Maximus, ſacrarum Virginum numero adſcripſit. Hactenus Breviarium.

TURCICÆ nationis, quæ hoc Seculo magna habuit incrementa, & ſequente Græcorum nomen obliteravit, origo, varie ab Auctoribus traditur. Plerique volunt, paſtoritiam gentem fuiſſe, quæ ſedes habuerit in Scythia, ad Jaxartem fluvium, ſupra Perſiam. Ex hac regione, quæ hodienum *Turkeſtania* dicitur, Seculo XI. regnante apud Græcos Conſtantino Monomacho, egreſſi, Perſis, quorum erant ſtipendiarii, ſubactis, Mahometicam ab illis ſuperſtitionem hauſere. Inde in Syriam, Cappadociam, cæteraſque minoris Aſiæ regiones infudere ſeſe, in plures diviſi principatus. E quibus, oppreſſis extinctiſque reliquis, unius *Othomanni* poſteri rerum potiti ſunt; a quo, in Turcarum deinde Principibus Othomannorum nomen

men reſedit. Nempe, primus OTHOMANNUS, qui rem Turcicam incredibiliter auxit, & plurimas Aſiæ provincias, cum Sultanis, quibus parebant, imprimis vero Cappadociam & Bithyniam ſubjugavit, ſede Regni *Pruſæ* conſtituta, dignus Succeſſoribus viſus eſt, cujus cognomento gloriarentur. Regnavit annis 29. Moriens A. 1326. reliquit Regnum filio VRCHANO, qui Myſiam, Lycaoniam, Phrygiam, Cariam, cæteraq; ad Helleſpontum & Pontũ Euxinum usq; ditioni ſubjecit ſuæ, dum inter ſe Cantacuzenus & Palæologi odiis armisque certant. Regnavit annis 32. Vrchano patri ſucceſſit AMURATHES A. 1357. Hic in Europam transgreſſus, *Hadrianopolin*, ac circumjectas provincias, occupavit, illamque urbem ſedem imperii fecit. Dein Macedoniæ ora vaſtata, Bulgarorum Principem, & Serviæ Deſpotam vicit, cum cujus filio fœdus iniit, accepta in matrimonium ejus ſorore. Cum Johanne Palæologo amicitia contracta, Myſiam inferiorem ſub jugum miſit. Quod quintum quemque puerorum captivorum in Aſiam deportari curaſſet; ſacris Turcarum, quin & militaribus artibus imbuendum, *Janitzarorum militiæ* originem dedit. In pugna contra Eleazarum, Triballorum Principem, An. 1388. ſagitta ictus, victor occubuit. Poſt Amurathem patrem, BAJAZETH poteſtatem adminiſtravit, longe omnium ferociſſimus fortiſſimusque, ex rerum geſtarum velocitate, *Gilderin*, *fulmen*, cognomento dictus. Hic antequam thro-

thronum conſcenderet, fratrem Jacobum occidit; ἀδελφοκτονίας Ottomannicæ autor. Mox Bulgariam, Macedoniam, Theſſaliam, Chriſtianis eripiens; Principes Aſiaticos fere omnes ſubvertit. Conſtantinopolin pluribus obſedit annis. Contra eum *Emanuel Imperator*, Caroli VI. Regis imploraturus auxilium; venit in Galliam. Sed & *Sigismundo* Hungariæ Rege idem poſtulante, Principes aliquot viri militiæ nomen dedere; inter quos Johannes Nivernenſis erat; Philippi Burgundionis filius. Sed dum ad *Nicopolin* inconſulte temereque ruunt in prælium, partim interemti; partim a barbaris capti ſunt; una cum Johanne ipſo. Nec multo poſt tempore, Bajazetis; tot ſecundis rebus elati; ſuperbiam, ultum eſt Supremum Numen. *Tamerlanes* enim, ſive *Timuri*, Tartarorum Rex; ab Aſiaticis imploratus; poſt devictos Parthos advolat, & prope Angoriam in Galatia, Bajazetem, cæſis Turcarum 200000. vincit; captumque mulo imponi, & per exercitum ignominioſe circumduci jubet. Poſtea catenis aureis vinctum, & in cavea concluſum, ſecum, quocunque iret; circumduxit; & in equum aſcendens; eo ſcabelli loco uſus eſt. Quin & epulante Tamerlane, miſer Bajazetes, humi ad pedes ipſius proſtratus, micas deciduas colligere, iisque victitare coactus fuit. Tandem, cum Conjugis unice dilectæ, contumeliam quoque intueri eum neceſſe eſſet; crepidulis enim tantum calceata, lago-

que

que militari quam breviſſimo induta, denudatis obſcœnis; pocillatricis loco ad menſam famulabatur; ad ferreos caveæ clathros caput allidens, exſpiravit A. 1403.

Ab illo tempore Turcarum Imperatores legitimas uxores habere deſierunt.

SECV.

SECVLVM XV.

IMPERATORES ROMANI.

SIGISMUNDUS.

RUpertus Cæſar, cum humanis rebus exemtus eſſet, ſucceſſit principio JODOCVS, Moraviæ Marchio, patre *Johanne Henrico*, Caroli IV. fratre genitus, *Barbatus* cognomine. Atque is quoque ſola barba ſe oſtentabat virum; cum animi virtutes fere nullas haberet. Ejus extat *Conſtitutio*, quod Status Imperii Imperatori reſiſtere poſſint, ſi contra leges Imperii is peccet, nec committere illos eam ob cauſam infidelitatis crimen. Mortuus eſt Brinæ in Moravia, quinto Imperii menſe, jam natus annos fere 90. Vxorem duxerat Hungariæ Regis filiam, e qua nullam prolem ſuſcepit.

Electus deinde eſt SIGISMUNDUS, Hungariæ Rex, cui præter inſignem corporis proceritatem, ac egregias animi dotes, affuere quoque liberalitas & munificentia, ſtudium promovendæ religionis, & multarum linguarum peritia. Vt *Schiſma trium Pontificum* tolleret, per triennium magnam Europæ partem peragravit, hortatus Reges atque Principes, curarent, ne quid detrimenti acciperet Eccleſia: & Conſtantienſem quoque Synodum convocavit. In hac, quia *Johannem Huſſum*, & *Hieronymum Pragenſem* igne cremari conceſſit, graviter id tulerunt Bohemi, aperte, Duce *Johanne Ziſca*, tumultuantes.

tes. Conſtantiæ depoſuit Sigismundus, *Johannem XXIII. Gregorium XII.* & *Benedictum XIII.* ſubſtituitque Martinum V. In eodem Concilio Marchiam Brandeburgenſem, cum dignitate Electorali, *Friderico* Burggrafio Noribergenſi conceſſit, *Adolfum* Cliviæ Comitem, Ducem creavit. Aliquoties dehinc cum Huſſitis conflixit, verum infeliciter: ac Papa Martinus V. totam Germaniam concitavit contra Bohemos, ſed nihil effectum eſt. Habitum deinde *Concilium Baſileenſe*, Præſide primum *Juliano* Cardinale S. Sabinæ, quem Martinus V. miſerat, deinde *Ludovico* Cardinale Arelatenſi, qui illud annos 11. menſes 9. continuavit. In eo Sede dejectus eſt *Eugenius IV.* & ſurrogatus *Amadeus Dux Sabaudiæ*, qui *Felix V.* dictus fuit. Amplius, in eodem conceſſum Huſſitis, ut utraque ſpecie in Euchariſtia fruerentur; & in Seſſione 2. factum eſt decretum illud famoſum: *Hæc Sancta Synodus legitime congregata, autoritate Apoſtolica legitime interveniente, ordinat & declarat, quæ ſequuntur: Primo declarat, quod ipſa Synodus in Spiritu S. legitime congregata, generale Concilium faciens, & Eccleſiam militantem repræſentans, poteſtatem immediate a Chriſto habet, cui quilibet cujuscunq; ſtatus vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, exſtirpationem ſchismatis, & generalem reformationem Eccleſiæ Dei, in capite & membris. Item declarat, quod quicunque cujuscunque ſtatus vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus, aut præceptis hujus ſacræ Synodi, & cujuscunque alterius Concilii generalis legi-*

ff *time*

time congregati, ſuper præmiſſis, vel ad ea pertinentibus, obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debite puniatur. Scripſit quidem Franciſcus Sylvius, in Additionibus quas habet nova editio Summæ Conciliorum Barholomæi Caranzæ : *Quæ de poteſtate Concilii Seß. 2. & ſeqq. ordinantur, vel declarantur, nullius ſunt roboris; cum ſint ſtatuta Conciliabuli potius quam veri Concilii.* Sed nunquam hoc ei concedet Eccleſia Gallicana, quæ ſemper non ſecus pro autoritate Concilii Baſileenſis, & maxime quatenus Papam Concilio ſubjecit, quam pro aris & focis fieri ſolet, depugnavit. Cæterum, durante Concilio Baſileenſi, Imperator *Sigismundus* Italiam adiit, & ab Eugenio IV. coronatione fuit inauguratus. Poſt hæc Sigismundus, *Johannem Franciscum Gonzagam* Mantuæ Dominum, *Marchionem* creavit, & in Germaniam reverſus, Electoralem Saxonicam dignitatem, in Marchiones Miſniæ, & quidem *Fridericum Bellicoſum*, Alberto III. Electore ſine liberis mortuo A. 1423. tranſtulit. Exceſſit e vita Sigismundus A. C. 1437. ætatis 70. Imperii 27.

Prima Uxor Sigismundi fuit MARIA, Ludovici Regis Hungariæ & Poloniæ filia, quæ ſterilis permanſit. Altera BARBARA, Hermanni Comitis Ciliæ filia, fœmina profligatiſſimæ pudicitiæ, peperit *Eliſabetham*, Alberti II. Imp. deinde Conjugem.

ALBERTVS II.

ALBERTVS II. Imperator, *Alberti IV.* Auſtriæ Ducis filius, Sigismundi Cæſaris gener, uno

anno

anno ter coronatus eſt, evaſitque, tum Hungariæ, tum Bohemiæ Rex, tum Imperator quoque. Is *Caſimirum* Polonum e Bohemia amovit, factiones *Thaboritarum* attrivit: *Moraviam* 400. pagis exuſtis ſibi ſubjecit. In expeditione Hungarica adverſus *Amurathem*, ex nimio peponum uſu, contracta dyſenteria An. 1439. obiit, cum annum tantum 1. & menſes 10. imperaſſet.

Uxorem habuit Sigismundus, ELISABETHAM, Sigismundi Imperatoris filiam, quæ illi peperit *Annam*, Wilhelmo Saxoniæ Duci, & *Eliſabetham*, Caſimiro Poloniæ Regi, nuptas. Nec non *Ladislaum* Poſthumum, Hungariæ & Bohemiæ Regem.

FRIDERICVS III.

Alberto in Imperio ſucceſſit FRIDERICVS AVSTRIACVS, Erneſti Ferrei, & Kimburgæ Maſſoviæ filius, Alberti II, propinquus, quam cognationem juvat oculis ſubjicere in tabula.

RVDOLPHVS Habsburgenſis Imp.
m. 1291.

- Rudolphus Dux Sueviæ. m. 1307.
  - Johannes occiſor patrui, mortu᷑ Piſis cū Monachum induiſſet 1313.
- ALBERTVS I. Imp. m. 1308.
  - FRIDERICVS Pulcher Imp. m. 1330.
  - Albertus. m. 1358.
    - Albertus. m. 1390.
      - Albertus. m. 1404.
        - ALBERTVS II. Imp. m. 1439.
          - Ladislaus Rex Hungariæ & Bohemiæ m. 1457.
    - Leopoldus. m. 1386.
      - Fridericus m. 1439.
        - Sigismundus.
      - Erneſtus. m. 1424.
        - FRIDERICVS III. m. 1493.
          - MAXIMILIANVS I. Imp. m. 1519.
        - Albertus m. 1463.

Cæterum, Friderici curæ & educationi mature traditus eſt *Ladislaus*, Alberti filius poſthumus, ab *Eliſabetha* matre, una cum Hungarica corona. Imperator electus eſt Fridericus Francofurti, Anno Chriſti 1440. Fuit Princeps generoſi animi, magnæque prudentiæ, amans pacis, a bello alieniſſimus, cum natura, tum ob fortunæ iniquitatem, quam fere ſemper adverſam experiebatur, Anno 12. Imperii in Italiam profectus comite Ladislao Poſthumo, a *Nicolao V.* Papa coronam accepit, una cum *Leonora* Conjuge. Inde regredientem, Veneti & Ferrarienſes hoſpitalibus officiis inſigniter proſecuti ſunt, unde ille, ut gratiam referret, *Borſum Eſtenſem* Ferrarienſem Marchionem, Ducem creavit, Venetos in amicitiam recepit, fœdusque. Reverſus in Germaniam, Auſtriam vehementer turbatam invenit. Namque *Vlricus Ciliæ Comes*, Ladislai Poſthumi avunculus, *Ladislaum* repetebat ab Imperatore, Hungariæ, Bohemiæ, & Auſtriæ heredem, quem hactenus tenuerat in tutela. Ciliano ſeſe adjunxerat *Albertus*, Friderici Imp. frater, qui paternæ hereditatis diviſionem efflagitabat, unde res ad bellum domeſticum devenit. *Johannes Hunniades*, Hungariæ Exarchus, cum exercitu 12000. equitum Auſtriam invadebat, cunctaque intra Viennam & Stiriæ montes, incendiis & direptionibus vaſtabat. Ipſi etiam Auſtriaci, autore VIrico, Ciliæ Comite, qui prætextu tutelæ tyrannidem affectabat, & *Vlrico Eizingero*, armis Cæſarem aggreſſi, deniq; illum adegerunt, ut pu-

pillum, Ciliæ Comiti, avunculoq́, exhiberet, ea tamen conditione, ut Principum conſilio, controverſia de tutela, aliisque rebus, dirimeretur. Magnas tunc clades perpeſſa eſt Auſtria, quas ſuo jumento ſibi accerſivit. Sed Cilianus, paulo poſt, Ladislai Hunniadis, Johannis filii, manu, fuit obtruncatus, quia patrem ſuum, ab eo veneno peremtum eſſe ſuſpicio erat. Ladislaus Poſthumus, quinto anno poſt dimiſſionem, dûm ſponſam, Caroli Galliæ Regis filiam exſpectat, in ipſo nuptiarum apparatu Pragæ moritur, annum agens 18. cujus interitus materiam novorum bellorum, Principibus, cauſam cladium novarum, Auſtriacæ genti attulit. Erant Fridericus Imperator, ejusdemque frater Albertus, cum *Sigismundo*, Auſtriæ Duce patrueles. Hi, quia pari agnationis gradu attingebant Ladislaum, æquum jus Albertus & Sigismundus in dividenda cum Imperatore Auſtriaca regione ſibi competere urgebant, quam tamen totam ſibi ſoli vindicabat Imperator. Inde exorta diſſenſio, excitavit bellum, in quo Alberto conjunctus Sigismundus, Imperatori reſtitit, usque ad Alberti mortem, qui A. 1463. vita functus eſt. Sed poſtea Sigismundus bello finem impoſuit, Auſtria Imperatori, citra ulteriorem diſceptationem, conceſſa. Paulo ante mortem Alberti, Fridericus Imp. Viennæ Senatores ſex in carcerem conjecerat. Id indigne ferentes cives, ipſum in arce, cum *Maximiliano* filio, obſederunt menſibus duobus. At Fridericus auxilium petiit a *Georgio Podiebracio* Bohemiæ Rege,

ge, cui hic ſubſidio venit, ipſumque liberavit. Cæterum, cum poſt Ladislai obitum, alii ex Hungariæ Proceribus Regem expeterent Fridericum Imperatorem, alii vero, urgente Michaële Zilagio, præferrent e ſua gente ortum *Matthiam Hunniadem*, Ladislai fratrem, tum temporis captivum, hac factione prævalente, Matthias Regnum adeptus eſt. Is vero, cui *Corvini* cognomen inditum, cum a Friderico, Hungariæ Coronam, qui eam ab Eliſabetha matre Ladislai, ceu dictum eſt, commiſſam, ſecum tenebat, repoſceret, atque Fridericus eam reddere nollet, ad novum bellum omnia ſpectabant. Sed interceſſere Principes Germaniæ, eorumque opera lis ita compoſita, ut Matthias coronam a Friderico, ſolutis 80000. aureis redimeret.

Exarſit ex interjecto tempore, iterum bellum non leve, inter eundem *Matthiam*, & Imperatorem, antiquis inimicitiis recrudeſcentibus. Etenim, odio Pontificis adverſus *Georgium Podiebracium*, Bohemorum Regem, Huſſitarum fautorem, deſignabatur Rex, Pontificio diplomate, *Matthias*, cui Fridericus Imp. feudi collationem denegabat. Graviter id ferebat Matthias, & quidem tanto impenſius, quod Podiebriacio fato functo, Bohemiæ Proceres, cum Imperatore, (qui Regnum oblatum recuſaverat,) *Ladislaum*, Caſimiri Regis Poloniæ filium, ei præponerent. A partibus Impetatoris ſtabat *Albertus*, Saxoniæ Dux, qui comparatis egregiis copiis, aliquot ſecundis præliis commiſſis coëgt Matthiam quieti ſe dare, & pacem inire. Reti-

huit tamen in hac tranſactione Matthias Viennam, cujus oppugnationem, Albertus, ob amplitudinem urbis, munitionemque, & ſuis viribus diffiſus, aggredi non audebat.

Dehinc Imperator e Germania diſcedens, Romam adiit ex voto; cum jam Pio Pontifici *Paulus II.* ſucceſſiſſet. Ingreſſus eſt Vrbem humili veſte; comitatu exiguo, obviam procedentibus Cardinalibus, & populo univerſo. Ad tribunal usque Petri Baſilicæ deductus, Paulum Pontificem ibi ſedentem ſupplex coluit, & deinde juxta eum aſſedit.

Reverſus, in bellum incidit cum *Carolo Burgundiæ Duce*, Philippi Boni filio, cujus cauſa fuit dominandi libido in Carolo, qui in congreſſu Trevirenſi petiit ab Imperatore, ut ſe Vicarium Imperii crearet. Studebat præterea Archiepiſcopatum Colonienſem ad ſe pertrahere, jamque Noveſium urbem; infra Coloniam, obſidione cinxerat. Imperator, tutelam ejus urbis, ex officio ſuſcipiens, exercitum colligit, ejusque ſupremam curam committit *Alberto Brandenburgico Marchioni*. Bellum fuit annuum, quod per colloquium Imperatoris cum Carolo tandem eſt ſopitum. Pax proclamata eſt A. 1475. & in eam ſententiam ſancita; ut Caroli unica filia *Maria*; deſponderetur Maximiliano Imperatoris filio; cum pollicitatione ſucceſſionis in omnes Caroli provincias; unde Auſtriæ & Burgundiæ conjunctio eſt ſequuta,

An. 1493. e vita exceſſit Fridericus, Linzii, ſuperioris Auſtriæ urbe, ubi plurimum morabatur,

tur; diarrhœa, ex intemperanti peponum eſu, contracta, cum multo prius, ob gangrænam, cruris amputationem paſſus eſſet. Vixit annos 87. imperavit annos 53. atque ſic triennii imperio ſuperatus eſt ab Auguſto, quem triennii ætate anteceſſit. Pro Symbolo uti conſuevit vocalibus quinque A. E. I. O. V. quibus quid ſignificaretur, cum vulgo minime cognitum eſſet, hinc quisque,ex ingenio ſenſum iis affinxit, ita ut quinquaginta amplius explicationes circumferantur. Sed veram, nemo hariolatus eſt. Hanc autem ipſe Imperator expreſſit in Diario, quod ejus manu exaratum in Bibliotheca Cæſarea ſuperat; quodque tractare mihi licuit. In eo legebam ſcriptum: *Bey welchem Bau, oder auf welchem Silbergeſchirr, oder andern Kleinoten, der Strich und die fünff Buchſtaben ſtehen:*

A. E. I. O. V.

Das iſt mein Herzog Friederich des jüngern gewesen, oder ich hab daſſelbig bauen, oder machen laſſen.

AVSTRIÆ EST IMPERARE ORBI VNIVERSO.

ALLES ERDREICH IST OESTERREICH VNTERTHAN.

Conjugem habuit Fridericus LEONORAM, Eduardi Luſitaniæ Regis filiam, mulierem ſingularis exempli. Ea præter liberos alios, in juventa mortuos, peperit *Maximilianum* Imp. & *Kunigundam*, nuptam Alberto Bavariæ Duci. Sepulta eſt prope maritum, Viennæ, in S. Stephani templo.

MAXIMILIANVS I.

Maximilianvs, Friderici III. Imp. filius, natus eſt A. C. 1459. Infans, tanta difficultate verba enunciabat, ut plerisque fere mutus videretur. In adulta tamen ætate eam conſecutus eſt facundiam, ut magnæ omnibus eſſet admirationi: cum præter vernaculam linguam, Latinam quoque, Gallicam, & Italicam, promte ſcienterque loqueretur. Puer, Præceptore uſus eſt *Petro Engelberto*, indocto homine, & plagoſo Orbilio, cujus cum poſtea meminiſſet, dicere ſolebat: *Si nunc præceptor meus viveret, ego eum docerem, qua ratione pueri inſtituendi ſint.*

Adoleſcens, cum per Oenoponto vicinos montes ibices ſectaretur incautius, incidit in locum præruptum, unde nec pedem referre, nec ulterius promovere ei licebat, niſi in præcipitium. Hærebat manibus horridis cautibus applicitis infelix Princeps, famis diræ longa tabe, vel morte violenta vitam ibi finiturus: nec enim funes, aliave inſtrumenta, quibus e præſenti periculo liberaretur, ad ipſum alicunde protendi poterant, nec ſemita quædam, niſi lapicidarum integri menſis continuo labore parari. Cum ergo jam per biduum ibi degiſſet, nec ulla ſpes ſalutis appareret, appellat magna voce ſuos; qui mœſti adſtabant, & in preces ac ſupplicationes ſolvebantur, jubetq; Sacerdotem ſacram Euchariſtiam adferre, ut vel ejus aſpectu recreare ſeſe, ac ad inſtantem mortem parare poſſet. Dictum, factum, cumque jam vitæ præſen-

præſentis cura prorſus abjecta, Maximilianus ſpe futuræ ſe ſolatur, audit non procul a ſe ſtrepitum, circumſpiciensque, videt arreptare per rupis coſtas, juvenem quendam ignotum, habitu ruſticum, dimoventem ingentia ſaxa, parantemque callem. Sic in patentiore via poſitus Maximilianus, ſemet ex clauſtris Erebi ereptum videt, ac in ima delatus, a ſuis cum magna lætitia domum deducitur, ciboque, poſt diuturnam inediam, reficitur. Interim diſparuit viæ dux, & autor, cumque quæreretur ad præmium, nuſpiam repertus eſt. Unde creditum, Angelum Cuſtodem a Deo miſſum, ut adoleſcentem Principem, Reipub. Chriſtianæ magno commodo, & Auſtriacæ Domus ſolido incremento ſervaret.

Natus annos 18. uxorem duxit MARIAM, Caroli Burgundi, cui Audacis cognomen adhæſit, filiam, quæ, dotem, Burgundiæ Ducatum ſecum attulit. Cum hac quinquennium vixit ſine lite, quo exacto, cum equo lapſa, fracto femore, tractationem loci affecti præ verecundia refugeret, diem ſupremum obiit. Nimirum, veriſimile eſt, turpe eam judicaſſe, ſi minus quam maritus, pudoris eſſet ſtudioſa. De Maximiliano vero conſtat, eum tam verecundum fuiſſe, ut nemo vir aut fœmina nudum viderit aut retectum. Subducebat ſe furtim veſicam exoneraturus; ad lectum iturus, ne cubicularium quidem, ad exuendum, deponendum, collocandumque ſe admittebat. Inſuper teſtamento cavit, femoralia mortuo ſibi induci.

Ajunt, Trithemium Spanheimenſem Abbatem,

tem, Maximiliano Conjugem Mariam Burgundiam, jam pridem mortuam, oſtendiſſe tanquam redivivam. Hoc vero ſpectaculo ita territum eſſe Maximilianum, ut plurium mortuorum formas, quas ille monſtraturus erat, videre noluerit.

Poſt obitum prioris Conjugis, alteram duxit Maximilianus, BLANCAM, Galeatij Mediolanenſis Ducis filiam, intereeſſore *Ludovico Sfortia* patruo. Eam rem graviter tulerunt Germaniæ Principes, ob Sponſæ obſcuritatem generis. Sunt enim qui avum Galeatii ſutore parente genitum eſſe, ſunt, qui agriculturam exercuiſſe ſcribant, quamvis tunc temporis Sfortia familia, late in Italia rerum potiretur.

Rex Romanus electus eſt Maximilianus An. 1486. patre Friderico adhuc vivo: nec multo poſt Belgico bello fuit implicitus. Brugenſes enim, biennio poſt electionem, captum, & contumelioſe habitum, indigna ſuorum ſupplicia ſpectare coëgerunt. Belli hujus occaſio talis fuit. *Ludovicus XI.* Galliæ Rex, Burgundiæ Ducatum, & Arteſiæ partem, ditionis quondam Caroli Burgundi, ad ſe rapuerat. Itaque Maximilianus hortatu uxoris Mariæ, Ludovicum Regem bello aggreditur, idque ſatis feliciter. Vno enim conflictu, haud magna manu, 20000. Gallorum fudit, cum paucos ante menſes tota Geldria potitus eſſet. Parta hac victoria, Ludovici Regis filio Carolo, *Margaretam* filiam deſpondit, atque ſic amicitiam cum eo contraxit. Uxore mortua, mutata fuit Maximiliani fortu-

fortuna. Nam *Philippum* filium primogenitum, in ſuam tutelam invito Patre acceperunt Flandri, & Margareta, filia unica, jam in Galliam erat abducta. Cum autem ipſe Maximilianus filii ſui tutorem agere vellet, omnes fere provinciæ, quas ab uxore in dotem acceperat, ab eo abalienatæ ſunt. Hanc injuriam cum Maximilianus ulciſci inſtitueret, Brugis, a ſubditis ſuis captus, & in domo cujusdam pharmacopolæ cuſtoditus eſt. Nobiliores vero, quos habebat, Aulici, in ejus conſpectu, a furente plebe trucidati ſunt. Menſes univerſos novem in captivitate detentus fuit, & tandem a Friderico patre, qui, Alberto Saxone copiarum Præfecto, expeditionem adverſus Flandros ſuſcepit, liberatus, de ſeditionis autoribus ſupplicium ſumſit, & provincias recuperavit.

Poſtea A. 1489. cum Dux Britanniæ *Franciſcus*, unicam ſuam filiam *Annam*, Ducatus heredem, Maximiliano deſpondiſſet, & Angliæ Proceres eam per Galliam jam ad Sponſum adducerent, Galliæ Rex Carolus VIII. qui Ducatum illum ſibi deberi contendebat, Sponſam, contra datam fidem intercepit, ſibique ſociavit. Margaretam vero, Maximiliani filiam, quam jamdiu pro Sponſa habuerat, Patri remiſit. Eam ob cauſam cum omnia ad bellum ſpectarent, ipſe Fridericus Imperator, & Principes aliqui Imperij, ac Helvetiorum Legati, Maximilianum, & Galliæ Regem, mutuo ad concordiam redegerunt. Hanc tantopere deinceps coluit Maximilianus, ut, quo etiam veterum injuriarum memoria

pro-

prorſus aboleretur, librum qui Spiræ aſſervabatur, in quo omnes injuriæ, ante id tempus a Galliæ Regibus Imperio & Germanorum genti illatæ continebantur, cremandum mandaſſe dicatur.

Hæc peracta ſunt Friderico adhuc ſuperſtite: quo mortuo, Maximilianus ſolus, annis 25. rebus præfuit, ac poſt adeptam poteſtatem An. 1495. Wormatiæ Comitia habuit. In his auctor fuit Electoribus, ut Academias in ſuis ditionibus inſtituerent. His ergo monitis impulſi, *Fridericus* Saxoniæ Elector *VVittebergenſem*, & *Joachimus* Brandenburgicus Elector, *Francofurtenſem* Academias condiderunt. In iisdem Comitiis, ut minus litium in Imperio eſſet, & juſtitia in dirimendis controverſiis rectius obſervaretur, *Cameræ Imperialis* ſupremum judicium Maximilianus ſtatuit, in quo omnes graves & arduæ cauſæ deciderentur. Jam porro mortuo *Matthia Hunniade*, Hungariæ Rege, occupatas ab illo urbes Auſtriacas recepit, ac haud magno negotio Hungariæ Regnum perdomuiſſet: ſed placuit id ex pacto concedere *Uladislao* Bohemiæ Regi, Caſimiri Poloniæ Regis filio, Procerum ſuffragiis expetito, retento ſolo ſucceſſionis jure, ut deficiente maſcula ſobole Vladislai, in ſuos id poſteros devolveretur.

Sequutum eſt A. 1504. *Bellum Bavaricum*, tali origine. *Philippus* Palatinus Elector, nuptias filiæ Georgii Divitis, Bavariæ Ducis, filio ſuo *Ruperto* conciliaverat, cui *Georgius* ſocer, ex pacto, dotis loco, præter omnem aliam ſplendidiſſimam ſupellectilem, legavit etiam eam Bavariæ partem, quam

quam ex hereditate tenebat. Cum autem teſtamentum hoc, tum contra leges Imperij, tum in fraudem *Alberti* Bavariæ Ducis eſſet ſcriptum, & hic querelam inſtitueret apud Imperatorem, noluit is, ut teſtamentum eſſet ratum. Poſt Georgij mortem, cum Rupertus gener hereditatem adire vellet, ei ſe oppoſuit Albertus. Intercedebat Imperator, certis conditionibus litem dirimere allaborans. Eas cum Philippus admittere pertinaciter recuſaret, & ob hanc cauſam ab Imperatore proſcriberetur, hinc bellum enatum eſt, in quo prope ad incitas redacta fuit familia Palatina, & Rupertus, una cum Conjuge, veneno ſublatus. Tandem rediit in gratiam Imperatoris Philippus Palatinus, annitente Friderico Saxoniæ Electore.

Bavarico bello finito, aliud *in Italia* exortum eſt contra *Venetos*, quorum potentia eo usque excreverat, ut jam viderentur toti Italiæ dominaturi. Ei rei ut fibula imponeretur, *Julii II*. Pontificis conſilium fuit, communi auxilio, & conjunctis armis, ab iniquis poſſeſſoribus repetenda eſſe, quæ aliis per injuriam ademiſſent. Conſpirarunt una *Cæſar Maximilianus*, (qui ad hoc bellum eo facilius attractus, quod Veneti, ipſi Romam coronationis gratia profecturo, tutum tranſitum denegaſſent,) præterea *Julius* Pontifex, *Ludovicus XII.* Galliæ Rex, *Ferdinandus* Hiſpanus, & *Adolphus* Ferrarienſis. Confœderatio facta *Cameraci* A. 1508. & fuit hoc bellum decennale. Memorabile eſt quod referunt de Rudolpho Principe Anhaltino, Cæſarei exercitus

Duce

Duce. Is, cum a *Bartholomæo Liviano*, Venetarum copiarum Ductore, ita circumventus eſſet, ut elabi non poſſe videretur, Livianus, quaſi jam in manibus victoriam haberet, Venetos ad ſpectandam Germanorum lanienam evocavit. Sed Anhaltinus ita pugnavit, ut Veneto exercitu impetu vehementi diſſipato, victoriam reportaret ingentem, ac poſtea *Vincentiam*, *Veronam*, & *Patavium* occuparet; quæ tamen urbes, Anhaltino veneno extincto, ad Venetos iterum defecerunt. Interea loci *Galliæ Rex*, devictis Venetis, & capto Liviano, *Cremonenſes*, *Bergomates*, & *Brixianos* in deditionem accepit: *Julius* Pontifex, *Ariminum*, *Faventiam*, *Cerviam* & *Ravennam* ſuæ fecit poteſtatis. Hoc rerum ſtatu, Veneti a Pontifice ſupplices pacem petunt, & impetrant, ea conditione, ut Galli & Germani tota Italia exturbentur. Sic imperat Pontifex *Alphonſo Ferrarienſi* ut arma deponat, ſed fruſtra, Perſtitit enim in fide & amicitia Gallorum, Gallis viciſſim defenſionem ei præſtantibus. Inter hæc adimitur Pontifici *Bononia*, unde is in furorem actus, ad arma univerſam Europam concitat, & Ludovicum Galliæ Regem diris devovet, quod tamen ille contempſit. Conjunguntur cum Pontifice Veneti, Helvetii, Ferdinandus Hiſpanus, & Henricus Angliæ Rex, qui a tergo Galliam invaſit, ut Ludovicum domi detineret. Commiſſum A. 1512. prælium ad *Ravennam*, tanto pugnantium ardore, ut Galli victores maximam partem Pontificii exercitus trucidarint, ac 16000. ex eo occuberint. Periit & ipſe Gal-

lorum

lorum Dux, *Gaſto Foſſejus*, ſorore Ludovici Regis genitus. Imperator deinde copias ſuas a Gallo abduxit, atque tunc Pontifex Bononiam recepit, Maxilianus Sfortia in Mediolanenſem Ducatum rediit, Medicei Florentia iterum potiti ſunt.

A. 1518. Maximilianus *Comitia* celebravit Auguſtæ, interventu omnium Electorum. Actum in his de bello Turcico, quia *Selymus* Imperator, Orbi Chriſtiano formidabilis factus erat. Comendavit & Nepotem *Carolum* Principibus, ut ſe mortuo, ejus in electione rationem haberent. Actū ſimul de *Lutheri* negotio, & reſcripſit Maximilianus ad Pontificem, hortatus, ut malo in Eccleſia naſcenti mature remedium quæreret. Abiens deinde Oenipontem, febri correptus eſt, & cum transferri ſe Welſam Auſtriæ curaſſet, accedente, ex virium reſolutione, alvi profluvio, animam exhalavit A. C. 1519. ætatis anno 59. imperii 23. Triennio ante mortem, capulum funebrem e querno ligno, arcæ viatoriæ incluſum, circumferri ſecum juſſit, cavitque teſtamento, ut exanime corpus, rudi linteo involutum, ſine ulla exenteratione illi imponeretur, naribus, ore, auribusque viva calce oppletis; ut cadaver putredini natum, ea quoque exedente materie, citius conſumeretur, & iret in ſuam terram. Manes tamen ejus, Carolus V. & Ferdinandus Nepotes, inſigni Monumento, e Pario marmore, coluere, quod eſt Oenoponti in medio templi Franciſcanorum, & inter Germaniæ Mauſolea eminet. Vtrumque latus occupant

tabellæ ac imagines, res a Maximiliano domi militiæque præclare geſtas, exhibentes, ſculptæ *Alexandri Colini* artificioſa manu. Circumſtant per intercolumnia, veterum Auſtriacæ Domus Heroum, humana ſtatura majora ſimulacra ænea XXVIII. ſummo artificio, habitum atque armaturam antiquam, pro more cujusque ſeculi, figurantia, cum titulis, & elogiis.

Quod ſupereſt, non negligendum nobis, Maxilianum aliquando conſilium cepiſſe, de Pontificia dignitate, poſt Julii *II.* exceſſum, ſi ulla ratione id fieri poſſet, cum Imperiali conjungenda. Extant ea de re ipſius Maximiliani literæ, ad Paulum de Lichtenſtein, Brixia, A. 1511. die 16. Septembris perſcriptæ, apud Goldaſtum in Tomo der Reichs-Handlungen pag. 96. quarum initium eſt: Edler/ lieber/ getreuer: Uns zweiffelt nicht/ du trägſt noch in friſcher Gedächtnuß unſers Anzeigs/ die vor verſchiener Zeit gethan/ aus was Grund und Urſach wir Willen und Meinung hätten/ nach den Bapſtthum/ wo wir anderſt dazu kommen möchten/ zu ſtellen: darauf wir dann bißher/ für und für unſer Bedencken gehabt. Nun finden wir in un ſelbſt/ auch in Grund alſo iſt/ uns nichts ehrlichers/ höhers oder beſſers zuſtehen/ als berührt Bapſtthum zu überkommen. Sequitur poſt alia: Aber/ nachdem ſolches ohne eine merckliche Summa Gelds/ nicht wol beſchehen mag. Haben wir demnach angeſchlagen/ zu Nothdurfft vorberührtes unſers Fürnehmens utzuſagen/ und verſprechen den Cardinälen und etlichen andern Perſonen/ in dieſen

ſen Sachen zu verhelffen, biß in die dreymal hundert tauſend Ducaten zu gebrauchen.

Conjuges, quod & paulo ante jam innuimus, Maximilianus duas habuit, unam MARIAM, Caroli Audacis, Burgundiæ Ducis, filiam & heredem unicam, cujus matrimonio, ampliſſimum patrimonium Burgundicum Auſtriacæ familiæ obtigit. Ex hac Maria ſuſcepit filium *Philippum*, qui uxorem duxit *Johannam*, Ferdinandi Hiſpaniæ Regis filiam, ſed vivo patre Maximiliano, & ſocero Ferdinando, in vivis eſſe deſiit, cum eſſet annorum 28. relictis duobus Filiis, Carolo & Ferdinando, ac Filiabus quatuor. Suſcepit etiam Maximilianus ex eadem Maria Conjuge Filiam *Margaretam*, connubiis infelicem. Deſponſata enim Carolo IIX. Galliæ Regi, & in Aula Francica educata, cum Sponſus adoleviſſet, repudiata & Patri remiſſa eſt. Poſtea hæc Margareta nupſit *Carolo* Aragoniæ Principi, qui ante nuptias obiit. Tertio juncta fuit *Philiberto II.* Sabaudo, vix biennii matrimonio. Denique a Carolo V. Belgii Regimen ei fuit commiſſum. Altera Maximilian Conjux, fuit BLANCA MARIA, Galeatii Mediolanenſis Ducis filia, e qua nullam ſobolem ſuſcepit.

IMPERATORES ORIENTIS.

JOHANNES PALÆOLOGVS.

JOHANNES PALÆOLOGVS, quem quidam VII. alii IIX. numerant, Patri Emanueli An.

1419. ſucceſſit, maritus *Sophiæ* Marchioniſſæ Montisferratenſis. Is patre haud fuit felicior. Imprudenter enim *Amurathem* adverſus ſe concitavit, Venetis Theſſalonica fruſtra conceſſa, quam poſtea Amurathes expugnavit. Hinc Conſtantinopoli exitium imminere cernens, ut a Latinis auxilia impetrare poſſet, in Italiam conceſſit. Celebrabatur tum *Concilium Ferrariæ*, ad illud ergo venit Johannes Imperator, cum *Joſepho* Patriarcha, & aliis Epiſcopis atque Abbatibus Eccleſiæ Græcæ. Eugenius Papa, audito adventu Imperatoris Conſtantinopolitani, ſimiliter Ferrariam ſe contulit, & poſt celebrationem Miſſæ, inſtituta quæſtione, num ex Græca & Latina cuperent fieri unam Eccleſiam? ſucclamarunt omnes, velle; modo rationibus illa prius confutarentur, quæ diſſidii fuiſſent cauſa. Ventum eſt ad diſceptationem, quam peſtis, quæ Ferrariam invaſerat, interrupit. Translatum ſic Concilium *Florentiam*. Agebatur imprimis de Spiritus S. a Filio proceſſione. Poſt longos Epiſcoporum conflictus, Imperator cum ſuis Epiſcopis, excepto *Marco Epheſino*, in ſententiam Eugenii IV. conceſſit, profitendo, 1. Spiritum S. procedere a Patre & Filio. 2. Papam Romanum tenere Primatum in univerſo Orbe. 3. Corpus Chriſti veraciter confici in pane. 4. Animas in purgatorio, levari ſacrificiis, & cæteris pietatis officiis. Sed, quæ de Transſubſtantiatione, Conjugio Sacerdotum, & Communione ſub una, Eccleſia Romana tenet, non fuere admiſſa, Obierat ante transactionem Joſephus Pa-

triar-

triarcha ſubita morte, prius conſenſum ſuum cum Eccleſia Romana relicto epiſtolio teſtatus. Reverſo in Orientem Imperatore, pacta reſciſſa ſunt, fraudisque accuſata fuit Joſephi ſyngrapha. Quin, tantopere abominationi erant qui conſenſum ſuum Latinis impertiti ſunt, ut iis mortuis, etiam Eccleſiaſtica ſepultura denegaretur. Mortuus eſt Johannes Conſtantinopoli A. 1445. poſtquam annos 24. imperaſſet.

CONSTANTINVS PALÆOLOGVS.

Constantinus, poſt Johannem fratrem, Imperii conquaſſati adminiſtrationem ſuſcepit, ultimus Chriſtianorum Imperatorum. *Muhammedes* enim, Turcarum Sultanus, A. C. 1453. *Conſtantinopolin* magna vi oppugnare aggreſſus eſt. Habebat ſub ſignis quadringenta militum millia, ſecumque advexit tormenta, globos librarum 400. ejaculantia: unum ex his a 70. jugis boum, & viris bis mille trahebatur. Secutæ ſunt naves majores 30. minores 200. Obſidio cœpta die 5. Aprilis, duravit dies 54. Triduo antequam fieret expugnatio, Muhammedes indixit triduanum jejunium, & promiſit primo aſcendenti murum, provinciam, quam vellet, amplam in Europa, exercitui vero direptionem per triduum. Conſtantinus his territus, Legatos mittit de pace. Ei Muhammedes conditiones offert, ut quotannis ſibi pendat centena aureorum millia, & reliqua Thracia abſtineat; aut, ſi hoc non poſſet, Vrbe excedat cum ſuis bonis. Sed, quia has conditio-

nes rejiciebat Conſtantinus, ſucceſſit die 29. Maji Vrbis captura. Cum irruerent Turcæ, tanta hominum fuga fuit per reliquas portas Vrbis, ut omnes obſtruerentur jacentibus & prolapſis, primis enim procidentibus reliqui ſuper eos cadebant. Conſtantinus ſaucius, in fuga captus, capite mulctatus fuit: in Proceres, Nobiles, matronas, incolasque omnes, promiſcua cæde ſævitum. Ajunt Muhammedem, proditori Chriſtiano, qui pro mercede nuptias filiæ ejus ſibi pactus fuerat, illudentem, ut idoneus thoro filiæ eſſet, loco circumciſionis, pellem detrahere juſſiſſe.

MVHAMMEDES II.

Poſt Bajazetem, de quo ſub finem ſuperioris ſeculi dictum eſt, ISAMBEGVS filius, poteſtatem arripuit, quem mox SOLYMANNVS frater peremit, ac 7. annos regnum tenuit. Eo ſublato, frater illius MVSA, ſive MOYSES, per quadriennium rebus præfuit.

Quadriennio hoc elapſo, frater MVHAMMEDES, atque ſic ipſe quoque Bajazetis filius, A. 1413. imperium ſibi vindicavit. Is Caramaniæ Principem, a Burſæ obſidione depulſum, aliquot urbibus exuit; Pontum & Cappadociam ad obſequium reduxit; ſubjugavit Serviam; Dalmatiæ partem, cum parte Macedoniæ, occupavit, Valachosque tributum pendere coëgit. Venetorum etiam terras, ad mare Jonium, vaſtavit, qui viciſſim, quædam loca in Myſia, Aſiæ minoris regione, ei eripuerunt. *Iſmaëli* Principi Sinopenſi, apud quem Muſtapha frater perfugium habuera

buerat, bellum Muhammedes intulit, obiitq; A. 1421.

Muhammedi ſucceſſit filius AMVRATHES II. qui, ex Aſia, Genuenſium navium opera uſus, & in ſingula capita, ſingulos aureos perſolvens, transportatis per Helleſpontum copiis, *Theſſalonicam* cepit. Contra *Hungaros*, & *Vladislaum* Regem, qui poſt Albertum Cæſarem rerum potiebatur, ac *Johannem Hunniadem*, Ducem fortiſſimum, bellum habuit, in quo ſæpe victus eſt. Novo bello A. 1444. Chriſtianos ad *Varnam* memorabili prælio profligavit, in quo ipſe Rex *Vladislaus* cum 10000. cæſus fuit. Tradunt, non Turcarum tantum, ſed & Chriſtianorum libri, conſtitutum in maximo diſcrimine Amurathem, auxilium cœlitus imploraſſe contra Chriſtiani Regis perfidiam. Quippe, cum Amurathes, eo tempore quo bellum primum cum Vladislao finiit, ab illo certum aliquod, pacis inviolabiliter obſervandæ, documentum petiiſſet, data eſt illi, profano quorundam conſilio, hoſtia, Romanæ Eccleſiæ ritu conſecrata, ne ullo modo, de fide Regis, accepto tam auguſto pignore, dubitaret. Poſtea vero, ruptis per nefas induciis, (quod Romani Pontificis inſtinctu factum eſſe dicitur) ad arma re deducta, cum jam Chriſtianorum indubia videretur victoria, Amurathes e ſinu prolata ſacra hoſtia, & erectis ad cœlum oculis, in hæc verba erupit: *Chriſte crucifixe, ſi Deus es, uti Chriſtiani tui de te perhibent, vindica perfidiam tuorum, qui te mihi dedere pignori: nihiloque minus adeo religioſe contractam pacem per ſummum ſcelus violarunt.*

 Viden-

Videndus Leunclavius in Pandectis Turcicis n. 116. Fuit & Amurathi grave certamen cum *Scanderbego*, Epiri, ſive Albaniæ, Principe belliçoſiſſimo, cujus dum Regni caput Crojam obſidet, ex mœrore deceſſit, anno regni 31. ætatis 75. Chriſti 1451.

Sed, de Scanderbego, ob claritatem nominis, hiſtoria integra hoc loco afferenda eſt, ſtrictim, per occaſionem. Vocabatur Scanderbegus vera appellatione, *Georgius Caſtriotus*; alterum nomen Turcæ, ob præclara facinora illi indiderunt, quibus *Alexander Magnus* ſic dicitur. Cæterum Georgius, cum quatuor fratribus, a *Johanne* patre, Turcis obſes datus, licet minimus natu, ita tamen placuit *Amurathi II.* ut reliquis lento veneno conſumtis, ille in vita conſervaretur. Proinde per vim circumciſus, & ſolicite, in arte imprimis militari, hujus Amurathis juſſu inſtitutus eſt; quod tanto ſucceſſu factum, ut, poſt res fortiter pro illo aliquandiu geſtas, tandem paterni Principatus memor, contra Amurathem niti ſibi propoſuerit. Itaque *Croja* metropoli per fraudem potitus, An. 1453. cum incredibili ſubditorum lætitia, poteſtatem occupavit. Cum ſceptro fidem Chriſtianam denuo amplexus, ſtupendo plane rerum ſucceſſu uſus eſt. Amurathem, Crojam obſidentem, repulit, exercitibus ejus ſæpius in fugam conjectis, periitque deinde Amurathes, in iterata Crojæ oppugnatione. Neque vero *Muhammedes II.* felicior fuit, cum quo octennium circiter, eadem gloria, Scanderbegus conflixit; nunquam cedens

dens, ſemper victor, & licet 2000. Turcarum propria occiderit manu, haud unquam tamen vulneratus. Itaque pacem Turca, vel potius inducias facere coactus eſt, dum interim Scanderbegus a Ferdinando Aragonio, & Pio II. Pontifice, in Italiam contra Gallos evocatur. Obiit tandem Liſſæ, Venetæ ditionis urbe A. 1467. ætatis 63. qua, poſtmodum a Muhammede capta, Turcæ, qui audito nomine Scanderbegi olim fugiebant, ad ejus cineres tanta frequentia confluxerunt, ut felix haberetur, cui oſſa tangere, feliciſſimus cui minimam particulam eorum auferre liceret, quales, auro incluſas, quidam pro amuletis collo appenderunt.

Poſt Amurathem, MVHAMMEDES II. filius, rerum dominium nactus eſt, quem Chriſtiana mater peperit. Hic Conſtantinopolin expugnavit, & illius Imperium deſtruxit. Tranſtulit quoque alterum *Trapezuntinum* Imperium, cum *Colchide* in ſuam poteſtatem, *Davide Comneno*, qui ibidem imperabat, cum tota familia Conſtantinopolin abducto. Quod Imperium, capta a Latinis Conſtantinopoli, *Iſaacius Comnenus* ante annos circiter 250. fundaverat. Ad hæc Muhammedes Regna 12. & ſupra 200. urbes Chriſtianis eripuiſſe dicitur. Idem, a Belgrado, *Johannis Hunniadis* virtute depulſus, *Corinthum*, *Lemnon*, *Mitylenam*, *Eubœam*, Venetis eripuit, Genuenſibus, *Theodoſiam* ſeu Capham: *Rhodum* fruſtra tentavit; *Hydruntem* in Italia cepit. Obiit A.C. 1481. ætatis 53. poteſtatis adminiſtratæ 31. Imperator utique magnus, qui cognitionis illuſtrium vi-

rorum fœminarumque cupidus, hiſtorias Græcas Romanasque in ſuum ſibi verti ſermonem juſſit, & ipſos viros a *Gentile Bellino*, ſcito pictore, depingi, quem ad hanc operam a Venetis expetierat. Captam Conſtantinopolin cum videret cædibus exhauſtam, & pæne dirutam, novis incolis eam frequentem reddidit; gymnaſia pro ſtudioſis literarum ſtruxit, Profeſſoribus, cibos, panes, alimenta, & menſtrua ſalaria conſtituit; templum Sophiæ Conſtantinopolitanum inſtauravit; multa balinea & xenodochia pro viatoribus & mercatoribus erexit; pauperibus, pupillis, viduis, eleemoſynas diſtribuit. Ipſos Chriſtianos, conventus ſuos inſtaurare juſſit, lectumque ab eis Patriarcham *Gennadium*, pedo ei paſtorali tradito, confirmavit.

BAIAZETES II.

BAIAZETES II. Muhammedis filius, a Prætorianis ſuffectus eſt patri. Ei oppoſuit ſe frater *Zizimus*, ſive, ut alii efferunt, *Gemes*, qui victus, ad Chriſtianos Principes ſe recepit, venitque in Galliam, & hinc poſtea Romam, ubi *Alexander VI.* Pontifex, a Bajazete corruptus, lethiferum poculum ei miſcuit, quo paulo poſt eſt exanimatus. Cæterum, Bajazetes, Venetis *Naupactum* in Acarnania, *Methonem* in Morea, *Dyrrachium* in ora Sclavoniæ abſtulit. Coactus denique conſpiratione Procerum, abdicavit ſe Imperio, anno ætatis 74. Regni 31. Chriſti 1512. & a *Selymo* filio, opera *Hammonis Judæi*, Medici, veneno peremtus eſt.

PONTIFICES ROMANI.

INNOCENTIVS VII.

INNOCENTIVS VII. patria Sulmonenſis, olim in ſchisma Pontificium invectus, jam monitus, ut illud tolleret, XI. monitores, viros nobiles, per *Ludovicum*, fratris filium, e feneſtris præcipitare juſſit, inquiens, ad eum modum tolli ſchisma. Ob hanc cauſam ſibi metuens, cum omni Curialium turba Roma *Viterbium* aufugit, ſua & illorum bona plebi diripienda relinquens. Romam Viterbio rediens, blanditiis & comitate homines demulcere ſtuduit. Obiit A. 1407. anno 2. Pontificatus.

GREGORIVS XII.

GREGORIVS XII. Venetus, olim *Angelus Corrarius*, juramento ad tollendum ſchisma ſe obſtrinxerat, ſed creatus Papa, promiſſorum immemor, vix de concordia audire voluit. Coactum ergo A. 1410. *Piſis Concilium*. In eo contra ipſum, & in Gallia ſedentem *Benedictum XIII.* lata ſententia, tanquam Pontificatu indignos, notorios ſchismaticos, antiquati ſchismatis nutritores, defenſores, fautores, approbatores & manutentores, nec non hæreticos a fide devios, notoriisq; criminibus irretitos: ſimul tum in iſtorum locum ſubſtitutus fuit *Alexander V.* Sed Gregorius Ariminum, Benedictus in Hiſpaniam profugit. Tandem Gregorius in *Concilio Conſtantienſi*, abdicavit ſe Pontificatu, *Johañe Dominico Floren-*

tino

tino Cardinale S. Sixti, recitante coram univerſa Synodo Bullam mandati, ab illo ſibi comiſſi. Poſt abdicationem, ex Synodi decreto factus eſt Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, Collegii Cardinalium Decanus, & perpetuus Legatus Marchiæ Anconitanæ, ac deceſſit Recaneti in Piceno A. 1417. prope nonagenarius.

ALEXANDER V.

ALEXANDER V. Cretenſis, in Concilio Piſano, depoſitis Gregorio XII. & Benedicto XIII. fuit electus. Cum enim hucusque per annos 30. bini fuiſſent Pontifices, alter Romæ, alter Avenioni, Cardinales tanto ſchismati medelam quærentes, Piſis, (quod jam modo diximus, & nunc iterum dicendum eſt) celebrato Concilio, utrique Pontifici, Romano Gregorio XII. & Avenionenſi Benedicto XIII. Pontificatum abrogant, iisque Alexandrum V. Fratrem ordinis Minorum, ſubſtituunt. Enim vero tantum abeſt hac ratione extinctum fuerit Schisma, ut potius in majorem nervum eruperit, & triceps facta ſit Romana Eccleſia; nec enim depoſitorum quisquam cedebat, Alexander autem Bononiæ mortuus eſt, cum menſes tantum octo pro Pontifice ſe geſſiſſet.

JOHANNES XXIV. aliis XXIII.

JOHANNES XXIV. olim *Balthaſar Coſſa* dictus eſt. Cardinalibus Bononiæ novi Pontificis eligendi cauſa congregatis, ipſe rogatus ab illis, ut quem vellet, Pontificem declararet, date, mihi, inquiebat, Petri chlamydem, & ego eam

dabo

dabo Pontifici futuro. Oblata Petri chlamyde, nulla mora interpoſita, illam ſuis circumjicit humeris, aitque: *Ego Papa ſum, & non alius.* Schismatis tollendi cauſa, *Concilium Romæ* convocavit, ad quod, poſt Miſſam de Spiritu S. dirus ac feralis bubo, horrifica voce, ſuper trabem medii templi conſidens, & obſtrepens, advolavit. Hic loci autem nihil actum eſt. Coactum aliud Concilium, opera Sigismundi Imp. Conſtantiæ A. 1415. ad quod vocatus Johannes, ſe ſtitit. In eo, in prima Miſſa, poſt hymnum, *Veni Sancte Spiritus*, comparuit charta, incertum unde, aut quomodo in templum projecta, cui inſcriptum erat: *Aliis rebus occupati, vobis adeſſe non poſſumus.* Accuſatus eſt Johannes XL. ſcelerum, ac inter reliqua, adulterii, inceſtus, ſodomiæ, imprimisque hæreſeos. Namque negabat animæ immortalitem, &, (quæ ſunt ipſa verba Patrum in Seſſione XI.) *ſæpe coram diverſis Prælatis, & aliis honeſtis ac probis Viris, pertinaciter, Diabolo ſuadente, dixit, aſſeruit, dogmatizavit, vitam æternam non eſſe, neque aliam poſt hanc. Quin imo dixit, & pertinaciter credidit, Animam hominis cum corpore extingui, & mori inſtar brutorum animantium.* Ipſe igitur, cum videret de ſua depoſitione agi, pœnitentia ductus quod ſui copiam præbuiſſet, aufugit noctu in navicula Schafhuſiam, ibiq; latitavit, *Friderico, Auſtriæ Duce*, patrono. Inde retractus, condemnatus, depoſitus, *Ludovico Palatino* cuſtodiendus traditur, qui eum Manhemium miſit, ubi per triennium manſit in carcere. Dehinc *Coſmi Medicei* ope, & ſolutione 30000. aureorum, libe-

liberatus, vili habitu in Italiam venit, Martino V. (quod nemo eventurum crediderat) ſe ſubjiciens: unde ab hoc Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus creatus, ejusq; ſedile, prope Sedem Papæ, paulo eminentius, quam cæterorum Cardinalium, poſitum fuit. Mortuus eſt Florentiæ, apud Coſmum Mediceum, quem opum immenſarum, magnum Mediceæ familiæ incrementum, heredem reliquit. Is eum in S. Johannis Baptiſtæ Sacello tumulavit, addita brevi tralatitiaque, & quam ideo mihi notandam duxi, iſthac inſcriptione;

JOHANNES QVONDAM PAPA XXIII. OBIIT FLORENTIÆ ANNO DOMINI MCCCCXIX. XI. KALENDAS JANVARII.

MARTINVS V.

OTTO COLVMNA, Pontifex factus, nomen ſibi ſumſit Martini V. quia in feriis S. Martini hæc illi dignitas obtigerat. In trium Pontificum locum, quos Concilium Conſtantienſe exauctoravit, ipſe a Concilio Papa creatus eſt, pollebat enim virtute & eruditione. Ob Romam reparatam, & res Italiæ reſtitutas, *Parens Patriæ* dictus eſt; eique Romani ſtatuam poſuerunt. *Brandam* Cardinalem Legatum in Germaniam miſit ad reformandos mores Clericorum. Valde ſolicitus fuit de Huſſitis exſtirpandis. Conceſſit Abbati Hirſaugienſi privilegium, Mitra, Annulo, & aliis Pontificalibus inſignibus utendi. Cuidam ſororem germanam in conjugio habenti veniam indulſit, factum excuſante Genebrardo. Se-

do. Secundum decretum Concilii Conſtantienſis, *Papiæ* in Italia Concilium inchoavit, quod inde, ob peſtem, *Senas* fuit translatum; cumque deinde, ob *Alphonſi* Aragoniæ Regis metum, huic loco diffideret, *Baſileam* Concilio habendo deſignavit. Mortuus eſt, A. 1431. ætatis 63. Pontificatus 14.

EVGENIVS IV.

EVGENIVS IV. patria Venetus, *Vladiſlaum* Hungariæ Regem perpulit, ut adverſus *Amurathem* Turcarum Sultanum fieret fœdifragus, atque ſic in Varnenſem cladem eum conjecit. A populo, inſtigantibus Columnenſibus, Româ pulſus, navigio per Tiberim evaſit, cucullo Franciſcano indutus. Ipſe vero ſimiliter Columnenſes ex Vrbe ejecit, eorum ædes ſolo æquavit, Antonii Columnii filium Beneventanum Antiſtitem, cepit, & cum eo fratrem *Maſſium* Sacerdotem, cujus corpus quadrifariam ſecare, ac partes in quatuor celebrioribus urbis viis ſuſpendere juſſit. Offenſus liberalitate *Concilii Baſileenſis*, quod Annatas damnaverat, Bohemisque Communionem ſub utraque Sacramenti ſpecie conceſſerat, illud diſſoluturus, aliud *Ferrariæ*, ſub prætextu adventus Græcorum indixit. Sed Patres Baſileenſes, eum, ſub pœna depoſitionis, ad ſuum Concilium citarunt. Cæterum Eugenius, neglecta citatione, Ferrariam venit, cum eo ſe contuliſſet *Johannes Palæologus* Conſtantinopolitanus Imperator, cum Joſepho Patriarcha. Hoc Concilium deinde *Florentiam* migravit, ob luem peſtiferam, quæ graſſari incipiebat. Ibi ea inter

Græ-

Græcos & Romanos facta eſt animorum conſpiratio, quam ſupra verbis enarravimus, & cujus hoc, in S. Mariæ Floridæ Templo quod extat, mihi deſcripſi momentum:

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.
GENERALI CONCILIO FLORENTIÆ CELEBRATO POST LONGAS DISPVTATIONES VNIO GRÆCORVM FACTA EST IN HAC IPSA ECCLESIA DIE VI. IVLII MCCCCXXXIX. PRÆSIDENTE EIDEM CONCILIO EVGENIO PAPA CVM LATINIS EPISCOPIS ET PRÆLATIS ET IMPERATORE CONSTANTINOPOLITANO CVM EPISCOPIS PRÆLATIS ET PROCERIBVS GRÆCORVM IN COPIOSO NVMERO SVBLATISQVE ERRORIBVS IN VNAM EANDEMQVE RECTAM FIDEM QVAM ROMANA TENET ECCLESIA CONSENSERVNT.

Deſcripſi etiam Epitaphium, quod Joſephi Patriarchæ in S. Mariæ Novellæ Sepulchro additum, hujus tenoris:

Eccleſiæ Antiſtes fueram qui magnus Eoæ,
Hic jaceo, magnus relligione Joſeph.
Hoc unum optabam miro inflamatus amore,
Vnus ut Europæ cultus, ut una fides.
Italiam petii, fœdus percuſſimus unum,
Junctaq; Romanæ, me duce, Graja fides.
Nec mora, decubui. Nunc me Florentia ſervat,
Qua tunc Concilium floruit urbe ſacrum.

Felix

Felix qui tanto donarer munere vivens,
Quo morerer voti compos & ipſe mei.

Cæterum, dum Florentino Concilio intentus eſt Eugenius, declaratur ille interim a Concilio Baſileenſi, *notorius & manifeſtus contumax, mandatis & præceptis Eccleſiæ univerſalis inobediens, in aperta rebellione perſiſtens, violator aſſidu' atq; contemtor ſacrorum Canonum Synodalium, pacis & Eccleſiæ Dei perturbator notorius, univerſalis Eccleſiæ ſcandalizator, Simoniacus, perjurus, ſchismaticus a fide devius, imo pertinax hæreticus.* Ergo omnium ſuffragiis deponitur, Felice V. ſurrogato in locum. Non tamen ceſſit ille, ſed Gallorum quoque armis, Baſileenſe Concilium oppugnavit. Mortuus eſt A. C. 1446. ætatis 64. Pontificatus 16.

FELIX V.

AMADEVS, primus Sabaudiæ Dux a Sigismundo Cæſare creatus, in conjugio vixit, duosque ſuſcepit filios. Poſt prudens aliquot annorum regimen, relictis ſeculi curis, cum ſex equeſtris ordinis viris, ſeceſſit in arcem *Ripaliam*, ibique quietus, inter honeſta oblectamenta, vitam egit. Hic in Baſileenſi Synodo, exautorato Eugenio, Pontifex fuit creatus, Felicis V. nomine, ſciſſa ſic in tres partes Eccleſia. Quidam enim illum, quidam Eugenium ſectabantur: nonnulli neutrum pro vero & legitimo agnoſcebant Pontifice, qui ſe *Neutrales* appellabant. Suaſit autem Eugenio mortuo, *Thomas Lucanus*, qui poſt Pontifex creatus, *Nicolaus V.* dictus eſt, Felici, ut

ſponte Pontificatu ſe abdicaret, & Eccleſiam ſchismate liberaret, idque ei perſuaſit etiam, poſtquam 9. annos ſederat, in reliquam vitam Cardinalis titulo contentus. Obiit A. C. 1451. ætatis 69.

NICOLAVS V.

Felix, cum ſeipſum Pontificia dignitate ſpoliaſſet, ſucceſſorem habuit eum, qui illi ad hanc rem dux & autor fuerat, *Thomam Lucanum*, Nicolaum V. deinde dictum, rara fortunæ indulgentia, uno & eodem anno, Epiſcopum, Cardinalem, & Papam factum. Is, fautor literatorum inſignis fuit, undecunque eos in aulam ſuam acerſens, & 3000. librorum undique conquiſita, in Vaticanam Bibliothecam intulit. Promiſit etiam quinque millium Ducatorum præmium, ſi quis S. Matthæi Evangelium Hebraicum ſibi afferret. *Nicolaum Cuſanum*, Legatum in Germaniam miſit, ad Monaſteriorum viſitationem, & diſciplinæ collapſæ reſtitutionem. *Jubilæum* celebravit, in quo aliquando Romæ, in ponte S. Angeli, ultra ducenti homines fuere protriti, plures in flumen præcipitati. *Edmundum Campianum*, & *Vicentium Hiſpanum*, in Catalogum Sanctorum deſcripſit, dicente ad id *Beſſarione*, novos hosce Sanctos, de veteribus ſibi dubium movere. Coronavit Fridericum III. una cum conjuge Eleonora. *Johannem Capiſtranum*, indulgentiarum præconem in Germaniam miſit, ad claſſicum adverſus Turcas canendum. Obiit An. 1455. Pontificatus ſui anno 8. ſive tædio animi, ob captam Conſtantinopolin, ſive febri & podagra, quibus vexabatur.

CA-

CALIXTUS III.

Calixtus III. Hiſpanus, *Xativa*, Valentiæ, oriundus, bellum adverſus Turcas ex voto ſuſcepit, inſtituitque, ut ad campanæ meridianæ pulſum homines pro victoria orarent. Idem, in memoriam cladis quam An. 1456. Turcæ ad Belgradum erant paſſi, *Feſtum Transfigurationis Chriſti*, eo modo celebrare juſſit, quo Feſtum Corporis Chriſti colitur, easdem illi, quibus hoc gaudet, indulgentias concedens. Confirmavit Martini V. conſtitutionem, qua ille permiſerat contractus, quibus emuntur annui cenſus cum pacto retrovendendi. Sed, quia eo colore multi uſuris ſuis ſpeciem conciliare laborant, ideo præter cæteros, Caranza in Summa Conciliorum pag. 657. exponit conditiones, quas illa permiſſio Pontificum in ejusmodi contractibus requirit. Mortuus eſt An. 1458. octogeſimum circiter agens annum, cum ſediſſet annos 3. relinquens nummorum aureorum centum & quindecim millia, quos, in uſus bellicos contra Turcas, corrogaverat.

PIVS II.

Æneas Sylvius, Piccolomineus gente, Pontifex factus, *Pius* audire voluit, ut in ſe quadraret illud Virgilii: *Vir pius Æneas.* Fuit Scriba in Concilio Baſileenſi, poſtea Friderico III. Imp. a ſecretis epiſtolis: vir prudens, eloquens, & diſciplinis liberalibus egregie cultus. Narratum mihi Romæ, aliquando Vrbanum VIII. Pontificem, epulantem, inter familiares jactaſſe, quod credat,

præripere ſe eruditionis palmam omnibus quotquot præceſſerint Pontificibus ; fuiſſe autem, qui Pii II. mentionem injiceret , ibi tum Vrbanum faſſum eſſe , huic ſe primas concedere. Ajunt, Æneæ, Pontifici creato, *Fr. Philelphum* miſiſſe diſtichon, ambiguo ſenſu ſolers & ingenioſum :

Laus tua non tua fraus virtus non copia rerum,
Scandere te facit hoc decus eximium.

illum vero reſcripſiſſe:

Quæ miſiſti mihi, accepi carmina, Vates,
Carmina ſi dederis, Carmina reddidero.

Cumque certatim Poëtæ carmina ei offerrent, lucrum ſperantes & præmia luculenta, ipſe, ne moleſti porro eſſent, evulgavit verſiculos :

Pro numeris numeros a me ſperate Poëtæ:
Carminaq; eſt animus reddere, non emere.

Ergo tenacitatem hanc ei exprobravit nonnemo eorum, tali reſponſo:

Pro numeris numeros, tibi ſi fortuna dediſſet,
Non eſſet capitis tanta corona tui.

Laudant Pii Pontificis frugalitatem in cibo & potu, & indefeſſum literarum ſtudium. Tumultum, *Tiburtio* autore Romæ exortum, ſedavit, & in Capitolio XXV. ſeditionis reos, ſuſpendi juſſit. Ad Chriſtianos Principes contra Turcam uniendos, animum applicuit, *Concilio* An. 1459. *Mantuæ* indicto , voluitque ipſe Dux eſſe Chriſtiani exercitus. Aliqua, eorum, quæ ante Pontificatum ſcripſerat, retractavit deinde, atque inter hæc præcipue illud, quo probaverat Baſileen-

leenſis Synodi, de Papa Concilio ſubjecto, decretum, ſtatuens, a Romano Papa, ad futurum Concilium appellantes, tanquam fautores hæreſeos, & læſæ Majeſtatis reos plectendos eſſe. Platina teſte dixit, conjugia Clericis magna ratione eſſe ademta, ſed majori videri reſtituenda. *Dietherrum Iſſenburgium* Archiepiſcopum Moguntinum ſede depulit, quod morem gerere nollet mandato, quo vetuerat Electorum convocationem impoſterum facere, ſine Apoſtolicæ Sedis præſcitu. *Catharinam Senenſem* in Sanctorum numerum retulit publica ceremonia. Deceſſit A. 1464. ætatis 58. ſedis 6.

PAVLVS II.

PAVLVS II. Venetus gente erat: Olim *Petrus Barbus*, ei nomen erat, & Pontifex creatus, *Formoſus* vocari voluit, ob corporis venuſtatem, quod ei Amici disſuadebant. Fuit autem utiq; in eo majeſtas Pontifice digna, ut, qui ex univerſo cœtu hominum emineret: nec deſunt, qui naturæ formam, fuco etiam illum juviſſe perhibeant. In Mitram quoque, ſive Regnum, multas opes profudit, coëmtis undique gemmis & unionibus ſummi pretii, ad illud ornandum, ut tanquam alter Aaron, auguſtiore quam humana forma, poſſet prodire. Sed ingenium ei nullum, &, Veneri ac Baccho ſe mancipando, eruditionem omnem averſabatur, unde & Romanos monebat ne filios diu ſtudiis literarum immorari paterentur, ſatis eſſe, ſi legere & ſcribere didiciſſent. *Cardinales*, quos Innocentius IV. pileo ru-

bro donaverat, *coccinea* inſuper *veſte* ornavit. Queritur Platina, cum vim injuſtam ab illo paſſus, rogaſſet; ut cauſam judicibus Rotæ excutiendam committeret, his ſe ab ipſo verbis fuiſſe increpitum: *Ita nos ad Judices revocas? ac ſi neſcires, omnia jura in ſcrinio pectoris noſtri collocata eſſe. Sic ſtat ſententia, Pontifex ſum, mihiq; licet pro arbitrio animi, aliorũ acta, & reſcindere, & approbare.* Caranza vero, in Summa Conciliorum p. 660. teſtatur, *ejus tempore omnia officia Romæ venalia fuiſſe, & fere ſemper beneficia & Epiſcopatus his illum commiſiſſe, qui officium aliquod venale haberent, unde elici munus poſſet.* Mortuus eſt A. C. 1471. Pontificatus anno 6. in cubiculo ſolus apoplexia extinctus, unde quidam a Diabolo ſtrangulatum fuiſſe ſcripſerunt.

SIXTUS IV.

SIXTUS IV. olim *Franciſcus Ruerius*, Piſcatoris filius, Savonæ natus, ex Ordine Minorum, per omnes dignitatis gradus, ad ſupremum Pontificalem evaſit. *Jubilæi* celebrationem, ex quinquageſimo, ad XXX. annum contraxit, quod facere Paulus II. in animo habuerat. Romæ publicum *lupanar* conſtituit, & ex eo 20000. Ducatos quotannis collegit. Cornelius Agrippa quoq; prodidit, conceſſiſſe illum Cardinalibus, ut tribus æſtivis menſibus non nominando vitio indulgerent. *Vaticanam Bibliothecam*, conquiſitis ex omni Europa libris, ſplendidiſſime locupletavit, certosque proventus aſſignavit, unde Cuſtodes, Librarii item Græci, Latini, & Hebraici, ali poſſent, librique parari. *Plurima bella geſſit* contra

Tur-

Turcas, Volaterranos, Florentinos, Venetos, & contra Regem Siciliæ *Ferdinandum*. Nihil cupidius egit, quam ut Fratrum Sororumq; ſuorum liberos, ad magnos honores proveheret. *Johañem Regiomontanum*, Mathematicum, e Germania ad ſe evocavit, conſulturus cum illo de die feſto Paſchatos conſtituendo. Decreto edito ſancivit, tum ne quis eorum improbet ſententiam, qui Mariam ſine peccato originali conceptam docent; tum ne quis dicam hæreſeos illis impingat, qui Deiparam in peccato originali conceptam eſſe contendunt; cum hoc nondum a Romana Eccleſia ſit deciſum. Sciendum autem, Seculo XII. dum *Lombardus*, aliique, ſententias Patrum, ac præſertim Auguſtini colligunt, cum incidiſſent in verba Libri de natura & gratia: *Quando de peccato originali agitur, Beatam Virginem excipio, de qua, in honorem Domini, quæſtionem haberi nolo*: hinc collegiſſe illos, Divam Virginem ſine peccato originali eſſe conceptam. Seculo XIII. *Thomas* docuit, B. Virginem eſſe quidem in peccato conceptam, ſed in utero mundatam, & ſine peccato natam. Hæc opinio, inter Scholaſticos manſit, usque ad *Scotum*, qui dixit, rem in medio relinquendam eſſe, non tamen impoſſibile Deo fuiſſe, ut B. Maria Virgo, ſine peccato originali conciperetur. Seculo XV. urgeri vehementer cœpit opinio de immaculata B. Virginis conceptione, in ejusque honorem, Sixtus Papa feſtum inſtituit. Tum etiam uſus *Roſarii Mariæ* introductus. Cæterum Sixtus diem ſupremum obiit An. 1484. cum ſediſſet annos 13.

INNOCENTIVS VIII.

INNOCENTIVS VIII. olim *Joh. Baptiſta Cibo*, Genuenſis, primus Pontificum liberos ſuos nothos palam jactavit, eosque honoribus cumulavit, uni filiorum, cui Franciſcus nomen, nuptias cum *Magdalena*, Laurentii Medicei filia, concilians. Ajunt XVI. omnino liberos illum genuiſſe. Vnde Marullus:

Octo nocens pueros genuit, totidemq; puellas:
Hunc merito poterit dicere Roma patrem.

Ædificandi ſtudioſus, amœniſſimos Palatio Vaticano hortos adjecit. Norwegis, propter vini inopiam, permiſit, ſub una panis ſpecie Miſſam celebrare. Condemnavit *Johannem Kaltummarckterum*, Profeſſorem Theologiæ in Academia Viennenſi, qui publice docuerat: *Concilium eſſe ſupra Papam, & Papam non poſſe revocare ea, quæ per Concilium Generale fuere concluſa*: itaque Romam accerſitus, coactus eſt ſententiam revocare. Sedit Innocentius annos 7. & A. 1492. vitam cum morte commutavit.

ALEXANDER VI.

ALEXANDER VI. prius *Rodericus Borgia* dictus, ex Valentia Hiſpaniæ oriundus fuit. Homo erat ſine ulla religione & fide. *Jubilæum* octavum celebravit, ex quo trecenta millia coronatorum congeſſit. *Factionem Columniorum & Vrſinorum*, qui armis inter ſe Romæ contendebant, ſummo ſtudio alebat, mira ſimulatione, modo his, modo illis ſavens, & occulte utrisque pecuniam, atq; arma ſubmittens, ut ambos mutuis at-

tritos

tritos cladibus, ſine negotio delere poſſet. *Fœdus* cum Maximiliano I. Imp. Senatu Veneto, ac Ludovico Sfortia iniit, atque ſic Carolum VIII. Galliæ Regem, Regnum Neapolitanum, quod occupaverat, deſerere, & domum redire coëgit. *Cæſarem Borgiam*, filium nothum, potentia & opibus plurimum auxit, qui, cum aliquando ultra centum millia coronatorum luſu perdidiſſet, jacturam vilipendens, dixit, eam, peccata Germanorum facile compenſatura. Filiam notham *Lucretiam*, cujus ipſe prius, ceu fertur, conſuetudine uſus fuerat, primum, *Johanni Sfortiæ*, Piſaurienſi Principi, nuptum dedit, deinde illi ereptam, *Aloiſio Aragoni*, Alphonſi Regis filio notho, hocq; interfecto, *Alfonſo Eſtenſi*, Ferrariæ Duci, connubio junxit: cui Accius Sannazarius tale compoſuit Epitaphium:

Hoc jacet in tumulo Lucretia, nomine, ſed re
Thais; Alexandri Filia, Sponſa, Nurus.

Hieronymum Savanorolam, Eccleſiæ reformationem urgentem, Florentiæ igne cremare juſſit Alexander, & de reliquo, noti de eo ſunt verſus:

Vendit Alexander Sacramenta, Altaria, Chriſtum,
Emerat ille prius; vendere jure poteſt.

ſic quoque & iſti:

Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus & iſte:
Semper ſub Sextis perdita Roma fuit.

Memoriæ proditum eſt, *Hieronymum Donatum*, Reipublicæ Venetæ nomine apud Alexandrum hunc Legatum, cum, incertum qua ſermonis

occaſione a Pontifice ille interrogaretur, quibus tandem titulis Veneta Reſpublica poſſeſſionem maris Adriatici adſtruere poſſet? nihil cunctantem reſpondiſſe continuo: *Oſtendat mihi veſtra Sanctitas Inſtrumentum Donationis Conſtantinianæ; apparebit id opiſtographum, & verſa pagina, Venetorum privilegium, atq; jus in mare Adriaticum exhibebit.* Enimvero, quicquid ſit de immani illa Conſtantini, quam Romani Papæ jactant, donatione, exſuperavit utique Alexander Pontifex, liberalitate ſua, Conſtantini profuſionem, etiamſi vera illa fuerit, longiſſime, ac de ejus erga *Ferdinandum*, & *Iſabellam*, Caſtellæ Reges, munificentia, nemo mortalium tam eloquens reperitur, ut, quod ſatis eſt, dicere poſſit. Res, illius cognoſcenda eſt verbis, e Bulla, quam in ſeptimum Decretalium tranſtulit Petrus Matthæi. Sic vero illos affatur: *Motu proprio, non ad veſtram, vel alterius pro vobis, ſuper hoc nobis oblata, petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes Inſulas, & terras firmas, inventas & inveniendas, detectas, & detegendas, verſus Occidentem & Meridiem, fabricando & conſtruendo unam lineam, a Polo Arctico ſcilicet Septentrione, ad Polum Antarcticum ſcilicet Meridiem, ſeu terræ firmæ & Inſulæ inventæ & inveniendæ ſint verſus Indiam, aut verſus aliam quamcunque partem, quæ linea diſtet a qualibet Inſularum, quæ vulgariter nuncupantur,* de los Azores, y Cabo verde; *centum leucis verſus Occidentem & Meridiem, ita, quod omnes Inſulæ & terræ firmæ, repertæ, & reperiendæ, detectæ, & dete-*

detegendæ, a præfata linea verſus Occidentem & Meridiem, per alium Regem aut Principem Chriſtianum, non fuerint actualiter poſſeſſæ, usque ad diem Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, proxime præteritum, a quo incipit Annus præſens milleſimus quadringenteſimus nonageſimus tertius, quando fuerunt per Nuncios & Capitaneos veſtros inventæ aliquæ prædictarum Inſularum, auctoritate Omnipotentis Dei, nobis in B. Petro conceſſa, ac Vicariatus Jeſu Chriſti, quo fungimur in terris, cum omnibus illarum Dominiis, Civitatibus, Caſtris, Locis, & Villis, juribusque, & indictionibus, ac pertinentiis univerſis, vobis heredibusq; & ſucceſſoribus veſtris, (Caſtellæ & Legionis Regibus) in perpetuum, tenore præſentium donamus, concedimus, & aſſignamus: vosque & heredes ac ſucceſſores præfatos, illarum dominos, cum plena, libera, & omnimoda poteſtate, autoritate, & jurisdictione, facimus, conſtituimus, & deputamus.

Zizimum, Bajazetis Turcarum Imperatoris fratrem, ab Alexandro veneno fuiſſe peremtum, paulo ante fecimus indicium, ſummam tantum rei, cum Guicciardino, & cæteris fere omnibus, qui facti meminerunt, narrantes. Sed ordinem, & circumſtantias, hoc loco juvat recenſere ex libello *Interets & Maximes des Princes, & des Eſtats Souverains*, cujus fidem ſequimur. In eo pag. 226. ac ſeqq. legas, Zizimo, qui naſcendi jure potior erat, a Conſtantinopoli abſenti, Bajazetem minorem natu fratrem, favore Prætorianorum præripuiſſe Imperium. Zizimus ergo, metuens ſuo capiti *Rhodum* ſe confert, Equitum, qui Inſulam illo ævo tenebant, tutelæ ſe committens

mittens. Sed ii, quod formidarent, ne ſi Zizimus apud ipſos moraretur, Bajazetes ſumma vi illos oppugnare inſtituat, rogant Zizimum, alіorſum ſe reciperet, ubi magis ſecure vivere poſſet. Sic Romam abit Zizimus, & Alexandri VI. opem implorat, ut cauſam ſuam apud Chriſtianos Principes agat, quo illorum auxiliis Imperium ſibi debitum occupare queat, pollicens, Chriſtiana ſacra ſe amplexurum, & voti compotem factum, Chriſtianam religionem toto oriente propagaturum; quin & reapſe Zizimus, ab Alexandro baptismo fuit luſtratus. Faciebat tum in Italia expeditionem, Neapolitani, quod jam etiam ſubjugaverat, Regni cauſa, *Carolus VIII.* Galliæ Rex. Is, cum Zizimo fœdus facit, & auxilium ei laturus, claſſem ingentem parat, Conſtantinopolin invaſurus, & Chriſtianis in Thracia degentibus, ad faciendam rebellionem, arma allaturus. Alexander Papa, qui Caroli progreſſus in Italia moleſtiſſime ferebat, & id occultis conſiliis machinabatur, ut filium nothum, Cæſarem Borgiam, cui, *aut Cæſar, aut nihil*, pro ſymbolo erat, Italiæ Regem crearet, miſſis clam *Joſepho Barini*, & *Melchiore Francipani*, ad Bajazetem (autor libelli e quo hæc referimus, perperam Solymannum nominat) nunciis, ei prodit, ut Galliæ Rex aliis Chriſtianis Principibus junctus, bellum ei inferre meditetur, recipitque, ſi vicies quater centena millia coronatorum ſibi numeret, liberaturum ſe ipſum ab invaſione Gallorum, ipſiusque Zizimi caput ei transmiſſurum. Placuit Bajazeti conditio, nec mora pecunia Raguſam, atque

atque exinde Ravennam fuit tranſmiſſa.. Alexander, ut promiſſis ſtaret, invitato ad epulas Zizimo, venenum ei propinat, quo aſſumto, mentis inopem in conclave abditum deferre, & caput illi præſcindere jubet, quod Conſtantinopolin fuit deportatum. Simul Alexandro cum Italiæ Principibus convenit, de Gallis e tota Italia ejiciendis. Hæc vulgo ignorata hactenus fuere; illud non æque, necis artificem, quo juſtius nihil erat, tandem arte periiſſe ſua. Cum enim Alexander, poſtremis vitæ diebus, propoſitum cepiſſet, de Cardinalibus aliquibus, & Romanæ Vrbis Senatoribus primariis, in convivio, veneno e medio tollendis, errore pocillatoris factum eſt, ut mutata lagena, vinum toxico infectum, Pontifici, & ejus filio Cæſari daretur. Illo igitur hauſto, exſpiravit Alexander, filius vero, depulſo antidotis veneno, evaſit incolumis. Id contigit A. 1503. cum Alexander annos 11. ſediſſet.

VIRI DOCTI.

THEODORVS GAZA.

THeodorus Gaza, Theſſalonicenſis, *Amurathe* Græciam occupante, in Italiam venit, ibique *Græcas literas* feliciter propagavit; Ciceronis librum de Senectute Græce tranſtulit: Ariſtotelis Hiſtoriam Animalium, & Problemata, item Æliani Tactica, in Latinam linguam convertit. Compoſuit 4. libros Grammaticæ Græcæ. Cum aliquando eruditiſſimas lucubrationes ſuas, in mem-

membranis eleganter perſcriptas, *Sixto IV.* Pontifici obtuliſſet, neque tantum præmii ab eo nactus eſſet, ut librario mercedem ſolvere poſſet, projectis 12. quos acceperat, aureis, una cum reliquis, quos in publicum edere cogitabat, Commentariis, in Tiberim, *effugere hinc lubet*, dixit, *poſtquam optimæ ſegetes, in olfactu, præpinguibus aſinis ſordeſcunt*: atque ita in Brutios, ad ſacerdotii ſedem diſceſſit, obiitque tandem A. 1478. ex mœrore.

BESSARIO.

Beſſario, patria Trapezuntius, dignitate Nicænus Epiſcopus, ab *Eugenio IV.* Pontifice, ut Græcos beneficio aliquo ſibi obnoxios redderet, creatus eſt Cardinalis. Libros Metaphyſicorum Ariſtotelis, Theophraſti Metaphyſica, & libros 4. Xenophontis de factis & dictis Socratis, in Latinum ſermonem tranſtulit.

JOH. FRANCISCVS POGGIVS.

Joh. Franciſcus Poggius, Florentinus, ab *Eugenio, & Nicolao*, Pontificibus, ſcriniis fuit præfectus. Tranſtulit e Græco, Diodorum Siculum: Libellos aliquot, de Infelicitate Principum, Varietate fortunæ, & Avaritiæ peſte compoſuit. Ciceronis libros de Finibus, & Legibus, a ſe in Germania deſcriptos, in Italiam intulit. Quintilianum, in ſalſamentarii taberna repertum, ab interitu vindicavit.

PETRVS DRESDENSIS.

Petrus Dresdenſis autor eſſe dicitur Cantionum, quæ ex Latina & Germanica lingua mixtis, in Eccleſiis cani ſolent.

FRAN-

FRANCISCVS ZABARELLA.

Franciſcus Zabarella, Cardinalis, Conſtantiæ obiit. Paravit Commentarios in Decretales & Clementinas, Tomis ſex.; item libros tres de Felicitate. Vulgo *Cardinalis* nomine allegari ſolet.

PETRVS AB ALLIACO.

Petrus ab Alliaco, Cameracenſis Epiſcopus, ſcripſit Commentarium ſuper Sententias, & libellum de Emendatione Eccleſiæ. Fuit inſignis etiam *Mathematicus*, atque in eo id reprehendunt, quod contendebat, Chriſti Nativitatem, ex Genethliacis obſervationibus præſciri potuiſſe. Primus urſit Calendarii emendationem.

JOHANNES GERSON.

Johannes Gerſon, Academiæ Pariſienſis Cancellarius, *Doctor Chriſtianiſſimus* vocari ſolet. Varia ſcripſit, quæ in 3. Tomos redacta habentur. Cum in Synodo Conſtantienſi reformationem Eccleſiæ poſceret, & LXXV. Abuſus emendatione opus habere oſtendiſſet, Papamq; Concilio inferiorem eſſe tueretur, *Martinus V.* Pontifex, finito Concilio, ipſum patria & dignitate privavit. Conſenuit Lugduni, ibique A. 1429. diem obiit ſupremum.

JOHANNES FROISSARDVS.

Johannes Froiſſardus, condidit Hiſtoriam Gallicam, quam in brevem rerum memorabilium epitomen redegit Johannes Sleidanus.

THEO-

THEODORICVS A NIEM.

Theodoricus a Niem, Nihemio, oppido agri Paderbornenſis, oriundus, condidit Hiſtoriam Schismatis univerſalis.

FLAVIVS BLONDVS.

Flavius Blondus Forolivienſis, tempore *Eugenii IV.* Pontificis floruit. Scripſit Romæ triumphantis libros 10. Romæ inſtauratæ libros 3. Italiæ illuſtratæ libros 8. librum de Origine Venetorum, item Romanæ Hiſtoriæ decades 3. Reliquit filios quinque, eosque omnes eruditos.

JOHANNES CAPREOLVS.

Johannes Capreolus, Tholoſanus, compoſuit 4. libros in Magiſtrum Sententiarum, in quibus Thomæ Aquinatis doctrinam, ex ipſomet Thoma expoſuit.

NICOLAVS CVSANVS.

Nicolaus Cuſanus, Cardinalis, vir in omni literaturæ genere doctiſſimus, reliquit Cribrationem Alcorani; Librum de docta ignorantia; Dialogum in principium Geneſeos; ſed hunc tam obſcurum, ut etiam Eruditiores circa eum intelligendum hæreant.

ANTONIVS PANORMITANVS.

Antonius Panormitanus, Siculus, Epiſtolas compoſuit, item de dictis & factis Alphonſi Regis libros 4. quos Æneas Sylvius, aliis exemplis intertextis, locupletiores reddidit. Extat penes me liber MS. cui titulus: *Antonii Panormitæ Poëtæ De-*

tæ Doctoriſque clariſſimimi libelli Elegi ad Coſmum Florentinum de proſapia Medicorum. Spurcus eſt, viſuque fœdus, & de quo ipſe Autor jure bono, haud longe ab initio:

Quæq; ades exhortor procul hinc matrona recede:
Quæq; (omiſſum eſt verbum *ades*) *hinc pariter virgo pudica fuge.*

Non ſatis ſcio, an lucem viderit: id ſcio, dignum eſſe, qui æternis obruatur tenebris, vel potius illuc eat, quo Catullus Annales Voluſi ablegavit.

HIERONYMVS DE SANCTA FIDE.

Hieronymus de Sancta Fide, ex Judæo Chriſtianus, & poſtea *Benedicti XIII.* Pontificis Medicus, ſcripſit librum adverſus Judæos; ex cujus recitatione, ultra quinque millia Judæorum, errorum convicta, Chriſtianæ religioni acceſſiſſe feruntur.

THOMAS WALDENSIS.

Thomas Waldenſis, Waldenſium hoſtis, reliquit Doctrinale Fidei antiquæ, tribus Tomis conſtans.

ALPHONSVS TOSTATVS.

Alphonſus Toſtatus, Epiſcopus Abulenſis, obiit A. 1454. ætatis anno 40. Reliquit vaſtos in Scripturam Commentarios. De eo vulgo ferebatur:

Hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne.

Tanta ſunt ejus volumina, ut, ſi vel ab ipſo vitæ ejus primordio, quis terna folia cuique diei aſſignet, plura ſcripſiſſe deprehendatur.

DIONYSIUS CARTHUSIANUS.

Dionyſius Carthuſianus, alio nomine de *Lewis*, item *Richerius* dictus, ob ſingularem ſanctitatem, *Doctor Ecſtaticus* dictus eſt. Scripſit in omnes libros S. Scripturæ; item in IV. libros Magiſtri Sententiarum. Opera ejus in XII. Volumina digeſta ſunt.

NICOLAUS PEROTTUS.

Nicolaus Perottus, qui poſt Epiſcopus Sipontinus creatus eſt, Polybium, aliosque Græcos Autores, Latine vertit. Compoſuit quoque Commentarium in Martialem, quem *Cornu copiæ* appellavit.

PAULUS BURGENSIS.

Paulus Burgenſis, ex Judæo Chriſtianus, & Epiſcopus tandem factus, inter omnes Hiſpaniæ Doctores ſimilem ſuo tempore habuit neminem. Compoſuit Scrutinium S. Scripturæ, & Additiones ad Nicolaum Lyranum.

THOMAS DE KEMPIS.

Thomas de Kempis, Belga, Canonicus, ſcripſit Dialogos, Sermones, & Epiſtolas. Libellus de Imitatione Chriſti vulgo ei tribuitur, quem alii adſcribunt *Johanni Abbati de Gerſen*. Vnde Bernhardus Riſſiniolus: *Johannes Abbas de Geſſen, vel de Gerſen ſcripſit aureum libellum de Contemtu mundi, & Chriſti imitatione, qui inſcribitur, propter nominis ſimilitudinem, Gerſoni: & ab aliis, propter ſtyli & phraſeos formulas, tribuitur Thomæ de Kempis.* In elogio, quod libello de Imitatione præfigitur, legas, hoc opuſculum non tantum Ca-

rolo Boromæo, Roberto Bellarmino, Philippo Nerio, & Ignatio Lojolæ fuiſſe in deliciis, ita, ut nunquam illud e manibus deponerent: ſed, & Regem Mauritaniæ tanti id feciſſe, ut vulgari Turcarum lingua converſum, in Bibliotheca ſua religioſe ſervarit, & omnibus Mahumetanorum libris prætulerit.

LAONICVS CHALCOCONDYLAS.

Laonicus Chalcocondylas Athenienſis, ſcripſit Hiſtoriam Turcicam libris 10. Orditur ab Ottomanno & A. C. 1300, deſinitque in A. 1463. quo Mahometes II. bellum a Matthia Hungariæ Rege & Venetis illatum, propulſavit.

LAVRENTIVS VALLA.

Laurentius Valla, compoſuit VI. libros Elegantiarum, & tres de rebus geſtis Ferdinandi Regis Aragoniæ. Idem Herodotum & Thucydidem Latine tranſtulit. Ipſi quoque liber de falſa donatione Conſtantini tribuitur. Extant præterea ejus Notæ in Novum Teſtamentum. Eo temeritatis progreſſum ajunt, ut profiteretur, *habere ſe etiam in Chriſtum ſpicula.* Roma excedere compulſus, quod liberius in Curiam Romanam inveheretur, Neapolin ſe recepit. Ibi Inquiſitioni ſubjectus, ignis ſupplicium ægre, Alphonſi Regis favore, effugit, ita, ut flagris tamen cæderetur.

PHILIPPVS BEROALDVS.

Philippus Beroaldus Bononienſis, in Suetonium & Apulejum commentatus eſt. Eum Pi-

cus Mirandalanus, *Bibliothecam vivam*, & *ambulans Muſeum* vocabat.

BARTHOLOMÆVS PLATINA.

Bartholomæum (*Baptiſtam* quidam vocant, nam cognomini nudum tantum B. in libris ab eo editis præfigi ſolet, quod diverſi diverſimode interpretantur,) Platinam, *Paulus II.* carceri mancipavit, e quo a *Sixto IV.* liberatus, & Bibliothecæ Vaticanæ præfectus fuit. Scripſit præcipue Vitas Pontificum, a Petro usque ad Paulum II. quod Bergomenſis, *egregium opus, & prope divinum*, vocat. Contendunt quidam Hiſtoriam de Johanne VIII. Papa fœmina, inſititiam & inductam eſſe in illo libro, ac maleferiati cujusdam interpolationem, nec veniſſe Platinæ in mentem, ut tale quid ſcriberet. Sed viſus mihi Florentiæ, in incluta Medicea Bibliotheca, Codex MS. *abſolutus A. 1489. die 16. Septembris, hora diei 22. ruri apud Florentiam*, atque ſic paucis poſt Platinæ obitum, qui A. 1481. peſte vitam finiverat, exaratus, in quo narratio iſta habetur.

JOHANNES REGIOMONTANVS.

Johannes Regiomontanus, celebris Mathematicus, Noribergæ habitavit, ibique XXX. annorum Ephemerides, & Commentarium in Almageſtum compoſuit. Cum Romæ deliberationes agitarentur de emendatione Calendarii, Sixtus IV. eum ad ſe vocavit. Ibi inſidiis filiorum Trapezuntii, cujus errores aliquando notaverat, necatus eſt.

GEORGIVS TRAPEZVNTIVS.

Georgius Trapezuntius, Cretenſis, multa

e Græcis tranſtulit, nec pauca ipſe Latine compoſuit. Scripſit libellum, in quo adſtruebat, Johannem Evangeliſtam non eſſe mortuum. Platoni iniquior erat, Ariſtoteli unice deditus. Ad extremum, omnium literarum eum cepit oblivio.

WERNERVS ROLEVINCK.

Wernerus Rolevinck, Monachus Weſtphalus, reliquit librum de Origine Friſonum; item Calendarium, & Martyrologium, nec non Faſciculum temporum, ſive Hiſtoriam ab origine mundi, ad ſua usque tempora. In hoc Romanos Pontifices graviter interdum perſtringit.

M. ANTONIVS SABELLICVS.

M. Antonius Sabellicus, ſcripſit 11. libros Enneadum; 10. libros Exemplorum; 3. libros de Situ Venetiarum, & alia multa, unde Opera ejus 4. Tomos implent. Jovius autor eſt, ipſum ſeptuagenarium e lue Venerea deceſſiſſe.

JOH. PICVS MIRANDVLANVS.

Joh. Picus Mirandulæ Comes, & Concordiæ Dominus, a Conſtantino M. Imperatore originem duxiſſe dicitur. Vir fuit ingenii pæne prodigioſi, & omni artium, ſcientiarum, ac literarum varietate, ad miraculum exculti, unde *Phœnix*, &, *Monſtrum ſine vitio*, dictus eſt. Anno ætatis 24. affixit Romæ theſes 900. Dialectico-Theologico-Mathematico-Magico-Cabaliſtico-Phyſicas; atque omnium gentium eruditos ad ſecum disputandum invitavit, ſumtus itineris ſe ſuppeditaturum pollicens. Ex illis theſibus, *Inno-*

centius VIII. tredecim rejecit, quas ille edita Apologia defendit. Refert ipſe, unum ex Cenſoribus interrogatum, quid Cabala eſſet? reſpondiſſe, hæreticum eſſe peſſimum, qui ſcripſerit contra Jeſum Chriſtum. Opera Pici edidit Nepos ejus, Heptapli titulo. Scripſerat Picus contra Aſtrologiam judiciariam, ſed *Lucius Bellantius* Senenſis, monuit, ſuo exemplo probaturum illum, non vanam eſſe hanc artem, e cujus regulis mortem ei inſtantem prænunciet. Ajunt Picum brevi poſt diem obiiſſe, annos tantum 33. natum.

Pomponivs Lætvs.

Pomponius Lætus, Principis Salernitani filius nothus, alias *Petrus Calaber* dictus erat, ſed, cum ejus palato nihil præter antiquitatem dulce eſſet, ac Chriſtianum nomen contemneret, *Junius Pomponius Lætus*, & fortaſſe (ſi ejus ſunt illi, qui ipſi accepti feruntur, in Maronem Commentarii) *Pomponius Sabinus* etiam, nominari maluit. Confecit librum de Mahomete; Epitomen vitæ Cæſarum, a morte Gordiani, usque ad Juſtinum III. & libellum de Magiſtratibus Romanis. Romæ, tanto concurſu docuit, ut ante auroram profitentem, juventus a media ſtatim nocte occupandis ſubſelliis præveniret. Obiit ſeptuagenarius, in extrema paupertate.

Hermolavs Barbarvs.

Hermolaus Barbarus Venetus, in Plinium commentatus eſt, Themiſtium, Ariſtotelis Interpretem, Latine vertit. Romam miſſus a Republica Veneta, ab *Innocentio VIII.* Papa, Aquilejenſis Patri-

Patriarcha factus eſt, quod, cum Senatus neutiquam probaret, præ dolore, & ille, & pater ejus extincti fuere. Colloquium cum Dæmone nactus, nihil aliud ex eo quæſivit, quam quid ſit Ἐντελέχεια.

RVDOLPHVS AGRICOLA.

Rudolphus Agricola, prope Groningam in Friſia natus, Imperatori *Maximiliano I.* charus fuit, Philoſophiæ, Theologiæ, Antiquitatis, Poëſeos, Muſicæ, Graphices, aliarumque artium peritia, a puero valde inclaruit, & Heidelbergæ Philoſophiam docuit. Compoſuit Epitomen Hiſtoriæ, in gratiam *Philippi Electoris Palatini*, & alia, quorum Catalogum recenſet Trithemius. Opera, in 2. Tomos digeſta, Coloniæ prodierunt.

MARSILIVS AB INGEN.

Marſilius ab Ingen, Academiæ Heidelbergenſis primo Rectoratu functus eſt, & ſcripſit in 4. libros Sententiarum.

JOHANNES NAVCLERVS.

Johannes Nauclerus, alias *Vergenhans*, (erat enim filius *Johannis Verge, Nautæ*,) Præpoſitus Tubingenſis, primus Rector fuit Academiæ Tubingenſis. Compoſuit Chronicon in 2. Volumina diſtinctum: quorum prius 63. Generationes Veteris, poſterius, totidem Novi Teſtamenti continet, & pertingit usque ad A. 1500. id Nicolaus Baſelius & Surius continuarunt,

GABRIEL BIEL.

Gabriel Biel, *Spirenſis*, celebris Scholaſticus, Theologiam Tubingæ docuit. Comentatus eſt

in Magiſtrum Sententiarum, ſcripſit etiam de Monetis.

JOH. BAPTISTA MANTVANVS.

Johannem Baptiſtam Mantuanum, Carmelitam, Jovius ex damnato concubitu genitum affirmat. Compoſuit 12. libros Faſtorum; Bucolicon contra Poëtas impudice ſcribentes; Epigrammata, & alia: nam Opera 4. Tomis Antverpiæ excuſa prodierunt.

JASON MAYNVS.

Jaſon Maynus, Mediolanenſis, JCtus, *in totum Jus Civile commentatus eſt*. Jovius memorat, eum omnia ſimul & ſemel decoxiſſe, poſtea tamen reſipuiſſe, tantosque in eruditione progreſſus feciſſe, ut omnes illum adeo celeriter & feliciter profeciſſe mirarentur.

JOH. JOVIANVS PONTANVS.

Johannes Jovianus Pontanus, Vmber, patre in ſeditione populari amiſſo, Neapolin conceſſit, ubi præceptor primum *Alphonſi junioris*, Regis Neapolitani, deinde eidem a ſecretis, & conſiliis fuit. Scripſit Dialogos: libros de Fortitudine, Obedientia, Liberalitate, Prudentia, & Magnanimitate: Hiſtoriam Belli Neapolitani, Carmina, & alia.

HIERONYMVS SAVANAROLA.

Hieronymus Savanarola Ferrariæ A. 1452. natus eſt, Ordini S. Dominici nomen dedit, pietate, eruditione, & eloquio nulli ſecundus. A multis etiam *Propheta* habitus eſt, ea enim, Cominæo teſte, prædixit, de quibus nemo mortalium illum admo-

admonere potuit. Reliquit Commentarium in Septem Pſalmos Pœnitentiales, & Orationis Dominicæ expoſitionem triplicem. Acerrime in *Alexandri VI.* Pontificis vitia & ſpurcitiem invectus eſt. *Carolum VIII.* Galliæ Regem, Dei nomine ad reformandam Eccleſiam incitavit, pœnas graviſſimas, ni id faceret, comminatus. Et vero, Carolo Romam accedente, muri Vrbis, & Arcis Adrianæ, in quam Papa ſe abdiderat, quaſi illum invitantes, ſponte conciderant. Sed is nihil egit, ideoque domum reduci, primo filius ereptus, deinde ipſe, ut Savanarola prædixerat, ſubita morte concidit. Tandem in vincula conjectus Savanarola, & tormentis excruciatus, juſſu Alexandri Papæ, cum ſociis duobus, *Sylveſtro Florentino, & Dominico de Piſis*, Monachis Dominicanis, Florentiæ laqueo ſuffocatus & crematus eſt A. C. 1498. ætatis 46. Johannes Franciſcus Picus Mirandulanus, Johannis Pici nepos, pro Savanarolæ innocentia, libros duos Apologeticos ſcripſit, ad Herculem Eſtenſem.

ALEXANDER AB ALEXANDRO.

Alexander ab Alexandro Neapolitanus, JCtus, ſcripſit Genialium dierum libros 6. quos Gerhardus Johannes Voſſius promtuarium Antiquitatis, veteriſque hiſtoriæ, jure vocavit. Id tamen in iis improbari ſolet, quod eorum, per quos profecit Autor, librorum, nomina reticuit. Sed huic malo medicinam fecit *Tiraquellus* in Notis, digitum ad fontes, unde quæque hauſta ſunt, intendens.

BAPTISTA FVLGOSVS.

Baptiſta Fulgoſus, *Dux Genuenſis*, A. 1483. a Patruo principatu dejectus eſt. Vt ergo exilii ſui dolorum levaret, totum ſe literis tradidit, & ad Filium Petrum libros 9. Factorum & dictorum memorabilium Italice compoſuit, quos poſtea *Camillus Ghilinus* Mediolanenſis, Latinitate donavit.

PHILIPPVS COMINÆVS.

Philippus Comineus, *Argentonii Dominus*, gente Flander, anno ætatis 8. in Aulam *Caroli Audacis*, Burgundiæ Ducis, tranſiit, variisque deinde adhibitus fuit muneribus. Poſt hæc ad *Ludovicum XI.* Galliæ Regem ſe applicuit, a quo magni æſtimatus, & negotiis graviſſimis fuit admotus, cujus Regis etiam Hiſtoriam, Gallico idiomate compoſuit, quæ in plerisque Europæ linguis legitur. Eſt enim egregia, & de ea Lipſius in Notis ad Politicam ſic ſenſit: *Scripſit Hiſtoriam Philippus Comineus, ita laudabiliter, ut nihil verear componere eum cum quovis antiquorum. Incredibile eſt, quam ille omnia videat, penetret, arcana conſiliorum eruat, & ſubinde inſtruat nos ſalutaribus rarisq; præceptis, & id diffuſe, Polybiano quodam exemplo. Quanquam revera Polybium, aut talem aliquem, ille nec vidit; & hoc quoque laudem ejus auget, quod tanta præſtitit, literarum omnium rudis, ſolo uſu rerum peritus, & naturali quadam judicii bonitate.*

ISOTA NOGAROLA.

Viris addimus fœminam virginem, *Iſotam Nogarolam Veronenſem*, quæ humaniorum literarum

rum & Philoſophiæ cognitione homines in ſui admirationem rapiebat. Scripſit Epiſtolas, quarum aliquas ad *Pium II.* Pontificem dedit, qui illi reſpondere dignatus eſt. Compoſuit etiam Dialogum, in quo disputat, uter prius graviusq; peccaverit, Adamne an Eva. Vivendi finem fecit A. 1466.

HÆRETICI.

THABORITÆ.

THaboritas, Prateolus dicit fuiſſe Bohemos, hoc nomine appellatos a loco quodam, quem mœnibus cingentes, nomen Thabor illi indiderint, tanquam cum tribus Apoſtolis Salvatoris Chriſti transfigurationem vidiſſent in monte Thabor, indeque opiniones ſuas mutuati eſſent, quas *fidei veritates* nominarint. Bergomenſis, in Supplemento Chronicarum pag. 346. ait illorum *hæreſin fuiſſe pernicioſiſſimam, imo diabolicam, & conſummatam ſectam,* inſuper *peſtiferam, & abominabilem ultra quam dici poteſt.* Recenſet deinde ipſa doctrinæ illorum capita, & inſtituta quoque, his omnino verbis: *Imprimis Romanam Eccleſiam nolunt habere primatum, aut Sacerdotes quicquam habere proprii. Deinde Imagines Chriſti & Sanctorum ubique delent. 3. Purgatorium nullum affirmant. 4. Nihil Sanctorum preces prodeſſe mortalibus aſſeverant. 5. Feſtum diem præter Dominicum & Paſchalem non agunt. 6. Jejunia omnia ſpernunt. 7. Horas Canonicas derident. 8. Eucharistiam ſanctam ſtatuerunt ſub ſpecie panis & vini omnino fieri debere;*

debere; & eandem & parvulis, & dementibus indifferenter dari debere. 9. Statuerunt, ut Sacramentum conficientes, nihil aliud quam Orationem Dominicam, & verba conſecrationis dicerent. Sed neque veſtimenta ulla mutant, aut ullos paramentorum ornatus aſſumunt. 10. Quod quatuor tantummodo Eccleſiæ Sacramenta, videlicet Baptiſmum, Euchariſtiam, Matrimonium, & Ordinem admittunt: de Pœnitentia vero nihil prorſus ſentire volunt: deque Confirmatione, aut extrema unctione, penitus nihil. 11. Nullam aquam benedicere volunt, affirmantq; Baptiſmum fieri debere ſimplici aqua. 12. Quod Cœmiteria conſecrari omnino (addendum, *non*) *debere dicunt: imo conſecrantes deſpiciunt. 13. Quod ſuorum mortuorum cadavera in campis ſepeliunt: cenſentes, vanum eſſe pro mortuis orare. 14. Monaſteriorum Ordines dicunt fore Diaboli inventiones. 15. Eccleſiarum & Altarium conſecrationes derident, affirmantes, quod in omnibus locis paſſim conficere Euchariſtiam poſſit* (legendum *poſſint.*) *16. Quod nolunt eorum Sacerdotes coronam portare debere, ſed ſolum barbam nutrire, nihilque eis in altari offerunt. 17. Quod Decimas omnino damnant, ſuis tamen Sacerdotibus provident de frumento, cerevifia, lardo, leguminibus, lignis, & omni ſupellectili. Addunt quoque ipſis Sacerdotibus, in ſingulis menſibus, ut unusquisque* (fortaſſe, *unum quod*;) *caput ſexagenam ſolvat. Nulla major his Hæreticis cura eſt, quam ſermonis Dei audiendi, &, ſi quis negligens eſt ad audiendum ſermonem, ex ſtatuto eum virgis cædunt. Cumque in Praga civitate permanere dubitarent, oppidum quoddam pugnaciſſimum, non longe ab ipſa urbe ſibi conſtruxerunt; in quo inter cætera*

tera ligneam domum exſtruxerunt, quam templum ſuum appellarunt, in quo prædicare populo juſſerunt, ac Legem omnibus diebus exponi; ubi etiam altare unicum conſtruxerunt, non tamen conſecratum, aut conſecrandum, ex quo Sacramentum plebibus exhibent. Addit deinde idem Autor, quod *Nicolaus V.* Pontifex, rogatus a *Friderico III.* Imperatore ad Thaboritas Legatum miſerit *Æneam Sylvium*; hunc vero ab iis exeuntem, affirmaſſe, *ſe ex inferno inferiori omnino exiſſe.* At at, uti verum hercle hoc verbum eſt, quod vulgo dici ſolet, multos pro Sanctis coli in terris, qui æternum damnati cruciantur apud inferos; ſic pariter dubitari nequit, multos tanquam hæreticos traduci in terris, qui beatam agunt vitam inter cœlites, Deiq; fruuntur aſpectu.

HERMANNVS RISSVICH.

Hermannus Riſvich, Batavus, dicebat Angelos, ſive Boni, ſive Mali ii ſint, minime a Deo creatos eſſe, quod contrarium Scriptura nusquam aſſerat. De Chriſto etiam male ſentiebat.

MEMORABILIA.

JOHANNES HVSS, Bohemus, a patrio pago ſic dictus, vir acutiſſimi ingenii, & eloquentiæ inſignis, a ſtudioſo quodam populari ſuo, qui Oxoniæ in Anglia literis operam dederat, *Wiclefi* dogmata addidicit, eaque amplexus eſt, & poſtea ad munus Eccleſiaſticum vocatus, Pragæ, in templo cui Betlehem nomen, pro ſuggeſtu propoſuit, multos Nobilium ac Studioſorum, ex plebe

plebe innumeros, in ſuam pertrahens ſententiam. Dogmatum novitas, cum omnium ſermone percrebuiſſet, Aulæ Romanæ, & huic addictorũ, odium ac indignationem provocavit Huſſus. Cogebatur tum, hoc eſt, A. C. 1414. ab Imperatore Sigismundo, & Papa Johanne XXIV. Concilium, Conſtantiæ habendum: ad id vocatus etiam Huſſus eſt, ut fidei ſuæ rationem redderet, atque accuſationes dilueret: cui in eam rem Cæſar literas ſalvi conductus ampliſſima forma impertitus eſt. Huſſus, cum ſecum conſtituiſſet, citationi morem gerere, exhortatione, in Bohemica, Latina, & Germanica linguis, valvis Templorum, & Cœnobiorum Pragenſium affixa, rogat omnes adverſarios, ut in Concilio compareant. Committit ſe deinde itineri, ac Nobilibus, Civibusque Pragenſibus, magno numero comitatus, Conſtantiam venit, die 3. Novembris, apud viduam cujusdam piſtoris divertens. Sed mox in fœdum carcerem abjectus eſt, fruſtra ſe opponente Nobilitate Bohemica & Polonica, quibus reſponſum, *Hereticis non eſſe ſervandam fidem*. Poſt hæc, anathema primum dictum Wiclefi doctrinæ, memoria damnata, & decretum factum, de eruendis e ſepulchro oſſibus ejus, atque cremandis. Dein Huſſi dogmata publice prælecta fuere, & improbata. Cum autem is a ſententia diſcedere nollet, a Concilio damnatus eſt, & capitali ſupplicio addictus. Ducitur ergo in tabulatum, quod erectum erat in templo majore Conſtantienſi; induitur veſtitu ſacro, qui Miſſam celebrantium eſſe ſolet, & 7. Epiſcopis degradandus committi-

mittitur. Ex his unus ei e manibus calicem rapiebat, reliqui Sacerdotali ornatu illum exuebant,&, cultro, verticem, ac manuum volas illius radebant ad ſanguinem. Traditur deinde Magiſtratui Politico, jubeturque vivus cremari. Deductus eſt A. 1415. die 6. Julii, ſive Sabbatho quod Dominicam VI. Trinitatis præcedebat, ad rogum, capite geſtans coronam, Diabolorum figuris, & voce HÆRESIARCHA notatam, ac vivicomburium ſubiit conſtantiſſime. *Fertur*, ceu eſt in Carionis Chronico p.841. *ante mortem, ceu præſagiens vatidico ſpiritu ſequuturam inclinationem regni Pontificii, dixiſſe, naſciturum eſſe ex ſuis cineribus Olorem, quem non ita exuſturi ſint, ſicut Anſerem torrerent. Significat autem Boëmica lingua Huſſus anſerem. Sunt & hæ ex eo auditæ voces*: Poſt annos centum vos Deo & mihi reſpondebitis: *quæ verba Boëmi, in ambitu Monetæ cujusdam, ſignatæ imagine Huſſi, expreſſerunt. Vaticinii fidem comprobavit eventus. Interceſſerunt enim inter finem Synodi Conſtantienſis, & initia disputationum Martini Lutheri, anni centum.*

Anno ſequenti 1416. die 30. Maji, ſive Sabbatho poſt feſtum Aſcenſionis, crematus quoque fuit HIERONYMVS PRAGENSIS, Johannis Huſſi diſcipulus, & dogmatum illius adſtipulator, qui ipſe quoque doctrina & eloquio pollebat, ac cum Magiſtro Conſtantiam venerat. De hoc, & Johanne Huſſo junctim, apud Æneam Sylvium legitur: *Pertulerunt ambo conſtanti animo necem, & quaſi ad epulas invitati, ad incendium properarunt: nullam emittentes vocem, quæ miſeri animi in-*

mi indicium facere poſſet. Vbi ardere cœperunt, hymnum cecinere: Ave vivens hoſtia, veritas & vita; *quem vix flamma & fragor intercipere potuit.* De Hieronymo vero Pragenſi ſolo, Poggius Florentinus Leonardo Aretino ſuo, per epiſtolam ſcripſit: *Hieronymus Pragenſis per Concilium hæreſis damnatus eſt, & igni combuſtus. Jucunda fronte, & alacri vultu ad exitum ſuum acceſſit: non ignem expavit, non tormenti genus, non mortis. Nullus unquam Stoicorum fuit tam conſtanti animo, tam forti mortem perpeſſus, quam iſte appetiiſſe videtur. Cum veniſſet ad locum mortis, ſeipſum exuit veſtimentis. Tum procumbens, flexis genibus veneratus eſt palum, ad quem ligatus fuit. Primum funibus madentibus, tum catena, nudus ad palum conſtrictus fuit: ligna deinde circumpoſita, pectus tenus, non minuſcula, ſed groſſa, paleis interjectis. Flamma adhibita, canere cœpit Hymnum quendam, quem fumus & ignis interrupit. Hoc maximum conſtantis animi ſignum: cum lictor ignem poſt tergum, (ne id videret,) injicere vellet:* Huc, *inquit*, accede, & in conſpectu accende ignem. Si enim illum timuiſſem, nunquam ad hunc locum, (quem fugiendi facultas erat,) acceſſiſſem. *Hoc modo vir (præter fidem) egregius conſumtus eſt. Vidi hunc exitum, ſingulos actus perſpexi.* Camerarius, & alii obſervant, Martyrum illorum innocentiam Deum miraculo dignari. In eo enim loco ubi fuere exuſti, circum luxuriante prato, nullum gramen ſuccreſcere, omni artificio & induſtria incolarum, hactenus incaſſum laborante.

Cum

Cum Bohemorum nacio indigniſſime ferret, ea, quæ in Johannem Huſſum & Hieronymum Pragenſem in Concilio Conſtantienſi fuerant ſtatuta, inde tumultuari & fremere cœperunt, omnes quoque ſibi metuere. Et vero, quod eſt apud Anonymum perſecutionum Eccleſiæ Bohemicæ Scriptorem, non exſaturati hoſtes duorum ſanguine, mox de tota gente tollenda, ſanguinolenta agitabant conſilia. Cumque primarii Bohemiæ Proceres, numero 58. totius Communitatis nomine, literas ſuis ſubſcriptas manibus, & firmatas ſigillis A. 1416. die 2. Septembris ad Concilium dediſſent, querentes & expoſtulantes, *paſtorem ſuum, virum innocentem, pium, ſanctum, fidelemq; veritatis doctorem*, injuſte condemnatum eſſe, Synodus nihil iis reſpondit, ſicut nec Moraviæ Proceribus, peculiaribus literis ſimilia queſtis. Promulgabant etiam Clerici & Monachi quotidie e cathedris Eccleſiaſticis in Huſſitas excommunicationes, eosque diris devovebant, fictis miraculis exſecrationibus ſuis autoritatem conciliare laborantes. Inter alia oblinebant luto cereorum ellychnia media ſui parte, cumque flamma, eousque ceram depaſcens, luti humiditate extingueretur, clamitabant in mediis devotionibus: *Ecce vobis, portento quoque confirmat Deus, teterrimos illos hæreticos indignos eſſe, qui vitali luce fruantur.* Addita quoq; vis fuit, ſacri conventus Huſſitarum turbati, Eccleſiæ iis ereptæ. Ergo hi undique concurrunt, vim vi propulſaturi. Atq; ſic Cœnobia & Templa ab iis comburuntur, Monachis, Sacerdotibus,

& Sanctimonialibus in ignem conjectis. Vici, Caſtella, Vrbes, expugnabantur & diripiebantur. Exinde ortum BOHEMICVM ſive HVSSITICVM BELLVM adverſus *Sigismundum Cæſarem*, eundemque Bohemiæ Regem. Belli hujus, ex parte Huſſitarum, Dux fuit *Johannes de Torſenau*, nobili proſapia ortus, vulgo, quod altero oculo male uteretur, *Zisca*, ſive luſcus dictus, vir ſtrenuus, & rei militaris peritus. Amiſit deinde in obſidione *Rabi*, ſagitta ictus, alterum quoque oculum in prælio, nihil tamen de animi fortitudine remiſit, ſed, vel cæcus, omne munus ſtrenui bellatoris peregit. Quin &, ut mortuus hoſtibus eſſet formidabilis, cutem ſuam tympano obducere præcepit, ut ejus ſtrepitu audito, illi aufugerent. Condidit urbem *Thabor*, eamque communivit, ut ſuis receptui eſſet. Hinc ejus ſequaces *Thaboritæ* dicti ſunt. Summa in expeditionibus ſuis uſus eſt felicitate, & aliquot ingentes exercitus, a Sigismundo eductos, exigua manu fudit ac fugavit, unde de bellis Huſſiticis ſcripſit Æneas Sylvius, *plus admirationis quam fidei habitura apud poſteros*. Henrici Landshutenſis, qui illis interfuit, apud Andream Reginoburgenſem, verba ſunt; *Quinquies Bojemiam intravimus: quinquies, copiis, impedimentis, tormentis, carris, machinis, armis, annona, commeatu, ſupellectile, inſtrumentis bellicis, calonibus amiſſis, plerisq; occiſis, multis in fuga obtritis, necdum viſo hoſte, turpiter terga, neſcio quo fato iniquo, vertimus.* Memorabile eſt *ſtrategema*, quo Zisca in magno periculo conſtitutus, uſus fuit. Dimicandum ei erat cum equi-

equitibus, cui pedeſtres tantum copiæ. Allicit igitur hoſtem in loca aſpera, ubi nonniſi pedeſtre prælium poterat iniri. Quamobrem de equis deſiliendum fuit hoſti. Jubet proinde Ziſca mulieres, quæ exercitum ſequebantur, pepla ſua in locum hoſtium projicere, quibus hi per calcaria impliciti, cum ſe extricare non poſſent, ad internecionem fuere deleti. Poſt multa egregia facinora, & in undecim præliis victor, tandem peſte extinctus eſt Ziſca, A.C. 1424. &, quod ait Æneas Sylvius, *Dux invictus, peſte victus eſt.* Huſſitarum rebus circiter quinquennium præfuerat. Sepulchrum ſupereſt in *Zaſchla.* Mortuo Ziſca, Huſſitæ novum Ducem *Procopium Holy* ſibi adſciſcunt, qui ſimiliter multa proſpere geſſit, in Miſniam, Voitlandiam, Franconiam, ipſumq; Marchionatum Brandenburgicum, cum infeſtis copiis irrumpens, & ferro ac igni longe lateque vaſtitatem inducens. Nec profuit *Juliani Cardinalis*, quem *Martinus Papa* in Germaniam miſerat, ut crucem adverſus Huſſitas prædicaret, opera. Tandem Huſſitarum cauſa in *Baſileenſi Concilio*, ad quod citati, 300. numero, quos inter præcipue *Johannes Rockezana* Theologus, Huſſi diſcipulus, comparuerant, agitata fuit, &, poſt longam diſceptationem, Sacræ Cœnæ integræ uſus iis conceſſus, additaque eſt declaratio; neminem Fidelium, ex inſtitutione Chriſti, ad communionem ſub utraque obligari. Sic ergo mitiores Huſſitæ facti ſunt. Natæ deinde inter ipſos diſcordiæ, Nobilibus & plebe ſeſe ab invicem ſegregantibus; hinc factum, ut

utrique vires amitterent, atque ſic ad obſequium Sigismundi redirent, quod contigit anno 1435. circiter. Diviſa tamen in tres Sectas manſit Bohemia, quarum una Romanæ Eccleſiæ dogmata profitebatur: *altera*, Eccleſiam illam penitus averſabatur, cujus aſſeclæ *Thaboritæ, Orphani*, & *Orebitæ* vocabantur: *tertia*, ſola Communione ſub utraque a Romana Eccleſia diſtabat, atque huic addicti, *Calixtini*, & *Status ſub utraque* audiebant.

Eugenii Pontificis artibus, ad Baſileenſe Concilium diſturbandum e Gallia venerat LUDOVICUS DELPHINUS, Caroli VII. Regis filius, cum inſtructo exercitu. Vocabantur hæ copiæ *Armeniacæ*, a Comite Armeniaco, illarum Ductore, & numerum trigintamillium exſuperabant. Ex Alſatiam crudeliter vaſtantes, ne a templis quidem abſtinebant. Dein propius Baſilēam accedentes, cum ab *Helvetiorum*, qui defenſionem *Felicis* Papæ, Concilique, ac ſociæ civitatis receperant, exiguis copiis cæderentur, ægre tertia pars in Galliam evaſit. Ajunt, in prælio mille ſexcentos Helvetiorum, in confertum agmen hoſtium ſe intuliſſe, qui, etſi ad unum cæſi ſunt omnes, ordines tamen turbarunt, & victi, cæteris victoriæ cauſa fuere.

A. 1428. JOHANNIS WICLEFI cadaver, in Anglia, anno ab ejus morte 41. juſſu Pontificis Romani effoditur, & publice crematur.

FRIDERICUS BURGGRAFIUS NORIBERGENSIS, Marchiam Brandenburgenſem, cum Electorali dignitate, emit a *Sigismundo* Imp.

Imp. 400000. aureis. Eam ſummam, ut repræſentare poſſet, *Burggrafiatum* Senatui Noribergenſi vendidit, paucis juribus ſibi reſervatis.

Sigismundus Imp. in Concilio Conſtantienſi, ADOLPHVM CLIVENSEM, & AMADEVM Sabaudiæ Comitem, in ordinem Ducum, ſolemni ritu evehit, & Galleacio Vice-Comiti Mediolanenſi Inſignia Ducatus Mediolanenſis confert.

Idem Sigismundus, Electoratum Saxoniæ, A. 1423. transfert in FRIDERICVM BELLICOSVM, Marchionem Misniæ, & Landgrafium Thuringiæ, pro navata, & adhuc præſtanda opera, in bellis Bohemicis. Friderici nepotes, *Erneſtus*, atque *Albertus*, ita ditiones diviſerunt, ut Erneſtus Electoratum cum Saxonia & Thuringia, Albertus Miſniam obtineret.

Eodem hoc anno, HENRICVS, Luſitaniæ Regis filius, monitus a quibusdam Aſtronomis, Inſulas aliquas in Oceani vaſtitate procul dubio ſitas eſſe, mittit claſſem tentatum, ſi quod operæ pretium facere poſſet, eamque inter Olyſiponam ac Inſulas Fortunatas pergere juſſit, quæ invenit Inſulam anguſtam quidem, ſed fertilem, cui *Madera* nomen factum. Ab hoc principio, extima Africæ loca legi cœperunt, & tandem ad Sinas perventum.

IN GALLIA, *Carolo VI.* patri, ſucceſſerat filius CAROLVS VII. qui Regnum turbulentum, & undique a peregrinis occupatum invenit. *Angli* quoque, Betfortio Duce annitente, Parlamentum Lutetiæ convocaverant, & *Henricum VI.* Regem ſuum, Galliæ etiam Regem declarantes,

eum inauguraverunt ſolemni ceremonio. Quoniam igitur Carolo fere nihil præter *Bituricenſem* provinciam ſupererat, per contemtum *Roy de Bourges*, *Rex Biturigis* dicebatur. Sed hunc tandem Deus & fortuna reſpexit, ita, ut Anglos, ſolo *Caleto* excepto, cætera ex univerſo Regno expulerit, *Victorioſi* cognomine ideo mactatus. Operam ei præcipue navavit *Johanna de Arc*, puella ruſtica e Lotharingia in agro Tullenſi, *Puellæ Aurelianenſis* nomine clara. Ea palam ad Regem venit, quem nunquam prius viſum, & in turba latitantem, agnovit, aſſeruitque divinitus ſe miſſam, pellendis e Gallia Anglis. Ergo accepto a Rege exercitu, in clauſum obſidione jam ſeptimum menſem Aurelianum, auxilia, commeatusque intulit, crebrisq; eruptionibus hoſtes A. 1429. retro re infecta cedere coëgit. Poſt hæc *Talbotum* Anglorum Ducem, acie vicit, Campaniam recuperavit, Remis Carolum coronari curavit, victricibus armis longe lateque circumlatis. Dum vero *Compendio*, quam urbem *Philippus Burgundus* obſederat, ſæpius erumpit, capta, & Anglis a *Johanne Luxenburgio* vendita fuit. Hanc ceu eſt apud Petavium in Rationarii temporum l. 9. p. 493. *poſt longam de ea quæſtionem habitam*, *Petrus Cauchonius Bellovacenſis Epiſcopus damnavit.* Quamobrem A. 1430. publice in foro Rothomagenſi, tanquam *venefica*, *seductrix*. *hæretica & infamis*, eſt combuſta. Sunt, qui ſcribant, cum illa animam exhalaret, ex ejus pyra evolaſſe columbam candidam, ad cœlum vectam alarum remigio, & carnifice, combuſtæ cineres, ut in amnem

ſpar-

ſpargerentur, colligente, cor repertum fuiſſe illæſum.

ORDO AVREI VELLERIS, *a Philippo Bono*, Duce Burgundiæ, Caroli Audacis patre, in nuptiis, A. 1429. die 10. Januarii cum *Iſabella*, Johannis I. Luſitaniæ Regis filia celebratis, fuit inſtitutus. Geſtant Equites| Catenam| auream, cujus articuli repræſentant ferrum quale ad ignem eliciendum adhibetur, forma ſecundæ Alphabeti literæ, ut Burgundicæ domus fiat ſignificatio. Adduntur inſuper lapides e quibus flamma promicat. Harum rerum ſymbolum: *Ante ferit, quam flamma micat.* E torque pendulæ ſunt exuviæ Agni, quarum ſymbolum: *Pretium non vile laborum.* Opinantur quidam, Philippum hoc vellere voluiſſe innuere, ſoli ſui fœcunditatem exſuperare præſtantia Jaſonis vellus aureum, atque literas vocis JASON interpretantur menſes, quibus proventuum, qui ad hominis utilitatem pertinent, fit collectio. Ii ſunt: *Julius, Auguſtus, September, October, November.*

COSMVS MEDICEVS, Florentiæ, divitiis & gratia plebis florens, ideoque Nobilitati inviſus, hujusq; factione in exilium actus, A. 1434. revocatus a plebe, omnia deinde pro arbitrio moderatur, & fundamenta jacit Mediceæ potentiæ.

ERNESTVS, Dux Bavariæ A. 1436. *formoſiſſimam juvenculam Auguſtanam*, quod a filio ſuo nimium diligeretur, & conjugis loco haberetur, jubet de ponte Straubingenſi in Danubium præcipitari, & ſuffocari. Ingens hinc diſſenſio inter

patrem & filium, quæ ſedari non potuit, quoad pater Sacellum ad tumulum extinctæ puellæ conderet, & quotidie Miſſam pro illa canere juberet.

Anno 1449. exortum eſt bellum, inter ALBERTUM, Marchionem Brandenburgicum, cognomine Achillem, & NORIBERGENSES. Cauſa fuit, jus quoddam, quod Marchio ſibi a Noribergenſibus præripi, quanquam injuria, querebatur. Albertus, ſocios & adjutores habebat XVII. Germaniæ Principes. Noribergenſibus, Imperii validæ aliquot Civitates opem ferebant. Certatum eſt biennio præliis IX. damni utrinq; plurimum & datum & acceptum: exuſti agri, everſæ villæ, cæſi agricolæ, abacta pectora, tantisper, donec exhauſta utraque parte, egeſtas pacem extorſit, ut ſcribit Æneas Sylvius.

TYPOGRAPHIÆ divinam artem, & quam cum omnibus Veterum inventis facile certare poſſe, recte Bodinus in Meth. Hiſtor. c. 7. cenſet, ante medium hujus Seculi excogitatam eſſe, omnes conſentiunt, ſed cui genti & loco ea gloria debeatur, acris controverſia eſt. Hadrianus Junius, pro *Harlemenſibus* Batavis pugnat, apud quos *Laurentius Johannes*, cognomento *Æditus Cuſtosq;*, communiter *Coſterus*, A. 1428. faginos cortices in literarum typos primo conformare inſtituerit. Plurimi pro Germanis ſuperioribus ſtant, ita tamen, ut deinde rurſus in contrarias abeant ſententias, & pars *Moguntiæ*, pars *Argentorati*, primum libros excuſos fuiſſe contendat. Poſteriores, viciſſe mihi videntur, ſi

verus

verus & genuinus eſt locus Chronici Argentoratenſis MS. ad quem provocant: A. C. 1440. *præclara & humano generi utiliſſima Ars Typographica primum in lucem, idq; Argentorati prodiit, autore Johanne Mentelio. Cui cum famulus eſſet Johannes Gansfleiſch, Moguntia oriundus, ejus conſcientiæ ac fidei negotium hoc credidit. Sed hic in herum perfidus Johanni Gutembergio, homini nobili, ac opulento, cuique jam aliquid de Mentelii invento ſuboluerat, totam rem palam fecit, atque pacto cum eo inito, quod Argentorati ſcopum ſe aſſecuturos deſperarent, Moguntiam inde ſe recepere, multum lucri e compendioſa hac arte ſibi polliciti.* Afferunt inſuper aliud teſtimonium, ex Danielis Speclini Chronico, itidem MS. quo is commemorat, ſuperfuiſſe adhuc ſua ætate Johannis Mentelii inſtrumenta, quibus iſte ad imprimendum uſus fuerat; *literarum, nempe typos ex ligno, ut & integrarum ſyllabarum ac vocum, cum foraminibus ad latera, per quæ, filo trajecto, arcte conjungerentur; prælum itidem e ligno, ei ſimile, quo uvæ exprimuntur.* Quicquid tandem ſit de loco ubi Typographia primum inventa, jure tamen gloriamur Germani, Julii Cæſaris Scaligeri in Exerc. 99. verbis: *Bombarda Jovis iram imitati, Horologiis temporum comites genuimus rotarum circumactiones; tempus ipſum librorum perpetuitate ſuperavimus.*

Circa medium hujus Seculi, Veneti Inſulam CYPRVM in provinciam redegerunt, hac omnino occaſione. *Johannes Luſignanus*, Rex Cypri, ex pellice ſuſceperat filium nothum *Jacobum*, deſignatum deinde Nicoſiæ Archiepiſcopum, ex

 legiti-

legitima Conjuge, Helena Palæologa, filiam *Carolottam*, qui maritum quæſivit *Ludovicum Sabaudum*, Ludovici filium, Amadei VII. qui Pontificatui Eccleſiæ Romanæ aliquandiu, ſub Felicis V. nomine, præfuit, nepotem, promiſſo Regno dotis loco. Poſt mortem Johannis ſoceri, cum Ludovicus in Regnum evocatus cunctaretur, Regnum præripit Jacobus filius nothus, & auxiliis Ægyptiis inſtructus, Ludovicum ab eo excludit. Vt autem tutior eſſet, Venetorum ſocietate ſe munit, in uxorem petendo *Catharinam*, Marci Cornari Senatoris filiam, quam Senatus, per *Nicolaum Marcellum*, ejus temporis Principem, prius adoptatam, ei collocavit. Sed Jacobus non diu ſuperſtes, fœtam Conjugem cum poſthuma prole heredem ſupremis tabulis relinquit, atque Veneti Senatus tutelæ & patrocinio committit. Regina enixa filium, qui haud diu ſuperfuit, patriam repetit. Venetias ſubeunti totus Senatus fit obvius, qui nihil in ea colenda omiſit. Moritura, Senatui Cypri Regnum teſtamento aſſignat, cui etiam adoptionis inſuper jure debebatur.

A. 1450. CHRISTIANVS OLDENBVRGICVS COMES, Rex Daniæ Norwegiæque conſtituitur.

Circa idem tempus FRANCISCVS SFORTIA, ex *Attendula* familia, ignobili quidem, ſed honeſta, natus, mortuo ſocero *Philippo Maria* Mediolani Duce, cujus filiam unicam *Blancam* habebat in conjugio, cum heres maſculus deeſſet, vi Principatum occupat, *Mediolanum* fame expugnans.

A. 4151.

A. 1451. JOHANNES CAPISTRANVS, Monachus Franciſcanus, a Pontifice in Germaniam miſſus, paſſim concionari cœpit, acriter in quælibet vitia, maxime vero luxum invehens. Tanta vero illi vis fuit ad hominum animos percellendos, ut hi teſſeras, chartas luſorias, trahas, & inſtrumenta luxuriæ cætera, certatim in foris congererent, & cremarent.

CONRADVS KAVFFVNGEN, Nobilis, cum *Friderico II.* Electori Saxoniæ, cognomento *Placido*, Friderici Bellicoſi filio, in bello Thuringico militaſſet, nec captus ab eo redemtus eſſet, quod tamen *Nicolao Pflugio* præſtiterat, coactus 4000. florenorum lytrum perſolvere, eam pecuniam ab Electore repoſcebat minis etiam. Id indigne ferens Elector, tota illum ditione ejiciebat. Conradus ultionem meditans, A. 1455. intempeſta nocte, quæ diem 8. Julii præcedebat, *Wilhelmo a Moſen*, & *Wilhelmo a Schönfels* comitatus, in *Altenburgenſem Arcem*, ſcalis nexilibus, adjuvante Coquo *Conrado Schwalb*, aſcendit, dum Fridericus Elector Lipſiæ eſt, & Aulici plerique in urbe epulabantur, ambosque Electoris filios, *Erneſtum*, & *Albertum* abducit. Sed Albertus eodem die recipitur, nec multo poſt etiam frater Erneſtus. Coquus in quatuor partes diſſectus eſt, Kauffungus ſupplicium capite luit.

Pius II. Pontifex Germaniam turbat. DIETHERRVS ISENBVRGIVS, Archiep. Moguntinus oppoſuerat ſe iniquis Pontificum exactionibus, quibus, prætextu Turcici belli, provinciæ Germaniæ expilabantur, imprimis vero Pio Papæ, flagitan-

gitanti, ut juramento ſe obſtringeret, neque ſe, neque Succeſſores ſuos, Electorale Collegium ſine Papæ præſcitu impoſterum convocaturos, morem gerere recuſabat. Hinc Papa commotus, privata *Friderici Imperatoris*, cujus Magiſter epiſtolarum fuerat, fretus benevolentia, Iſenburgium Archiepiſcopum dejicit, *Adolphum Naſſovium*, in ejus locum ſurrogans. Vterque adjutores & patronos invenit ſatis potentes. *Iſenburgium*, in cauſa juſta & æqua tuebatur *Fridericus I.* Palatinus, cui *Victorioſi* nomen inditum, nihil formidans Pontificis anathema, & excluſionem e fidelium cœtu. Atque Fridericus, utut viribus longe inferior, hoſtes A. 1462. proſtravit, & Principes tres, *Georgium Epiſcopum Metenſem, Carolum Badenſem Marchionem*, & *Vlricum Comitem Würtenbergicum*, captivos in Arcem Heidelbergenſem ſecum abduxit. Ferunt Fridericum, in prima cœna, cæteroqui opipare apparata, captivis panem apponere vetuiſſe. Cum vero illi de ejus defectu quererentur, reſpondiſſe, non ſervaſſe ipſos jura belli, nec pepercisse iis, quæ mos gentium violare prohiberet: ut, qui ſegetes, vel temere conculcatas corrupiſſent, vel incenſas exuſſiſſent. Jure igitur panem iis ſubtrahi, qui nec materiam panum, nec his parandis, atque conficiendis exſtructas machinas, ſupereſſe ſiviſſent. Dimiſſi tandem Principes poſt 11. menſium captivitatem, gravi lytro perſoluto.

A. 1471. FERDINANDVS V. Aragonius, accepta in uxorem ISABELLA Johannis II. Caſtellæ Legionisque Regis filia, & Henrici IV. ſo-

rore

rore, eorumque ſine liberis defunctorum herede unica, Aragoniæ, & Caſtellæ, Legionisque Regna, jungit feliciter.

A. 1472. conjuratio ingens adverſus MEDICEOS excitata, cujus ipſe Papa *Sixtus IV.* quoque conſcius fuit. *Julianus Mediceus* cæſus eſt, frater vero *Laurentius* elapſus, juſſit conjuratos, inter quos & ipſe Archiepiſcopus erat, & alii viri principes, captos, e feneſtris ſuſpendere. Ob horum cædem, Papa Mediceos excommunicavit, & poſtea ipſis diuturnum bellum intulit, quod discuſſum tandem eſt, cum Muhammedes Hydruntum in Italia caperet.

CAROLVS BVRGVNDVS, *Pugnax* cognomine, A. 1476. in Helvetios movet, ut continuum dominium haberet in Italiam usque, & *Granſonium* expugnat, ubi in 500. Helvetios captos, ſuſpendio animadvertit. Mox, ibidem victus, impedimenta omnia amiſit, cum pretioſa ſupellectile, & theſauris, in quibus erant decies centena millia aureorum. Helvetii, ignari quantas opes & divitias conſecuti eſſent, pecuniam repletis galeis dividebant. Tabernaculum quoddam Caroli longe pulcherrimum, in multa fruſtra diſcindebant; patinas argenteas nonnulli, cum ſtanneas eſſe putarent, viliſſimo pretio vendebant; Adamantem item Caroli, toto orbe celeberrimum, cui erant appenſi aliquot uniones, quidam ubi reperiſſet, in pyxidem reponens, mox ſub currum abjiciebat; paulo poſt reverſus recipiebat, & ſacrifico cuidam vendebat aureo numo; isque deinde a ſui oppidi Magiſtratu, cui

miſe-

miſerat, accipiebat aureos duos. Dehinc, paucis menſibus interpoſitis, iterum vincitur Carolus ad *Moratum*, & anno vertente ad *Nancejum*, in quo prælio ipſe periit, & cadaver ex glacie (dimicatum enim die 5. Januarii) fuit erutum. Reliquit heredem unicam filiam *Mariam*, quæ nupſit Maximiliano I. Imperatori.

LUDOVICUS XI. Galliæ Rex A. 1483. moritur. Is, cum ſubditis eſſet exoſus, & ſibi metueret, primus Helvetios cuſtodes corporis adhibuit, cujus inſtitutum cæteri ſecuti ſunt.

Ferdinandus Caſtellæ Rex, GRANATAM, Maurorum Regiam, quæ 60. millia domorum complectebatur, A. 1491. poſt aliquot menſium obſidionem, expugnat: atque tum deinde *Saraceni* tota Hiſpania pulſi ſunt, in qua per annos 875. fixerant ſedem. Idem, anno ſequenti edictum propoſuit, quo, omnes *Judæi*, niſi Chriſtiani fieri mallent, jubebantur Hiſpania excedere; abire volentibus, qua [illegible] nſes conceſſi ad bona ſua vendenda. A [illegible] Vrsbergenſis memorat, nihil exporta [illegible] ſſe de auro & gemmis, ſed pro hiſce i [illegible] e debuiſſe victum, veſtes, & alia ad ite [illegible]. Plures quam ducenties mille fam [illegible] ic vertere coactæ ſunt. Cæterum, [illegible] orro eſt apud H [illegible] mum Oſoriun [illegible] le rebus geſt [illegible] Luſitaniæ [illegible] xpulio- rum [illegible] tes disje [illegible] maxim illor [illegible] *Rege* [illegible] certis cond [illegible] vit, [illegible] allis temp [illegible] con [illegible]

nes autem potiſſimæ fuerunt, ut octonos aureos ſinguli Regi perſolverent, & intra certum tempus e Portugalliæ finibus emigrarent: quod ſi, poſt tempus illud aſſignatum, viſi in Portugallia fuiſſent, libertatem amitterent: Rex autem tutam navigandi facultatem volentibus abire præberet. Mortuo poſt hæc Johanne Rege, cum ex conſtituto, Judæi ex Luſitania quoque excedere cogerentur, mercatores & navicularii, qui eos in naves ſuas recipiebant, illos in mari multis injuriis admodum acerbe divexabant. Vecturæ enim pretio, quod depacti fuerant, minime contenti, quacunque ratione poterant, multo majorem pecuniam ab invitis exprimebant, & de induſtria, diutius quam opus erat, vagabantur, multisque erroribus homines miſeros ludificabant, ut conſumpto omni commeatu, cogerentur ab eis victum emere. Pretium vero, quod rebus ſuis conſtituebant, erat ejusmodi, ut eo perſoluto, Judæi nudi & inanes relinquerentur. Acced[illegible]t, quod nuptis mulieribus atque virginibus [illegible] per vim inferebant, & viros intoleran[illegible] [illegible]meliis afficiebant; Chriſtianique [illegible]mi[illegible]rpabant, obliti, in omni genere [illegible] perfidiæ verſabantur.

[illegible]us Colvmbvs, ex Pa- [illegible]*a oriundus, & poſtea Ligu-* [illegible]*dera Inſula, ubi conficien-* [illegible]*graphicis vacabat, ſive* [illegible]*onomiæ, Coſmogra-* [illegible]*o habito a* Martino

Bohe-

miſerat, accipiebat aureos duos. Dehinc, paucis menſibus interpoſitis, iterum vincitur Carolus ad *Moratum*, & anno vertente ad *Nancejum*, in quo prælio ipſe periit, & cadaver ex glacie (dimicatum enim die 5. Januarii) fuit erutum. Reliquit heredem unicam filiam *Mariam*, quæ nupſit Maximiliano I. Imperatori.

LVDOVICVS XI. Galliæ Rex A. 1483. moritur. Is, cum ſubditis eſſet exoſus, & ſibi metueret, primus Helvetios cuſtodes corporis adhibuit, cujus inſtitutum cæteri ſecuti ſunt.

Ferdinandus *Caſtellæ* Rex, GRANATAM, Maurorum Regiam, quæ 60. millia domorum complectebatur, A. 1491. poſt aliquot menſium obſidionem, expugnat: atque tum deinde *Saraceni* tota Hiſpania pulſi ſunt, in qua per annos 875. fixerant ſedem. Idem, anno ſequenti edictum propoſuit, quo, omnes *Judæi*, niſi Chriſtiani fieri mallent, jubebantur Hiſpania excedere; abire volentibus, quatuor menſes conceſſi ad bona ſua vendenda. Appendix Vrsbergenſis memorat, nihil exportare illis licuiſſe de auro & gemmis, ſed pro hiſce ipſos mutare debuiſſe victum, veſtes, & alia ad iter neceſſaria. Plures quam ducenties mille familiæ ſolum ſic vertere coactæ ſunt. Cæterum, (ceu nunc porro eſt apud Hieronymum Oſorium in libro I. de rebus geſtis Emanuelis Luſitaniæ Regis,) cum expulſorum alii, in alias partes disjecti fuiſſent, maxima illorum pars, *a Johanne Rege Luſitaniæ*, ſub certis conditionibus impetravit, ut in Portugallia, tempore aliquo definito conſiſteret. Conditiones

nes autem potiſſimæ fuerunt, ut octonos aureos ſinguli Regi perſolverent, & intra certum tempus e Portugalliæ finibus emigrarent: quod ſi, poſt tempus illud aſſignatum, viſi in Portugallia fuiſſent, libertatem amitterent: Rex autem tutam navigandi facultatem volentibus abire præberet. Mortuo poſt hæc Johanne Rege, cum ex conſtituto, Judæi ex Luſitania quoque excedere cogerentur, mercatores & navicularii, qui eos in naves ſuas recipiebant, illos in mari multis injuriis admodum acerbe divexabant. Vecturæ enim pretio, quod depacti fuerant, minime contenti, quacunque ratione poterant, multo majorem pecuniam ab invitis exprimebant, & de induſtria, diutius quam opus erat, vagabantur, multisque erroribus homines miſeros ludificabant, ut conſumpto omni commeatu, cogerentur ab eis victum emere. Pretium vero, quod rebus ſuis conſtituebant, erat ejusmodi, ut eo perſoluto, Judæi nudi & inanes relinquerentur. Accedebat, quod nuptis mulieribus atque virginibus vitium per vim inferebant, & viros intolerandis contumeliis afficiebant; Chriſtianique nominis, quod uſurpabant, obliti, in omni genere immanitatis atque perfidiæ verſabantur.

CHRISTOPHORVS COLVMBVS, ex Paleſtrella *ſtirpe Placentina oriundus, & poſtea Liguriæ incola, cum prius in Madera Inſula, ubi conficiendis ac delineandis chartis Geographicis vacabat, ſive ſuopte ingenio, ut erat vir Aſtronomiæ, Cosmographiæ & Phyſices gnarus, ſive indicio habito a* Martino Bohe-

miſerat, accipiebat aureos duos. Dehinc, paucis menſibus interpoſitis, iterum vincitur Carolus ad *Moratum*, & anno vertente ad *Nancejum*, in quo prælio ipſe periit, & cadaver ex glacie (dimicatum enim die 5. Januarii) fuit erutum. Reliquit heredem unicam filiam *Mariam*, quæ nupſit Maximiliano I. Imperatori.

LVDOVICVS XI. Galliæ Rex A. 1483. moritur. Is, cum ſubditis eſſet exoſus, & ſibi metueret, primus Helvetios cuſtodes corporis adhibuit, cujus inſtitutum cæteri ſecuti ſunt.

Ferdinandus *Caſtellæ* Rex, GRANATAM, Maurorum Regiam, quæ 60. millia domorum complectebatur, A. 1491. poſt aliquot menſium obſidionem, expugnat: atque tum deinde *Saraceni* tota Hiſpania pulſi ſunt, in qua per annos 875. fixerant ſedem. Idem, anno ſequenti edictum propoſuit, quo, omnes *Judæi*, niſi Chriſtiani fieri mallent, jubebantur Hiſpania excedere; abire volentibus, quatuor menſes conceſſi ad bona ſua vendenda. Appendix Vrsbergenſis memorat, nihil exportare illis licuiſſe de auro & gemmis, ſed pro hiſce ipſos mutare debuiſſe victum, veſtes, & alia ad iter neceſſaria. Plures quam ducenties mille familiæ ſolum ſic vertere coactæ ſunt. Cæterum, (ceu nunc porro eſt apud Hieronymum Oſorium in libro I. de rebus geſtis Emanuelis Luſitaniæ Regis,) cum expulſorum alii, in alias partes disjecti fuiſſent, maxima illorum pars, *a Johanne Rege Luſitaniæ*, ſub certis conditionibus impetravit, ut in Portugallia, tempore aliquo definito conſiſteret. Conditiones

nes autem potiſſimæ fuerunt, ut octonos aureos ſinguli Regi perſolverent, & intra certum tempus e Portugalliæ finibus emigrarent: quod ſi, poſt tempus illud aſſignatum, viſi in Portugallia fuiſſent, libertatem amitterent: Rex autem tutam navigandi facultatem volentibus abire præberet. Mortuo poſt hæc Johanne Rege, cum ex conſtituto, Judæi ex Luſitania quoque excedere cogerentur, mercatores & navicularii, qui eos in naves ſuas recipiebant, illos in mari multis injuriis admodum acerbe divexabant. Vecturæ enim pretio, quod depacti fuerant, minime contenti, quacunque ratione poterant, multo majorem pecuniam ab invitis exprimebant, & de induſtria, diutius quam opus erat, vagabantur, multisque erroribus homines miſeros ludificabant, ut conſumpto omni commeatu, cogerentur ab eis victum emere. Pretium vero, quod rebus ſuis conſtituebant, erat ejusmodi, ut eo perſoluto, Judæi nudi & inanes relinquerentur. Accedebat, quod nuptis mulieribus atque virginibus vitium per vim inferebant, & viros intolerandis contumeliis afficiebant; Chriſtianique nominis, quod uſurpabant, obliti, in omni genere immanitatis atque perfidiæ verſabantur.

CHRISTOPHORVS COLVMBVS, ex Paleſtrella *ſtirpe Placentina oriundus, & poſtea Liguriæ incola, cum prius in Madera Inſula, ubi conficiendis ac delineandis chartis Geographicis vacabat, ſive ſuopte ingenio, ut erat vir Aſtronomiæ, Coſmographiæ & Phyſices gnarus, ſive indicio habito a* Martino Bohe-

miſerat, accipiebat aureos duos. Dehinc, paucis menſibus interpoſitis, iterum vincitur Carolus ad *Moratum*, & anno vertente ad *Nancejum*, in quo prælio ipſe periit, & cadaver ex glacie (dimicatum enim die 5. Januarii) fuit erutum. Reliquit heredem unicam filiam *Mariam*, quæ nupſit Maximiliano I. Imperatori.

LUDOVICUS XI. Galliæ Rex A. 1483. moritur. Is, cum ſubditis eſſet exoſus, & ſibi metueret, primus Helvetios cuſtodes corporis adhibuit, cujus inſtitutum cæteri ſecuti ſunt.

Ferdinandus *Caſtellæ* Rex, GRANATAM, Maurorum Regiam, quæ 60. millia domorum complectebatur, A. 1491. poſt aliquot menſium obſidionem, expugnat: atque tum deinde *Saraceni* tota Hiſpania pulſi ſunt, in qua per annos 875. fixerant ſedem. Idem, anno ſequenti edictum propoſuit, quo, omnes *Judæi*, niſi Chriſtiani fieri mallent, jubebantur Hiſpania excedere; abire volentibus, quatuor menſes conceſſi ad bona ſua vendenda. Appendix Vrsbergenſis memorat, nihil exportare illis licuiſſe de auro & gemmis, ſed pro hiſce ipſos mutare debuiſſe victum, veſtes, & alia ad iter neceſſaria. Plures quam ducenties mille familiæ ſolum ſic vertere coactæ ſunt. Cæterum, (ceu nunc porro eſt apud Hieronymum Oſorium in libro I. de rebus geſtis Emanuelis Luſitaniæ Regis,) cum expulſorum alii, in alias partes disjecti fuiſſent, maxima illorum pars, *a Johanne Rege Luſitaniæ*, ſub certis conditionibus impetravit, ut in Portugallia, tempore aliquo definito conſiſteret. Conditiones

nes autem potiſſimæ fuerunt, ut octonos aureos ſinguli Regi perſolverent, & intra certum tempus e Portugalliæ finibus emigrarent: quod ſi, poſt tempus illud aſſignatum, viſi in Portugallia fuiſſent, libertatem amitterent: Rex autem tutam navigandi facultatem volentibus abire præberet. Mortuo poſt hæc Johanne Rege, cum ex conſtituto, Judæi ex Luſitania quoque excedere cogerentur, mercatores & naviculari, qui eos in naves ſuas recipiebant, illos in mari multis injuriis admodum acerbe divexabant. Vecturæ enim pretio, quod depacti fuerant, minime contenti, quacunque ratione poterant, multo majorem pecuniam ab invitis exprimebant, & de induſtria, diutius quam opus erat, vagabantur, multisque erroribus homines miſeros ludificabant, ut conſumpto omni commeatu, cogerentur ab eis victum emere. Pretium vero, quod rebus ſuis conſtituebant, erat ejusmodi, ut eo perſoluto, Judæi nudi & inanes relinquerentur. Accedebat, quod nuptis mulieribus atque virginibus vitium per vim inferebant, & viros intolerandis contumeliis afficiebant; Chriſtianique nominis, quod uſurpabant, obliti, in omni genere immanitatis atque perfidiæ verſabantur.

CHRISTOPHORVS COLVMBVS, ex Palestrella *ſtirpe Placentina oriundus, & poſtea Liguriæ incola, cum prius in Madera Inſula, ubi conficiendis ac delineandis chartis Geographicis vacabat, ſive ſuopte ingenio, ut erat vir Aſtronomiæ, Cosmographiæ & Phyſices gnarus, ſive indicio habito a* Martino

Bohe-

miſerat, accipiebat aureos duos. Dehinc, paucis menſibus interpoſitis, iterum vincitur Carolus ad *Moratum*, & anno vertente ad *Nancejum*, in quo prælio ipſe periit, & cadaver ex glacie (dimicatum enim die 5. Januarii) fuit erutum. Reliquit heredem unicam filiam *Mariam*, quæ nupſit Maximiliano I. Imperatori.

LVDOVICVS XI. Galliæ Rex A. 1483. moritur. Is, cum ſubditis eſſet exoſus, & ſibi metueret, primus Helvetios cuſtodes corporis adhibuit, cujus inſtitutum cæteri ſecuti ſunt.

Ferdinandus Caſtellæ Rex, GRANATAM, Maurorum Regiam, quæ 60. millia domorum complectebatur, A. 1491. poſt aliquot menſium obſidionem, expugnat: atque tum deinde *Saraceni* tota Hiſpania pulſi ſunt, in qua per annos 875. fixerant ſedem. Idem, anno ſequenti edictum propoſuit, quo, omnes *Judæi*, niſi Chriſtiani fieri mallent, jubebantur Hiſpania excedere; abire volentibus, quatuor menſes conceſſi ad bona ſua vendenda. Appendix Vrsbergenſis memorat, nihil exportare illis licuiſſe de auro & gemmis, ſed pro hiſce ipſos mutare debuiſſe victum, veſtes, & alia ad iter neceſſaria. Plures quam ducenties mille familiæ ſolum ſic vertere coactæ ſunt. Cæterum, (ceu nunc porro eſt apud Hieronymum Oſorium in libro I. de rebus geſtis Emanuelis Luſitaniæ Regis,) cum expulſorum alii, in alias partes disjecti fuiſſent, maxima illorum pars, *a Johanne Rege Luſitaniæ*, ſub certis conditionibus impetravit, ut in Portugallia, tempore aliquo definito conſiſteret. Conditiones

nes autem potiſſimæ fuerunt, ut octonos aureos ſinguli Regi perſolverent, & intra certum tempus e Portugalliæ finibus emigrarent: quod ſi, poſt tempus illud aſſignatum, viſi in Portugallia fuiſſent, libertatem amitterent: Rex autem tutam navigandi facultatem volentibus abire præberet. Mortuo poſt hæc Johanne Rege, cum ex conſtituto, Judæi ex Luſitania quoque excedere cogerentur, mercatores & navicularii, qui eos in naves ſuas recipiebant, illos in mari multis injuriis admodum acerbe divexabant. Vecturæ enim pretio, quod depacti fuerant, minime contenti, quacunque ratione poterant, multo majorem pecuniam ab invitis exprimebant, & de induſtria, diutius quam opus erat, vagabantur, multisque erroribus homines miſeros ludificabant, ut conſumpto omni commeatu, cogerentur ab eis victum emere. Pretium vero, quod rebus ſuis conſtituebant, erat ejusmodi, ut eo perſoluto, Judæi nudi & inanes relinquerentur. Accedebat, quod nuptis mulieribus atque virginibus vitium per vim inferebant, & viros intolerandis contumeliis afficiebant; Chriſtianique nominis, quod uſurpabant, obliti, in omni genere immanitatis atque perfidiæ verſabantur.

CHRISTOPHORVS COLVMBVS, ex Paleſtrella *ſtirpe Placentina oriundus, & poſtea Liguriæ incola, cum prius in Madera Inſula, ubi conficiendis ac delineandis chartis Geographicis vacabat, ſive ſuopte ingenio, ut erat vir Aſtronomiæ, Coſmographiæ & Phyſices gnarus, ſive indicio habito a* Martino Bohe-

Bohemo, *aut, ut Hiſpani dictitant*, *ab* Alphonſo Sanchez de Helua *nauclero*, *qui forte inciderat in Inſulam poſtea Dominicam dictam, cogitavit de Navigatione in Indiam Occidentalem*. Mutuatus ſum verba hactenus allata, ex præclaro opere Joh. Baptiſtæ Riccioli, quod Geographiam & Hydrographiam Reformatā ille inſcripſit, & ejus quidē folio 93 b. Atq; hic comodum occaſio mihi offertur, docendi rem pulcherrimam, & hactenus ignoratam, quæ non tantū ad patriæ meæ Noribergæ, civitatis primariæ, ſed & univerſæ Germaniæ laudē vehementer pertinet, quamq; porro neſcire turpe foret. Nimirū, ille MARTINVS BOHEMVS de quo credidit Ricciolius, fieri potuiſſe, ut is anſam dederit Columbo felicis illius, qua Novi Orbis Inſulas detexit, expeditionis ſuſcipiendæ, Noribergenſis fuit, antiqua ibi & nobiliſſima BEHAIMORVM, quod BOHEMORVM alii enunciarunt, & etiamnum enunciant, Familia, cujus ramus nuper Baronatus dignitate auctus eſt, patre *Martino*, matre *Agnete*, Sebaldi Schopperi filia, genitus. Is enim, cū a teneris unguiculis, non telluris tantum faciem, terreſtribus maritimisque itineribus diligentiſſime ſpeculatus eſſet, ſed & ad cœlum & ſidera contemplanda animum elevaſſet, poſtremo, *Iſabellæ*, Johannis Luſitaniæ Regis filiæ, quæ poſt obitum conjugis *Philippi Burgundi* cognomento *Boni*, rerum dominabatur, operam ſuam addixit, & ab ea navim impetravit, qua occidentalis oceani hactenus cognitos terminos & fines prætervectus, primus poſt hominum memoriam, *Fayalem* Inſulam,

lam, *Fago* arbore, quam Luſitani *Faya* vocant, ac unde appellatio ei hæſit, abundantem, reperit. Nec minus poſtea finitimas Inſulas, uno nomine ab Accipitrum ibi nidificantium multitudine, *Aſores* dictas (Luſitani enim Accipitres hoc vocabulo efferunt, & Galli quoque, in aucupiis, verbum *eſſor*, & *eſſorer*, adhibent) detexit, ac Flandrorum colonias, quarum progenies in hanc usque diem ſuperat, in iis reliquit, unde & Inſulæ illæ alia appellatione *Flandricæ* vocari cœperunt. Magis deinde per Oceanum Atlanticum oberrans, ad illas Inſulas delatus eſt, quas poſtea Chriſtophorus Columbus exploravit, publicavitque. Hactenus a me dicta, nituntur indubia fide monumentorum Reipubl. Noribergenſis, quæ cuſtodiuntur in Archivo, folii nimirum 119. Voluminis Membranacei, de Patritiorum Noribergenſium Origine, & folii 285. Tomi I. Annalium Noribergenſium MSS. Amplius, hauſi hæc, ex Archivo privato Familiæ Behaimicæ, in quo extat Martini Behaimi ſive Bohemi vera imago depicta; extat Globus ingens terreſtris, ab illo confectus, in quo, minime quidem Americæ continens, permultæ tamen Inſulæ Americanæ plagæ, per ingens æquor ſparſæ, ſine titulo & nomine deſignantur: extant inſtrumenta authentica, quibus docetur; Martinum, duxiſſe uxorem, *Johannam de Macedo*, Luſitaniæ Regni Capitanei filiam, & deceſſiſſe illum A. 1506, relicto filio *Martino*, qui Noribergam ſe contulit, ad lares avitos. Quin & hoc iis docetur, Maxilianum I. Imperatorem, Martini Expeditiones miratum,

Ll in hæc

in hæc erupiſſe verba: *Martino Bohemo, nemo unus Imperii civium, magis unquam peregrinator fuit, magisque remotas orbis adivit regiones.* Porro, ſit apud *Joannem Natalium Metellum Sequanum*, in Speculo Orbis Terræ, circa finem Operis, mentio, *Tabulæ Hydrographicæ Martini Bohemi, quam Emanuel Luſitaniæ Rex, in ſuo Muſeo aſſervarit, & in qua locus Moluccarum deſignatus erat.* Reperitur inſuper in Æneæ Sylvii Cardinalis, ac poſtea ſub nomine Pii II. Summi Pontificis, ad Antonium Cardinalem Hilerdenſem libro de Europæ ſub Friderico III. Imperatore ſtatu, in Martini Bohemi laudem, Capite XLIV. locus inſignis, quamvis, quod non diſſimulo, inſititius & inductus, nec usquequaque ſibi conſtante ſermone expreſſus, aptus nihilo ſecius multimodis, ad conciliandam dictis noſtris fidem. Sic vero ſe habet: *Anno Domini* MCCCCLXXXIII. Johannes II. *Portugaliæ Rex, altiſſimi vir cordis, certas galeas, omnibus ad victum neceſſariis inſtruxit: easq. ultra Columnas Herculis, ad Meridiem verſus, Æthiopiam inveſtigaturos miſit. Præfecit autem his Patronos duos*, Jacobum Canum Portugalenſem, & Martinum Bohemum, *hominem Germanum, ex Norimberga ſuperioris Germaniæ, de bona Bohemorum familia natum; hominem, inquam, in cognoſcendo ſitu terræ peritiſſimum, marisque patientiſſimum; quique Ptolemæi longitudines & latitudines in Occidente, ad unguem, experimento, longævaq. navigatione novit. Hi duo, bono Deorum auſpicio, Mare Meridionale ſulcantes, a litore non longe evagantes, ſuperato Circulo Æquinoctiali, in alterum Orbem excepti ſunt,*

ſunt, ubi ipſis ſtantibus Orientem verſus, umbra ad meridiem & dextram projiciebatur. Aperuere igitur ſua induſtria alium Orbem, hactenus nobis incognitum, & multis annis a nullis quam Januenſibus (licet fruſtra) tentatum. Peracta autem hujusmodi navigatione, XXVI. menſe reverſi ſunt Portugaliam, pluribus, ob calidiſſimi aëris impatientiam, mortuis. In ſignum autem portavere piper, grana paradiſi, multaque alia, quæ longum eſſet recenſere.

Sed, ad *Columbum* redeundum eſt, qui, cum miro deſiderio tangeretur, committendi pelago rates, & plagas occiduas emetiendi, *Genuenſibus* primo rem aperuit, ſpem iis faciens novarum regionum inveniendarum, quarum illi domini futuri ſint, ſi conatus ſuos adjuvarent. Ab his, cum tanquam delirus faceſſere juſſus eſſet, *Henricum VII.* Angliæ Regem, cujus Regnum ea tempeſtate pacatum & opulentum erat, adiit, a quo ſimiliter repulſam tulit. Ergo ad *Alphonſum V.* Luſitaniæ Regem ſe confert, qui, quod Africæ oras bello laceſſeret, ac in Indiam Orientalem expeditionem meditaretur, & ipſe Columbum abs ſe ſegregavit. Poſt hæc *Ferdinandum Catholicum*, & *Iſabellam*, Caſtellæ & Aragoniæ Reges tentat, qui, cum id temporis Granatenſi bello intenti eſſent, nihilo æquiores ſe ei præbuerunt. Tandem, cum per ſeptennium integrum, multas moleſtias devoraſſet, adnitente Regina, quæ adeo monilia ſua, ob ærarii egeſtatem, ad pecuniam a *Ludovico Sanctangelo* Regiarum rationum Scriba, mutuo accipiendam oppignerabat, exauditus eſt. Ergo ſedecim ducatorum millibus, &

trium navium claſſe viriſque 120. impetratis, Anno 1492. die 1. Auguſti a Gadibus ſolvit, diebusque aliquot interjectis, ad Inſulas Fortunatas, quas Canarias vocant, pervenit. Hinc progreſſum, tanta graminis per mare fluitantis copia circumſepſit, ut tanquam in pratis herba virentibus navigare videretur, unde ſuſpicio incidit, vera eſſe, quæ de ſubmerſa Atlantica apud Platonem legerat. Cum autem fame jam milites & nautæ laborare occiperent, partim narratione ſomnii, partim animadverſione luti, adhærentis bolidi, & inæqualitate ventorum, pollicitus, fore, ut ante quatriduum terra appareret, ſeditionem ipſorum ſedavit. Triduo nondum exacto, poſt 40. dierum navigationem, viſa fuit Inſula quædam, ad quam non ſine ingenti gaudio Columbus appulit, in eaque grandem Crucem fixit, profuſis lacrymis gratias agens Chriſto Domino, quod per ipſum dignaretur, viam Evangelio aperire ad eas gentes. Numeraverat a Canariis ad eam Inſulam leucas 950. quam, utpote ſterilem & incultam, deſerens, Novembri menſe navigavit ad Inſulam *Hayti*, eamque *Hiſpaniolam* vocavit. Inde ad alias Inſulas progreſſus, coactus poſtea eſt ob procellas, redire Hiſpaniolam. Ibi exſtructo munimento, & relicto 38. virorum præſidio, Hiſpaniam repetiit, ſecum oſtenti cauſa 10. Inſulanis avectis, & naves duas (nam tertia ſcopulis alliſa perierat) multo auro gemmiſque onuſtas referens, quibus in portum *S. Lucæ de Barrameda*, menſe Martio A. 1493. die 50. poſtquam ab Hiſpaniola ſolverat, eſt delatus.

Ferdi-

Ferdinandus & Iſabella Reges, cum præ admiratione & gaudio vix apud ſe eſſent, Columbum Admiralium Indiæ declarant, & duodecima parte totius lucri, quod Indicæ expeditiones præbituræ eſſent, ei aſſignata, ipſum cum majore claſſe, illuc unde venerat, e veſtigio remittunt. Dehinc Columbus abſens, ſive ob ſerveritatem, quam ipſe & frater ejus *Bartholomæus*, primus Indiæ gubernator, adverſus incolas exercuerant, ſive, quod alii ſuſpicatur, ex invidia a *Roderico Ximene* proditionis accuſantur. Ergo juſſu Regis Caſtellæ ambo revocati ſunt in Hispaniam, quo catenis vincti, quanquam id præter Regis mandatum, fuere deportati. Cum vero calumnias diluiſſet Columbus, ſuamque innocentiam dediſſet probatam, confirmavit ei Rex Catholicus privilegia olim conceſſa, illumque tertia vice in Indiam miſit, non tamen, ſicut prius, ad regimen, ſed tantum, ut eo navigaret, ad alias terras detegendas. Reverſus tandem in Hispaniam, cum podagra morbisque articularibus diu luctatus, obiit Valliſoleti, menſe Majo Anno 1506. cujus corpus, translatum *Hispalin* ex teſtamento, ſepultum fuit in Monaſterio Patrum Carthuſianorum trans Bætim, quod *las Cuevas* appellatur.

Anno 1497. AMERICVS VESPVCIVS, Florentinus, dum Moluccas per Occidentem petit, in vaſtam illam continentem penetravit, quam de ſuo nomine AMERICAM appellavit.

Cum Johannes II. Luſitaniæ Rex, Emanuelem, Eduardi Regis, ex filio Ferdinando Duce Viſeo, nepotem, pro filio adoptaſſet, ei paulo

 ante

ante obitum Sphæram armillarem tradidit, quaſi illum in poſſeſſionem Orbis mitteret. Ex hinc ſtemmati Regum Luſitaniæ Sphæra fuit impoſita, cum lemmate, *In Deo.* Emanuelis auſpiciis, VASQVIVS DE GAMA A. 1497. die 9. Julii Vlyſſipone ſolvens, navigavit ultra Heſperidas, & ægre prætervectus Caput Bonæ Spei, in ripa fluminis Bonorum Signorum erexit Crucem Lapideam, cui erant inſculpta ſtemmata Regum Luſitaniæ, reperitque apud incolas uſum Acus magneticæ antiquiorem quam apud Europæos. Inde *Cephalam, Mozambicum, Mombazam,* & *Melindam* præternavigans, die 19. Maji A. 1498. delatus eſt *Calecutum.* Ibi rebus præclare geſtis, in Luſitaniam A. 1499. revertit.

Circa finem hujus ævi, CLERICI SOMASCHENSES innotuere, quorum *B. Hieronymus Æmilianus* Patricius Venetus, autor & inſtitutor fuit. Is, variis pro Republ. Veneta muneribus egregie perfunctus, bello ex Cameracenſi fœdere adverſus Venetos æſtuante, ad fines ipſorum tutandos deſtinatus fuerat. At ab exercitu Maximiliani Cæſaris in *Caſtro novo* obſeſſus, captus, & vinculis conſtrictus, ope S. Virginis Deiparæ eripitur, ac per medios hoſtes deductus, *Tarviſium* incolumis pervenit. Tanti beneficii memor, patrimonio pauperibus diſtributo, valedicens ſeculo, in pietatis officiis ſe exercuit. Itaque non modo Venetiis, ſed & in aliis Italiæ urbibus, pueros parentibus deſtitutos, in unum collectos, in exſtructis a ſe ædibus alendos curavit; quod & circa puellas præſtitit. Multis autem

pera-

peragratis urbibus, in *Somaſchæ* caſtro, quod inter Bergomum & Larium lacum ſitum eſt, demum ſubſtitit, ibique multis ad eum confluentibus alumnis, *Congregationis Somaſchenſis* fundamenta jecit, fulgens miraculis. Nam, cum plurimi fame in proximis regionibus conficerentur, ipſe pane in gremio ſuo divinitus aucto, non ſolum ſuos, ſed etiam exteros adventantes, ſaturavit. Mortuus eſt A. 1537.

SECVLVM XVI.

IMPERATORES ROMANI.

CAROLVS V.

CAROLVS V. *Philippi I.* Regis Hiſpaniarum, & *Johannæ* Ferdinandi Catholici filiæ ac heredis filius, Maximiliani Cæſaris nepos, natus eſt A. 1500. die 24. Februarii, Gandavi in Flandria. Ejus prima ætas, haud multum in ſtudiis literarum & ſapientiæ, plurimum in exercitiis aulæ & militiæ impenſa fuit, quam rem ipſe ſæpe deinde deploravit. Poſt Patris exceſſum, Hiſpaniarum regimen ſuſcepit, annos natus 18. Avo mortuo A. 1519. electus eſt Septemvirorum Imperii ſuffragiis *Imperator*, ipſo etiam *Friderico Saxone*, in quem prius Collegæ omnes inclinabant, cæteros eo propellente, cum *Franciſci I.* Galliarum Regis repulſa. Electio ei ſignificata fuit, per *Fridericum Comitem Palatinum*, Ludovici Electoris fratrem, a Septemviris ea de cauſa in Hiſpaniam miſſum. Cum hoc, Carolus, claſſe conſcenſa, ſalutato prius in tranſcurſu *Henrico VIII.* Rege Angliæ, Flandrico litori applicuit, annoque proxime ſequenti, hoc eſt 1520. die 21. Octobris, Aquisgrani Corona fuit redimitus.

Res geſtæ prolixæ ſunt, quæ, ſecundum bella ab eo geſta, commode traduntur. Primum fuit *Mediolanenſe*, quod ipſe geſſit cum *Franciſco I.* Galliæ Rege, tum ob cauſas alias, tum quod in electione Imperatoria poſtpoſitus eſſet, ſibi infe-

ſto

ſto. Cœpit hoc bellum A. 1521. & duravit annos 38. pactis interdum induciis, ſed minime firmis, aut diuturnis. Initio Franciſcus Pontificem *Leonem X.* habuit fautorem, qui tamen, animo mox mutato, fœdus fecit cum Carolo contra Franciſcum, cujus copiæ ex Italia expulſæ, & Mediolanenſis Ducatus *Franciſco Sfortiæ*, Maximiliani fratri, reſtitutus: *Parmam* & *Placentiam* Pontifex accepit. Hujus injuriæ impatiens Franciſcus Rex, A. 1525. collecto exercitu redit in Italiam, & *Mediolanum* in poteſtatem ſuam redigit. Sed non multo poſt, a Cæſarianis, ad *Ticinum* victus, & captivus ad Carolum in Hiſpaniam abductus eſt. Hoc modo Carolus Ducatum Mediolanenſem recuperavit, quem A. 1529. *Franciſco Sfortiæ*, Clementis VII. Pontificis interceſſione, reſtituit. At vero Franciſcus Galliæ Rex, dum captivus Madriti hæret, ſummis votis, ut cum Cæſare colloquendi ſibi poteſtas daretur, expetivit, confidens, ſe mutua ſermocinatione id conſecuturum, ut certis conditionibus propoſitis libertati reddatur. Nec ſpes eum fefellit, ad Carolum enim admiſſus, cum eo in gratiam rediit, talibus conditionibus, ut in Neapolitanum Regnum nullum impoſterum jus ſibi arrogaret; Comitatu Flandriæ cederet, redderetque Burgundiæ Ducatum. Pacta hæc Franciſcus juramento confirmavit, datis inſuper obſidibus duobus filiis, utque omnia majori cum autoritate fierent, Cæſaris ſororem germanam *Eleonoram*, Emanuelis Luſitani Regis viduam, uxorem ducit, & in Galliam a Carolo honorifice deducitur.

Reverſus in Galliam Franciſcus, promiſſorum immemor, contra Cæſarem cum Pontifice & Venetis novum fœdus pangit, & A. 1526. bellum movet. Vario Marte pugnatum eſt, &, cum Cæſariani, Duce *Carolo Burbonio* urbe Placentia potiri non poſſent, fruſtra etiam Florentiam tentarent, poteſtatem in Regnum Neapolitanum transeundi petentes, Pontifice tranſitum recuſante, urbem *Romam* invadunt. Mortuus paulo ante fuerat *Georgius Fronsbergius*, Cæſaris legionum aliquot ductor, qui (ceu eſt apud Petrum Suavem Polanum, vel Paulum Sarpium Servitam, lib. 1. Hiſtoriæ Concilii Tridentini, cui hæc & alia, quæ ſequuntur debemus) juxta vexillum, laqueum deferendum curabat, in quem jactabat apud militem, ſe velle induere Pontificem: hoc artificio ad excitandos ſuos utens, ut nec a ſe deficerent, & difficilis viæ moleſtias devorarent. Cæterum, in Vrbis oppugnatione Burbonius cecidit, glande plumbea in inguine trajectus: at milites nihilo ſecius in eam irrumpunt, eaque capta, illis in prædam ceſſit. Itaque domos diripiunt, ornamentis omnibus templa exſpoliant, reliquias mortuorum, & alias res ſacras non magni pretii in terram abjectas conculcant, virgines, matronas, & ſacras virgines violant, Cardinales atque Antiſtites captos, per ludibrium vilibus jumentis imponunt; dignitatiſque ſuæ inſignibus ornant, *Senenſem* vero, *Minervium* & *Poncettam* Cardinales, etiam pugnis contuſos, per totam urbem contumelioſe circumducunt. Neq; Hiſpani & Germani Cardinales, licet hoc ſe tutiores

tiores exiſtimarent, quod ex his nationibus exercitus conſtaret, minus ignominioſe quam cæteri habiti. *Clemens VII.* Pontifex, in Arce S. Angeli obſeſſus, & auxilii ſpe deſtitutus, cum Cæſareis Ducibus ex lege pactus eſt, ut Arce iis tradita, ipſe in ea captivus permaneret: ubi arcta ſatis cuſtodia aſſervatus. Direptæ urbis Romæ, & capti Pontificis nuncius, cum ad Cæſarem eſſet allatus, maximum ille animi dolorem, externis multis ſignis teſtatus eſt, juſſis etiam ceſſare ludis & ſpectaculis, quæ propter recens ei natum filium Valladoleti celebrabantur. Sed religionis pietatisque ſuæ multo majorem omnibus feciſſet fidem, ſi ſuis ſimul imperaſſet, ut Pontifex libertati reſtitueretur. Verum, cum ille totos 6. menſes ab eo tempore in cuſtodia detentus fuerit, facile omnes perſpiciebant, quantum inter veritatem & fucum intereſſet. Cupiebat certe Imperator Pontificem in Hiſpaniam abduci, magnam inde exiſtimationi ſuæ acceſſionem ſibi ſpondens, ſi ex Italia in Hiſpaniam biennii ſpatio, captivi duo adeo potentes ducerentur, Galliæ Rex, & Pontifex Romanus. Sed, cum Hiſpania omnis, & maxime Antiſtites, tantam Chriſtiani nominis ignominiam execraturi viderentur, ſi, qui Chriſti in terris perſonam refert, in alias terras captivus deportaretur, ab hoc incepto Cæſar plane abſtinuit. Magnam præterea invidiam ſe ea re conflaturum putabat, & præſertim Angliæ Regem irritaturum, quem quod metueret, nolebat a ſe disjunctiorem. Annuit ergo tandem, ut his legibus e cuſtodia Pontifex

dimit

dimitteretur: ne in Mediolanenſi aut Neapolitano negotio ſe ei opponeret; de ea re caveret traditis, *Oſtia, Civitate veteri, Civitate Caſtellana*, & *Rupeforli*, oppidis, obſidibus vero *Hippolyto* & *Alexandro* Nepotibus. Amplius, ut *Cruciatam* in Hiſpania, & unam decimam obventionum Eccleſiaſticarum, in omnibus Regnis ſuis ſibi concederet. Cum in has leges conventum eſſet, facta Pontifici poteſtate diſcedendi e Caſtello die 9. Decembris, ille diffidentior, diem antevertendum ratus, nocte præcedente; paucis comitatus, habitu mercatoris ex Arce egreſſus, primo Faliſcos, deinde Orvietum petiit. Sequuta deinde cum Pontifice compoſitio, ac Cæſar filiam ſuam naturalem, *Margaretam*, nepoti ejus *Alexandro Mediceo* deſpondet.

Franciſcus interim A. 1528. Duce *Odetto Fuxio Lautrecbio* Neapolin obſidet, & Duces Cæſarianos capit, omnemque maris uſum intercipit. Repreſſus tamen eſt, ob peſtiferam luem, quæ exercitum affligebat, qua & ipſe Odettus, in caſtris ad Neapolin eſt extinctus. Pax igitur inter Cæſarem & Galliæ Regem inita *Cameraci*, A. 1529. Pactum inter cætera, ut pro Franciſci filiis, quos hactenus obſides Cæſar tenuerat, duos auri milliones reciperet. Mox anno ſequente a Clemente VII. Papa Bononiæ *Carolus* coronatus fuit Rex Longobardorum, &, poſt biduum, inauguratus quoque eſt corona Imperatoria, cum juraſſet, ſe Pontificiæ dignitatis perpetuum fore defenſorem.

Ortum inter hæc *Bellum Turcicum*, & *Solymannus*

mannus Turcarum Imperator, a *Johanne Zapolia* Tranſylvaniæ Principe allectus, in Hungariam exercitum ducit, expugnataque Buda, *Viennam* obſidet, cum 140. millibus militum. Quoniam vero *Philippus* Palatinus Princeps, urbem ſtrenue tuebatur, coactus eſt Turca obſidionem ſolvere, in qua magnam exercuit crudelitatem, multis hominum millibus in captivitatem ſecum abductis. Rediit poſt biennium Solymannus cum 200. millibus armatorum, Duceque quodam, cum equitibus 15000. rapiendi & prædandi cauſa ad Linzium ſuperioris Auſtriæ urbem usque miſſo, ingentem Germaniæ terrorem incutit. Sed, cognito Caroli Cæſaris adventu, retrocedit, immenſa præda ſecum ablata.

His peractis, cum *Conradinus Barbaraſſa*, qui ab aliis *Hariadenus Mitylenæus* dicitur, Archipirata, Turcicæ claſſis præfectus, multis incurſionibus mare vexaret, & in Africa, ejecto Rege *Muleaſſe*, Regnum Tunetanum occupaſſet, Cæſar, adornata claſſe, A. 1535. in Africam venit, & capta urbe *Tuneto*, una cum arce *Goleta*, profligato etiam hoſte, Muleaſſem Regno reſtituit, & vectigalem ſibi fecit, Goletam ſibi vindicavit, & Hiſpanicum præſidium ei impoſuit. Fuit hic Muleaſſes Muhammedanæ religioni addictus, & poſt reſtitutionem, Tunetano regno annos 9. præfuit. Venit poſtea A. 1548. ex Africa profugus, & perquam calamitoſus, Auguſtam Vindelicorum ad Carolum Cæſarem, a filio natu maximo, qui regnum ei præripuerat, ejectus, & exoculatus.

Altes

Alteram expeditionem in Africam ſuſcepit Cæſar A. 1541. ſed admodum infeliciter. Cum enim *Algieram* Africæ maritimam urbem petiiſſet, triduo poſt, ſæviſſima tempeſtate oborta, ventorum flatibus, plurimæ naves ex colliſione fractæ & ſubmerſæ ſunt, ut re infecta ille in Hiſpaniam reverti cogeretur, non ſine magno machinarum bellicarum, & totius exercitus detrimento.

Sequitur *Bellum Geldricum*, adverſus *Guilielmum Clivenſem*, qui, cum Franciſco Galliæ Rege ſe conjunxerat, præpoſtero conſilio, ac ideo eventu minime ſalutari. Cæſar enim, *Dura*, Cliviæ oppido expugnato incenſoque, *Juliaco* ac *Ruræmunda* ad deditionem compulſis, Guilielmum adegit ſupplicem ſibi fieri, ereptaque ei Geldria, reliquas provincias, Juliacum, Cliviam, Montes, fruendas reliquit.

Succeſſit *Smalcaldicum Bellum*, de quo plura dicentur in Memorabilibus. In hoc Cæſar Proteſtantes ad *Mulbergam* debellavit, & Electorem Saxoniæ *Johannem Fridericum* in acie captum, *Philippum* vero Landgrafium Haſſiæ, Atrebatenſis Cardinalis dolo, qui in ſalvi conductus formula, unâ literam corrumpendo diverſum ſenſum induxerat, ſeductum, quinquennali cuſtodia detinuit. Inde cum nullis precibus liberari poſſent, *Mauritius* novus Saxoniæ Elector, etſi Cæſari ob delatam ſibi Electoralem dignitatem amicus, tamen ad Haſſum ſocerum, pro quo apud filios vadimonium ſubierat, liberandum, bello improviſo eum petiit, & A. 1552. ad pacem Proteſtantibus dandam compulit.

Trien-

Triennio poſt, Imperator Carolus, pertæſus laborum, & cum a Medico ſuo *Andrea Veſalio* audiviſſet, ſe haud diu ſuperfuturum, Imperio *Ferdinando* fratri, Hispania & Belgio *Philippo* filio traditis, in Hispaniam A. 1556. cum *Eleonora* Franciæ, & *Maria* Hungariæ Reginis, ſororibus, ſolvit, & illuc delatus, *Cœnobium S. Juſti*, quod eſt Monachorum S. Hieronymi in Extremadura, ingreſſus, bieñium ibi exegit, S. Bernhardi lectioni præcipue intentus, & reliquum tempus horologiis conficiendis fallens, aut per colles equo, quem unicum retinuerat, obequitans: atque ſic deceſſit A. C. 1558. die natali, ætatis anno 58. Imperii 36. ſepultus Granatæ, in Cathredrali Eccleſia. Hinc *Philippus IV.* Rex Hispaniarum, poſtea exuvias corporis in Scorialienſe Monaſterium tranſtulit. In libello cui titulus Hispanicæ Dominationis Arcana cap. 4. p. 28. legas, pro certo haberi, Sacri Officii, quod Inquiſitionem vocant, in Hispania adminiſtratores, *disputaſſe, annon oſſa Caroli V. effodienda & comburenda eſſent, quia viſus fuit ante finem vitæ, in ſententiam illam,* Hominem ſola fide per Chriſtum ſalvum fieri, *inclinare*. Certe *Conſtantinum Pontium*, qui morienti adſtiterat, eique a confeſſionibus fuerat, Lutheranismi accuſatum, ejusque extincti corpus rogo addictum eſſe, multi prodiderunt. Videnda Cl. Speneri Sylloge Genealogica p. 54.

Carolus anno ætatis 25. duxit ISABELLAM, Emanuelis Portugalliæ Regis filiam, quæ, *Philippum II.* Patris in Hispaniarum aliisque Regnis ſucceſſorem, & *Mariam*, Maximiliano II. Imp. nuptam,

nuptam, *Johannam* item, Johannis Luſitaniæ Principis Conjugem, peperit. Ex *Concubinis* ſuſcepit Carolus *Margaretam*, quæ cum Alexandro Mediceo primum, deinde cum Octavio Farneſio matrimonium contraxit: & *Johannem Auſtriacum*, rebus militiæ feliciter geſtis clariſſimum.

FERDINANDUS I.

FERDINANDUS I. Caroli V. frater, Medinæ A. 1503. lucem primum aſpexit. Adoleſcens una cum fratre Gandavum miſſus fuit, ut ambo ibidem educarentur. *Ladislao* Bohemorum Rege veneno extincto, Rex Bohemiæ A. 1525. deſignatus eſt. Nec minus Hungarorum Rege *Ludovico*, Ladislai filio, ad Mohazum A. 1526. a Turcis occiſo, quod ſororem ejus *Annam* Regni heredem in matrimonio haberet, accepit Regnum Hungaricum. Sed expertus eſt in Hungaria æmulum *Johannem Zapoliam*, Comitem Scepuſium, Tranſylvaniæ Principem. Iſte victus, & impar viribus, ad *Solymanni* auxilium confugit, qui Hungaria devaſtata, Viennam A. 1529. obſedit, irrito quamvis conatu. Anno 1531. procuravit illi frater Carolus *Regis Romani* dignitatem, quanquam Saxone obnitente. Eam cum poſtea Carolus A. 1550. in Philippum filium transferre vellet, non potuit induci Ferdinandus, ut hac ſe abdicaret, quin nec ad id, ut Philippum, *Imperii perpetuum Vicarium* cum plena poteſtate in Italia & Belgio conſtitueret; quod cauſaretur, tantum de Cæſarea dignitate ac maje-

ſtate,

ſtate, quam integram & illibatam tueri recepiſſet, deceſſurum, quantum ex ea alteri conceſſiſſet. Cum in Comitiis Auguſtanis A. 1530. *Würtenbergicum Ducatum* a Suevico fœdere dono accepiſſet, & Dux *Vlricus* exul, auxilio *Philippi* Haſſiæ Landgrafii regionem illam armis occupaſſet, intercedentibus Saxoniæ Ducibus, utile dominium Vlrico tribuit, directo ſibi retento. Ecclesiæ Romanæ corruptelas agnoſcens, dedit *literas benevolentiæ plenas ad Lutherum*, quas exhibet Goldaſtus Tom. Conſtit. Imp. p. 147. & quarum autographum, Cronmayeri in Hiſt. Eccleſ. teſtimonio, etiamnum aſſervatur in Bibliotheca Electorali Saxonica.

Poſtquam Carolus Imperii ſceptrum depoſuit, Ferdinandus id capeſſivit, & Francofurti A. 1558. inauguratus eſt. Miſſum, ad rem, pro more, *Paulo IV.* Pontifici ſignificandam, & ad obſequium præſtandum *Martinum Guzmannum*, Pontifex per tres menſes non admiſit, nec Ferdinandum pro Imperatore agnoſcere voluit, eo quod Imperium ſe inſcio accepiſſet, Pacem Religioſam Lutheranis dediſſet, Colloquii Wormatienſis habendi poteſtatem feciſſet, decretum Pontificale contra communicantes ſub utraque ſpecie ſuſpendiſſet, Lutheranos cum Romanæ Eccleſiæ addictis promiſcue converſari pateretur, quodque filium Maximilianum male educaret. Largitus eſt tamen deinde conſenſum, cum parvam indignationis ſuæ rationem haberi animadverteret.

Cæterum, Ferdinandus, *Genuenſes*, ob *Marchionem*

chionem Finalienſem pulſum, citatos, non comparentes, vadimonium deſeruiſſe pronunciavit, addita comminatione, niſi fecíali ſuo parerent, urbem & agrum Genuenſem ſe proſcripturum. Anno 1561. *Conventus celebratus eſt Naumburgi*, ubi Principes Proteſtantes, invitanti eos ad Concilium Tridentinum Cæſari, reſponderunt, ſe, quod Concilium non eſſet legitimum, venire non poſſe, erga Imperatorem autem fidem & obſervantiam ſuam prolixe teſtati ſunt. Paulo ante mortem accepit Ferdinandus diploma *Pii IV.* Pontificis pro ſe & ſubditis ſuis, de poteſtate utriusque ſpeciei in Sacra Euchariſtia laicis exhibendæ, quod ad Archiepiſcopum Salisburgenſem fuerat miſſum. Vnde lætus Imperator, Viennæ uſum integri Sacramenti introduxit. Præfuit Ferdinandus Imperio annos 7. & deceſſit tabe conſumtus A. 1564. ætatis 61. princeps fuit pius, mitis, affabilis, temperans, pacificus, & eruditus, Latina, Hispanica, Italica, Germanica, ac Hungarica linguis familiariter utens: ob quas virtutes & animi dona, magnum ſui deſiderium reliquit.

Conjugem habuit Ferdinandus ANNAM, Ladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis filiam, mulierem egregiis ornatam moribus, & forma inſigni. Ex ea nati ſunt liberi præcipue;

Eliſabetha, Sigismundi Auguſti Regis Poloniæ uxor.

Maximilianus II. Imperator.

Anna, Alberti V. Bavariæ Ducis uxor.

Ferdi-

Ferdinandus Archidux, qui ex paternis bonis Tirolim, eiq; junctas provincias nactus eſt, Tirolenſis lineæ autor. Is, florem fœminei ſexus, Philippinam Welſeriam, primis nuptiis ſibi junxit; ſecundis, Annam Catharinam Mantuanam.

Maria, Wilhelmi Ducis Juliacenſis uxor.

Catharina, primum Franciſci Mantuæ Ducis, deinde Sigismundi Auguſti Poloniæ Regis, ſororii, uxor.

Eleonora, Wilhelmi Mantuani Ducis uxor.

Barbara, Alphonſi Ateſtini Ferrariæ Ducis uxor.

Carolus Archidux, cui, ex paterna hereditate, Stiria, Carinthia, & Carniola obtigerunt, quique Stirienſis Lineæ autor eſt.

Johanna, Franciſci Magni Hetruriæ Ducis uxor.

Juvat hoc loco oculis ſiſtere, brevem Auſtriacæ Familiæ, quatenus ad hactenus tradita, & alia, quæ deinde tradentur, confert, tabellam.

- MAXIMILIANVS I. Imp. n.1459. m.1519. Conjux Maria Burgunda.
  - Philippus Pulcher Rex Hiſpan. n.1478. m.1506. C. Johanna Hiſpana.
    - *Linea Burgundica ſive Hiſpanica.* CAROLVS V. Imp. n.1500. m.1558. C. Iſabella Luſitana.
    - *Linea Auſtriaca.* FERDINANDVS I. Imp. n.1503. m.1564. C. Anna Hungarica.
      - *Linea Auſtriac.* MAXIMILIANVS II. Imp. n.1527. m.1576. C. Maria Auſtriaca.
        - RVDOLPHVS II. Imp. n. 1552. m. 1612.
        - MATTHIAS Imp. n. 1557. m. 1619. C. An[illegible] Auſtriaca.
        - Maximilianus Magiſter Ord. Teuton. n. 155[illegible] m. 1618.
        - Albertus Cardinalis Rector Belgii. n. 1559. m[illegible] 1621.
      - Ferdinandus n. 1529. m. 1595. C. 1. Philipp. Welſeria. 2. Anna Catharina Mantuana.
        - Andreas Cardinalis. n. 1558. m. 1600.
        - Carolus Marchio Burgoviæ. n. 1560. m. 1618. C. Magdal. Sibylla Juliacencis.
      - *Linea Stirienſis.* Carolus n.1540. m. 1590. C. Maria Bavarica.
        - FERDINANDVS II. Imp n.1578. m.1637. C. 1. Maria Anna Bavarica. 2. Eleonora Mantuana.
          - FERDINANDVS III. n. 1668. m.1657. C. 1. Maria Hiſpana. 2. Maria Leopoldina Auſtriaca. 3. Eleonora Mantuana.
            - LEOPOLDVS n. 1640.
        - *Linea Trolenſis.* Leopoldus n.1586. m. 1632. C. Claudia Medicea.
          - Ferdinandus Carolus n. 1628. m. 1662. C. Anna Medicea.
          - Sigismundus Franciſcus. n. 1630. m. 1665.

MAXIMILIANVS II.

Maximilianus II. Ferdinandi I. filius, parentis laudes æquavit, aut ſuperavit etiam. Natus eſt A. 1527. eique pater A. 1548. Bohemiæ Regnum tradidit, nec multo poſt Carolus V. Imperator, *Mariam* filiam ſuam primogenitam ipſi deſpondit. A multis minime ineptis Scriptoribus, literarum monumentis conſignata eſt hiſtoria quæ ſequitur. Maximilianus, cum a patruo Carolo V. *Cæſare*, jam ad celebrandas cum filia nuptias in Hiſpaniam evocatus eſſet, *Granatæ* agens, animi laxandi cauſa aliquando venatum conceſſerat. Ibi procul a comitatu in loca deſerta, & inhoſpita tesqua dilapſus, cum diu oberraſſet, tandem conſpecto opilionis cujusdam tugurio, eo ſe contulit, rogans patremfamilias, hoſpitium nocturnum ſibi concedere dignaretur. Annuit ille, atque poſt tenuem cœnam, Maximilianum, qui habitu & cultu corporis hominis feliciſſimi ſuſpicionem præbebat, in cubiculum, quod janua carioſa & fracta maligne claudebat, deducit. Ei tum puella, opilionis filio deſponſata, clam revelat, ſocerum cum filio illius necem decreviſſe. Ergo Maximilianus ſolus relictus, ciſtam quandam prægrandem foribus cubiculi admovet, ac bombardam probe oneratam juxta ſe collocat, eventum exſpectaturus. Opilio, cum hoſpitem ex venatione defatigatum, omnino profundo ſomno compoſitum crederet, tacito gradu ad januam accedit, eamq; aperire conatur. Cum autem incaſſum id ten-

taret. Maximilianum precatur, oſtium recludat, ſibi enim veſtium quarundam e capſa depromendarum neceſſitatem imponi. Maximilianus id noctis faceſſere hominem jubet, contra opilio queri, vim ſibi fieri in propriis ædibus, ſeque rerum ſuarum uſu prohiberi, ad extremum in januam impetum facere, dum interim alii quos magno clamore evocaverat, aditum per feneſtrum quærunt. Maximilianus, haud ultra cunctandum ratus, bombardam ad januam dirigit, & per illam opilionem glande trajicit, nec minus foras gladio ſtricto ſe proripiens, opilionis filio caput amputat. Tum uxor opilionis ejulatu omnia complens, vicinorum fidem opemque implorat, efficitque, ut non domum tantum circumdent, ſed & Maximiliano extrema minari occipiant. Ibi Maximilianus quis ſit aperit, ſed cum plene id agreſtibus perſuadere non poſſet, ab iis ligatur, ad proximum Capitaneum deducendus. Jam ſe itineri commiſerant, dum interim in via famuli Maximiliano occurrunt, eumque liberant. Sumtum poſtea de ſontibus ſupplicium, domus opilionis ſolo æquata, puellam, præmia multa, & honor ingens manſerunt.

Cæterum, Maximiliano cum *Romana Aula* non ita bene conveniebat. Fuit enim, ceu eſt apud Petrum Suavem lib. 4. & 5. Hiſt. Concil. Trident. de eo Romam perlatum, quod *Prædicatorem* aleret; & ſæpius concionantem audiret; quod in pleraque Regni Bohemiæ loca, licet non in Civitatem Pragenſem, communionem Calicis introduxiſſet. Neque id Maximilianus ipſe interdum

terdum diſſimulabat, ſe Cœnam niſi plenam accipere non poſſe. Monuit ergo, qui tum ſedebat *Pius IV.* Pontifex, per Nepotem ſuum *Marcum Altempſium*, qui in Collegium Cardinalium paulo poſt aſcitus, Maximilianum tum adhuc Bohemiæ Regem, ut in Catholica fide perſiſteret, ſpe quoque oſtentata ſucceſſionis in Imperium, ſi extra officii viam non exorbitaret. Rex ei reſpondit, ſe Pontifici de tam propenſa voluntate gratias agere maximas, ſed animæ ſuæ ſalutem rebus omnibus mundanis habere cariorem. Quam quidem loquendi formulam, Aulæ Romanæ mancipes dicebant idioma eſſe Lutheranorum, quod alienationem ab obedientia illius Sedis implicet.

Ex ejusdem Petri Suavis lib. 8. diſcimus, quod cum a Maximiliano electo jam Rege Romanorum, *mittendi Romam eſſent Oratores*, qui de ſua electione Pontifici ſignificarent, non putaviſſe illum ad exemplum aliorum Imperatorum & Regum, ſibi, ad voluntatem Papæ, quidvis promittendum ac jurandum, ſed ratione habita Principum, & cæterorum Germaniæ Proteſtantium, ne ipſos ultro offenderet, voluiſſe ſibi prius declarari, quibus verbis utendum eſſet. Ea re in Cardinalium conſultatione poſita, decreverunt illi, *poſtulandam Maximiliano Electionis confirmationem, & in obedientiam Sedis Apoſtolicæ, ad exemplum omnium aliorum Imperatorum, jusjurandum.* Reſpondit Maximilianus, ſe nunquam in aliquid conſenſurum, quod fraudi futurum ſit Succeſſoribus ſuis, ſicut nunc deceſſorum ſuorum

taret Maximilianum precatur, oſtium recludat, ſibi enim veſtium quarundam e capſa depromendarum neceſſitatem imponi. Maximilianus id noctis faceſſere hominem jubet, contra opilio queri, vim ſibi fieri in propriis ædibus, ſeque rerum ſuarum uſu prohiberi, ad extremum in januam impetum facere, dum interim alii quos magno clamore evocaverat, aditum per feneſtrum quærunt. Maximilianus, haud ultra cunctandum ratus, bombardam ad januam dirigit, & per illam opilionem glande trajicit, nec minus foras gladio ſtricto ſe proripiens, opilionis filio caput amputat. Tum uxor opilionis ejulatu omnia complens, vicinorum fidem opemque implorat, efficitque, ut non domum tantum circumdent, ſed & Maximiliano extrema minari occipiant. Ibi Maximilianus quis ſit aperit, ſed cum plene id agreſtibus perſuadere non poſſet, ab iis ligatur, ad proximum Capitaneum deducendus. Jam ſe itineri commiſerant, dum interim in via famuli Maximiliano occurrunt, eumque liberant. Sumtum poſtea de ſontibus ſupplicium, domus opilionis ſolo æquata, puellam, præmia multa, & honor ingens manſerunt.

Cæterum, Maximiliano cum *Romana Aula* non ita bene conveniebat. Fuit enim, ceu eſt apud Petrum Suavem lib. 4. & 5. Hiſt. Concil. Trident. de eo Romam perlatum, quod *Prædicatorem* aleret, & ſæpius concionantem audiret; quod in pleraque Regni Bohemiæ loca, licet non in Civitatem Pragenſem, communionem Calicis introduxiſſet. Neque id Maximilianus ipſe interdum

terdum diſſimulabat, ſe Cœnam niſi plenam accipere non poſſe. Monuit ergo, qui tum ſedebat *Pius IV.* Pontifex, per Nepotem ſuum *Marcum Altempſium*, qui in Collegium Cardinalium paulo poſt aſcitus, Maximilianum tum adhuc Bohemiæ Regem, ut in Catholica fide perſiſteret, ſpe quoque oſtentata ſucceſſionis in Imperium, ſi extra officii viam non exorbitaret. Rex ei reſpondit, ſe Pontifici de tam propenſa voluntate gratias agere maximas, ſed animæ ſuæ ſalutem rebus omnibus mundanis habere cariorem. Quam quidem loquendi formulam, Aulæ Romanæ mancipes dicebant idioma eſſe Lutheranorum, quod alienationem ab obedientia illius Sedis implicet.

Ex ejusdem Petri Suavis lib. 8. diſcimus, quod cum a Maximiliano electo jam Rege Romanorum, *mittendi Romam eſſent Oratores*, qui de ſua electione Pontifici ſignificarent, non putaviſſe illum ad exemplum aliorum Imperatorum & Regum, ſibi, ad voluntatem Papæ, quidvis promittendum ac jurandum, ſed ratione habita Principum, & cæterorum Germaniæ Proteſtantium, ne ipſos ultro offenderet, voluiſſe ſibi prius declarari, quibus verbis utendum eſſet. Ea re in Cardinalium conſultatione poſita, decreverunt illi, *poſtulandam Maximiliano Electionis confirmationem, & in obedientiam Sedis Apoſtolicæ, ad exemplum omnium aliorum Imperatorum, jusjurandum.* Reſpondit Maximilianus, ſe nunquam in aliquid conſenſurum, quod fraudi futurum ſit Succeſſoribus ſuis, ſicut nunc deceſſorum ſuorum

actiones ad ſuum præjudicium trahuntur; cum id non aliud ſit, quam ſe Vaſallum profiteri. Mandat itaque, ut Orator ſuus his verbis utatur: *Majeſtatem ejus omnem reverentiam, devotionem, & obſequium, Sanctitati ejus, & Sedi Apoſtolicæ præſtituram: ac promittere, ſe Sanctam fidem Catholicam, non ſolum ſalvam conſervaturam, verum etiam, quantum poterit, amplificaturam.* Cum inter eos non conveniret, hujus negotii tractatione jam annum continuata, exiſtimant tandem Romæ, commodum ſe temperamentu inveniſſe, hoc propoſito, *ut de obedientia fidem daret Maximilianus, non qua Imperator, ſed qua Rex Hungariæ & Bohemiæ.* Negari enim non poſſe ajebant, Regem *Stephanum*, anno Salutis humanæ milleſimo, Regnum Apoſtolicæ Sedi donaſſe, illudque, una cum titulo Regio, poſtea eidem acceptum tuliſſe, & ſe ei in clientelam dicaſſe: & *Vladislaum*, Ducem Bohemiæ, accepta ab *Alexandro II.* facultate Mitram geſtandi, ad ſolutionem centum argenti marcarum in annos ſingulos ſe obligaſſe. Quæ a Germanis in conſultationem adducta, quod non aliis niterentur firmamentis, quam Papæ Gregorii VII. affirmatione, in ridiculis habita: iisque reſponſum, opus eſſe documentis recentioribus, & certioribus, ac titulo juris minus ambigui. Multi ultro citroque nuncii commeabant, cum variis propoſitionibus, reſponſis, & replicationibus. Exitus negotii fuit, ut poſt viceſimum menſem Romam venerit *Elfeſteinius* Orator Maximiliani, quo cum renovatæ eædem de poſtulanda confirmatione, & obedientia jurejurando promittenda,

tenda, tractationes. Sed illo dicente, ſe habere in ſcriptis orationem, quam totidem verbis recitare debeat, ne unum ejus apicem commutaret, Papa Pius facta Congregatione generali, rem Cardinalibus propoſuit. Illi, poſt longam conſultationem, denique ſtatuunt, quamvis nec confirmatio petatur, nec promittatur obedientia, tamen in reſponſione ad Oratorem dicendum: *Sanctitatem ejus Electionem Regis confirmare, omnes defectus, qui in illa de facto & de jure intervenerunt, ſupplendo, & obedientiam Regis accipere, nulla interim, utrum poſtulata fuerit, annon poſtulata, promiſſa, an ſecus, mentione facta.* Sic igitur ceremonia hæc, parum ex ſententia animi Pontificis, minus etiam ad mentem Collegii Cardinalium eſt peracta.

Duo maxime *Bella* geſſit Maximilianus, *Hungaricum*, Duce *Lazaro Suendio*, adverſus *Johannem* Tranſylvaniæ Principem, & mox *Solymannum II.* Turcam, ejus defenſorem. *Tranſylvanum*, recuperatis omnibus quæ ademerat, excepta Pacota, compeſcuit. Ex Solymanni exercitu decem millia *Tartarorum*, qui barbaro ritu, mulierum mamillis veſci exquiſiti cibi loco ducebant, infantes autem diſſecatos, verubus transfixos, & ad ignem toſtos devorabant, delevit: Fines, ad 40. milliaria cis & trans Tibiscum dilatavit, & *Jaurinum, Comoram*, ac *Veſprinum* Turcis eripuit. *Sigethum* tamen, quanquam a *Nicolao Serinio* fortiſſime defenſum, amiſit, cumque in hujus obſidione A. 1566. periiſſet Solymannus, pacem Maximilianus valde ſibi utilem cum *Selymo* fecit.

Alterum Bellum fuit *Gothanum*, cujus hæc occaſio. *Alberto Brandenburgico*, ſuperioribus annis Epiſcopis per Germaniam bellum facienti, militaverat *Guilielmus a Grumbach*, Nobilis Francus, qui ob hanc cauſam ab Epiſcopo Würtzburgenſi proſcriptus, boniſque ſuis ſpoliatus, cum necis in *Melchiore Zobelio* Epiſcopo occiſo, perpetratæ, ſuſpectus haberetur, nec Principum aliquot Germaniæ interceſſione bona ſua recuperare poſſet, & jam diu per Germaniam vagaretur, de vindicta adverſus *Würtzburgenſem Epiſcopum*, & univerſum Clerum exercenda A. 1563. cogitare cœpit, ut, quod precibus non poterat, vi impetraret. Itaque lectis aliquot peditum & equitum cohortibus, ſumma celeritate *Würtzburgum* contendit, & nocte intempeſta, magno impetu in urbem irruit, civibusque ſedatis, Clerum invadit. In hoc tumultu Epiſcopus *Fridericus Wirsbergius* ad Noricos confugit, Grumbachus vero multis comminationibus Clericos eo adigit, ut omnibus ſuis poſtulatis annuerent, & bona paterna ſibi reſtituerent, memoriam vero cædis in Zobelio commiſſæ prorſus abolerent, ſuique defenſionem reciperent, ſi contingat, ut Cæſar hanc transactionem irritam declaret. His ita peractis, Grumbachius, dimiſſis copiis, in Arcem ſuam *Hallingenſem* rurſum ſe confert. At, *Ferdinandus* Imperator, vim hanc injuſtam, ad Imperii, ſuique injuriam & contemtum pertinere declarans, Nobilitatem & Clerum Wurtzburgenſem jurejurando, quod Grumbachio dederant, ſolvit, omnia acta reſcindit.

ſcindit, & Grumbachium cum omnibus ſceleris ſociis proſcribit. Proſcriptum Grumbachium *Johannes Fridericus* Saxoniæ Dux, Johannis Friderici Electoris exautorati filius, qui ex paterna hereditate Gotham, & Thuringiæ partem tenebat, non tantum in patrocinium ac tutelam, ſed & inter Conſiliarios recipit, & Grumbachii hortationibus inductus, ſpem Electoralis dignitatis recuperandæ non levem concipit. Cum autem *Maximilianus* prima Comitia A. 1566. Auguſtæ celebraret, inter cætera concluſum fuit, ut, qui ob perpetratum non ita pridem Würtzburgi ſcelus, proſcripti eſſent, ad meritum ſupplicium traherentur. Mandatur hoc negotium exequendum *Auguſto* Electori Saxoniæ, qui A. 1567. exercitu ad expugnandam Gotham educto, omnes Joh. Friderici Miniſtros ac Subditos, fidelitatis juramento liberatos, ad Cæſareæ Majeſtatis obſequium redire juſſit. Sed ſoli cives Gothani, & Arcis Grimmenſteinianæ, quæ Vrbi erat contigua, præſidiarii, ſpretis Auguſti Electoris adhortationibus, in fide erga Principem, ſed magno ſuo malo, perſeverarunt. Arx enim tanta vehementia ab Auguſti milite concuſſa eſt, ut paucorum menſium intervallo, & hujus, & urbis quoque deditio fieret. *Johannes Fridericus captivus* ad Cæſarem Neoſtadium Auſtriæ eſt traductus, proſcripti ad ſupplicium rapti, & arx Grimmenſtein ſolo æquata.

Porro, cum *Pius IV.* Pontifex, *Cosmum* Florentinorum Principem *Regem* creare vellet, obſtitit Maximilianus, diſerte teſtatus, *non habere*

Italiam

Italiam Regem, præter Cæſarem. Et cum Pius V. eundem Coſmum poſtea *Magnum Hetruriæ Ducem* renunciaſſet, rurſus interceſſit Cæſar, additis minis, non impune laturum Pontificem, ſi porro jura Imperii involaret. At tandem, *Franciſco*, Coſmi filio, Magni Ducis titulus, cum is *Johannam*, ſororem Maximiliani in matrimonium ſibi adſciviſſet, tanquam Imperii beneficiario, ampliſſimo diplomate fuit confirmatus.

Anno 1575. Maximilianus ab Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Senatorum Regni Poloniæ majori parte *Rex* fuit electus: ſed, dum ille cunctatur, prævertit eum *Stephanus Batorius*, Regnumque occupavit.

Præter reliquas Maximiliani virtutes, commendanda ejus *moderatio*, *qua ille in cauſa religionis uſus.* Totus enim ad Pariſienſem lanienam exhorruit, & Lazaro Schwendio in hæc verba ſapienter ſcripſit: *Res pietatis, gladio non volunt dijudicari, neque tractari; neque aliter ſentiet quisquam, in quo aliquid eſt pietatis & honeſtatis, ullumve pacis & tranquillitatis ſtudium reliquum.* Hinc & *Auſtriacæ Nobilitati*, A. 1568. liberum Religionis Proteſtantium conceſſit exercitium, quod in ipſa Viennenſi urbe, in templo Franciſcanorum Conventualium viguit. *Joh. Sebaſtianus Pfauſer*, Evangelii Miniſter, aliquantisper a concionibus ſacris ei fuit, ſed ob varias, quæ objiciebantur moleſtias, Aula excedere coactus, Lavingenſi Eccleſiæ usque ad mortem præfuit.

Deceſſit Maximilianus A. 1576. anno Imperii 12. cum 20. annos ex palpitatione cordis laboraſſet

raſſet, cujus cauſa, propinatum ei a *Granvellano* venenum, fuiſſe dicitur.

Vxorem habuit Maximilianus MARIAM, Caroli V. filiam, quæ ſic fuit Cæſaris Filia, Nurus, Vxor, & Mater. Erat enim Caroli V. Filia; Nurus Ferdinandi; Vxor Maximiliani; & Mater Rudolphi. Ea *peperit filios quinque: Rudolphum*, Imperatorem; *Maximilianum*, Teutonici Ordinis Magiſtrum; *Erneſtum*, Hungariæ Proregem; *Matthiam*, Hungariæ & Bohemiæ Regem, & deinde Imperatorem; *Albertum*, Cardinalem, Belgii Gubernatorem. Filia *Anna*, nupſit Philippo II. Regi Hiſpaniarum; & *Eliſabetha*, Carolo IX. Galliarum Regi.

RVDOLPHVS II.

RVDOLPHVS II. Maximiliani filius, Rex Hungariæ factus eſt anno ætatis 20. ac triennio poſt Rex Bohemiæ, vivo patre; cui etiam poſt obitum, conſentientibus Electorum ſuffragiis Imperator ſucceſſit. Hic pacis ſtudia amavit & coluit, in vita cælibe. *Moravis*, *Bohemis*, & *Sileſiis*, privilegia, cum libero religionis exercitio, datis literis Majeſtatis, confirmavit. Sub hoc emendatio inſtituta eſt Anni, per *Gregorium XIII.* Papam, quam in Germania Pontificii admiſere, cæteri rejecerunt. Incidit hæc mutatio in annum 1582. Contra *Turcas* varia fortuna bellum Rudolphus per *Erneſtum*, & *Matthiam* fratres, *Ruswurmium* item, *Schwarzenbergium*, *Zerinium*, aliosque Duces adminiſtravit. Et quamvis Turcæ, *Siſeccum*, *Veſprinum*, *Palottam*, *Jaurinum*, ſeu Rabam, & *Caniſium*, partim vi, partim

tim dolo expugnaſſent, egregia tamen felicitate, *Filleccum*, *Novigradum*, *Strigonium*, ſeu Granam, *Albam Regalem*, ſeu Stulweiſſenburg, & *Peſtum* recepit. Quin & ipſam *Rabam*, quam Comes *Harteckius* prodiderat, per *Adolfum Schwarzenbergium* recuperavit.

Sigismundus Bathorius, Tranſylvaniæ Princeps, præcipiti uſus conſilio, A. 1598. regione ſua ceſſerat in gratiam Maximiliani, relaturus aliquot aureorum millia, & duos in Sileſia Ducatus. Id ægre *Andreas Bathorius* Cardinalis, patruelis illius tulit, ac ſubinde Sigismundus ipſe, mutata mente, pacta reſcidit. Ex eo bellum inter Bathorios & Maximilianum geſtum, ac Tranſylvania in poteſtate Maximiliani permanſit: Sigismundus, interventu *Clementis VIII.* Pontificis, in gratiam cum Imperatore redit, ac Pragæ demum A. 1613. moritur. At, Ordines, Imperatore ſpreto, *Stephanum Botskajum* Hungarum, Reformata religione imbutum, Ducem eligunt, qui, Turcarum auxilio, magnam Tranſylvaniæ partem ſibi adjunxit. Idem A. 1606. pacem cum Imperatore fecit, ea lege, ut ſibi & liberis, ſi quos mares relinqueret, Tranſylvaniam haberet: & id quoq; egit, ut pax Turcica cum Chriſtianis in 20. annos firmaretur. Notandum etiam de Rudolpho, ipſum A. 1599. conſentientibus Auſtriacis cæteris, bona pecuniæ ſumma accepta, inveſtituræ petitionem *Ducibus Würtenbergicis*, ad quam ex Cadamica transactione tenebantur, condonaſſe, Ducatumque ad primam & immediatam formam redu-

reduxiſſe, reſervata tamen Auſtriacis ſucceſſione, in caſum deficientis maſculæ ſobolis. A *Matthia* fratre vexatus Rudolphus, Regnum Hungariæ & Auſtriam in eum tranſtulit, & paulo poſt ante mortem etiam Bohemiam. Exactis annis ætatis 59. potentiæ 36. deceſſit A. C. 1611. In theſauris, gemmarum & auri argentique vim immenſam, XVII. auri milliones exſuperantem, reliquit. Symbolum ei erat ADSIT: quod quidam interpretati: *Auxilium Domini Sit Iniquis Terror*: Alii, *Auſtriæ Domus Secura Jovis Telorum*. Princeps fuit cætera eximius, ſed matrimonii abſtinens, liberiori, quam fas erat, Veneri aſſuetus.

IMPERATORES ORIENTIS.

SELYMVS.

SElymus I. Bajazetis II. filius ſecundogenitus, patre peremto A. 1412. imperare cœpit, *Achmeti* primogenito prælatus, quem, Sultani Ægyptii opibus ſubnixum, prælio vicit occiditque; *Corcbutum* quoque alterum fratrem, quietis & literarum amantem, una cum 8. nepotibus, ſimiliter e medio ſuſtulit. Fuit laborum patiens, ſobrius, liberalis, juſtitiæ tenax, Hiſtoriarum amans, Poëſeos quoq; in ſua lingua peritus. Bello contra Perſas, ad quos Achmetis filius, *Amurates*, confugerat, primo infelix, poſtea victor extitit. Poſt hæc plurimis Perſiæ urbibus occupatis, Regulos varios ſubegit. *Campſonem Gauri*, Ægypti Sultanum, vicit occiditque haud procul *Alepo*, quam

quam urbem, cum *Damaſco*, *Syriaque* tota ſubjugavit, *Palæſtina* per Sinanem Baſſam ſub obſequium redacta. Dein *Tomumbejum* a Mamalucis recens electum, Cairo capto, vicit, Ægyptoque potitus eſt. Inde Conſtantinopolim reverſum peſtis corripuit: quare Adrianopolin geſtandus, in itinere, in loco Thraciæ *Ciurl*, ubi patrem peremerat, A. 1526. ætatis 46. extinctus eſt.

SOLYMANNVS.

Solymannus, Selymi patris ſucceſſor, pace belloque egregius fuit. *Gazellem*, Syriæ Præfectum, rebellem, per ſuos Duces vicit; dein armis in Chriſtianos converſis, *Belgradum* A. 1521. cepit; *Rhodum* Inſulam A. 1522. ejectis Hoſpitalariis S. Johannis, qui deinde Melitæ conſederunt, occupavit. *Ægyptios* deficientes, per Ibrahimum Baſſam ad obſequium reduxit. Ipſe in Hungaria, *Ludovicum* Regem, prælio Mohazenſi A. 1526. ſuperavit. Budam urbem diripuit; *Viennam* A. 1529. fruſtra oppugnavit. Ad hæc Venetos pacem redimere coëgit; *Muſtapham* filium, regnandi cupiditate Ægyptios & Perſas concitantem, necari juſſit, quod idem fatum expertus eſt Bajazetes minor natu filius, ex intervallo. Dum *Sigethum* Hungariæ oppugnat, moritur A. 1566. ætatis 72. *Roxolana*, ei primo Concubina, dein uxor fuit.

SELYMVS II.

Selymus II. Solymanni filius, meticuloſus, effœminatus, ac ebrioſus fuit. Moſci potentiam everſurus, urbem *Moſcoviam* obſedit; ſed

a Mo-

a Moſcovitis domum repulſus eſt. Magis faventem fortunam habuit in *Cypro* Inſula, quam, a *Michio* Judæo excitatus, Venetis eripuit. Genuenſibus *Chium* ademit. A Chriſtianis, memorabili prælio ad *Naupactum* victus eſt, Hali Baſſa occiſo. Ejus cladis nuncio conſternatus, Adrianopolin ſe recepit, pace deinde cum Venetis inita. Obiit ex apoplexia A. 1574.

AMVRATES III.

Amurates III. Selymo II. genitus, regimen 5. fratrum cæde auſpicatus eſt. Tam obeſum illi corpus erat, ut vix caput præ humeris emineret. *Bellum Hungaricum* varia fortuna geſſit: *Perſicum*, infeliciter ſuſcepit. Etſi enim initio ſuperior extitit, & ad terrorem incutiendum, quinque millibus hominum obtruncatis, ex capitibus in planitie propugnaculum ſtruxit; tamen poſtea, bis gravem gladem paſſus eſt, quaq; vice 80. millibus amiſſis. Circumciſionem Muhammedis filii, 16. annos nati, magna ſolemnitate celebravit, adjunctis, præmio pellectis, pueris, qui tanto numero confluxerant, ut vix 30. chirurgi diei noctem jungentes, operi faciendo ſufficerent. Calculi doloribus, quibus totos 20. dies cruciatus fuerat, extinctus eſt Amurates, anno ætatis 48.

PONTIFICES ROMANI.

PIVS III.

PIus III. natione Hetruſcus, Pii II. ex ſorore nepos, poſt Alexandrum VI. Pontificatui, ſed

vix menſem unum præfuit, nihil igitur memorabile geſſit, & ſpem, quam de eo conceperant viri boni, fore ut Eccleſiam Romanam, ceu Volaterranus loquitur, *renormaret*, fefellit.

JVLIVS II.

Julius II. dictus prius *Julianus de Ruvere*, Sixti IV. ex fratre Raphaële nepos, *Pontifex militaris* vocabatur: quia negotiis bellicis, & quidem armatus, ſemper intererat. Hinc Julius quoque, mutuato a Cæſare nomine, audire voluit, & Claves S. Petri in Tiberim projecit, dicendo: *Quia non valet amplius Clavis Petri, valeat Gladius S. Pauli.* *Gallos*, ope Venetorum, & Helvetiorum, ex Italia expulit, Helvetiosque poſt Novarienſem Gallorum ſtragem, *Eccleſiaſticæ libertatis defenſores* nominavit, Pileo magni pretii, & Gladio inaurato illos donans. *Maximilianum Sfortiam*, Ludovici filium, in Mediolanenſem Ducatum reſtituit: *Johannem Labretanum* Navarræ Regem, cum Henrico VIII. Angliæ Regi, in Aquitaniam impetum facturo, ob amicitiam ſibi cum Galliæ Rege Ludovico XII. intercedentem, tranſitum negaret, Regno privavit, illudque *Ferdinando* Regi Catholico conceſſit. *Venetis*, Ravennam, Imolam, Faventiam, Forolivium, eripuit, eosque deinde ſatis afflictos in gratiam recepit, percuſſoque cum ipſis fœdere, contra Imperatorem & Gallos exercitum duxit. *Lateranenſe Concilium* indixit, quo concluſum, *Animas eſſe immortales, nec eſſe amplius de Adventu Antichriſti diſputandum.* Cardinales nonnulli ab eo defecerunt, ac Imperatoris, & Ludovici XII. Galliæ Regis auxilio

Concilium generale Piſis indixerunt, ad quod Julius citatus, Cardinalibus viciſſim diem dixit, eosque dignitatibus privavit. *Ludovicus XII.* Numos adverſus illum procudiſſe dicitur, cum inſcriptione: *Perdam Babylonem.* Deceſſit Julius A. 1515. ſeptuagenario major, cum ſediſſet annos 9.

LEO X.

Leo X. Laurentii Medicei ex Claricia Vrſina filius fuit, Leonisque nomen aſſumſit, ex recordatione materni ſomnii, quæ per quietem viderat ingentem leonem uterum ſuum implentem. Eum juvenem *Angelus Politianus* bonis literis imbuit, unde amavit viros doctos, fovitque, atq; ſic inſtaurationem eruditionis in Italia plurimum promovit. Minus tamen religioſus erat, quippe qui Cardinali Bembo, aliquid ex hiſtoria Evangelica proponenti, reſpondiſſe fertur: *Equidem fabula de Chriſto, nobis, noſtroq; cœtui, multum profuit.* In *Coronationem* ſuam decies centena millia aureorum inſumſit, exhauſtumq; ærarium, ut rurſus ditaret, ac, ut ſorori *Magdalenæ* gratificaretur, Indulgentias per Orbem Chriſtianum venum expoſuit, exitioſo Eccleſiæ Romanæ conſilio. *Cardinales*, quod nemo ante eum auſus fuerat, una creatione fecit XXXI. & in re inſolita, inſolitum illud contigit, ut exorta ſubito tempeſtate in loco ubi hæc peragebantur, S. Petri ſimulacro Claves e manibus excuterentur. Cardinales quoque a Julio II. exautoratos, Leo reſtituit: *Cruciatam* contra Turcas promulgavit: *Lutherum* adverſus Indulgentiarum nundinationem disputantem, excommunicavit, & 41. articulos, ex ejus

libris excerptos, damnavit : *Henricum VIII.* Angliæ Regem, quod Lutherum confutaſſet, *Defenſoris Fidei* elogio honoravit: *Franciſcum Mariam* Ducem Vrbini, & Piſauri Principem, regionibus exuit, ſuffecto in ejus locum cognato Laurentio Mediceo; qui tamen, Leone mortuo, Vrbinatenſi Ducatu rurſus excidit. Amplius Leo Minimorum Ordinis inſtitutorem, *Franciſcum a Paula*, inter Sanctos cœlites incredibili pompa retulit: *Gymnaſium Romanum*, quod Sixtus IV, fundaverat, negligentius habitum, inſtauravit: Opus *Complutenſium Bibliorum*, in quod Franciſcus Ximenius, Cardinalis & Archiepiſcopus Toletanus, amplius ſeptuaginta millia ducatorum erogaſſe dicitur, comprobavit; nec minus hortatu ejus novam Verſionem Bibliorum Latinam elucubratus eſt *Santes Pagninus.* Inter triumphos & gratulationes crebras, repentina mors illum A. 1521. poſtquam ſediſſet annos 8. rebus humanis exemit, cum eſſet ætate optima, valetudine firmiſſima, uteretur que ratione victus exquiſitiſſima. Veneno illum a cubiculario ſublatum a quibusdam proditum eſt, alii volunt fœdo amori indulgentem periiſſe. Sannazarii argutum de eo Epigramma notum eſt:

Sacra, ſub extrema, ſi forte requiritis, hora,
Cur Leo non poterat ſumere? vendiderat.

HADRIANVS.

Hadrianus VI. Vltrajecti apud Batavos, tenuis ſortis parentibus, & patre quidem *Florentio*, pannorum ſericeorum textore, vel, ut alii volunt,

lunt, Cereviſiario, prognatus eſt. Lovanii literis diligenter incumbens, Theologus inſignis, & adeo is vir evaſit, qui dignus habebatur, cui Carolus Auſtriacus, Hiſpaniæ Infans, Quintus poſtea hujus nominis Imperator, literis ac virtutum præceptis ab Avo, Maximiliano *Cæſare*, informandus traderetur. Præceptori gratiam deinde referens Carolus, ut ex Epiſcopo Dertoſenſi Cardinalis crearetur, autor commendatorque extitit, ac inſuper ſui abſentis Vicarium per Hispaniam illum conſtituit; denique & Pontificalem dignitatem in Hispania apud Cantabros tum agenti, ei impetravit. *Vltrajectini*, cum civem ſuum Pontificem creatum comperiſſent, inter publicæ, quæ tota urbe edebantur, lætitiæ ſigna, parietibus quoque per compita inſcribebant: *Trajectum plantavit, Lovanium rigavit, Cæſar incrementum dedit.* Quibus verbis nonnemo, haud citra ſalis leporem, *Hic Deus nihil fecit*, ſubjeciſſe deprehenſus eſt. Hadrianus, de electione certior redditus, Romam ſe conferens, non mutavit nomen illud, quod in Baptismo ei fuerat inditum, Cæſarei Oratoris conſilio, ob egregios cognomines Pontifices: quod inſtitutum tamen ii damnarunt, quorum animos inſedit perſuaſio, Pontifices, qui priſca nomina retinent, fatali quadam lege, rebus humanis non diu interesſe. Nihil prius aut antiquius fuit Hadriano, quam ut componeret diſſidium religionis in Germania. Quapropter in primo ſtatim Conſiſtorio, *Franciſcus Cheregatus* Teramenſis Epiſcopus, deſignatus eſt, qui in Comitiis Germanico-

nicorum Procerum, quæ Noribergæ, abſente Carolo V. Imperatore habebantur, Nuncium Apoſtolicum ageret. Ei, prout ex ipſis Cheregari Ephemeridibus Petrus Suavis excerpſit, hanc Hadrianus dedit mandati formulam: *Fateretur ſuo nomine ingenue, ex peccatis hominum, maxime Sacerdotum & Præſulum, natam hanc rerum perturbationem. Etiam in ipſa Sancta Sede, ab aliquot annis, abominanda pleraq; perpetrata, multos fuiſſe abuſus in ſpiritualibus, multos exceſſus in præceptis: deniq; omnia ſic in deterius mutata, ut lues a capite ad membra, a Summis Pontificibus ad minores Præſules divergens, late ſe diffuderit, ac vix unus aliquis reperiatur recte faciens, atque ab ea tabe immunis. Cui malo perſanando, cum & ſuapte ſponte, & officii debito incumbere debeat, navaturum operam, quantum poterit, diligentiſſimam, ut ante omnia Curia Romana, unde forſan tot mala ſunt derivata, corrigatur. Idque ſibi eo vehementius elaborandum, quo avidius ab omnibus deſideratur. Neque tamen debere cuiquam videri mirum, ſi non primo quoque tempore tolluntur abuſus; malum enim cum ſit inveteratum, & multiplex, non niſi pedetentim in eo curando progrediendum, ſumto a gravioribus initio: ne forte dum omnia ſimul tentantur, repentino medendi impetu omnia conturbentur.* Male ſemper habuit, Aulæ Romanæ addictos, iſta Pontificis ingenuitas, in eamque quoties occaſio tulit, accerrime ſunt invecti. Palmam vero cæteris in hoc genere præripuit *Cardinalis Sfortia Pallavicinus*, in Hiſtoria Concilii Tridentini, ubi l. 2. c. 7. prolixe oſtendere conatur, quantopere in mandato hoc ſuo peccaverit

rit Pontifex, & a recto ſapientiæ tramite devius, datus ſit in præceps. Plane igitur, ſi illum quis audiat, non tantum non Spiritu S. duce & auſpice in ſuis actionibus uſus eſt Hadrianus, ſed ne viri quidem examuſſim prudentis & circumſpecti, nomen mereri potuit. Quamobrem merito *Johannes Launojus*, Theologus Pariſienſis, Celebris Vir, & quo amico ac favitore uſus ſum, peculiari Epiſtola, quæ in tomo 4. literarum ejus comparet, Hadrianum defendendum, contra vero Pallavicinum perſtringendum ſibi ſumſit, præmiſſa epigraphe: *Adrianus defenditur adverſus Pallavicinum, & alios Aulæ Sectatores, qui Adrianum ad regendam Sedem Apoſtolicam minus idoneum fuiſſe calumniantur.* Ipſam epiſtolam, ſi quis totam perleget, non perdet ille, me ſponſore, operam. Nos, Launoji exemplum ſequuti, obiter tuebimur Hadrianum, adverſus dicam grandem, quam aliqui extra Eccleſiæ Romanæ pomœria conſtituti, ei, quantum apparet, inſonti, impingunt. Scilicet, *Cl. Hottingerus* in Hiſtor. Eccleſiaſt. c. 16. ſect. 13. p. 549. *Lætus* in Compendio Hiſtor. p. 380. & *Hofmannus* in Lexico, aſſeverant, *Adrianum ad avertendam peſtem, quæ graviſſime in Vrbe ſæviebat, Mago Demetrio Græco conceſſiſſe: at ſylveſtrem taurum, Diis Gentilium, ad placandam eorum iram mactaret.* In Indice Hottingeri, qui parti V. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſubjectus eſt, legitur adeo: *Adrianus VI. Vltrajectinus, Papa electus Anno Chriſti 1528. Gentilium Diis ſacrificare juſſit, peſte graſſante.* Non patitur ſana ratio credere, tale quid ab Hadriano fuiſſe admiſſum, qui

nunquam ſuſpicionem præbuit, animi a Chriſtiana religione alieni. At, quomodo Chriſtianus homo permittere queat, ut Gentilium Diis, quos minus nihilo eſſe perſpectiſſimum habet, ſacra fiant, & victimæ cædantur, ægre intellectu aſſequor. Ad hæc, Jovius, quem ſolum, ſui aſſerti autorem, ii, quos nominamus, allegant, non ſane hoc ſcripſit, quod volunt, ſed eum, niſi fallor, cum Lætus, primus oſcitanter inſpexiſſet, & nonnulla, tanquam ex ipſo hauſta, in medium attuliſſet, iſta Hottingerus & Hofmannus, minime conſulto Jovio, ſed Læti fidem ſequentes, deinde exſcripſerunt. Vt vero de Hadriani innocentia conſtet, juvat, integrum Jovii locum repræſentare, qui ſic habet libro 21. *Exorta eſt in Vrbe peſtilentiæ lues: quæ, cum ſeveris legibus, more noſtro, Pontifici minime coërcenda videretur, contactu ægrorum ita exarſit, ut multa funera in compitis viſerentur, appareretque vaſtari Vrbem haud multo dierum ſpatio, niſi Græculus quidam, nomine Demetrius, Spartanus, ſedandæ peſtilentiæ, favente ei turba hominum, negotium ſuſcepiſſet, nemine ſuperſtitionem vetare auſo. Nam ferum taurum, cui dimidium cornu diſſecarat, magico carmine dextram in aurem prolato, repente ita manſuefactum reddiderat, ut injecto tenui filo ad integrum cornu, quo vellet perducens, peſtilentiæ placando Numini ad amphitheatrum immolaſſet. Nec credulæ multitudinis ſpem ex toto feſellit, cum ab ea inanis ſacrificii proſpera litatione, miteſcere morbus cœpiſſet.* Hactenus Jovius: cujus verba utique nihil continent, e quo quis evidenter colligat, conſcium ſuperſtitionis fuiſſe Hadria-

drianum, nedum ut eam exercere conſilio & data opera permiſerit, vel, quod modum omnem falſæ narrationis ſupergreditur, huic indulgere juſſerit. Quin, nec de Gentilium Diis vola ulla vel veſtigium comparet, & veriſimile ſit, haud aliud, quam verum Numen, Græculum illum, ritu quamvis nefando, præpoſtere ſibi placandum ſumſiſſe. Certe, multa paſſim fiunt ejusmodi, dum Incantatores, & imprimis anus veneficæ, clam, & citra Magiſtratus præſcitum, malas artes, & faſcinationes ſuas exercent. Illi vero, Dei veri ope ſe niti videri volunt, ad quem carmina horribilia diſertis verbis diriguntur. De reliquo, exceſſit e vita Hadrianus A. C. 1622. cum non niſi 8. menſes ſediſſet, ſepultusque fuit Romæ in Eccleſia Germanorum. Sepulchri inſcriptio, eſt in fama & ore hominum:

HADRIANVS VI. HIC SITVS EST QVI NIHIL SIBI INFELICIVS IN VITA QVAM QVOD IMPERARET DVXIT.

CLEMENS VII.

Clemens VII. Mediceus, *Juliani*, Leonis X. patruelis, filius, literarum rudis, ſævus, crudelis, ac avarus fuit. Haſta propoſita in foro, tres Cardinalitios galeros venum expoſuit, majus pretium licitantibus. *Capta* A. 1525. *Roma*, a Cæſarianis, in Arce Angelica, a Menſe Majo usque ad Decembrem obſeſſus eſt. Carolo V. Coronam Bononiæ impoſuit, atque Imperatore Concilium urgente, id denegavit, Lutheranos ferro atque flammis exſtirpandos eſſe aſſerens. Carolus in

Epiſtola A. 1526. Granatæ ſcripta, ei exprobravit gladii politici temerariam uſurpationem, cum Gallo colluſionem, ſimulatam amicitiam, perfidiam, perjuria. *Henricum VIII.* Angliæ Regem, ob repudiatam Catharinam Ferdinandi Hispaniarum Regis filiam, Caroli Imperatoris amitam, quæ priore matrimonio Arthuro Walliæ Principi, fratri Henrici natu majori collocata fuerat, Clemens excommunicavit. Vnde Henricus, Papæ autoritate in ſuo Regno abolita, ſe Caput Eccleſiæ dixit. Petrus Suavis lib. 2. Hiſt. Concil. Trid. ſcripſit, non erubuiſſe Clementem A. 1534. *Hippolitho Mediceo*, Cardinali Nepoti ſuo, omnia per Orbem beneficia Secularia & Regularia, Dignitates, & Rectoratus, ſimplicia, & curata, vacantia, commendare ſpatio ſex menſium, ab eo die, quo in poſſeſſionem eorum mittendus eſſet, computandorum, cum poteſtate de fructibus omnium ſuo arbitratu disponendi, eosque in uſum ſuum convertendi: qua quidem enormitate merito exiſtimari poſſe, improbitatem culmen attigiſſe. Moriturus Clemens, dixit, ſe de tribus, quæ in dubium ſemper vocaſſet, mox redditum iri certiorem, nempe, *an ſit Deus; an morte careant animæ, & an poſt hanc vitam, alia ſit futura.* Mortuus autem eſt, A. C. 1534. Pontificatus 11. vitæ 56.

PAVLVS III.

Paulus III. gente *Farneſius*, initio pietatem præ ſe tulit, ac deſiderare ſe dixit, ut Eccleſia etiam in ipſa Romana Curia reformetur. Hinc ejus juſſu IX. *ad deliberationem Reformationis Romanæ*

manæ Eccleſiæ, cum in doctrina, tum in moribus, delecti partim Cardinales, partim Epiſcopi, qui, peculiari libello, morbos & nævos Eccleſiæ Romanæ delineabant, quem quidem librum ſupprimere volebant, aſt ille, opera *Nicolai Scombergii*, Archiepiſcopi Capuani, emanavit, ſeorſimque editus extat ſub hoc titulo: *Conſilium delectorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum, de emendanda Eccleſia.* Subſcripſere primo loco Caſpar Contarenus, Joh. Petrus Caraffa Cardinalis, qui poſtea Pontifex Paulus IV. Jacobus Sadoletus Cardinalis: claudit agmen Frater Thomas, Magiſter S. Palatii. Porro Paulus Pontifex, Angliæ Regem *Heinricum VIII.* anathemate notatum, indignum Regno pronunciavit, ob divortium cum Catharina, & Annæ Bolenæ ſuperinductionem, ſeceſſumque a Romana Eccleſia. *Parmam* ac *Placentiam*, Cardinalibus diverſis reclamantibus, *Petro Aloiſio*, notho ſuo, homini ſpurciſſimo, conceſſit, fiduciario jure ab Eccleſia Romana tenendas. Is, cum alia indigna patraſſet, tum vero *Coſmo Gerio*, Epiſcopo Faventino, per vim, nefande eſſet abuſus, in necem illius *Johannes Anguiſciolæ Comes, Camillus Pallavicinus, Auguſtinus Landus Complani Comes, & Joh. Aloiſius Confalonerius* conſpirarunt. Etſi autem conjurati hi ſumma prudentia tegebant conſilia ſua, nihilo ſecius aliunde certior fiebat Petrus Aloiſius inſidias ſibi parari, imprimis vero a Paulo patre admonebatur, ut *IV. Idus Septembris* caveret, erat enim Paulus, Aſtrologiæ, quæ de ſingulorum fortunis judicat, valde addictus, ac

Lucam

Lucam Gauricum, celebrem Aſtrologum, ſemper ſecum tenebat. Ferunt, Petrum Aloiſium, jam de conjuratione certum, autorum vero & loci ignarum, ad vetitas artes, quas a patre didicerat, confugiſſe, & Dæmonem de inimicorum nominibus percontatum eſſe: iſtum vero nihil aliud reſpondiſſe, quam ut diligenter in ſuam monetam inſpiceret, in ea enim locum conjurationis & complicum nomina illum reperturum. Id, tunc minime intellectum, pro ludibrio habitum, quod, facta cæde, verum fuiſſe deprehenſum eſt. Nam, cum in antica parte Farneſianorum numorum legeretur: P. ALOIS. FARN. PARM. ET PLAC. DVX. vocis PLACentiæ, ubi cædes facta eſt, prima quatuor elementa, *Pallavicinum*, *Landum*, *Anguiſciolam*, & *Confalonerium* deſignabant. Succeſſus conſiliorum hic fuit, ut conjurati, occupata Arce, P. Aloiſium gladio transfixerint, cadaver catena ſuſpenſum, e muro plebi oſtentarint, & ad ludibrium aliquandiu agitatum, præcipitarint in foſſam. Poſt hæc *Placentia*, a Cæſariano Duce *Ferdinando Gonzaga* intercipitur, Parma ægre in fide Pontificis conſervata. Atque de Paulo Pontifice amplius notandum, ipſum graviter admodum tuliſſe, quod Carolus V. *Cæſar* tantum ſibi ſumſiſſet, ut in cauſa Religionis Librum *Interim* evulgarit: *Alexandrum Farneſium*, Petri Aloiſii filii ſui, & *Guidonem Aſcanium Sforzam*, *Conſtantiæ* filiæ ſuæ ſpurios, Cardinales creavit: *Johannem Caſam* Ariepiſcopum Beneventanum, Legatum ad Venetos miſit, ut ibi libros Romanæ Eccleſiæ adver-

verſos conquireret, cenſuræ ſubjiciendos; cui muneri ille intentus, *Poëma* compoſuit *in laudem Sodomiæ*, quo ſe eo ſcelere delectari non diſimulat: idque Venetiis Trojanus Navius typis exſcripſit. Miſit quoque Paulus tres in Germaniam Epiſcopos, *Favenſem*, *Veronenſem*, & *Ferentinum*, *pro reductione Germanorum ad unionem Eccleſiæ*, conditionibus oblatis, quod gratis ſint abſolvendi a pœnis; quodque illis concedendus ſit ovorum & carnium eſus, quadrageſimalibus, aliisque temporibus. Schismatibus tollendis, *Conclium Generale*, *Mantuæ* primum, mox *Vicentiæ*, demum *Tridenti* celebrandum indixit. Autoritate ſua *Societatem Jeſuiticam*, quam *Ignatius Lojola* inſtituit, confirmavit; *Breviarium* ab ineptis quibusdam fabulis repurgavit. Joh. Fridericus Elector Saxoniæ, & Philippus Haſſiæ, Landgrafius Paulum accuſarunt, quod homines miſerit in Germaniam, qui Proteſtantium Civitates incenderent, aquas intoxicarent, habitacula venenis inficerent. Venere ad hunc *Feſſæ* & *Marochi Reges*, Chriſtianorum ſacris initiari poſtulantes. Pontifex poſtquam ad Baptisma illos admiſerat, continuo ſexcenta coronatorum millia ſibi ſolvi poſtulabat, reguisque eorum æternum tributum, quo, ſingulis annis, centena coronatorum millia, ob converſionis beneficium, quinquaginta autem millia ad alendos ibi Clericos, pendere debebant, imperavit. Horum poſtulatorum indignitas tantum erga Chriſtianam religionem odium in animis neophytorum Regum concitavit, ut domum reverſi illico eam ejuraverint,

rint. Cum ſediſſet Paulus annos 16. febri correptus obiit circa A. C. 1550.

JVLIVS III.

Julio III. quondam *Johannes Maria de Monte* nomen fuit. Is, cum hominem obſcurum, & ſuæ ſimiæ curatorem Cardinalem creaſſet, querentibus ea de re Cardinalibus, *Et vos*, inquit, *quid in me meritorum comperiſtis, quem Chriſtianæ Reipubl. Principem conſtitueritis?* Concilium Tridentinum continuavit. De ſtabilienda Romana Eccleſia conſultanti, conſilium datum, ut quam minimum Evangelii, præſertim vulgari lingua, in iis legatur civitatibus, quæ ſub poteſtate Pontificia ſint; ſufficere tantillum illud, quod in Miſſa legi ſolet. Percuſſit Numos cum inſcriptione: *Gens quæ non ſervierit tibi, peribit.* Abdicata rerum cura, hilaritati & genio aſſidue indulſit. Ob *pavonem* e prandio ad cœnam aſſervandum, ſed ab aliis devoratum, excanduit, cumque Cardinales eum placare vellent, dixit: *Si Deus iratus fuit primis parentibus propter eſum pomi: cur mihi non liceat iraſci ob pavonem, qui pomo longe præſtat.* Intemperantia magis vitæ, quam ſenio extinctus eſt A.C. 1555. cum ſediſſet annos 4.

MARCELLVS II.

Marcellus II. patria *Montepulcinus* e Thuſcia, cum prius *Marcellus Cervinus* diceretur, nomen poſt electionem non mutavit, ſed Cardinalibus mutationem nominis urgentibus, dixit: *Nec nomen,*

men, nec mores mutabo. Marcellus fui, Marcellus ſum manſurus. Fuerat in Concilio Tridentino Legatus, & in Solium Papale evectus, dixit: *Non videre ſe, quomodo ij qui faſtigiũ hoc altiſſimũ tenerent, ſaluti conſulere poſſent.* Doctos viros maxime dilexit, & in his *Gulilielmum Sirletum*, quem Cardinalem fecit, cujus opera Græca Bibliorum editio Romæ adornata eſt, quam poſtea *Antonius Carafa* ad umbilicum perduxit. Extinctus fuit apoplexia, cum ſolos 22. dies ſediſſet. Quidam prodiderunt, territum eum fuiſſe ſpectro, cane nimirum immani, diducto rictu ipſum petente, atque ſic in morbum & mortem incidiſſe.

PAVLVS IV.

Paulus IV. Neapolitanus, olim *Johannes Caraffa*, excluſo *Reginaldo Polo*, ob ſummas virtutes ſupremo faſtigio digniſſimo, & multorum votis expetito, Papa fuit electus. Is ſuperbe ſe geſſit, & *Philippo Hiſpano* titulum Regni Neapolitani conferre noluit. Preſſus ab eo opera Ducis Albani, Regem Galliæ hoſtem illi reddidit, miſſo Legato *Cardinale Caraffa*, ſummo Religionis irriſore, qui, cum plebs ad ingreſſum ejus Lutetiæ in genua procumberet benedictionem expetens, ipſe facto crucis ſigno murmurabat continue: *Quandoquidem populus iſte vult decipi, decipatur.* Cæterum Paulus, *Cardinales* LXX. adſcivit, exemplo LXX. Aſſeſſorum Synedrii, aut Interpretum Bibliorum, aut Diſcipulorum Chriſti. Publica ſanctione, cuncta, quæ ſuperiores Pontifices poſt Julium II. conceſſerant, quatenus ad bona reditusque Eccleſiarum minuendos pertinebant,

nebant, ſuſpendit. Ob reſtauratam in Anglia Religionem Romanam, & conciliatas inter Philippum Hiſpaniæ Regem, & Mariam Reginam Angliæ nuptias, Jubilæum promulgavit extraordinarium. Reſignationem Imperii a Carolo V. in manus Electorum factam, & electionem Ferdinandi improbavit, quod utraque ſe inconſulto, & contra canones facta eſſet. *Libros Thalmudicos* igni adjudicavit, applaudente *Sexto Senenſi*, qui combuſtioni interfuit. Inſtitutiones Juris Canonici *Paulum Lancellottum* componere juſſit. Cardinalem *Johannem Moronum*, & *Thomam Sanfelicium* Epiſcopum Cavenſem, quaſi hæreſeos ſuſpectos carceri mancipavit, quos Pius IV. poſtea liberavit. Cum fuiſſet Theatinus in Regno Neapolitano Epiſcopus, alios tres Nobiles viros, *Cajetanum Thianæum*, *Bonifacium a Colle*, & *Paulum Romanum* ſocios aſſumens, Clericos Regulares, *Theatinos* dictos inſtituit. De Paulo Pontifice morituro, Petrus Suavis in Hiſtor. Concil. Trid. l. 5. prodidit, ipſum Cardinalibus *Inquiſitionis Officium* tanquam unicam ad Eccleſiam ſartam tectam conſervandam rationem, præ omnibus commendaſſe; atque ut de eo in Italia potiſſimum, deinde ubicunque poſſent ſtabilienda, cogitatione omni incumberent, obnixe contendiſſe. Cæterum, quod eſt apud eundem Hiſtoricum, mortuo Pontifice, imo animam agente, populus ſeditionis furiis agitatus, illius ſtatuæ caput amputavit, & per Vrbis compita projecit; carceres publicos perfregit, emiſſis plus minus quadringentis, qui captivi inibi detinebantur: qua-

quadringentis, qui captivi inibi detinebantur: novum vero Inquiſitionis carcerem, qui *Ripetæ* erat, adortus, non contentus captivos liberaſſe, locum ipſum incendit, ſcriptaque omnia & litium tabellas, quæ illic aſſervabantur, flammis abſumpſit, minimumq; abfuit, quin in ædem Dominicanorum ad Minervam, odio Inquiſitionis, cui hi exercendæ fuerant præpoſiti, ignem injicerent. Deceſſit autem Paulus A. C. 1559. cum annis 4. Eccleſiæ Romanæ præfuiſſet.

PIVS IV.

Pius IV. Mediolanenſis, prius, Jacobo Zabarella in Aula Heroum p. 351. teſte, *Joh. Angelus Medicès* vocatus, ingenio ſagax fuit, verbis & ſcommatibus acutus, cibi vinique avidus, in voluptates pronus, dominandi cupidus, vafer, ac egregius ſimulator & diſſimulator. *Cardinalem Caraffam*, in mole Adriani ſtrangulare juſſit, & fratri ejus *Palliani Principi* in carcere caput præſcindere. *Concilium Tridentinum* A. 1547. cœptum, A. 1564. finivit, ac Bulla publice affixa præcepit, ut Concilium hoc, tanquam lex perpetua & univerſalis, ab omnibus, remotis quibuslibet obſtaculis, æqualiter obſervetur, tam ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, & Magiſtratibus, quam ab ipſorum Miniſtris, & populis ita, ut nulli Regum aut Principum, vel minimum in rebus ad religionem pertinentibus ſtatuere, aut populis ſuis indulgere liceat. Similiter peculiari conſtitutione ſevere edixit, ne quis ſine Apoſtolicâ autoritate, audeat commentarios ullos, gloſſas, annotationes, ſcholia, ullumve interpretationis

genus ſuperConcilii decretis,quocunque modo publicare. *Thermas Diocletianas*, *Pius*, vetuſtate collapſas,in ſacram Reginæ Angelorum Ædem, & Carthuſianorum Cœnobium convertit: *Ordinem Equitum Piorum* inſtituit, qui præſto eſſent Papæ, in publicum eunti, thronumque,quo geſtatur, ſufferrent,atque his, præ Imperialibus,& S. Johannis Melitenſibus Equitibus, honoris prærogativam conceſſit. Obiit A. 1565. ex intemperantia amoris,anno 6. Pontificatus.

PIVS V.

Pius V. olim *Antonius Michaël Gislerius*, Alexandriæ in Longobardia,patre opilione genitus eſt. Ordini S. Dominici ſe addixerat. Pontificatus onera conſiderans, ſæpe inter ſuſpiria dixit; *Quamdiu fui religioſus, bene ſperavi de mea ſalute: factus Cardinalis, cœpi timere: jam creatus Pontifex, pæne de ea deſpero.* *Eliſabetham* Angliæ Reginam, tanquam hæreticam, excommunicavit, poteſtate privavit, & ſubditos a juramento fidelitatis abſolvit. Hanc feralem ſententiam *Johannes Feltronus*, Londini, foribus Epiſcopi affixit. *Philippo II.* Hiſpaniarum Regi autor fuit Pius,ut *Carolum* filium,qui Belgis favere videbatur,e medio tolleret, eaque re peracta,Roſa aurea & Gladio illum donavit. *Meretrices*, quod eſt apud Thuanum, Vrbe excedere juſſit; monitus autem,inter tot cælibes, ſublatis ejusmodi fœminis, majoris corruptionis ſubeſſe periculum, lupanaribus eas coërcere voluit, ne porro, ut ante, libere per urbem interdiu noctuque vagaren-

garentur. At Senatus Romanus, a Sacro Ordine clam inſtigatus, intercesſit, idem periculum imminere, nec matronarum pudicitiam aliter ſervari poſſe dictitans, niſi priſtina libertas reſtituatur. Obiit Pius ex calculi doloribus A. 1572, cum ſediſſet annos 6. Diaſyrticum notum eſt;

Papa Pius Quintus moritur: res mira, tot inter
Pontifices, tantum Quinq; fuiſſe Pios.

GREGORIVS XIII.

Gregorius XIII. quondam *Hugo Boncompagnus, Bononienſis*, fuit juris Civilis & Canonici peritisſimus, & utrumque per annos 8. publice docuit. Imperatori, & Galliæ ac Hispaniæ Regibus ſubſidia miſit, ad bellum adverſus Proteſtantes continuandum. *Bononiæ* Vrbi, Archiepiſcopatus honorem, & alia beneficia tribuit. Romæ, commodo Germanorum, Anglorum, & Græcorum juvenum, ſplendida *Collegia* condidit, Jeſuitisq; Collegium Romanum tribuit. *Calendarium vetus Julianum* emendavit, & ad *Rudolphum II.* Imperatorem miſit, quod Proteſtantes repudiarunt. *Indulgentias*, cum earum vanitate jam detecta, nemo teruncio amplius emeret, gratis accipere juſſit. Nuncio de laniena Pariſienſi allato, recta cum Cardinalibus in B. Marci templum ſe contulit, proque ea ſtrage, Deo, ritu ſolemni, gratias egit, Jubilæum indicens. *Gebhardum Truchſeſſium* Archiepiſcopum Colonienſem, dignitate privavit, quod *Agnetem Mansfeldiam* duxiſſet uxorem. Sedit annos 13. & A. C. 1585. mortuus eſt ex anginæ doloribus, octogenario major. Ejus

memoriæ Romæ dicata fuit *Statua marmorea* in Capitolio, addito elogio, id factum eſſe, ob farinæ vectigal ſublatum; ob Vrbem templis & magnificentiſſimis operibus exornatam; ob HS octingenties ſingulari beneficentia in egenos diſtributum; ob Seminaria exterarum nationum in Vrbe, ac toto pæne terrarum Orbe, religionis propagandæ cauſa inſtituta; ob paternam in omnes gentes charitatem, qua, ex ultimis novi Orbis Inſulis, Japoniorum Regum Legatos, triennali navigationne ad obedientiam Sedi Romanæ exhibendam primum venientes Romam, pro Pontificia dignitate accepit.

SIXTVS V.

Sixto V. Papæ nomen ab initio fuit *Felix Peretus.* Natus eſt in pago tenui, proximo civitati Formanæ, cui *Montalto* nomen. Pontifex creatus, Romanæ Eccleſiæ ditiones, quas latrocinia, & homicidia funeſtabant, ſecuritati reddidit, graviſſimis pœnis de ſontibus ſumtis. Officia illa quæ prius vendi non ſolebant, venum expoſuit, atque ſic cum primo anno tantum decies centena millia aureorum habuiſſet in reditibus, poſtea ter decies centena millia capiebat. A. 1585. die 21. Septembris, prolixam promulgavit Bullam, quæ, ſi in compendium redigatur, huc evadit, ut pronunciet & declaret, *Henricum Navarræ Regem*, & *Henricum Condæum Principem*, fuiſſe & eſſe hæreticos, impœnitentes, hæreticorum quoque duces, ſicque læſæ Majeſtatis Divinæ reos, ac proinde eos damnabiliter incurriſſe in ſenten-

ſententias, cenſuras, & pœnas, ſacris canonibus, & conſtitutionibus Apoſtolicis contentas, & ſpecialiter eosdem fuiſſe & eſſe ipſo jure privatos, Henricum quidem Regno Navarræ, & Bearnia, Henricum vero Condæum, & utrumque, eorumque poſteros, omnibus aliis Principatibus, Ducatibus, honoribus, officiis, ad quæ jus quomodolibet habuerunt: ac fuiſſe & eſſe inhabiles & incapaces, ad illa retinenda, & alia hujusmodi in poſterum obtinenda. Ac pariter eſſe eos ipſo jure privatos, & incapaces, ac inhabiles, ad ſuccedendum in quibuscunque Ducatibus, Principatibus, Dominiis & Regnis, ac ſpecialiter in Regno Franciæ. Pronunciat inſuper Proceres, Feudatarios, Vaſallos, Subditos, & populos, Regnorum, Ducatuum, & aliorum Dominiorum, cæterosque omnes, qui illis quomodocunq; juraverunt, a juramento hujusmodi, ac omni prorſus dominii, fidelitatis, & obſequii debito abſolutos eſſe. Denique, *Henricum* Francorum Regem Chriſtianisſimum, per viſcera miſericordiæ Jesu Chriſti hortatur, rogat, ac etiam monet, ut memor præſtantiſſimæ fidei & religionis Regum majorum ſuorum, memor etiam illius juramenti, quod in coronatione de exterminandis hæreticis præſtitit, autoritate, poteſtate, virtute, atque animi magnitudine vere regia, ad executionem tam juſtæ ſententiæ incumbat. At vero, huic excommunicationi, mox oppoſuere Henricus Rex, & Condæus Princeps, *Appellationem*, ſeu *Reclamationem*, quæ, Romam, per Virum quendam Nobilem allata, & ibi A. 1585. die 6. Octobris,

locis quatuor, deſtinatis publicis denunciationibus, & in Marforii ac Pasquini ſtatuis, fuit affixa. Ea tota verbo tenus ſic habebat : *Henricus Dei gratia Rex Navarræ, Princeps Bearnæ, & primus Parium Franciæ, reclamat, & ſe opponit putidæ illi excommunicationi, quam Sixtus V. dictus Papa, Romæ vibravit in conſeſſu Cardinalium, V. Idus Septemb. proxime ſuperioris, adverſus ſuam Majeſtatem, & Celſitudinem Principis Condæi: hanc impiam, injuſtam, & falſam affirmat: & ab eadem appellat, more majorum, ad Curiam Parium Franciæ : inter quos eam obtinet dignitatem, qua primus in ordine cenſeatur. Quod ad confictum crimen hæreſeos attinet, de quo falſo & injuſte ab illo Sixto, qui nomen Papæ ſibi arrogat, accuſatur : ait, & affirmat, hunc (ſalva ejus ſanctitate) falſo, nequiter, & malitioſe mentitum eſſe: huncque ipſum fore hæreticum omnium maximum: quemadmodum recipit probare, in Concilio libero ; & ſecundum leges congregato. In quo, ſi ſui copiam non fecerit, nec illius judicio ſe ſubmiſerit, repugnando legibus ſuorum canonũ propriis, hunc exiſtimabit turbulentum & temerarium tyrannum, Antichriſtum, & inſignem hæreticum. Perſequeturq; eum hoc nomine, & ſucceſſores ſuos bello ſempiterno: ut ſe vindicet, de injuria ſibi, & toti Familiæ Regum Franciæ illata; uti rerum præſentium ſtatus, & neceſſitas poſtulat. Si antehac iſti inflati homunciones, perinde, ut hic Sixtus (quum obliti officii, & extra metas ſuæ vocationis prolapſi, divina cum humanis confunderent) ſuæ temeritatis pœnas dederunt Regibus & Principibus, Majoribus ſuis, cum eadem animi magnitudine ſit præditus, hanc gratiam a Deo ſe impetra-*

petraturum ſperat, qua munitus, vindicet injuriam hanc, ſuo Regi, ſuæ Familiæ, & Curiis omnium Parlamentorum Franciæ factam. Tandem rogat, atque obſecrat omnes Principes, Reges, & Civitates, veræ pietatis ſtudioſos (quorum etiam intereſt cavere ab hac tyrannide) ut ſibi auxilium ferant. Rogat etiam omnes huic Coronæ Franciæ fœdere junctos, ut conjunctis cum illo viribus, ſeſe objiciant tyrannidi & uſurpationi iſtius Papæ, & Confœderatorum ſuorum, in Gallia & alibi: qui conſpirarunt adverſus Deum, Regem, & Coronam Franciæ, tanquam hoſtes quietis publicæ, & pacis Orbis terrarum. Eodem modo proteſtatus eſt Henricus Borbonius Princeps Condæus. Pontifex, cum diligenti inveſtigatione, eum, qui Appellationem affixerat, deprehendere non poſſet, jam tum de Navarræi Regis fortuna bene augurabatur, quod injuriam e longinquo factam, tam prope, ac ſub ſuis oculis, ulciſcendam judicaſſet, atque ad id miniſtros adeo fidos & generoſos habuiſſet: ac poſtea ſæpe auditus eſt dicere, toto orbe ſe unum virum & fœminam videre dignos, niſi labe ſectaria infecti eſſent, qui regnarent, i& quibus cum ipſe de ingentibus rebus, conſil a, quæ animo agitabat, communicaret, Navarræum, & Eliſabetham Anglorum Reginam intelligens. Cæterum, de Sixti Bulla, Suprema Curia Pariſienſis, decreto ſtatuit, eam, a modeſtia Pontificum Anteceſſorum ipſius, tam eſſe alienam, ut nullum omnino Succeſſoris Apoſtolorum in ea veſtigium agnoſci queat; neque etiam in omni antiquitate inveniri, Reges, Princ pes & Status, jus Majeſtatis habentes, unquam juris-

dictioni ac arbitrio Pontificum fuiſſe obnoxios; e re eſſe, ut omnibus ligna conferentibus, carnificis manu, Bullæ ejusmodi comburantur, earumq; latores atque patroni, tanquam Rerump. communisque Ordinis ac Pacis perturbatores, & criminis læſæ Majeſtatis Divinæ & Humanæ rei, aliis in exemplum, ultimis ſuppliciis afficiantur. At vero, Sixtus præterea, *Henrici III.* Galliarum Regis, ſicarium, *Jacobum Clementem*, Dominicanum Monachum, Romæ in Conſiſtorio oratione celebravit, & Sanctorum agmini animo & voto intulit. Ad laudabilia Sixti opera pertinet, quod *Vrbem Romam* ædificiis valde exornavit. Quod *Xenodochium Trinitatis* condidit, & cenſu ditavit. Quod *Biblia Latina*, ſecundum Hebraicæ Græcæq; linguæ fidem, emendavit, & a multis erroribus repurgavit. Quod *Obeliſcos IV.* vetuſtate fractos, refecit, & Sanctiſſimæ Crucis Signo dicatos, ante Baſilicas S. Petri, S. Mariæ Majoris, S. Johannis Lateranenſis, & S. Mariæ de populo conſtituit. Quod Trajani & Antonini Imperatorum *Columnis* inſtauratis, Petri & Pauli imagines impoſuit. Quod *Bibliothecam Vaticanam* auguſtiorem reddidit, & picturis exornavit. Quod in Montem Quirinalem vim ingentem *aquæ*, quam veteri ſuo nomine *Felicem* nominavit, a via Præneſtina deduxit, trecentis fere ducatorum millibus in eam rem impenſis. Quod in *Hadriani arcem V.* milliones auri depoſuit, a nemine inde eximendos, niſi ob cauſas in Bulla adjecta contentas. Obiit Sixtus A. C. 1590. cum ſediſſet annos 6. non totos. Scripſere aliqui

qui, ab Hiſpanis, per *Monachum Franciſcanum*, tenui mantili fuiſſe ſtrangulatum, ſparſa fama, Dæmonem mortem illi acceleraſſe.

VRBANVS VII.

Vrbanus VII, vero nomine *Joh. Baptiſta Caſtanea* vocabatur. Ante coronationem mortuus eſt, die ab electione 12. Sodalitati B. Mariæ Virginis 30. millia aureorum reliquit, ad puellas pauperes dotandas.

GREGORIVS XIV.

Gregorius XIV. olim *Nicolaus Sfondratus, Mediolanenſis*, Italiæ, & Vrbi Romæ, annonæ defectu laborantibus, inde ex Dania & Hollandia usque, quod nunquam prius factum, advecto frumento ſubvenit. Nepotem *Sfondratum*, Eccleſiæ Generalem conſtituit, eumque in Galliam, contra Hugonotas miſit cum erercitu: in quam expeditionem ſexies centena aureorum millia inſumpſit. Deceſſit A. 1591. cum ſedisſet menſes 10. e calculi doloribus. In veſica, poſt obitum, inventus calculus duarum unciarum, & unius quartæ.

INNOCENTIVS IX.

Innocentius IX. Bononienſis, privatus, *Antonius Facbinetus* nomen habuit. Statim poſt electionem confirmavit legem de non alienandis bonis Eccleſiaſticis. Fecerat ſpem de ſe præclaram, ſed quem fata tantum 2. menſes ſiverunt eſſe ſuperſtitem.

CLEMENS VIII.

Clemens VIII. Florentinus, cui quondam *Hippolithus Aldobrandinus* nomen, principio operam

unice dabat, ut *Henricum IV.* Galliæ Regno privaret, mox, cum eum proſperitate uti, & conſilia de Patriarcha in Gallia creando agitare animadverteret, anathemate exſolvit, quin & matronium ejus cum *Margareta Valeſia* diſcidit. *Fœdus Sanctum* inter Reges, & Principes Romanæ Eccleſiæ addictos, ad Hæreticos exſtirpandos condidit, cui omnes nomen dedere, præter Galliæ Regem, & Magnum Hetruriæ Ducem. *Ducatum Ferraræ*, poſt mortem *Alphonſi II. Eſtenſis* occupavit, eumque Deō, B. Mariæ Virgini, & principibus Apoſtolorum, Petro ac Paulo, conſecravit in perpetuum. Alphonſi filio notho, *Cæſari*, Rudolphus II. Imp. Rhegium & Mutinam conceſſit. *Biblia Latina*, poſt Sixtum V. Clemens amplius correxit, nil veritus indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Apoſtolorum, quam Sixtus interminatus erat, negaturo, ſuam editionem authenticam, & vitii omnis expertem eſſe. Reliquiæ *S. Cæciliæ* Virginis, a Paſchali I. Pontifice conditæ, cum reperirentur, tanta ex hoc nuncio Clemens perfuſus fuit lætitia, ut podagræ doloribus, quibus diſtinebatur, liberaretur. Exceſſit e vita A. 1505. cum ſediſſet annos 13.

VIRI DOCTI.

JOH. CAPNIO.

JOh. *Capnio*, alias Reuchlinus, *Maximilani I.* Imperatoris, & *Eberhardi Prodi*, Ducis Würtenbergenſis, qui Academiam Tubingenſem fundavit, Conſiliarius, *Græcam linguam* perfecte tenuit,

coque

eoque audito, *Argyropylus* Græcus exclamabat, Græciam Alpes transvolaſſe. *Hebræam linguā Romæ* ad Alexandrum VI. Legatus miſſus, didicit, à *R. Abdia* Ceſinate, Jacobi filio, cui in ſingulas horas aureum, didactri loco, dare coactus fuit. Cum Monachis grave certamen habuit, qui libros Hebraicos funditus ſublatos volebant, quibus is ſe oppoſuit, & Imperatore ſavente uſus, cauſam vicit. Edidit Grammaticam Hebraicam, & Lexicon; Librum de Verbo mirifico, & tres alios, de Arte Cabbaliſtica. Trithemii de eo judicium eſt: *Nullum nobis, non modo Italia, ſed nec ſeculum quidem noſtrum, huic tanto viro parem, objiciet.* Obiter monendum, multos Germanorum Latinam linguam efferre incomte & barbare, atque pronunciatione iſthac efficere, ut apud peregrinos, non intelligantur, aut ſaltem riſum, interdum & bilem iis moveant. Merito igitur ſedulo monuit, qui nos amabat, Illuſtris Vir Wolfgangus Helmhardus Hohbergius, in luculento & inæſtimabili opere Georgicorum Curioſorum part. 1. p. 146. ab hoc errore cavendum eſſe, quod eo laborantes, etiam Gallicam & Italicam linguas, haudquaquam decenter addiſcant. Atque hunc digreſſum faciendi occaſionem præbuit, quod apud Philippum Melanchthonem tom. 1. Poſt. pag. 186. legitur. *Reachlinus narrabat nobis, Pontificem Romanum fuiſſe offenſum illa craſſa pronunciatione Legati miſſi a Palatino, qui, cum dicendum eſſet,* Sanctiſſime Pater, *ipſe dicebat:* Sonctiſſime Poter. *Capnio elegantius pronunciabat, & ea ratione fuit acceptior Aulæ Ro-*

læ Romanæ , cum in eadem legatione Romam miſſus eſſet.

MARTINUS LUTHERUS.

Martinus Lutherus , Islebienſis, natus eſt A. 1483. patre *Johanne* , Matre, *Margareta Lindemannia.* Habuit *Johannem Reimken* Præceptorem in juventa. A. 1505. cum paulo ante Magiſter artium liberalium renunciatus eſſet, Erfurti, monaſticam vitam amplexus eſt. A. 1508. venit Wittebergam, ac publice prælegit Organon, & Phyſicam Ariſtotelis, ibidemque A. 1512. Doctor Theologiæ creatus fuit. Ejus opera, Tomos 8. implent. Philippus Melanchthon, ex vero dixit : *Pomeranus eſt Grammaticus, & verborum vim explanat ; ego ſum Logicus, monſtro contextum rerum, & argumenta ; Juſtus Jonas eſt Orator, copioſè & ornate diſſerit ; ſed Lutherus eſt omnia in omnibus; eſt miraculum inter homines ; quicquid dicit, quicquid ſcribit, id in animos penetrat, & mirifice relinquit aculeos in animis hominum. Wolfgango Severo,* Ferdinandi I. Imperatoris præceptori , accepti feruntur verſus noti :

Japeti de gente prior majorq; Luthero,
Nemo fuit, ſed nec credo futurus erit.

Quin & profeſſi hoſtes Lutherum dilaudarunt. Cardinalis Pallavicinus lib. 1. Hiſt. Conc. Trident. c. 4. ſcripſit : *Acuto* (Lutherus) *vividoq; fuit ingenio , propenſus ad ſtudia literarum, & in iis corpore ac mente indefeſſus.* P. Maymburgii in Hiſtoria Lutheranismi , de eo verba ſunt : *C'eſtoit vn homme de beaucoup d'eſprit, de grande*

grande qualité, adroit, eloquent, tres-bien fait de ſa perſonne. Perperam igitur, tanquam corpore obeſus per ora hominum traducitur Lutherus, de quo præterea, qui illum apprime noverat, Petrus Moſellanus, ſcripſit ad Julium Pflugium: *Martinus, ſtatura eſt mediocri, corpore gracilento, curis pariter atque ſtudiis exhauſto, ſic, ut propius intuenti, omnia pæne oſſa liceat dinumerare.* Apud *Patavinos*, in Auguſtinianorum Templi ara quadam, Lutheri ſpectari imaginem, ſub Auguſtini ſchemate, quam ipſe ibi tranſiens effigiare curaverit, pervulgatus rumor eſt, cui fidem nec addere, nec demere ego velim. Certum tamen, illam picturam, Lutheri, prout vulgo pingitur, corporis habitudinem, mira ſimilitudine referre. Diem ſupremum obiit Lutherus A. 1546. relictis *Paulo* & *Johanne* filiis, quorum ille, Archiater Saxonicus evaſit, & Lipſiæ in templo Paulino, prope ſuggeſtum, ſepultus eſt. Hic, fratre ferocior, poſt mortem parentis, militatum abiit, vexilligeri munere in bello Germanico functus. Cætera Lutheri narrabimus in Memorabilibus.

Philippus Melanchthon.

Philippus Melanchthon, *Brettæ*, in Palatinatu oriundus, Germanice Schwartzerd vocabatur. Nominabat ſe interdum *Hippophilum Melangæum*. Huic, *Germaniæ Phœnicis*, *Communis Germaniæ Præceptoris*, *Artium reſtauratoris*, *Literarum & literatorum decoris*, elogia, conſenſu tribuuntur. Witebergæ Philoſophiam & Theologiam docuit. Auditores interdum mille quingentos habuiſſe dici-

dicitur. Thuanus l. 26. animi ejus moderationem, & quietis ſtudium, plurimum commendat. Opera 4. Tomis continentur. Ex his, in fama & exiſtimatione ſunt, *Auguſtana Confeſſio*, & ejus *Apologia: Locique Theologici*. De his poſtremis, miram, & ideo notabilem rem, narravit Joſephus Scaliger Puteanis fratribus, his omnino verbis; *Impreſſi erant Loci Communes Philippi Melanchthonis Venetiis cum hoc titulo* : per Meſſer Philippo di Terra nera. *Et illi Loci Communes miſſi Romam, per annum integrum emebantur, & legebantur cum magno applauſu, & jam non amplius reperiebantur, ita, ut oportuerit iterum petere Venetiis. Tandem, Franciſcanus quidam, agnovit librum, & dixit, ſe habere, eosdem Locos Lutheranos eſſe Melanchthonis. Volebant mulctare Typographum, qui non legerat fortaſſe. Ipſi eſt remiſſum, & exemplaria combuſta & ſuppreſſa. Ita ſpectatur non quid, ſed quis dicat.* Melanchthon mortuus eſt A. 1560.

SEBASTIANVS MUNSTERVS.

Sebaſtianus Munſterus, natus eſt A. 1489. & obiit A. 1552. Baſileæ Linguam Sanctam docuit. Primus *Chaldaicam Grammaticam* conſcripſit. Moſis Kimchii Grammaticam, Joſephum Gorionidem item, ex Hebræo in Latinam linguam tranſtulit. Edidit quoque Horologiographiam, Cosmographiam, cum aliis.

JOHANNES CVSPINIANVS.

Johannes Cuſpinianus, alias Spießhammer/ Swinfurtenſis, fuit Philoſophus, Medicus, Poëta, Orator, Hiſtoricus. Scripſit de Conſulibus & Impe-

Imperatoribus Romanorum. Item Hiſtoriam Auſtriæ.

PETRVS GALATINVS.

Petrus Galatinus, in Hispania claruit, origine Judæus fuit. Compoſuit Librum *de Arcanis Catholicæ veritatis*, ſed quem ex *Raymundi Martini Pugione fidei*, qui adverſus Mauros & Judæos Seculo XIV. ſcriptus eſt, totum compilavit.

ROBERTVS GAGVINVS.

Robertus Gaguinus, Gallus, Jureconſultus & Hiſtoricus, Res Francorum 11. libris complexus eſt. In rebus patriis, affectibus plurimum indulget; in externis quoque, parum ei tribuitur.

ANDREAS ALCIATVS.

Andreas Alciatus, Mediolanenſis JC. Primus omnium juris diſciplinam, nimiis disputationibus, & barbaro dicendi generi involutam, priſtino nitori reſtituit, & ad veros fontes revocavit. Extant ejus *Emblemata*, quæ acumen ingenii referunt. Opera 7. Tomis continentur.

AMBROSIVS CALEPINVS.

Ambroſius Calepinus, Bergomenſis, Ordinis S. Auguſtini, ſcripſit Latinæ Linguæ Dictionarium, quod deinde a multis Viris Doctis, diverſis temporibus, adeo locupletatum & immutatum eſt, ut ſi jam ipſe Calepinus rediret, ſuum opus nequaquam agnoſceret. Per jocum in Germania vulgo vocatur, Der Bachanten-Tröſter.

DES.

DES. ERASMUS ROTERODAMUS.

Deſiderius Erasmus,natus eſt Roterodami, patre Gerardo,Goudano,ex Margareta, Medici cujusdam filia,cumque prius *Gerardus Gerardi* diceretur, poſtea *Deſiderius Erasmus* vocari maluit. Scripſit Erasmus *Notas in Novum Teſtamentum, Adagia,Colloquia*,cum multis aliis. Pontificii illum odio habent : itaque Bellarminus eum inter Semichriſtianos refert.Forerus, dignum ait,qui ex omnium hominum memoria eraſus eſſet. Communiter Arianismum illi objiciunt. Nempe, quia nonnulla Scripturæ loca, ex quibus alii Trinitatem probant, negavit ad rem facere. Mortuus eſt Baſileæ,A. 1536. ætatis anno 70.

CÆLIUS LUDOVICUS RHODIGINUS.

Cælius Ludovicus Rhodiginus, primus Philologiæ ſtudium, & intermiſſam tot ſeculis commentandi rationem, in uſum revocare anniſus eſt. Docuit Patavii, & inter diſcipulos habuit Julium Cæſarem Scaligerum. Dedit nobis 30. libros Antiquarum lectionum,Plinium quoq; & Ovidium,Notis illuſtraſſe dicitur.

ALBERTUS KRANTZIUS.

Albertus Krantzius,Theologus & Hiſtoricus,docuit primum Roſtochii, dein Hamburgi. Edidit Metropolin,Saxoniam,Sueciam,Daniam, & Norwegiam. Viſis Lutheri theſibus,quibus Indulgentias ille oppugnaverat, dixit : *Vade in cellam Frater,& dic,miſerere mei Deus.*

THO-

THOMAS CAIETANVS.

Thomas Cajetanus, in extrema ſenectute, totam Veteris, & Novi Teſtamenti Scripturam, Cantico Canticorum, Prophetis & Apocalypſi exceptis, expoſuit, ſecundum Hebræam & Græcam veritatem. Erat Hebraicæ quidem linguæ rudis, ſed habebat ad manum homines, qui ad verbum omnia ipſi interpretabantur.

VLRICVS ZWINGLIVS.

Vlricus Zwinglius, natus in pago Wildhaus in Toggiis, fuit ſacrorum Antiſtes primum Glaronæ, dein Tiguri, ſcripſitq; plurima, quæ 4. Voluminibus prodierunt. *Bernhardo Samſoni*, Franciſcano, Mediolanenſi, a Leone X. in Helvetiam miſſo Indulgentiarum præconi, eodem tempore, quo idem in Germania munus Joh. Tezelio demandatum fuerat, ſtrenue ſe oppoſuit, adjutus ab Hugone Epiſcopo Conſtantienſi. Corraſerat Samſon ille, ex nundinatione ſua, ultra 120. aureorum millia, atque quoties pro defunctorum animabus, e purgatorio liberandis, pecunia ſolvebatur, ſimul ac eam nactus eſſet, clamare ſolebat: *Ecce volant animæ! ecce volant!* A. 1525. die 23. Aprilis, abolitis Miſſæ ceremoniis, Cœnam Domini, ſecundum ejus inſtitutionem, Tiguri Zwinglius celebravit. Stando ſtudebat, & labores ſuos in certas digeſſerat horas. A ſumo mane, ad horam decimam usq; lectioni & ſcriptioni ſe dabat. Poſt prandium audiebat vel narrantes, vel conſilia rogitantes, vel confabulabatur, aut deambulabat cum amicis, usque ad horam ſecun-

dam. Dehinc ad occupationes redibat, quibus ſæpe ad medium usque noctis immorabatur. Occubuit in prælio contra Quinquepagicos, A. 1531. cui tanquam primarius Paſtor, ex legibus Tigurinorum, intereſſe debuit. Cadaver inventum, in quatuor partes diſſectum, & combuſtum eſt. Poſt triduum cor illæſum repertum. Quod bonum omen interpretatus eſt Poëta, his verſibus:

Cor zelo accenſum divino, & Numine fervens,
Pruna favilliferi non cremat ulla rogi.

HENRICUS BULLINGERUS.

Henricus Bullingerus, Bremogartæ natus, Tiguri, Zwinglio, in functione Eccleſiaſtica ſucceſſit. Scripta ejus 10. Tomos implent. In his præ cæteris laudem ſibi vindicant, in Eſaiam Homiliæ, Conciones in Jeremiam, Expoſitio Danielis, & Commentarii in pleroſque Novi Teſtamenti libros.

JOHANNES CALVINUS.

Johannes Calvinus, natus eſt Novioduni in Picardia, ex Gerardo patre. Avarici Biturigum, ſub Alciato, jurisprudentiæ aliquandiu vacavit. Eccleſiæ Genevenſi multis annis præfuit. Thuanus, *virum vocat acri ac vehementi judicio, & admirabili facundia præditum.* Guido Patinus in Epiſtola ad Amicum, quæ inter excuſas eſt 24. ſcripſiſſe deprehenditur. *Joſeph Scaliger diſoit, que Calvin auoit été le plus bel eſprit, qui eût paru depuis les Apôtres.* Et mox iterum: *Jean de Monluc Euêque de Valence diſoit ordinairement, que Calvin*

auoit

avoit été le plus grand Théologien du monde. Pæne in univerſam S. Scripturam Commentarios compoſuit Calvinus. Opera ejus 8. Voluminibus continentur. Per integrum decennium a prandio abſtinuit, inſigni frugilitatis, & φιλοπονίας exemplo. In morte magna documenta patientiæ præbuit, tot morborum generibus excruciatus, ut ſigillatim diſtributa, facile numeroſum Noſocomium inſtruere potuiſſent, ceu Morerius ſcripſit.

SYLVESTER PRIERIAS.

Sylveſter Prierias, primus omnium contra Lutherum ſcripſit. Reliquit Auream Roſam in Evangelia, & librum de Strigibus.

BEATVS RHENANVS.

Beatus Rhenanus Seleſtadienſis, erat antiquitatis peritiſſimus. Paravit Commentarios Rerum Germanicarum, ac in Tacitum & Tertullianum Notas.

PETRVS RAMVS.

Petrus Ramus, Veromanduus, agricolæ filius, literarum ſtudiis ſe addixit, & brevi tantopere in illis profecit, ut Profeſſor Eloquentiæ Lutetiæ evaderet. Reliquit libros 4. de Religione Chriſtiana: 27. libros Geometriæ; & 20. libros Ariſtotelicarum Animadverſionum, quibus poſtremis multorum odium incurrit. Partem ſtipendii, hoc eſt libras 500. ſibi detrahi paſſus eſt, ut Mathematicæ diſciplinæ impoſterum Lutetiæ in peculiari cathedra docerentur. Cum Reformatæ Religioni ſe adjunxiſſet, ac jam

in Gallia minus tutus eſſet, Genevam ſe recipere cogitavit. Sed in laniena Pariſienſi, a Studioſis, Carpentarii, æmuli Philoſophi, diſcipulis, e cella in qua latebat eductus, & inflictis aliquot vulneribus, e ſummis ædibus in aream dejectus eſt. Cadaver ſcuticis primo cæſum, poſt in Sequanam fuit conjectum.

ADRIANVS TVRNBBVS.

Adrianus Turnebus, Normannus, initio Græcæ & Latinæ linguæ, deinde Philoſophiæ in Academia Pariſienſi Profeſſor fuit. Reliquit *Adverſaria*, opus multæ doctrinæ eruditionisq;. Claruit quoque carminibus.

JOHANNES AVENTINVS.

Johannes Aventinus, Abensbergæ in Bavaria natus, ſcripſit Annales Bojorum libris 7. magna diligentia fideque.

ANTONIVS BONFINIVS.

Antonius Bonfinius, Aſculanus, Matthiæ Corvini, Hungariæ Regis, impulſu, Hungaricarum rerum Commentarios, dictione non ineleganti, confecit. Compoſuit quoque Librum de Pudicitia conjugali & virginitate, quem Bellarminus teſtatur in Indicem librorum prohibitorum eſſe relatum.

POLYDORVS VIRGILIVS.

Polydorus Virgilius, Vrbinas, Pontificis in Anglia Quæſtor fuit. Scripſit libellum de Prodigiis: de Rerum inventoribus libros 8. Hiſtoriam Anglicanam, & alia. De eo extat lepidum Oweni epigramma;

Virgi-

Virgilii duo ſunt: alter Maro. Tu Polydore
Alter. Tu mendax, ille Poëta fuit.

LEANDER ALBERTVS.

Leander Albertus, Bononienſis, ſcripſit de Viris Illuſtribus Ordinis Prædicatorum; item, de Sepultura S. Dominici.

THOMAS MORVS.

Thomas Morus, Regni Angliæ Cancellarius fuit. Is, cum Henrici VIII. Regis conſiliis ſe vehementius oppoſuiſſet, in carcerem conjectus, ac tandem ſecuri percuſſus eſt. Id ubi comperit Carolus V. Imperator, dixiſſe fertur: Rex Henricus toti Angliæ caput amputavit, cum Morum ſuſtulit. Scripſit Carmina, necnon Vtopiam, in qua agit de optimo Reipublicæ ſtatu.

PETRVS MARTYR.

Petrus Martyr, nomine Vermilius, natus eſt Florentiæ A. 1500. Canonicus primo Regularis S. Auguſtini, Patavii Græcam literaturam & Philoſophiam addidicit: Hebrææ vero linguæ & Theologiæ, Bononiæ incubuit. Doctrinæ ſingulari, cum nativa facundia accederet, inter Italiæ Concionatores nemo ei par putabatur. Cæterum, lectis Zwinglii, aliorumq; ſcriptis, religione Romana miſſa, in Germaniam ſe contulit, & primo Argentorati ſacras literas exponere cœpit. Inde ſub Eduardo VI. Oxonium in Angliam vocatus, poſt ejus mortem, regione pulſus, Argentoratum rediit, & mox Tigurum abiit, ubi reliquum vitæ ſpatium tranſegit. Reliquit Com-

mentarium in librum Judicum & Epiſtolam ad Romanos, quin & ſcripta alia.

THEODORUS BEZA.

Theodorus Beza, Geneuenſis Theologus, A. 1561. inter alios, Colloquio Poſſiaceno, quod Franciſco II. Galliæ Rege præſente habitum, interſuit. Ex ejus ſcriptis, Annotationes majores in Novum Teſtamentum maxime commendantur. Biennio ante mortem, memoriam præſentium amiſit, ut ſtatim eorum quæ dixerat, obliviſceretur, præteritorum tamen recordatione tam tenaciter manente, ut totos Pſalmos Hebraice, & quodcunque caput ex Pauli Epiſtolis Græce recitare poſſet.

PAULUS FAGIUS.

Paulus Fagius, natus Tabernis Rhenanis, patre Petro Büchlein / primo Iſnæ, deinde Argentorati, Theologi munere functus eſt, inde in Angliam abiit, ubi etiam deceſſit. Corpus poſt mortem effoſſum, & in cineres redactum eſt. Multa tranſtulit ex Lingua Hebraica in Latinam, uti Capitula Patrum; Lexicon Chaldaicum Eliæ Levitæ; Sententias morales Ben Siræ; Onkeloſi Paraphraſin in quinque Moſis libros.

JOHANNES MARBACHIUS.

Johannes Marbachius, Theologus Argentoratenſis, natus eſt Lindaviæ A. 1521. Fuit inter miſſos a Senatu Argentoratenſi ad Concilium Tridentinum.

JOHANNES MATTHESIUS.

Johannes Matthesius, natus Rochlicii, Luthero

thero, & Melanchthone uſus eſt præceptoribus, primumque Scholæ, poſtea Eccleſiæ vallis Joachimicæ præfuit. Varios edidit libros, & in his Sareptam, ac Chronicon Vallis Joachimicæ.

MARTINVS BVCERVS.

Martinus Bucerus, natus Seleſtadii in Alſatia, primum Argentorati docuit, & Colloquio Ratisbonenſi A. 1546. cum Brentio & Snepfio interfuit. In Angliam vocatus, Cantabrigiæ Theologiam prælegit. Mortuo Eduardo Rege, cum Maria thronum conſcendiſſet, ejus, & Fagii cadaver A. 1555. effoſſum, ac publice exuſtum eſt. Cum Eliſabetha Regnum adepta eſſet, ambo honori reſtituti, & poſteritati commendati ſunt.

DOMINICVS A SOTO.

Dominicus a Soto, Segovienſis Hispanus, Carolo V. fuit a Concionibus ſacris, & in Concilio Tridentino præſens erat. Extat ejus liber de Juſtitia & Jure. Commentatus etiam eſt in Epiſtolam ad Romanos.

AMBROSIVS CATHARINVS.

Ambroſius Catharinus, Compſenſis Archiepiſcopus, multa contra Lutherum evulgavit. Edidit quoque Commmentarium in Epiſtolas Paulinas. Ipſi Pontificii, non probant omnes ejus opiniones, præſertim in Articulis de Certitudine gratiæ, & Prædeſtinatione.

VDALRICVS ZASIVS.

Vdalricus Zaſius, Conſtantienſis, Friburgi Jus Civile docuit. Compoſuit Commentarium in titulum de Origine Juris: librum, de Judæo-

rum infantibus baptizandis : Apologiam contra Eccium, cum aliis nonnullis.

GVILIELMVS BVDÆVS.

Guilielmus Budæus, Vir acris ac limati judicii, Regis Galliæ Conſiliarius, & ſupplicum libellorum Magiſter, ſcripſit librum doctiſſimum de Aſſe; item Commentarios Græcos, plurima eruditione refertos, cum multis aliis. Opera enim 3. Tomos implent.

WOLF. FABRICIVS CAPITO.

Wolfgangus Fabricius Capito, Hagenoæ A. 1478. natus, parentis voluntate, deterrimos ejus Seculi Eccleſiaſticorum mores exoſi, Medicinæ operam dedit, Doctor A. 1498. ætatis anno 20. creatus. Poſtea, mortuo patre, naturæ inclinatione ad ſtudia Theologica tractus, tantum profecit, ut poſt ſexennium A. 1504. Doctor renunciaretur. Dehinc jurisprudentiæ ſtudium quoq; excoluit, Zaſii, per quadriennium, auditor, & 1520. tertio quoque Doctoratus gradu honoratus eſt. Docuit Argentorati. Edidit Inſtitutiones Linguæ Hebraicæ, & Commentarios in aliquot Prophetas.

JACOBVS CVIACIVS.

Jacobus Cujacius, Tholoſanus, Jureconſultorum omnium, ſine controverſia, princeps, cui quicquid puræ nativæque lucis Jurisprudentiæ acceſſit, uni debetur, in Bituricenſi Academia jus civile docuit, & 4000. amplius librarum, quas Scholaribus mutuo dedit, jacturam paſſus eſt.

Theo-

Theoriam veteris juris Romani calluit optime, practicæ jurisprudentiæ non ignarus tantum, ſed, & ſi quid ejus noſſet dediſcendi cupidus. Inter præclara ingenii monumenta, quæ reliquit, non poſtremus locus debetur libris Obſervationum.

BARNABAS BRISSONIVS.

Barnabas Briſſonius, cui Fontenajum in Pictonibus patria fuit, Conſiliarius Regius, & Præſes Senatus Pariſienſis, compoſuit Lexicon Juris: Tractatum de Nuptiis: Formulas Romanas: librum de Regno Perſarum, & complura alia. Miſſus in Angliam ab Henrico III. Galliarum Rege, ſtatuta ejus Regni in ordinem redegit. Cum Henricus IV. Navarræus A. 1590. Lutetiam gravi obſidione cinxiſſet, quod ſeditioſis adjungere ſe nollet Briſſonius, in carcere ſtrangulatus, ac poſtea ſuſpenſus eſt. Id facinus Senatum tantopere commovit, ut ſedatis motibus, carnifex, apparitor, & qui a confeſſionibus fuerat Presbyter, quod Briſſonio e medio tollendo operam locaſſent, ex eodem patibulo fuerint ſuſpenſi.

M. ANTONIVS MVRETVS.

M. Antonius Muretus, Lemovicenſis, utriusque linguæ peritia, & Latine ſcribendi facultate inſignis extitit. In Gallia primum literas humaniores, & jus civile docuit. Poſtea Romæ annos 21. Philoſophiam, & Jurisprudentiam profeſſus eſt. Edidit inter cætera, Varias lectiones, Orationes, & Epiſtolas, quibus libris pretium fit.

PETRUS VICTORIUS.

Petrus Victorius, gente Patritia Florentiæ natus, exaravit Variarum lectionum libros 38. Catonem, Varronem, Ethicam Ariſtotelis, & Ciceronis Epiſtolas, notis illuſtravit.

ONUFRIUS PANVINIUS.

Onufrius Panvinius, Veronenſis, in Platinam Notas compoſuit, & vitas ſequentium Pontificum, usque ad Pium V. addidit. Extant ejusdem libri duo de Ludis Circenſibus; item Deſcriptio Triumphi Romanorum.

CAROLUS SIGONIUS.

Carolus Sigonius, Mutinenſis, primo Venetiis, deinde Patavii, poſtremo Bononiæ, literas elegantiores docuit. Scripſit de Regno Italiæ; Commentarium in Faſtos & Triumphos Romanorum; librum de Republ. Hebræorum, & alium de Republ. Athenienſium.

REMBERTUS DODONÆUS.

Rembertus Dodonæus, Imperatoribus Maximiliano II. & Rudolpho II. in Medicina operam navavit, & rem herbariam, meliore, quam a quopiam ante factum erat, ordine, digeſſit. Poſtremo vitæ tempore, Medicinam Lugduni Batavorum publice docuit.

JOHANNES CRATO.

Johannes Crato a Craftheim, raro felicitatis exemplo, ob eximiam doctrinam & morum ſuavitatem, apud Cæſares tres, Ferdinandum I. Maximilianum II. & Rudolfum II. Conſiliarii

&pri-

& primarii Medici munere functus eſt. Reliquit Methodum Therapeuticam, & alia.

PETRVS RONSARDVS.

Petrus Ronſardus, gente nobili in Vindocinis, natus, Poëtarum, Thuano judice, qui poſt Auguſti ſeculum vixerunt, præſtantiſſimus evaſit. Ei in ſacello Scholæ, ſtatuam marmoream poni curavit, quem heredem ſcripſerat, *Johannes Gallandius*, juventutis Pariſienſis moderator, & anniverſario ſacro, ac doctis puerorum concertationibus memoriam ipſius, longo poſt tempore celebravit.

THEODORVS ZWINGERVS.

Theodorus Zwingerus, Baſileenſis, in patria Philoſophiam primo, deinde Medicinam docuit, & præter Commentarios in Hippocratis, Galeni, & Ariſtotelis libros, ingens opus compoſuit, cui Vitæ Humanæ Theatrũ titulum fecit

LVDOVICVS GVICCIARDINVS.

Ludovicus Guicciardinus, Franciſci nepos, accuratiſſima Belgii deſcriptione, magnam gratiam inivit. *Pro ſalutari*, (ex Thuani lib. 96. hoc recitamus,) *conſilio, quod & ſcripto complexus fuerat de abolenda quadrageſima, malam gratiam olim ab Albano retulerat, in carcerem ignominioſum ob id conjectus.*

NICODEMVS FRISCHLINVS.

Nicodemus Friſchlinus, Balingæ, vetuſto Sueviæ oppido natus, carmina non ſcribere, ſed fundere viſus eſt. Reliquit Orationes, Elegias, Panegyricos, Tragœdias, & Comœdias. Calli-

machum

machum & Ariſtophanem Latine tranſtulit. Ob Rebeccam, Comœdiam, Rudolfus II. Imp. in Comitiis Ratisbonenſibus, eum ſuis manibus laurea poëtica redimivit. Denique, ob linguæ, cui plurimum indulgebat, petulantiam, in Arcem Hohen-Auracenſem, ditionis Würtenbergicæ, conjectus fuit. Ex hac, dum evadere conatur, rupto funiculo quo ſe demittebat, in aliam atque aliam petram ſubjectam præcipitans, confractis miſerabiliter membris A. 1590. interiit.

FRANCISCUS HOTOMANNUS.

Franciſcus Hotomannus, Lutetiæ natus, ſed origine Sileſius, varia elucubravit, quibus Jus Civile, & Antiquitates Romanæ illuſtrantur. Ejus etiam eſt *Fulmen Brutum*, ſcitus liber, pro Henrico Navarræo, adverſus Sixtum V. Pontificem ſcriptus, quo promeruit, ut omnia ejus ſcripta, in primam claſſem librorum prohibitorum referrentur. In Pariſienſi laniena, diſcipulorum ſuorum, ac præcipue Germanorum, ope, una cum Hugone Donello ereptus, Baſileam ſe recepit, ubi A. 1591. fato conceſſit.

HUGO DONELLUS.

Hugo Donellus, Cabillonum, Burgundiæ urbem, patriam habuit, & (ſequuntur porro verba Epitaphii, quod in hujus oppidi templo, ab Academiæ Curatoribus munificis, ex ære illi poſitum fuit,) *nulli JCtorum ſui ſeculi ſecundus, in Galliis initio, mox inde, civili bello flagrante, ſecedere coactus, Eidelbergæ, dein Lugduni Batavorum, denique Altdorfii, magna cum admiratione omnium, & concurſu*

extero-

exterorum, jura, facundo ore, docuit, obque pietatem, candorem, & humanitatem, Deo & hominibus æque charus, ſenio tandem confectus, vitæ & moleſtiarum ſatur pie & placide animam Creatori reddidit A. R. S. H. 1591. ætatis ſuæ, anno 64. Poſtulat quoq; hic ſibi locum, elogium, quo Vir maximus, Jac. Auguſtus Thuanus lib. 100. tum illum, tum & noſtram Academiam, quod grati ſuſpicimus, beavit. *Hugo Donellus, clariſſimus juris interpres, Cabilone ad Ararim natus, cum primum Avarici Biturigum diu docuiſſet, poſt tumultum Pariſienſem ſolum patrium vertere coactus, Lugduni Batavorum aliquanto tempore hæſit, ac poſtremo, ob ſuſpiciones, in Altorphiana Norimbergenſis Reipubl. celeberrima Academia, nidum ſenectutis poſuit.*

JOHANNES SLEIDANVS.

Johannes Sleidanus, in oppido Sleida, quod eſt ad Limburgenſis & Juliacenſis Ducatuum confinia, lucem aſpexit, fuitque primo domeſticus Cardinalis Bellaji, dein Evangelii doctrinam amplexus, Argentoratum ſe contulit. Erat procero & obeſo corpore, & altero oculo cæcus. Interfuit Concilio Tridentino, Civitatis Argentoratenſis Legatus. Extat ejus libellus de 4. Summis Imperiis, & Commentarius de Statu Religionis & Reipubl. ſub Carolo V. Imp. de quo libro, Imperator ille enunciaſſe fertur: *aut habemus proditores conſiliorum, aut ſcriptor ille, ſpiritus familiaris opera iſta didicit.* Ipſe Sleidanus in Apologia de ſeſe: *Non dubito, quin homines æqui judicent, nihil a me præter Hiſtoriæ legem eſſe factum, eoq; magis, quod pleraque deſumta ſunt ex Actis, quæ jam*

ante

ante fuerant typis excuſa. Et, poſt alia interjecta; *Quanto ſudore mihi conſtet hoc opus, poſt Deum immortalem ipſe novi. Nam ejus gloriam ſpectavi cumprimis, & omiſſa tractatione juris, huc omne fere ſtudium applicavi. Ac ſane fatendum eſt mihi, impellente Deo me quodammodo pertractum eſſe ad hunc laborem. Quod vero tam indignam tantis meis vigiliis gratiam nonnulli referant, commendabo illi, cujus cauſam imprimis egi.*

MICHAEL NOSTRADAMUS.

Michael Noſtradamus, Medicus, & Aſtrologus, quodque quidam addunt, Magus quoque celebris fuit. Catharinæ Mediceæ Galliæ Reginæ, quam de futuris ſæpe edocuit, gratia uſus eſt. Tetraſticha mille amplius edidit, quibus res in Oriente & Occidente futuras prænunciavit, appoſitis interdum circumſtantiis, & nominibus eorum, quorum interventu accidere illæ debebant. Nam & monachi, qui Henricum III. Galliæ Regem peremit, & Carnificis, a quo ſub Ludovico XIII. Momorantius percuſſus eſt, nomina appoſuit. Autoris Apologiæ, ipſius Tetraſtichis præfixæ, quam ab ipſomet Florinvilla Viro nobili, ejusque Conjuge, accepiſſe ſe teſtatur, ſequitur narratio: Agebat aliquando Noſtradamus apud Florinvillam, quo valde utebatur familiariter. Quodam die accidit, ut Florinvilla cum eo in aula inferiore caſtelli, animi cauſa, deambularet. Tum ecce illis duo porcelli occurrunt, quorum unus candidus erat, alter niger. Per jocum interrogat Noſtradamum Florin-

rinvilla, quid de illis futurũ ſit? Ille ſtatim, nigro, inquit, veſcemur nos; albus autem lupo in prædam cedet. Hoc audito, Florinvilla ſecretum mandatum dat coquo, ut porcellum album veſpere coquat, cœnæ inferendum. Mactatur nefrens, veruque, ut mos, transfixus, exinde foco lucenti admovendus erat, cum neceſſitate quadam oborta, e culina foras ſe proripit coquus, mox rediturus. Interea temporis eo intrat lupæ catulus domeſticus, viſumque porcellum invadit dentibus, clunesque momento abſumit. Redit coquus, & voratum a lupo magna ex parte porcellum videns, illico alterum, nigrum ſcilicet, foco ſuccedaneum dat, & menſæ poſtea infert. Poſt epulas, Florinvilla ad Noſtradamum, heus, inquit, porcellum album comedimus, neque lupus eum profecto attinget. Noſtradamus, negat album eſſe quem comediſſent, ſed nigrum. Accerſitur coquus, qui factum, ut expoſitum eſt, declarat, omnibus qui aderant prædictionis fidem obſtupeſcentibus.

JVL. CÆSAR SCALIGER.

Julius Cæſar Scaliger, natus eſt, A. 1484. in caſtro *Ripa*, Veronenſis ditionis, ex Scaligeris, Veronæ, aliorumque in Italia locorum, dominis, genus trahens. Arma diu cum gloria geſſit, ſed poſtea literis, ut honos nomenque illius, cum rerum æternitate perennatura ſint, effecit, eumq; Lipſius, Hippocrati & Ariſtoteli tertium jungere non dubitavit. Fuit enim Medicus, & Philoſophus, ad hæc, Criticus, & Poëta incomparabi-

lis.

lis. Scripſit libros de Subtilitate contra Hieronymum Cardanum, a quibusdam *Bibliorum Philoſophicorum* nomine inſignitos. Scripſit quoque notas in Hiſtoriam Animalium Ariſtotelis: librum de cauſis linguæ Latinæ: Epiſtolas: Poëmata; &, quod primo loco nominandum erat, opus admirandum de re Poëtica. Obiit Aginni in Aquitania A. 1558. ætatis 75.

HENRICUS STEPHANUS.

Henricus Stephanus, Roberti filius, ad exemplum patris ſui, typographicam artem non tantum exercuit, ſed & ad juvandam rem literariam, propria induſtria plurimum contulit, edito inter alia Linguæ Græcæ copioſiſſimo, & multorum Principum gazis præferendo, Theſauro. In Apologia pro Herodoto, quia in Monachos peccaſſe judicabatur, igni fuiſſet traditus, niſi fuga ſibi conſuluiſſet, in nivoſis Arverniæ montibus latitans. Cremata tamen a tortore Pariſiis illius eſt effigies. Diu in Germania vagus, Lugdunum ſe contulit, ubi egenus, in noſocomio vitam finiit. Reliquit filium, & filiam, quæ Iſaaco Caſaubono nupſit.

WOLFGANGUS LAZIUS.

Wolgangus Lazius, Viennenſis Auſtriacus, Medicus, & Ferdinandi I. Hiſtoricus, ſcripſit 12. libros Commentariorum Reipublicæ Romanæ in exteris provincis; 12. libros de Gentium migratione, Chronographiam Pannoniæ, & alia. Scioppii de eo fertur judicium: Lazio nulla eſt religio, quicquid libeat comminiſci.

ANDRE-

ANDREAS TIRAQVELLVS.

Andreas Tiraquellus, Fontiniacenſis Picto, JCtus & Senator Pariſienſis, reliquit ampliſſimos Commentarios de Nobilitate : de Primogenitis : de legibus Connubialibus, cum aliis. Thuanus tradit, eum æque ingenii, ac corporis numeroſa prole fœcundum fuiſſe, ſingulisq; annis, ſingulos libros, & liberos edidiſſe.

JOACHIMVS CAMERARIVS.

Joachimus Camerarius, Papebergenſis, non ſolum Germaniæ, ſed & Europæ ornamentum, dicitur Turnebo. Fuit Græce & Latine doctiſſimus. Herodotum, Xenophontem, Demoſthenem, Euclidem, Lucianum, libros alios, Latine convertit: ſcripſitque notas in Siracidem, & Novum Teſtamentum. Thuanus, ſcripta ejus digna judicat, quæ ſimul edantur. Camerarius, & Melanchthon, vere duo Præceptores Germaniæ dicendi, absque quibus fuiſſet, laboraret ea adhuc barbarie.

WILHELMVS XYLANDER.

Wilhelmus Xylander, Auguſtanus, Heidelbergæ Græcas literas profeſſus eſt. Plutarchi Parallela, & libros Moralium, Cedreni hiſtoriam, & Diophanti arithmeticam, Latinitate donavit. Scripſit & Commentarium in Homerum; libros Variarum Lectionum, & notas in Horatium. Raro ullum opus ſolitus abſolvere prius, quam typographis illud traderet : tantumque lucubrando ſemper promovit, quantum ipſi imprimendo abſolverent : cum ſumma

enim egeſtate colluctatus eſt, & ob id fami, non famæ ſcribere dicebatur.

GEORGIVS BVCHANANVS.

Georgius Buchananus, ex Levinia, Scotiæ provincia, ad Blavum amnem, in villa ruſtica oriundus, cultiſſimus & lacteæ venæ Vates, Pſalmos Davidis vario carminis genere feliciſſime expreſſit. Hiſtoriam quoque Scoticam, magna prudentia, & dictionis puritate conſcripſit.

JOHANNES STVRMIVS.

Johannes Sturmius, Scholæ Argentoratenſi, per 51. annos magna cum laude præfuit, dictus *Cicero Germaniæ.* Condidit libellum de Periodis: Scholia in Orationes Ciceronis & Hermogenem: Dialogos in Ariſtotelis Rhetoricam, & Partitiones Oratorias Ciceronis. Poſtrema ætate Reformatæ aſſenſit religioni, editis libris in ejus defenſionem.

JVSTVS LIPSIVS.

Juſtus Lipſius, in Iſcano municipio, quod tertio lapide Bruxellis diſtat, A. 1547. in lucem editus eſt. Juvenis Jenæ docuit, quod etſi poſtea diſſimulaſſe fertur, profeſſus tamen eſt in carmine ad Laurentium Rhodomannum, quod inſeruit Dilherrus Apparatui Philologiæ p. 486. his uſus verbis:

Jena ipſa olim inſeſſa, cum florida primis
Lanugo ſerperet malis.
Forſitan eſt aliquis noſtri memor, & doctorem
Fuiſſe prædicat ſibi.

Docu-

Docuit deinde Lugduni Batavorum, & poſtremo Lovanii. Scripſit multa, & omnia valde erudite, quæ Balthaſar Moretus in ſex tomos, majore quarta forma, digeſſit. Prodiit haud ita pridem, & alia minor editio. Suſpendit Lipſius Hallæ, quod Belgii in Hannonia oppidulum eſt, in Brabantiæ confinio, & ubi in templo, B. Mariæ Virginis celebris imago colitur, donarium Deiparæ, Pennam argenteam, haud adeo magnam, ex argentea catenula, adjecitque pro titulo, verſus aliquos, quibus a ſe editos libros ipſe commemorat:

Hanc, DIVA, PENNAM, interpretem mentis meæ,
Per alta ſpatia, quæ volavit ætheris,
Per ima, quæ volavit & terræ, & maris;
Scientiæ, Prudentiæ, Sapientiæ
Operata ſemper, auſa quæ CONSTANTIAM
Deſcribere, & vulgare; quæ CIVILIA,
Quæ MILITARIA, atq; POLIORCETICA,
Qæu, ROMA, MAGNITVDINEM adſtruxit tuam;
Variaque luce ſcripta priſci ſeculi
Affecit & perfudit: hanc PENNAM tibi
Nunc, DIVA, merito conſecravi LIPSIVS,
Nam Numine iſthæc inchoata ſunt tuo,
Et Numine iſthæc abſoluta ſunt tuo.
Porro, o benignitatis aura perpetim
Hæc ſpiret! & famæ fugacis in vicem,
Quam PENNA peperit, tu perenne gaudium,
Vitamque, DIVA, LIPSIO pares tuo.

Huic Carmini Janus deinde Wouwerius, Lipſii, poſt illius fata, imaginem appoſuit. Laudant alii, Lipſii donarium & inſcriptionem, alii culpant; ſed id plerique rident, quod ſupremis tabulis, tunicam quoque ſuam talarem pelliceam B. Virgini legavit, quæ etiam mox fuit divendita. Cæterum, de Lipſii libris Politicis, judicat Conringius, quod etſi multi illos ambabus amplexantur, exoſculantur, omnibusque commendant, Machiavellica tamen ſapiant, quanquam tecta cum vafritie. Guido Patinus in Epiſtola 144. ſcribere ſuſtinuit: *Tout ce que Lipſe a écrit eſt bon, mais ſon Style ne l'eſt gueres.* Mortuus eſt Lipſius A. 1606. nulla, ex *Anna Caliſtria* conjuge, ſuſcepta prole.

TYCHO BRAHE.

Tycho Brahe, Knudſtorpii in Scania, Illuſtribus Parentibus prognatus eſt. Hunc patruus *Georgius*, magna cum cura educatũ, præceptoribus egregiis commiſit, qui Lipſiam dein miſſus, ut juri operam daret, Aſtronomiæ, quo ſua illum voluptas trahebat, ſe addixit. Inſula *Huena*, a Friderico II. Daniæ Rege donatus, Arcem *Vranoburgum* ibi exſtruxit, & in inſtrumenta mathematica, ducenta aureorum millia impendit. *Reſtauratoris Aſtronomiæ* nomen promeruit, novumque Syſtema excogitavit, Copernicanum nonnihil immutando. Ejus vitam prolixe deſcripſit Gaſſendus, Opera, Francofurti junctim prodierunt. In his eminent Progymnaſmata Aſtronomiæ inſtauratæ, quorum pars prima a gis

dere-

de reſtitutione motuum Solis, Lunæ, & Stellarum. Altera, de nova Stella A. 1575. exorta. Tertia continet Epiſtolas Aſtronomicas. Conceſſit, poſtremis vitæ annis, ad Rudolfum II. Cæſarem, ad cujus menſam aſſidens, ex urinæ nimia retentione, mortem contraxit.

DAVID CHYTRÆVS.

David Chytræus, in oppido Ingelfinga, in Suevia, natus eſt, patrique ejus, Petrus Matthæus Kochhafen nomen fuit. Roſtochii Theologiam docuit, & tum aliis libris, tum imprimis Chronico Saxonico, famam ſibi paravit ac gloriam.

JOHANNES LEVNCLAVIVS.

Johannes Leunclavius, Nobilis Angrivarius, vir fuit doctiſſimus, & Juris Romani, Græcique, conſultiſſimus. Tranſtulit Xenophontem, Nazianzenum, Conſtantinum Manaſſem, Michaëlem Glycam, & alios Scriptores Græcos, in Linguam Latinam. Synopſin quoque LX. librorum Βασιλικῶν cum annotationibus evulgavit. Lambecius T. 1. Biblioth. Vindobon. p. 45. graviter in eum invehitur.

MARTINVS CHEMNITIVS.

Martinus Chemnitius, Eccleſiæ Brunſuicenſi 30. annos Superintendens præfuit. Elaboravit, præter cætera, Locos Communes Theologicos, Confutationem Concilii Tridentini, librum de duabus Naturis in Chriſto. Thuanus lib. 84. Hiſtor. de eo teſtatur, quod poſt obitum Philippi Melanchthonis, præceptoris ſui, Theologo-

rum Auguſtanæ Confeſſionis facile princeps inter ſuos habitus ſit, quodque Fridericus II. Daniæ Rex, Ludovicus Palatinus, Auguſtus Saxo, Joh: Georgius Brandenburgicus Septemviri. Julius item Brunſuicus, aliique Principes, Civitates, & Ordines, in conſilium ſuper Eccleſiaſticis negotiis illum ſemper adhibuerint.

MATTHÆVS WESENBECIVS.

Matthæus Weſenbecius, familia Patricia Antuerpiæ natus, cum Jurisprudentiæ operam Lovanii dediſſet, eandem ſcientiam, magna cum laude, Jenæ primum, & poſtea Witebergæ profeſſus eſt, ac plurima edidit. Inter quæ, Oeconomia Juris, & Scholia in libros Inſtitutionum.

EMANVEL TREMELLIVS.

Emanuel Tremellius, Ferraria Italus, patre Judæo natus, cum Petro Martyre in Germaniam venit, & poſtea Heidelbergam, ad profeſſionem Sacræ Linguæ vocatus eſt. Ibi, Syriacam Novi Teſtamenti editionem Latinitate donavit: dein novam Veteris Teſtamenti, ad Hebraicæ veritatis fontes examinatam translationem, molitus eſt, ſocio tanti laboris aſcito *Franciſco Junio*, qui, poſt Tremellii obitum, (is A. 1580. contigit,) in opere alieno plus juſto ingenioſus, eandem recenſuit, & additis multis, auctiorem reddidit.

HÆ-

HÆRETICI.

Ptolemævs Lvcensis.

PTolemæus Lucenſis, docuit Chriſtum non in utero Mariæ, ſed juxta cor ejus, ex tribus guttulis ſanguinis, conceptum fuiſſe.

Anabaptistæ.

Anabaptiſtæ, cœperunt cum Bello Ruſtico A. 1525. autore *Thoma Müntzero*, Thuringo. Non baptizant, niſi adultos. Omnem Magiſtratum Politicum, juramenta, contractus, ac diſtinctionem perſonarum tollunt. Contendunt, omnia bona debere eſſe communia. Hominem, legem Dei implere, & operibus Legis juſtificari poſſe affirmant. Publicum in Eccleſia docendi munus, omnibus concedunt: Sacramentorum uſum haud magni faciunt; inficiantur tres perſonas in Trinitate.

Michael Servetvs.

Michaël Servetus, Tarracone Hiſpanus, Medicinam primo Lutetiæ fecit, poſt in Africam contendit, ut Alcoranum diſceret. De Sacroſancta Trinitate male ſentiebat, ſcripſitque libros ſeptem de erroribus Trinitatis; in quibus docuit, nullam eſſe in Deo realem generationem perſonarum; item contendebat, non debere homines ante ætatis annum 30. baptizari. Combuſtus eſt Genevæ A. 1551. Verba Apoc. XII. *Michaël & Angeli ejus præliabantur cum Dracone*, de ſe interpretatus eſt. Illum ſecutus, *Valenti-*

nus Gentilis, ſolum Patrem eſſentiam Divinam dixit, Filium & Spiritum S. eſſentiatos, Patri quidem coævos, ſed inferiores: ob quas blaſphemias, Bernæ capite plexus eſt.

SCHWENCKFELDIANI.

Schwenkfeldiani, cœperunt ſpargere dogmata ſua A. 1526. autore *Caſparo Schwenckfeldio de Oſſing*, Nobili Sileſio. Scripturam pro litera mortua habent; ut in ſolo ſpiritu acquieſcendum ſit. Converſionem hominis, negant fieri per Verbi Divini miniſteriũ, ſed per viſiones & raptus. Humanã Chriſti naturam creaturam eſſe inficiantur: eandem, poſt reſurrectionem, Divinæ naturæ per omnia exæquatam, ſive potius in divinam naturam mutatam eſſe affirmant. Contemnunt Baptismum, negantque Corporis & Sanguinis Chriſti præſentiam in Cœna Domini. Hominem fide & operibus ſimul juſtificari contendunt.

DAVID GEORGIVS.

David Georgius, Delphis natus, ſe verum Meſſiam, Patris dilectiſſimum Filium, non ex carne, ſed Spiritu S. & Spiritu Jeſu Chriſti ſuſceptum, venditabat. Aſſerebat, doctrinam, per Moſen Chriſtum, & Apoſtolos traditam, eſſe imperfectam, ſuam vero perfectam. Permittebat promiſcuam libidinem. Ajebat, omne peccatum condonari admiſſum in Patrem & Filium, in ſe autem nunquam. Ex Belgio Baſileam petens, ibi ſub nomine *Johannis Bruckii* latuit, & 1556. animam efflavit, poſt triennium diſcipulis ſuis clan-

clandeſtinis reſurrectionem pollicitus. Nec fuit omni ex parte falſus Vates. Hoc enim tempore exacto, cum innotuiſſet Magiſtratui, quid monſtri aluerit, per carnificem effoſſus, & publice, una cum libris ac effigie crematus eſt.

SOCINIANI.

Sociniani, ſic dicuntur, a *Fauſto Socino*, Senenſi, qui natus eſt A. 1539. ac A. 1604. diem obiit ſupremum. Scripta ejus exegetica & polemica ſimul prodierunt. Docent Sociniani, Scripturæ textum authenticum eſſe depravatum; Veteris Teſtamenti lectionem non eſſe neceſſariam ſub Teſtamento Novo; & Rationi humanæ, in rebus fidei, judicium concedunt. Chriſtum, verum eſſe Deum, Adamum a Deo juſtum & ſanctum creatum eſſe pernegant. Aſſerunt, hominem ſolius naturæ viribus poſſe præſtare quodvis bonum; Chriſtum eſſe novum Legislatorem; reperiri homines tantopere perfectos, ut non peccent; quædam peccata, ſui natura eſſe venialia; Sacramenta eſſe nudas fidei profeſſiones; in reſurrectione minime eadem corpora iri reſuſcitatum; damnatorum pœnam eſſe annihilationem.

LIBERTINI.

Libertini, auctore quodam *Quintino Piccardo*, docent, licitum eſſe ſimulare fidem & religionem, & cum omnibus communicare: unum eſſe tantum ſpiritum immortalem; Angelos, & animas hominum non eſſe immortales: Chriſtum non vere obiiſſe in cruce, ſed opinione tantum. Adverſus hos librum conſcripſit Calvinus.

Referendi amplius inter Heterodoxos hujus Seculi,

JOH. AGRICOLA ISLEBIUS, qui *Antinomorum* ſectam condere cœpit, cum Manichæis aſſerens, Moſaicam Legem in Veteri Teſtamento latam, ad nos nequaquam attinere, ſed ad patibulum relegandam eſſe. Contendebat quoq;, Evangelium, in propriiſſimo ſuo, maximeque ſpecifico uſu, ac officio, eſſe concionem pœnitentiæ; atque ideo ad contritionem & agnitionem peccati, Lege minime opus eſſe. Sed vero errorem miſſum feciſſe dicitur; ac fuit inter eos, qui Caroli V. Cæſaris juſſu, librum *Interim* procuderunt.

ANDREAS OSIANDER, qui in Academia Regiomontana, id imprimis erronee docuit, hominem juſtificari eſſentiali Dei juſtitia, ac Chriſtum tantum ſecundum Divinam naturam noſtram eſſe juſtitiam.

FRANCISCUS STANCARUS MANTUANUS. Hunc, cum Maccejovius Epiſcopus Cracovienſis, Cracoviam evocaſſet, ut linguam Sanctam doceret; cum uxore ac liberis, deſerta Romana religione, illuc commigravit. Quia vero in Boruſſia in Oſiandrum inciderat, perhibentem, juſtificationem ad ſolam Chriſti Divinam naturam pertinere, ipſe in oppoſitam, æque falſam opinionem prolapſus eſt, qua ſtatuebat, Chriſtum tantum ſecundum Humanam naturam Mediatoris officium peregiſſe.

ME-

MEMORABILIA.

ANte omnia, compendio, quantum fieri poteſt, recenſenda hoc loco, divini operis, ECCLESIÆ REFORMATIONIS, HISTORIA.

Leo X. Pontifex, miſſis per omnia Regna literis atque diplomatibus, quorumcunque delictorum veniam, & vitam æternam pollicebatur iis, qui pecuniam, quæ exigebatur, exſolviſſent. Exceptæ ſunt, Sleidano teſte, horribiles voces nequam hominum qui hæc curabant, pecunia expiari crimen poſſe etiam in violanda, ſi fieri poſſit, Deipara commiſſum. Neq; vivis tantum, ſed & mortuis, ad liberandos eos ab ignis purgatorii cruciatu, prodeſſe numorum erogationem, jactabatur: tum vero, facultas quoque, publicis jejunii diebus veſcendi ovis & lacticiniis, itemq; eligendi, quem placitum eſſet, confeſſarium, pretio addicebatur. Hujus nundinationis cauſa miſſi Quæſtores, æraria paſſim per provincias conſtituebant, ſuasque merces, quas venum exponebant, *Indulgentias*, veteri quidem, ſed rei novæ indito nomine, vocabant. Per has Indulgentiarum venditiones, Pontifex, inſtitore per Germaniam *Johanne Tezelio*, Pirna Miſnico, Monacho Dominicano, magnam pecuniæ vim parabat, quæ cedebat in commodum ſororis ejus *Magdalenæ*, nuptæ *Franciſco Cibo*, Innocentii VIII. Papæ filio notho; cui hos proventus frater donaverat: partem quoque *Albertus Marchio Brandenburgi-*

burgicus Archiepiſcopus Moguntinus, ut Pallium a Curia Romana redimere poſſet, ſibi vindicabat. Ipſi interim nundinatores, in popinis curabant ſe molliter, genio indulgebant, & dies noctesque pergræcabantur. Iſta cœpta, cum cuique optimo, & in his, maxime *Martino Luthero*, Auguſtiniano Monacho, Theologiæ Doctori, & in Academia Witebergenſi Profeſſori, diſplicerent, eum in finem *XCV. Theſes* contra Indulgentias conſcripſit, easque A. C. 1517. die 31. Octobris, in Vigilia omnium Sanctorum, ad diſputandum publice templi valvis affixit. Pridie ejus diei, *Fridericus Sapiens*, Saxoniæ Elector, Suidniciæ ter ſomniavit, Monachum, comitatum Sanctis ad ſe veniſſe de cœlo, & ut quædam oſtio templi Academiæ Witebergenſis inſcribere liceret, petiiſſe: ſcripſiſſe autem literis tam magnis, ut ſcriptura etiam Suidniciæ legi poſſet: finem calami Romam usque ſe extendiſſe, & utramque aurem Leonis X. Pontificis, ibi jacentis, penetraſſe, inde ad Coronam triplicem Pontificis ſe exporrexiſſe, eamque adeo commoviſſe, ut caſura videretur. Ad hæc audire ſibi viſus eſt vocem, nunciantem, *Monachum iſtum, pennam evulſiſſe ex ala anſeris Bohemici.* Eodem die, quo Lutherus Theſes ſuas affixerat, literas dedit ad Albertum Archiepiſcopum Moguntinum & Magdeburgicum, cui tanquam Metropolitano ſuberat, ſuas theſes includens, & detegens ſimul fraudes ac impoſturas, quibus Indulgentiarum Venditores imperitum vulgus circumveniebant, rogans, ut ſua auctoritate, impudentem & impium libellum quem

quem Tezelius ſub titulo, *Inſtructio ſummaria*, in vulgus ſparſerat, proſcriberet, Tezeliumque ſaniora docere juberet. Tantum vero abeſt, Nundinatores Indulgentiarum coërciti fuerint, ut potius libellus, Inſignibus Alberti ornatus, mox prodierit, quo illis Inſtitoribus imperabatur, ut vim Indulgentiarum populo diligentiſſime commendarent. *Cæterum*, ad oppugnandas quidem Lutheri Theſes, nemo comparuit, & Tezelius, Francofurti ad Oderam, Lutheri Theſes cremare, & contrarias, a *Conrado Winpina*, Theologo, conſcriptas, edere contentus fuit, quibus hæreſeos dicam Luthero impingebat, & Indulgentiarum vim extollebat in immenſum. Verum enim vero, Lutheri quidem cœptum, magnos animorum concitabat motus, quibusdam illud probantibus, aliis, cum de proſpero eventu deſperarent, damnantibus audaciam, dum ipſe, interim id Leoni Pontifici, Alberto Epiſcopo Moguntino, & *Johanni Staupicio*, Auguſtiniani Ordinis Vicario Generali, per epiſtolas probare ſtudet, & Pontificis voluntati ſe, ſuaque omnia permittit: ab hoc vero ille, ut cœptorum rationem redderet Romam fuit evocatus. Cæterum, cum *Johannes Eccius*, Profeſſor Ingolſtadienſis, & *Sylveſter Prierias*, ac *Jacobus Hogoſtratus*, Monachi Dominicani, aliique pro Pontifice in arenam deſcendiſſent, & Lutherus illis reſponderet, paulatim, omiſſa de Indulgentiis diſceptatione, *nova quæſtio de Pontificis autoritate moveri cœpit*, occaſione diſceptationis palam profitente Luthero, ſe Pontificis autoritatem, non Sacræ

Scri-

Scripturæ ſolum, ſed & Concilii univerſalis autoritati, intrepide poſtponere.

Inter hæc, cogit Auguſtæ Vindelicorum Comitia Ordinum *Cæſar Maximilianus*, deliberaturus, qua ratione Turcarum potentiæ obviam iri poſſet. Venit illuc etiam Papæ Legatus *Thomas Cajetanus*, e Dominici Ordine Cardinalis, Vir ejus ævi doctiſſimus, qui in Scholaſtica Philoſophi & exponendis Scripturis, celebrem nominis gloriam meruerat. Cum igitur Romam, ad dicendum cauſam, a Leone citatus eſſet Lutherus, & metus foret, ne inclementius ibi tractaretur, & vitæ ipſius diſcrimen incurreret, obtinuit precibus ſuis a Cajetano *Fridericus* Elector, ut ipſe Lutherum Auguſtam venire, & coram ſe inſtituti ſui cauſas exponere pateretur. Abiit ergo A. 1518. Auguſtam Lutherus, literis ſecuritatis Cæſareis munitus. Poſt adventum, qui in diem 22. Octobris incidit, triduano colloquio, inter ipſum & Cardinalem, de Indulgentiarum virtute, deque requiſita fidei conditione ad ſalutarem Sacramentorum uſum, multis fuit diſputatum, Cajetano, ſacris Canonibus, Luthero, Divinis Scripturis, quamvis & Canones pro ſe facere aſſereret, pugnante. Quoniam vero Cardinalis, Lutherum nunc verbis bonis, nunc minis etiam, erorres, quorum nondum convictus erat, revocare jubebat, ac cum fruſtra ſe eſſe animadverteret, iratus, aditu illum porro prohibuerat, ipſe, *interpoſita ad Romanum Pontificem appellatione*, Auguſta diſceſſit. Cajetanus autem, ad Fridericum Electorem datis literis flagitat,

tat, ut aut Romam Lutherum mittat, aut regione ſua expellat. Reſpondet Princeps modeſte, non poſſe ſe morem adhuc gerere, quia Lutherus nondum errorum convictus ſit, & Witebergenſis Academia, de vita, moribus, & eruditione viri, præclarum perhibeat teſtimonium.

Sub finem A. 1518. Maximilianus Imperator fato concedit, poſt quem, in *Carolum*, illius e Philippo filio nepotem, cui *Quinti* cognomen inditum, dignitas fuit translata. Miſerat *Leo Pontifex*, ſub initium A. 1519. per *Carolum Miltitium*, Cubicularium ſuum, Friderico Electori Roſam Auream conſecratam, ut illum hoc munere in partes pertraheret: cumque minime ſucceſſiſſet negotium, A. 1520. die 15. Junii, Lutherum excommunicat, libros ejus cremari jubet. His auditis, & lecta excommunicationis Bulla, mox *Lutherus*, qui hucusque Pontificis autoritatem ſuſpexerat, ea de re, in diſputatione, quam anno exacto totis 10. diebus Lipſiæ cum Eccio, coram Georgio Duce Saxoniæ, habuerat, abunde teſtatus, jam irritatior, Pontificem Antichriſtum eſſe palam proclamat, & non ſolum ab illo ad Concilium legitimum & Oecumenicum provocat, ſed & d. 10. Dec. *Bullam*, & una *Juris Canonici corpus*, invitatis prius ad hunc actum Civibus Academicis per programma, in ignem conjicit, additis ex Jud. XV. 11. verbis: Wie ſie mir gethan / alſo thue ich ihnen wieder: nec minus poſtea edito ſcripto factum tuetur. Evulgavit quoque librum *de Babylonica captivitate*, & *contra Monaſtica vota*, & *Miſſas privatas* ſcripta alia: quæ

paſſim

paſſim ſumma cum hominum gratulatione, fuere excepta & lecta.

Anno 1521. *Carolus* Imperator, ad componendum religionis diſſidium, prima *Comitia Wormatiæ* celebrat, quo & *Lutherus*, accepta per *Caſparum Sturm* caduceatorem, qui comitatum præſtare debebat, ſponſione ſecuritatis, fuit evocatus. Sic itineri ſe accingit ille cumque Oppenheimium delato, ſuaderent Amici, ne ſe periculo exponeret, quod nuper demum publice affixis edictis, illius libri, evidenti, ac ideo timendo præjudicio, damnati eſſent, ipſe magno animo reſpondit: *mihi vero, qui vocatus ſum, decretum & certum ingredi in urbem in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, etiamſi ſcirem, tot diabolos mihi adverſos, quot ſunt tegulæ in omnibus totius urbis tectis.* Ergo Wormatiam ſe confert, compoſito in itinere hymno, Ein veſte Burg iſt unſer GOtt/ꝛc. & poſtridie in conſeſſum Cæſaris, ac Principum, Ordinumque Imperii, ab *Ulrico de Pappenheim* deductus, illic magna animi conſtantia, de doctrina ſua reſpondet. Et quanquam Summi etiam Principes, illi conſilia ſuggererent, quibus ſe e periculo, quod imminebat, liberare poſſet, cedere tamen ſe, aut ſententiam mutare poſſe, pernegavit, priusquam meliora e ſacris literis edoceatur. Proſcribitur proinde, Comitiorum publico decreto, quod Templorum omnium valvis, tota Germania affixum eſt, quo etiam Leonis novæ diræ acceſſerunt. *Sententia edicti* hæc erat, ut Lutherus, tanquam autor ſchismatis, atque manifeſtarius & pertinax hæreticus, damnaretur,

man-

mandareturque omnibus, gravi pœna denuncia-ta, eum pro tali agnoſcerent, & poſt 21. dies, ad reditum ab Imperatore conceſſis, quisque pro virili operam daret, ut illum capiat, & captum, in Cæſaris poteſtatem perducat. Eos vero, qui quocunque modo, re aut opera, faverent Luthero, ſimili modo proſcribebat Edictum illud, libros ejus penitus aboleri jubebat, & librariis, eos impoſterum vendentibus, graviſſimam conſtituebat pœnam. Atque hoc eſt famoſum illud *Edictum Wormatienſe*, cujus executio poſtmodum in multis Comitiis poſtulata fuit. Cæterum Lutherus, Wormatia diſcedens, in via interceptus, & juſſu Friderici Electoris, clam in Arcem *Wartbergam*, quæ haud procul Iſenaco diſtat, deportatus eſt, ut ibi deliteſceret, quoad Imperator e Germania disceſſisſet. Ignorabant vulgo homines omnes, ubi Lutherus ageret, atque refert Chytræus lib. 8. Sax. Pontificios Sacerdotes, tum a Magis, tum a Dæmone obſeſſis, latebras illius perquiſiviſſe, ſed fruſtra, utrisque nihil de iis ſibi conſtare profitentibus.

Eodem hoc A. 1521. *Henricus VIII.* Angliæ Rex, librum adverſus Lutherum edidit, ea præcipue impugnans, quæ ille de Captivitate Babylonica evulgaverat. Hunc librum, cum Leo X. in cœtu Cardinaliū prælegiſſet, Henricum Regem, *Fidei Defenſoris* titulo, ad poſteros omnes transferendo, affecit. Oppoſuit Lutherus poſtea ſcriptum contrarium cum amarulentia, de qua, cum Rex apud Fridericum Electorem quereretur, rogavit ille, condonaret Luthero, ſtyli, cui, indole

naturæ aſſueverit, acrimoniam. Circa finem añi, *Leo. X.* Pontifex e vita decedit, ſucceſſore *Hadriano VI.* Trajecti, apud Batavos, humili loco nato.

Lutherus, Wartbergæ, quam ipſe Pathmum ſuam vocare ſolebat, agens, ſcribit ad fratres ſuos Auguſtinianos, *de abroganda Miſſa privata*, iisque, ut eam miſſam facerent, perſuaſit. Quo cognito, Elector metuens, ne res illa majori alicui motui occaſionem præberet, *Nicolaum Amsdorfium*, *Juſtum Jonam*, *Philippum Melanchthonem*, & *Johannem Dulcium* delegit, qui cum Auguſtinianis de eo negotio colloquerentur. Renunciarunt hi Principi, quod ſit Fratrum conſilium, ſimulque orant, ut Miſſarum abuſus, ipſius mandato, tota regione abrogentur, vero Dominicæ Cœnæ uſu reſtituto. Sed ille, nihil in tanta re feſtinandum eſſe reſpondit, & exſpectandum, donec alii plures, in eandem ſententiam conſentirent: quod tamen Lutherus anno ſequente impetravit, ac *librum de Abominatione Canonis Miſſalis* emiſit in publicum: Witebergenſibus vero novæ Miſſæ formulam præſcripſit. Prima, in vernacula, Miſſa, celebrata eſt Witebergæ, A. 1525. Dominica XX. poſt Trinitatis, die 29. Octobris. Circa idem hoc tempus, *Bartholomæus Bernhardus Feldkirch*, Præpoſitus in oppido Kemberg, primus Sacerdotum conjugium inivit: quem Miniſtri Argentoratenſes imitati ſunt.

Luthero Wartbergæ latitante, *Andreas Carolſtadius*, Theologus, (quem Melanchthon in Epiſtolis per literas A. B. C. D. hoc eſt: *Andreas*

Boden-

Bodenſtein Carolſtadius Doctor, deſignare ſolebat) præpoſtero zelo ductus, privato auſu plebem incitat, ut imagines ſacras templorum demoliatur, habetque morigeram. Hoc audito, Lutherus diutius ſibi deliteſcendum non ratus, injuſſu Principis Witebergam redit, factumque ei ſuum excuſat. Carolſtadio autem cum ſeſe oppoſuiſſet, docuiſſetque, Imaginum venerationem prius ex animis hominum ejiciendam, antequam illæ e templis exturbentur, Carolſtadius paulatim ſecedere cœpit, poſt etiam fanaticis illis ſeſe addicere, qui enthuſiasmos jactabant, pædobaptismum ſpernebant, & novum regnum condere inſtituebant, in quo ſoli pii rerum potirentur; quam ob cauſam, ditione Saxonica excedere juſſus eſt: inde in Helvetiam abiit, & Baſileæ mortuus eſt, ſpectro, ceu Morerius ſcripſit, territus, cui tamen alii, Joh. Jacobi Grynæi, Antiſtitis Baſileenſis teſtimonium opponunt, qui illum inculpate vixiſſe, & pie obdormiviſſe aſſeverat.

Cæterum, Wormatienſe adverſus Lutherum & Aſſeclas Edictum, *Ferdinandus*, Caroli Cæſaris frater, vehementer urgere cœpit, in agro Würtenbergico graviter in illos animadvertens, quos a Romanæ Eccleſiæ ritibus ſeceſſionem facere deprehendit: ejus rei delatoribus conſtitutis. Bruxellis quoque, duo ex Ordine Monachorum Auguſtinianorum *Johannes Eſchius*, & *Henricus Voſſius*, ab Hogoſtrato Inquiſitore damnati, igne cremati ſunt, quod cum Luthero ſenſiſſe deprehenſi eſſent, primi poſt Evangeli-

um reſtitutum Martyres, quos Lutherus cantico, ob conſtantiam, celebravit. Poſtquam vero Carolus ad Hiſpanos conceſſit, Principes Germaniæ, A. 1524. *Noribergæ Conventum* celebrant, ad quem *Hadrianus* Papa, *Franſciſcum Cheregatum*, Epiſcopum Fabrianenſem, Nuncium miſit, ultro per illum faſſus, multa & gravia in Eccleſia eſſe, quæ emendatione opus habeant. Idcirco Pontificis confeſſionem arripientes Imperii Status, Reformationem urgent, ſerio teſtati, niſi illa bona fide ſuſcipiatur, Lutheri conatibus obviam iri non poſſe, quod metuendum ſit, ne populus in apertam ſeditionem prorumpat, ſi videant, neque a Pontifice emendationem impetrari, & eam, quæ aliunde provenit, impediri. *Centum* etiam *Capita* conſcribunt, quibus ea continebantur, quæ per injuriam Nationi Germanicæ, tum a Curia Romana, tum ab Epiſcopis, emungendæ pecuniæ gratia, impoſita ſint, & quæ aboleri cupiant. De reliquo, in Religionis cauſa eſt conſtitutum, ut modeſte populus doceatur, & Evangelium pure prædicetur: ut nulli deinceps libri prodeant, niſi a certis judicibus approbati, nihilque porro innovetur, Sacerdotes vero conjugati, canonica pœna afficiantur: denique cautum, ut omnia hæc ita ſerventur, ad Concilium usque liberum, proxime in Germania habendum, cujus quæ conditiones eſſe debeant, Legato præſcripſerunt. Hoc decretum cum reſciviſſet Imperator, minus id ei gratum fuit, Lutherus autem, ea quæ deliberata fuerant, pro ſe interpretatus, parænefin ſcribit ad Imperii Ordines,

dines, hortans eos, ut agnitam veritatem conſtanter tueantur. Sub idem tempus Lutherus habitum monaſticum depoſuit, illud veſtimenti genus aſſumens, quo tum temporis Sacerdotes incedebant. Eadem hac tempeſtate, mortuus eſt *Hadrianus VI.* Pontifex, cum non toto biennio ſediſſet, veneno peremtus. Succeſſit *Clemens VII.* Mediceus, qui *Laurentium Campegium* in Germaniam ablegavit, ad Status Imperii Noribergæ adhuc congregatos, ut de Religionis negotio cum iis disquireret.

Annus 1525. funeſtus fuit Germaniæ, ob *Seditiones Ruſticorum*, qui tam Cleri, quam Nobilitatis jugum excutientes, libertatis Chriſtianæ ſpecioſo titulo, ad motus concitandos abutebantur. Cœpit malum hoc in Suevia, & Franconiam, Lotharingiam, Alſatiam pervagatum eſt. Eodem anno e vivis exceſſit *Fridericus* Elector, cumque in cœlibatu vixiſſet, ſucceſſorem habuit *Johannem* fratrem, Luthero impenſe faventem. Lutherus autem tum, *Ordinationem Miniſtrorum*, ad Apoſtolicas ceremonias revocavit, & primum *Georgium Rorarium*, hoc ritu initiavit. Inſuper *Viſitatio Eccleſiarum*, per regionem, a novo Electore Saxoniæ ei injuncta, quibus Miniſtros, ad populum rectius edocendum, præfecit. Ad hujus viſitationis exemplum, multi Principes, multæque Civitates, ſuas etiam Eccleſias adornarunt.

Enim vero Lutherus, haud factis quam verbis in laceſſendo Papatu mitior, connubio ſibi jungit *Catharinam a Boren*, nobilem Viginem, e

cœtu Monalium; ex Monaſterio Nimptſchen a *Leonhardo Köpen*, cive honeſto Torgenſi, cum 8. aliis eductam. Cœperant enim jam ante Moniales, Pſalmorum latinos, & ſuperſtitioſos libros deponere, habitum religioſum exuere, & Monaſteriis valedicere. Nuptiæ habitæ ſunt Dominica Trinitatis die 13. Junii, Witebergæ, in ædibus Ambsdorfianis, conſecratore *D. Pomerano*, Paſtore: quæ res, ad inſaniam prope redegit Lutheri adverſarios: ipſe vero, per epiſtolas ad Amicos jocari ſolebat: Es ſey wahr/ der arme Luther ſey gefangen/ und mit Keten gebunden; Catharinæ enim nomen vulgus Saxoniæ in Kete depravat.

Turbata Ruſticorum tumultuatione Germania, *Carolus* Imperator A. 1526. *Comitia Statuum Spiræ*, ſe abſente haberi permiſit. In his, cum multi Edicti Wormatienſis executionem impetuoſe efflagitarent, magnum periculum erat Civilis belli, niſi *Ferdinandus* interceſſiſſet, ac moderatione ſua, Ordines redegiſſet ad concordiam. Concluſum igitur eſt, ut pacem inter ſe omnes colerent, & religionis controverſias, in Concilium, a Pontifice exorandum, differrent, interea temporis autem ſic ſe gererent, ut factorum rationem, Deo, & Cæſari reddere poſſent.

Poſt hæc Cæſar, miſſis Valjadoleto literis, iterum Religionis, & Turcici belli cauſa, *Conventum Spiræ* indicit. In eo Anno 1529. celebrato, Ferdinandus, quæ ſuperioribus Spirenſibus Comitiis acta fuerant, repetens, inculcabat, fuiſſe

tum

tum decretum, ut quantum ad Wormatienſe Edictum Cæſaris pertinet, omnes ita ſe gererent, quo ſui facti rationem & Deo, & Cæſari reddere poſſent; ſed multos, hac conventione perperam abuti, & omnis fere generis horrenda novaque dogmata, ſub hoc veluti prætextu, nunc defendi & excuſari. Proinde, *novum factum Decretum*, ut ii, qui Cæſaris Edicto hactenus morem geſſerunt, deinceps quoque illud usque ad Concilium ſervarent: qui vero doctrinæ genus mutarunt, neque ſine metu ſeditionis ab illo ſecedere poſſent, ſibi temperarent impoſterum, nec porro aliquid usque ad Concilium innovarent. Amplius, ne Miſſa abrogetur, iis autem in locis, ubi novum eſt doctrinæ genus, ne impedimentum fiat, quo minus ad Miſſam, qui volunt, accedant. Sed, cum hoc decretum, Ordinibus, qui ab Eccleſia Romana divortium fecerant, incommodum afferre videretur, ideo, *Johannes Elector Saxoniæ*, *Georgius Marchio Brandenburgicus*, *Erneſtus* & *Franciſcus Duces Brunſuicenſes*, *Philippus Landgrafius Haſſiæ*, & *Wolfgangus Princeps Anhaltinus*, die 19. Aprilis anni prædicti 1529. huic decreto palam ſcripto contradixerunt, ad Imperatorem, futurumque Concilium, ſive Oecumenicum, ſive Provinciale provocantes, quibus eapropter celebris *Proteſtantium* appellatio indita. Ad quorum nomina retinenda, conferre poteſt mnemonicum:

JOHANNES GEORGIVS, & ERNESTVS ac FRANCISCVS, gemelli fratres, cum PHILIPPO WOLFGANGO dimicarunt.

Principibus, *Civitates XIV. Imperii*, atque in his, *Noribergenſis Reſpublica*, ſe junxerunt. Proteſtationis formula, per Legatos, Cæſari, Placentiæ tum agenti, fuit exhibita, quibus ille gravius reſponſum dedit, Spirenſe decretum comprobans. Cum igitur periculum ſibi imminere vererentur Proteſtantes, *Conventum Smalkaldiæ* indicunt, deliberaturi, quid agendum ſit, ne Eccleſia illorum aliquid detrimenti patiatur. Sub initium hujus anni, ediderat Lutherus *Catechiſmum minorem*, ut Paſtores certam haberent formulam, ſecundum quam populum docerent; circa finem anni, *Catechiſmum* quoque *majorem* ſuperaddens.

Cæſar, nulla mora interpoſita, *Comitia* A. 1630, *Auguſtæ Vindelicorum* habenda indicit, & quia partium, circa Religionem diſſidentium, opiniones audire decreverat: deliberationes de ſumma doctrinæ inter Proteſtantes habitæ ſunt, ut ea Imperatori poſſet offerri. Sic compoſuit Lutherus *Articulos XVII.* quibus Confeſſionem Proteſtantium complexus eſt. Juſſerant & Principes ſuos Theologos Confeſſionis formulam ſcripto complecti, ex quibus omnibus, *Philippus Melanchthon* Auguſtæ unum ſyſtema confecit, quod Articulos XXVIII. complectebatur, quorum XXI priores, doctrinæ aſſertionem, VII. poſteriores, quorundam Romanæ Eccleſiæ Abuſuum emendationem continebant. Id, illo ipſo Anno 1630. die 25. Junii in pleno Imperatoris & Ordinum conſeſſu, a *Chriſtiano Bruck* JCto, & Vice-Cancellario Saxonico, in lingua Germanica, circiter tertiam pomeridianam, fuit prælectum.

ctum. Recitatæ Confeſſionis exempla duo, unum Latinum alterum Germanicum, quibus Proteſtantes Principes, ac Noribergenſis & Reutlingenſis Civitatum Legati ſubſcripſerant, *Gregorius Pontanus*, Cancellarius Saxonicus, Cæſaris Secretario, *Alexandro Schweiſſ* tradere volebat, ab Electore Moguntino in Archivum Imperii reponenda, ſed ipſe Carolus Imperator, ea ad ſe recepit, ac per *Fridericum Palatinum* reſpondit, *ſe, de toto negotio, ſuſcepturum eſſe cogitationem & deliberationem diligentem atque accuratam.* Pontanus autem, ad Imperatorem & Principes converſus, magno animo ait: *Deo & Domino noſtro Jeſu Chriſto defenſore, hæc Confeſſio, etiam contra inferorum portas invicta manebit in perpetuum.* Nulla mora interjecta, *Campegius*, Nuncius Pontificis, & Regum peregrinorum Legati, Confeſſionem, in ſuam quisque vernaculam, tranſtulere, & ad Superiores ſuos miſerunt, ut ſic mox toto orbe fuerit divulgata.

Interim *Imperator*, cum *Laurentio Campegio*, & *Paulo Vergerio*, quos Pontifex ablegaverat, communicato conſilio, Proteſtantium Confeſſionem, *Johanni Eccio*, *Johanni Cochlæo*, aliisque Theologis examinandam tradit. Ab his ſex hebdomadum ſpatio, adornata eſt *Confutatio*, ut quidam vocabant, ſed revera Cenſura tantum erat, qua Confeſſionis capita quædam ſimpliciter, alia, cum additamento probabant, nonnulla rejiciebant. Hanc, cum in publico conſeſſu die 3. Auguſti prælegi curaſſet Imperator, nec tamen exemplar ejus Proteſtantibus concedere vellet,

hi, *Apologiam ſuæ Confeſſionis*, autore *Philippo Melanchthone* conficiunt, & ad ea reſpondent, quæ ex ſolo auditu fuerant aſſequuti, quam, cum Cæſari obtuliſſent, eam recipere noluit. Tentata poſt hæc eſt Conciliatio, deſignatis ad eam rem, ab utraque parte, præter Theologos & Jureconſultos, etiam Principibus quibusdam, ſed effectu res caruit, & ſic disceſſum eſt, ut in ancipiti negotium maneret, cum Cæſar deliberandi tantum concederet moram, addita cominatione, niſi Proteſtantes de ſententia ſua recedant, tum facturum ſe, quod Eccleſiæ defenſorem deceat.

Hanc ob cauſam, *Smalkaldiæ*, in Decembri, congregantur Proteſtantes, & fœderis concipiunt formulam; *Lutherus* vero, in eo rerum ſtatu, ad pacem omnes hortatur. Atque hæc quidem, cum Turca Hungariæ imineret A. 1532. *Alberto Moguntino*, & *Ludovico Palatino*, conciliatoribus, *Schweinfurti* inita fuit, decretumq;, ne Religionis cauſa, cuiquam moleſtia crearetur, usque ad Concilium: aut, ſi nullum fiat, tantisper ab injuriis ceſſetur, donec ab Imperii Ordinibus, alia inventa fuerit ratio, diſſidium componendi. Eodem hoc anno, placidam mortem obiit *Johannes* Saxoniæ Elector, poſt quem filius, *Johannes Fridericus*, rerum gubernacula ſuſcepit.

Anno 1534. deceſſit Papa *Clemens VII.* vacuam Sedem *Paulo III. Farneſio* relinquens. Is, A. 1535. *Petrum Paulum Vergerium*, Legatum in Germaniam miſit, qui ipſius nomine Concilium promitteret Generale & Oecumenicum, *Mantuæ* habendum. Illum locum, etſi Proteſtantes

reje-

rejecerunt, quod eſſet extra Imperii Germanici fines, & proinde non careret periculo, pergit tamen Pontifex, & indicit Concilium, Mantuæ, ad diem 23. Maji A. 1537. inchoandum. Sed Proteſtantes, Schmalkaldiæ tunc congregati, apud Legatos Pontificis & Cæſaris ſe excuſant, & *Articulos Schmalkaldicos* concipiunt, ad Concilium Mantuæ indictum mittendos. Prorogatum eſt Concilium ad Calendas Novembris, culpa in Mantuæ Principem conjecta. Poſtea, a Calendis Novembris, ad Calendas Maji anni ſequentis, differebatur, *Vincentiæ*, in Veneta ditione, celebrandum. Cum vero nemo dicta die eo veniret, ad Paſcha anni futuri eſt rejectum. Sed, quoniam, ne tum quidem ſuccedebat, Papa aliquandiu Concilium ſuſpendit, & ex intervallo A. 1542. iterum indixit, *Tridenti* inſtituendum. Verum, & hoc Proteſtantes recuſarunt, quod non eſſet tale, quale in Comitiis Imperii fuerat promiſſum, quod locus injuriis videretur opportunus.

A. 1534. *quoque abſolvit Lutherus Bibliorum verſionem* in lingua vernacula, opus incomparabile, &. quod nemo ſatis laudaverit, ſed & multi laboris. Scilicet, cum ea, quæ ad Vetus Teſtamentum attinet, adornaretur, *Philippus Melanchthon* translationem LXX. Interpretum, *Cruciger*, fontem Hebræum, *Bugenhagius*, Latinam veterem verſionem, alii Judæorum Commentarios habebant ad manum. Multi etiam abſentes Viri Doctiſſimi, & adeo ſæpe Opifices quoque, præſertim ob Leviticum, ut Germanicæ linguæ ſua puritas conſtaret, fuere conſulti: tantaque

fuit

erat illorum Interpretum diligentia, ut interdum non dies tantum complures ſed & hebdomadas, in una voce expendenda inſumerent. Eſt Lutheri hæc verſio, omnibus cæteris, quotquot extant, anteferenda, ſive fidem & diligentiam, & ſermonis vernaculi elegantiam, ſive perſpicuitatem etiam ſpectemus, quæ tanta eſt, ut multorum Commentariorum vicem ſupplere queat. Vnde ejus legendæ gratia, *Franciſcus Dryander*, Hiſpanus, Germanicam linguam addidicit: meritoque judicavit *Joh. Sturmius*, ſi religionis reſtitutio non eſſet, ſi nullæ conciones Lutheri extitiſſent, ſi nihil ille ſcripſiſſet plane aliud, quam Veteris & Novi Teſtamenti translationem, tamen ſumma & perpetua in hoc labore extare deberet gloria. Si enim cum hac Germanica verſione, cæteræ, Græcorum, Latinorum, aliorumque comparentur, cedere coguntur perſpicuitate, puritate, proprietate, ſimilitudine Hebraicæ originis. Quemadmodum enim Apellem nemo legitur pictorum ſuperaſſe, ita nec Interpretum quiſquam Lutheri verſionem poterit vincere.

Hac tempeſtate, Evangelii doctrina, cum Germaniam pervaſiſſet, in Septentrionis quoque Regna penetravit, atque in *Sueciam* quidam eam intulit, *Olaus Petri*, Gothus, qui cum Luthero Witebergæ plurimum egerat, & *Guſtavum* Regem faventem nactus eſt: in *Daniam* Rex *Chriſtianus III.* Witeberga accerſivit *D. Johannem Bugenhagen*, Pomeranum. Clerici juſſi imprimis hoc agere, ut omiſſis de externa pompa litigiis, capita fidei e ſacris literis fideliter pro-

proponerent, Epiſcopis vero ademta poteſtas civilis: quod cum ſacri ordinis membra eſſent, Apoſtolorum exemplo, docere in Eccleſia, non judicare in Curia, illi debeant.

Henricus VIII. Angliæ Rex, poteſtatem Papæ, & Denarium ſacrum Petri, in toto Regno abrogat, ſeque pro Capite Eccleſiæ Anglicanæ agnoſcere jubet. In reliqua doctrina tamen nihil mutatum, ſed, in diſſentientes a Romanæ Eccleſiæ receptis dogmatibus, graviſſimis ſuppliciis animadverſum, quos inter primus, *Robertus Barnes*, Illuſtris Vir, qui pro Rege Legationem in Germania obiverat, atque illa occaſione Evangelii doctrinam animo imbiberat, vivicomburio fuit addictus.

Circa anni 1545. finem, hoc eſt ipſis Idibus Decembris, Pauli III. Pontificis auſpiciis, initium tandem habuit *Concilium Tridentinum*, quod duravit annos 18. Productum enim eſt ad *Pii IV.* usque Pontificatum, & A. C. 1563. Seſſiones, in templo S. Virgini ſacro, inſtitutæ, in quo etiamnum, omnem formam conſeſſus, in pariete graphice depictam ſpectare licet; cujus figuræ magnæ, brevem typum, nuper in tabellis ſelectis & explicatis, nobis dedit, flos Virginum, *Carola Catharina Patina*, quæ, dum hæc ſcribimus, nobis Optimi Celebrisque Parentis obitum, elegantibus, ſed mœſtis literis ſignificat. Numerantur autem Seſſiones XXV. in univerſum. Ajunt, præter Pontificis Cardinales Legatos, interveniſſe huic Concilio per vices, Patriarchas 3. Archiepiſcopos 32. Epiſcopos 230. Abbates 7. & co-

& totidem Generales Ordinum, Theologos 146. De hoc autem Concilio, Andreas Dudithius Epiſcopus Quinqueeccleſienſis in Epiſtola ad Maximilianum II. Cæſarem, ubi ſententiam ſuam refert de Calice Laicis concedendo, & Sacerdotum Conjugio, ſic cenſuit: *Quid profici potuit, in eo Concilio, in quo numerantur, non ſuis momentis ponderantur ſententiæ? ſi cauſa, ſi ratione pugnandum fuiſſet, ſi pauci quidam ſocii nobis adfuiſſent, viceramus, quamvis pauci, magnas copias adverſariorum: ſed cum numerus tantum prodiret in aciem, quo longe inferiores futuri fuiſſemus, in optima cauſa victores diſcedere non potuimus. Singulis noſtrum centenos de ſuis Papa potuit opponere: ac ſi centeni parum multi viderentur, repente mille creare potuit, quos ſuis laborantibus ſubſidio mitteret. Itaque videre erat, quotidie famelicos & egentes Epiſcopos, ex majori parte barbatulos adoleſcentes, luxuque perditos; Tridentum volitare, conductos, ad ſententiam ſecundum Papæ voluntatem dicendam, indoctos illos quidem & ſtolidos, ſed tamen impudentia & audacia utiles. Hi cum ad veteres adulatores Papæ acceſſerant, tum vero victrix exultabat iniquitas, neque decerni jam quidquam potuit, niſi in eorum ſententiam, qui Papæ potentiam luxumque defendere, ſummam religionem arbitrabantur. Erat aliquis vir gravis & eruditus, qui tantam indignitatem ferre non poterat, hic, ut non bonus Catholicus, terrore, minis, ac inſectatione, a Concilio, ad probandum, quæ nollet, traducebatur. In ſumma, in eum ſtatum res eſt adducta, iſtorum, qui illuc facti inſtitutique venerant, improbitate, ut non jam Epiſcoporum, ſed larvarum, non*

homi-

hominum,ſed ſimulacrorum,quæ nervis moventur alienis,ut Dædali ſtatuæ fuiſſe perhibentur, Concilium illud videretur. Erant Epiſcopi illi conductitii pleriq;, ut utres,ruſticorum inſtrumentum,quos,ut vocem mittant, inflare neceſſe eſt. Nihil habuit cum illo Conventu S. Spiritus comercii,omnia erant humana conſilia, quæ, in immodica, & ſane quam pudenda Pontificum tuenda dominatione conſumebantur. Illinc reſponſa tanquam Delphis aut Dodona expectabantur: illinc nimirum Spiritus ille S. quem ſuis Conciliis præeſſe jactant, tabellarii manticis incluſus mittebatur: qui, quod admodum ridiculum eſt, cum aliquando, ut fit, aquæ pluviis excreſcebant,non ante advolare poterat, quam inundationes deſediſſent. Ita fiebat,ut Spiritus non ſuper aquas,ut eſt in Geneſi, ſed ſecus aquas ferretur.

Luthero, læta tantum augmenta,quæ indies capiebat Eccleſia Proteſtantium, cernere conceſſit cœleſtis Providentia, calamitati, quæ imminebat,videndæ, morte placida immiſſa, illum ſubtrahens. Ea accidit A. 1546. die 18. Februarii,ætatis ejus anno 63. *Islebiæ*,in patria,quo tum forte a Comitibus Mansfeldicis, litis inter eos componendæ gratia,fuerat evocatus. Morientis poſtrema verba fuerunt, ut elevatis in cœlum oculis diceret: *Mi cœleſtis Pater, æternæ & miſericors Deus, tu mihi dilectum tibi Filium, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cognoſcendum agnoſcendumque præbuiſti. Illum docui ego, & aliis obtuli: illum amo ego, & colo,unicum Servatorem meum, & Redemtorum, in quem impii paſſim crudeliter graſſantur. Hanc animam, hunc ſpiritum tibi jam*

dedo,

dedo. Quatriduo poſt obitum, funus Witebergam delatum, & honorifice, in templo Arcis, fuit tumulatum.

Hoc anno 1546. exitiale SMALKALDICUM BELLUM exarſit. Poſtquam enim *Carolus*, cum Turca & Galliæ Rege Franciſco I. pacem fecerat, conſcripto milite, Proteſtantibus bellum inferre meditabatur. Nam, ex quo Concilium Tridenti celebrari cœpit, Papa hanc fœderis rationem, cum Cæſare iniiſſe dicitur; ut qui Concilium repudiaturi eſſent, collectis in Germania & Italia copiis, ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam compellerentur. Alia tamen cauſa prætendebatur. Scilicet, bellum Cæſar ſuſcepiſſe videri volebat, juris ac æqui conſervandi, ac Imperatoriæ dignitatis, Germanicæq; libertatis vindicandæ cauſa. Ex adverſo armant ſe quoq; Schmalkaldici fœderis ſocii, quorum anteſignani erant, *Joh. Fridericus Elector Saxoniæ*, & *Philippus Haſſiæ Landgrafius.* Eos cum Cæſar proſcripſiſſet, hi bellum illi denunciant. Res magnis viribus utrinque geſta eſt; victoria tandem penes Cæſarem fuit. Cum enim, non *Ferdinandus* ſolum Cæſaris frater, ſed & *Mauritius*, Saxoniæ Dux, etſi Johannis Friderici agnatus, & religionis ſocius, hujus invaderent regiones, atque ille, ad ſua defendenda, ſolvere caſtra, quæ ad Danubium cum Sociis metatus fuerat, domumque properare compelleretur, Carolus eum celeriter inſecutus, prope *Mulbergam* A. 1547. die 24. Aprilis prælio ſuperavit, in quo ipſe Elector, in maxilla vulneratus, per *Tilonem à Trotte*, vivus ca-

ptus

ptus eſt. Rebus tam proſpere geſtis Cæſar *Witebergam* ingreditur, & contra Albani ſuaſum, Lutheri ſepulchro, & exuviis parcit. Pergit deinde *Salinas Saxonum*, quo loco, *Haſſiæ Landgrafius* ſupplex illi factus, contra promiſſorum fidem, captivus detinetur. Repertum vocabulum, quod leviſſima mutatione, pro nulla captivitate, non perpetuam ſonaret. Victoria uſus Imperator, Principes Imperii ſibi inviſos in ordinem redigit, Civitatibus, graves mulctas imperat, & Concionatores Evangelicos ex iis expellit. Celebrat quoque A. 1548. *Comitia Auguſtæ Vindelicorum* armata, in quibus Joh. Friderico Electori capto, Electoralis dignitas ablata, & in *Mauritium* ſolemni ritu tranſlata fuit, Joh. Friderico inſpectante. Tum ſevere imperatum Proteſtantibus, ut Concilii Tridentini placita rata habeant, quod tamen ab illis minime impetrari potuit, quod cauſarentur, Concilium jam feciſſe decreta quædam de religione, ſe nondum auditis. Ob hanc cauſam, & quia Paulus Papa, ut Cæſari, cujus juſſu filium ſuum nothum *Petrum Aloyſium*, Parmæ & Placentiæ Ducem, a Pallavicino interfectum, & civitates Ducatus a Gonzaga occupatas arbitrabatur, ægre faceret, aëris infectionem falſo prætendens, Concilium Tridento, Bononiam tranſtulerat, nova in Comitiis ratio ineundæ pacis inter Ordines excogitata fuit. Nimirum Caroli Cæſaris juſſu, *Julius Pflugius*, Epiſcopus Naumburgenſis, inter Proteſtantium & Pontificiam religionem quodammodo ambiguus, *Michaël Sidonius*, Epiſcopi Moguntini vicarius, deinde

Epiſcopus Mersburgenſis factus, doctrinæ Pontificiæ propugnator acerrimus, & *Johannes Islebius*, Concionator Evangelicus apud Electorem Brandenburgicum, librum conſcribunt, de religione interim obſervanda, & ſacris in Germania adminiſtrandis, donec Concilium legitime inſtitueretur, & plenaria concordia fieret: unde etiam hic liber INTERIM dictus eſt. Ea religionis formula, ſæpius examinata, immutata, & ſub incudem revocata, poſt multas correctiones, detruncationes, additiones (Cæſar enim variis viris doctis illam inſpiciendam & examinandam dederat), cum tandem XXXV. Capitibus conſtans, ſupremam manum accepiſſet, a Cæſare Ordinibus committebatur. Facile autem apparuit, eſſe opus variorum hominum, contrarios inter ſe fines ſpectantium. Præ cæteris, magis notabilia ejus ſcita erant: *Juſtos nos conſtitui, remiſſione ſimul peccatorum gratuita, & bonis operibus. Bona opera ad ſalutem juſtificati neceſſaria eſſe. Opera ſupererogationis, quæ Deus non mandarit, a Spiritu S. commendari. Eccleſiam habere jus condendi canones, vel nova dogmata. Eccleſiam in his terris, opus habere ſummo aliquo & viſibili capite. Septem eſſe Eccleſiæ Sacramenta. Infantes carere propria fide, eos vero baptizandos eſſe in fidem Eccleſiæ. Per ſatisfactiones proprias tolli vel mitigari pœnas temporales. In S. Euchariſtia panis & vini ſubſtantiam in Corpus & Sanguinem Chriſti immutari. Etiam poſt manifeſtum adulterium commiſſum, conjuges ſeparari non debere quoad vinculum. Sanctos pro nobis orare, & meritis ſuis nobis ſuffragari.* O-

randam

randum eſſe pro mortuis. Retinendas eſſe veteres ceremonias, uti chriſma in Baptiſmo, Canonem Miſſæ, veſtes Sacerdotum. Candelas, Vexilla, Imagines, Horas Canonicas, Vigilias, Proceſſiones, Carnium abſtinentiam. Optandum quidem eſſe, ut cælibatus Sacerdotum retineatur, interim Sacerdotes, qui jam in matrimonio viverent, non eſſe turbandos. Veterem conſuetudinem ſub una ſpecie comunicandi, non reprehendendam eſſe: ſub una enim Corpus & Sanguinem contineri; interim illis, qui velint, S. Eucbariſtiam ſub utraque ſpecie eſſe porrigendam. Sacramentum ſemel conſecratum, extra uſum, manere Corpus & Sanguinem Chriſti. Verum enim vero, iſtud religionis Symbolum, ſimul ac innotuit, Proteſtantes æque ac Romano-Catholici averſabantur. Illi querebantur, pleroſque errores Pontificios eo ſtabiliri. Romam autem cum exemplar perlatum eſſet, pleroſque in ſtuporem dedit, quod Cæſar, Princeps ſecularis, in Conventu Ordinum magna ex parte ſecularium, circa rem religionis, non ſolum de uno aliquo articulo, ſed de omnibus fere capitibus, ſententiam ferre ſuſtinuerit, idque durante Concilio, & ita, ut de quibusdam adeo aliter ſtatuat, ac in Concilio jamdum fuerant definita. Damnabant inſuper totum illud doctrinæ corpus, quod ambiguis formulis exprimeretur, ſenſum ſatis commodum prima facie admittentibus, introrſum vero veneno tinctis, & de induſtria ita conceptis, ut Lutheranis detur aut effugium, aut occaſio, interpretationem ex ſuo ſenſu affingendi. Imprimis contendebant, conſuetudinem ſumendi Cœ-

nam Domini ſub utraque ſpecie, pridem eſſe abrogatam, eoque facultatem indulgendi Calicis in Sacra Communione, nulli competere præterquam Romano Pontifici; perinde ac matrimonii contrahendi Presbyteris ordinatis. Subverebantur ſimul, ne Cæſaris hoc factum, prooemium ſit Tragœdiæ illius, quam in Anglia concitarit Henricus VIII. Capitis Eccleſiæ elogium ſibi ſumens, idq; eo majori cum Eccleſiæ jactura, quod non Inſulæ unius finibus includi ſe pateretur, ſed Hiſpaniam, Italiam, Germaniam, & regiones finitimas videretur pervaſura. At Pontifex, ſenex ſagaciſſimus, animi oculo penitiſſima hujus negotii penetrans, facile perſpexit, factum hoc Cæſaris, illi pernicioſum, ſibi autem fore ſalutiferum. Mirabatur, Principem tanta prudentia, totque conſultorum ope fretum, unius victoriæ ſucceſſu ſic efferri, ut ſe generis humani arbitrum continuo exiſtimet, ſibique tantopere confidat, quaſi cum utraque parte colluctari queat. Non eſſe forſitan ita arduum, unius factionis copiis fulto, alteram opprimere, ſed inſolentis audaciæ & vanitatis, cum utraque confligere.

Interim, Cæſar die 15. Maji in Conventu Ordinum, librum recitare jubet, neque more conſueto ſingulorum ſententiæ perrogantur, ſed Moguntino Electore conſurgente, ac veluti publico nomine Cæſari gratias agente, ea gratiarum actio, publicæ approbationis & communis conſenſus loco habita. Palam quidem reclamatum a nemine, ſed ſeorſim plerique ex Principibus Auguſtanæ Confeſſionis ſociis, profeſſi ſunt, ſe ſalva conſcientia, decretum illud ratum habere non

re non poſſe. Auguſta digreſſus Cæſar, omni ſtudio, & non ſolum minas, ſed & vim adhibendo, id operam dabat, ut a Civitatibus Proteſtantium liber Interim reciperetur. Quædam ergo ſibi metuentes, tranſigendo cum Pontificiæ partis Sacerdotibus, aliqua templa eorum ſacris aperuere: aliæ, in adiaphoris rebus, quales ſunt feſta, ceremoniæ, ornatus templorum, decreta libri receperunt; eodem modo etiam quidam Principum ſe geſſere. Sed *Joh. Fridericus Elector*, quanquam captivus, conſtantiſſime librum Interim repudiavit. Sed vero, orta eſt occaſione hujus negotii, inter ipſos Proteſtantes diſſenſio. Illi enim, qui timore Cæſaris compulſi, decretis ejus aliqua parte paruerant, & ritus veteres revocaverant, excuſabant ſe, affirmantes, ea quibus aſſenſi fuiſſent, eſſe adiaphora, neque ad ſalutem neceſſaria; perinde igitur habendum, ſive rejiciantur, ſive recipiantur, atque hoc in caſu ſervitutem aliquam eſſe tolerandam, modo non ſit conjuncta cum impietate, ac proinde in his morem Cæſari geri debere. Alii vero, qui eundem neceſſitatis impetum nondum ſenſerant, fatebantur quidem, ceremonias & res indifferentes ad ſalutem animæ proprie non pertinere, ſed tamen per res illas medias, pernicioſis viam aperiri; atque inde colligebant, ritus & ceremonias, utcunque ſua natura indifferentes, tum evadere noxias, quando qui his utitur, eas bonas eſſe credit, aut neceſſarias. Hinc *Nicolaus Amsdorfius, Matthias Flacius Illyricus*, & *Nicolaus Gallus*, Doctores Magdeburgici, graviter invecti

 ſunt

ſunt in Witebergenſes & Lipſienſes, quod per adiaphoriam, Pontificiæ religioni viam aperirent.

In hoc rerum articulo cum Proteſtantium Eccleſiæ verſarentur, ex inſperato ſalus iis cœlitus affulſit. Detinebat adhuc *Philippum Haſſiæ Landgrafium*, Carolus Cæſar captivum, nec dimittere ulla ratione volebat, etiamſi ſæpe a ſponſoribus ejus incolumitatis, *Mauritio* Saxone, Philippi genero, & *Joachimo II.* Brandenburgico, Electoribus, quorum fidem ſecutus Hallas venerat, enixiſſime rogaretur. Principes illi hanc moram graviter ferentes, cum filiis Philippi, & Henrico II. Galliæ Rege A. 1552. *fœdus Chambori* faciunt, vi armata obtenturi, quod precibus impetrare non poſſent. Habebat tum forte Mauritius copias paratas, quas *Magdeburgo* abduxit. Eam enim urbem, quod religionem Interemiſticam recipere nollet, a Cæſare proſcriptam, obſidione hactenus preſſerat, & denique pacem ſuppliciter petentem, interpoſita de libertate & religione cautione, ad obſequium Cæſaris reduxerat, hujusq; illi conciliaverat gratiam. Cæſar, de Mauritio plane ſecurus, Oenoponte agebat, & Proteſtantes graviſſimis mandatis urgebat, ut Tridentum Theologos Legatosque mitterent. Poſtquam enim Paulus III. Pontifex, A. 1549. vita exceſſerat, ſucceſſor illius *Julius III.* antea *Joh. Maria Montanus* dictus, prius A. 1550. Jubilæo celebrato, Concilium Tridenti continuabat. Inter hæc autem Carolus, armis Mauritii pæne oppreſſus fuiſſet: cum enim, quem exercitu

exercitu inſtructum venire non ſenſerat, veniſſe certior factus eſſet, noctu, ad tædarum lumen, Oenoponte, una cum Ferdinando fratre, aufugit, & Villacum diſceſſit, dimiſſo Johanne Friderico Saxone, quinquennium jam captivo. Capto mox Oenoponte, direptum quicquid ibi erat rerum Cæſaris & Hispanorum, Ferdinando vero, civiumque bonis, nihil illatum damni. Monuerat paulo ante Mauritius, Legatos ſuos, quos Tridenti habebat, quo etiam Würtenbergici Ducis Chriſtophori. & Civitatis Argentoratenſis Theologi, & quidam alii venerant, ut clam domum reverterentur. Archiepiſcopi quoque Electores, & quidam alii Germaniæ Præſules, ad primam belli famam, miſſo Tridento, in Germaniam ſe receperant. Sed & totum diſſipatum eſt Concilium, cum ad Patres rumor perlatus eſſet, Mauritium & copias Proteſtantium, Oenopontem usque veniſſe, & ab his clauſtra Alpium teneri.

Pax deinde A. 1552. inita Paſſavii, inter Ferdinandum Regem Romanum, Cæſaris nomine, & Mauritium Electorem, quam *Transactionem Paſſavienſem* appellant. Per eam, de Philippo Landgrafio, e carcere Belgico dimittendo, & libro Interim abrogato, Religionis ſecundum Confeſſionem Auguſtanam exercendæ libertate, convenit. Confirmata eſt hæc Transactio A. 1555. in Comitiis Auguſtanis, communi Ordinum decreto, quæ ambæ conſtitutiones, *Pacis Religioſæ* nomine veniunt. Secundum has vero, poteſtas cuique Statui Imperii facta, in ſuis provinciis

ac ditionibus, alterutram duarum Religionum, quas, diſtinctionis cauſa, Veterem & Novam vocare invaluit, ex ſententia introducendi; permiſſa iis, qui in hujus, vel illius religionis profeſſionem conſentire nollent, venia, aliorſum cum poſſeſſionibus commigrandi. De *Bonis Eccleſiaſticis* cautum, ut quæ Proteſtantes jam poſſiderent, retinere poſſent, cætera ſuis poſſeſſoribus religioſis relinquerent. Addita *clauſula*, ut ſi quis Archiepiſcopus, Epiſcopus, Abbas, vel alia perſona Eccleſiaſtica, veterem Religionem deſerere, & Auguſtanam Confeſſionem amplecti vellet, prius officium & añuos proventus reſignare debeat, fama tamen & exiſtimatione ſalvis. Clauſula hæc, *Reſervatum Eccleſiaſticum* vocabatur, quod nimirum per eam Eccleſiaſtici Pontificii jus quoddam in bona ſacra ſibi reſervarent, quamvis perſonis religionem mutandi arbitrium concederetur. Huic autem Clauſulæ, & tum, cum primum induceretur, & poſtea ſubinde, Proteſtantes reclamarunt, & *Autonomiam* ſubſtitui petierunt, hoc eſt, ut Eccleſiaſticis etiam perſonis, ſine jactura, uti famæ & exiſtimationis, ita redituum quoque, liceret ad ſua caſtra tranſire, quod tamen nunquam obtineri potuit; quia conſtare credebatur, hanc permiſſionem, in religionis Romanæ interitum ceſſuram. Eſt Pax Religioſa Imperii Palladium, quam Æternum Numen, ad natos natorum, & qui ex illis naſcentur, quoad mundi hæc machina durabit, ſartam tectamque propagari, clemens ac propitius concedat!

HEN-

Henricus VII. Angliæ Rex, duos habuit filios, *Arturum*, & *Henricum*. Arturus A. 1502. conjugem duxit *Catharinam*, Ferdinandi Hiſpani filiam, Caroli V. materteram, ſed anno vertente mortuus, nullam reliquit ſobolem. Henricus pater, cui neceſſitudo cum Hiſpanis admodum placebat, *Julii II.* Pontificis permiſſu, Catharinam alteri filio deſpondit, quem deinde habuit ſucceſſorem. Regina iſta, aliquoties gravida, vel abortum fecerat, vel partum ediderat non diu vitalem, præter unicam gnatam. Henrico, poſt 20. annorum conjugium, ſive quod prolis maſculæ cupidus eſſet, ſive aliam ob cauſam, injicitur ſcrupulus, matrimonium cum fratria contractum, eſſe illegitimum, reque cum Epiſcopis deliberata, ab uxoris conſuetudine abſtinere occipit. Hi agunt cum Regina, ut in divortio acquieſcat, Pontificis diploma, neque verum, neque validum cauſati. Regina repugnat, & *Clementis VII.* Pontificis auxilium implorat, quem Rex quoque de divortio interpellat. Dum Pontifex tergiverſatur, Rex, Theologorum per Galliam, Germaniam, & Italiam, ſententiam perquirit, & repudiata Catharina, A. 1533. ducit *Annam Bolenam*. Id divortium, cum improbaſſet Pontifex, Henricus A. 1534. ejus primatum, per ſuum Regnum abrogat, & ſe Eccleſiæ Caput, a Chriſto proximum, declarat, quin & annuum numum, Romanis Quæſtoribus pendi ſolitum, porro iis exſolvere vetat. In reliqua tamen doctrina nihil immutatum, ceu prolixe confirmat Petrus

Suavis in Hiſtor. Concil. Trident. l. 1. Poſt hæc, *Catharina* repudiata, non ſine ſuſpicione veneni, A. 1536. moritur. Eodem illo anno, *Anna Bolena*, adulterii inſimulata, una cum *Georgio* fratre, capitis ſupplicium ſubiit. Poſtridie uxorem tertiam *Johannem Semeiram*, ſibi jungit Henricus, quæ A. 1537. cum *Eduardum* filium enixa eſſet, duodecimo poſt die, vitam cum morte commutavit. Dehinc A. 1539. duxit *Annam*, *Johannis Cliviæ Ducis filiam*, quam poſt ſeptimeſtre a ſe ſegregavit, adſcivitque, mox in thorum *Catharinam Howardam*, quæ biennio poſt, & ipſa violatæ conjugalis fidei rea, capite luit. Sexto matrionio Rex conjugem aſſumit *Catharinam Pariam*, & moritur A. 1547. febri correptus, ſucceſſore filio *Eduardo VI.* ex Semeira, qui A. 1548. Miſſam abrogavit, & Evangelii doctrinam admiſit. At A. 1553. obiit adoleſcens 16. annorum, veneno peremtus. Ante obitum, ſolicitus de religionis ſtatu, noluit Regnum deferri ad Mariam ſororem, quam Catharina, prima Henrici patris uxor peperit, quod eſſet Pontificiæ religioni addicta. Ideoque communicato cum familiaribus conſilio, ſubſtituit *Johannam Suffolciam*, Henrici parentis proneptem e ſorore, atque hæc Eduardo extincto, ſolemniter fuit pronunciata Regina. Tulit hoc indigniſſime populus, & Nobilitas, non tam ſtudio Mariæ, quam *Northumbrii Ducis* odio, cujus nurus erat Johanna. Cum igitur magnus eſſet populi ad Mariam confluxus, mutatur Procerum voluntas, & Maria renunciatur Regina, Suffolcia, cuſtodiæ

data,

data, capite plectitur. Maria regnavit annos 5. reſtituitque Pontificiam religionem ſummis viribus. Nupſit A. 1554. *Philippo II.* Hiſpaniæ Regi, cum prius ſororem *Eliſabetham* cuſtodiæ tradidiſſet, quod ſeditionis Suffolcianæ crederetur conſcia. Obiit A. 1558. poſt eamque Eliſabetha, nata ex Anna Bolena, feliciter, diuque rebus præfuit.

FERDINANDVS MAGELLANVS, Luſitanus, qui ad Moluccas, Orientali navigatione, penetraverat, cum ſibi minus ſatisfactum a Rege ſuo arbitraretur, Carolum V. adit, promittitque ſe breviore via verſus Occidentem navigaturum ad Moluccas ei, per Orbis, quam Alexander VI. Pontifex fecerat, diviſionem, debitas. Impetratis igitur navibus 5. & viris 237. excluſis omnino fœminis, ſolvit ex Hiſpalenſi portu A. 1519. die 10. Auguſti, & circa initium Novembris, occupavit oſtium Orientale Freti, quod ſecundum eum *Magellanicum* eſt appellatum. Hinc miſſæ duæ naves, ad explorandum trajectum freti, una dicta *S. Antonii*, quæ clam retro fugit in Hiſpaniam; altera *Conceptionis*, quæ trajectum in adverſum Oceanum patefecit. Poſt hæc Magellanus, ſuſcepto pro Rege Inſulæ *Zubuth*, qui ſuaſu ſuo, cum Conjuge, & Inſulanis omnibus, Chriſtianam religionē admiſerat, contra Regem *Matani* bello, fortiter in acie dimicans occiſus eſt, cui *Odoard⁹ Barboſa* ſuffectus fuit. Is, cum 18. qui de expeditione ſupererant, viris, A. 1522. die 7. Septembris, unica navi appulit in Hiſpalenſi portu, ad quos videndos tota civitas

effuſa

effuſa fuit. Illi vero, e navi, Baſilicam ingreſſi ſunt nudis pedibus, ſoloque induſio accincti, præferentes ſinguli facem, Deo ſoſpitatori, humi proſtrati gratias agentes, ob totum Orbem circumnavigatum.

Anno 1519. Præfectus quidam Würtenbergicus VLRICO Duci charus, a *Reutlingenſis urbis* civibus nonnullis fuit trucidatus, quorum tutelam civitas ſuſcepit. Eam igitur Vlricus obſidet, ac deditione capit. Hanc ob cauſam, a Suevico fœdere Vlrico bellum denunciatur, atque Tubinga capta, pellitur is Ducatu univerſo. Fœderati, anno ſequenti, ad ſumtus belli recuperandos, vendunt Ducatum Carolo V. qui illum conceſſit Ferdinando fratri.

Porro, anno 1519. cuſi ſunt in valle Joachimica NVMI ARGENTEI VNCIALES, inde dicti die Jochimsthaler. Ex uno latere monſtrabant S. Joachimi, in altera, Stephani Schlickii Comitis imaginem, ſed pro hac poſteriore, ſubſtituta deinde fuere nomen & inſignia Ludovici Bohemiæ Regis.

SOLYMANNVS, Turcarum Imp. A. 1522. invadit *Rhodum* Inſulam, obſidetque urbem primariam. Chriſtiani cives, cocco tinctis, & ſericeis multo auro intertexto pannis, muros exornant, ludosque agunt, quod crederent, urbem expugnari non poſſe. Sed Solymannus, foſſas complanavit, cuniculisque & tormentis mœnia evertit. Hinc incolæ deſperatis rebus ſe dedunt, accepta alio commigrandi poteſtate.

FRANCISCVS A SICKINGEN, vir fortis, & militiæ ac liberalium artium peritus, dum *Archiepiſco-*

epiſcopum Trevirenſem, & vicinos Principes bello laceſſit, A. 1523. obſidetur, & a trabe decidente, conquaſſatur ad necem.

A. 1525. orta graviſſima RVSTICORVM SEDITIO in Suevia. Capiunt illi *Winsbergam* oppidum, Comitem *Ludovicum Helffenſteinium*, inſpectante uxore & liberis, haſtis confodiunt, & regionem late populantur. Victi, laxe ad palum alligati, torrentur.

Inter hæc ALBERTVS BRANDENBVRGICVS, Magnus Magiſter Ordinis Teutonici, qui, quod Evangelium amplexus eſſet, *Sigismundum Poloniæ Regem* hoſtem expertus fuerat, ei ſe ſubjecit, & factus primus Dux Borusſiæ, eam partem clientelari jure, cum poſteris poſſidendam accepit, quæ deinde *Borusſia Ducalis* dicta eſt. Duxit poſtea *Dorotheam*, Daniæ Regis filiam, claram virtutibus.

LVDOVICVS Hungariæ Rex, Anno 1526. prælio victus eſt a Solymanno, ad oppidum Mohatz, ac ceciderunt e Chriſtianis 15000. Ipſe Rex fugiens in palude periit. Solymannus, Budam ingreſſus, cum Ludovici imaginem conſpicatus eſſet, miſeratione commotus, flevit, nec eo conſilio ſe veniſſe dicebat, ut illum regno exueret, ſed, ut Hungarorum inſolentiam compeſceret, & Regem ſibi redderet tributarium.

JOHANNES STOFLERVS, Juſtingenſis, Mathematicus inſignis, A. 1531. certo die ſibi periculum ruina imminere præviderat, & quia ædes ſuas ſatis firmas noverat, convocat in Muſeum ſuum viros eruditos, quorum conſuetudine & ſermonibus recrearetur. Orta inter ſo-

bria

bria pocula diſputatio : ad controverſiam explicandam, e ſuperiori loco librum depromit: ſed, laxato clavo, aſſer in quo ſtabant libri, in caput ejus decidit, & inſigne vulnus infelici ſeni infligit, ex quo mortuus eſt, die 16. Febr. Tubingæ.

A. 1531. moritur PHILIBERTVS CHALONIVS, Arauſionenſis Princeps, in Florentiæ obſidione, nullis relictis liberis. Is, ſororem ſuam *Claudiam*, in matrimonium dederat *Henrico Naſſovio*, Dillenburgi, & Bredæ Domino, natumq; ex iis filium *Renatum* adoptaverat, atque ſcripſerat heredem.

Monaſterii, Weſtphaliæ urbe, A. 1534. ANABAPTISTÆ furunt, quibus Ducem ſe obtulit *Johannes a Leyden*, ſartor Hollandus, qui Rex ſalutatus eſt. Is, ſibi adjunxit *Bernhardum Knipperdollingum* hisq; ſe aggregavit *Bernhardus Rotmannus*, qui Evangelium primus in illa urbe prædicaverat. Iſti, quos inimicos reputabant, profligant, communionem rerum & uxorum inducunt, ac expugnatis vicinis oppidis, regnum novum moliuntur. Cum ſalubrioribus monitis locum fanatici non concederent, obſidetur urbs ab Epiſcopo, & A. 1535. occupatur. Factioſi, candentibus forcipibus fuere necati, ſupplicioq; exacto, caveis ferreis e turri ſuſpenſi, & quidem Rex, medius, ac quanta eſt hominis ſtatura, ſublimius.

Hac tempeſtate FRANCISCVS GONZAGA, ducta *Margareta*, Guilielmi Palæologi filia, Marchionatum Montisferrati, poſt obitum *Joh. Georgii*

gii, ultimi ex Palæologorum familia Marchionis, obtinuit, & Mantuæ junxit.

IGNATIVS LOYOLA, in Cantabria A. 1491. natus, primam juventutem licentius traduxit: militiam vero ſectans, cum *Pompejopolim* inter reliquos præſidiarios milites, defenderet, in crure graviter vulneratus eſt. Dum decumbit, primum Amadiſi fabulis tempus fefellit; inde, in Legendas Sanctorum incidit, quarum lectione ita immutatus fuit, ut ſtatuerit, eam quæ reſtaret vitam, Deo dicare, confirmatus B. Mariæ Virginis apparitione. Hiſpania igitur deſerta, año ætatis 30. *Lutetiam* profectus eſt, ibiq; totum ſe literis dedit. Poſtea Magiſter creatus, de inſtituendo *novo Ordine* cogitare cœpit, *novemq; ſocios* ſibi adſcivit, qui fuerunt, *Xaverius, Laneſius, Salmeron, Roderick, Faber, Bobadilla, Jajus, Codurius, & Broëtius.* Hi A. 1538. Romam ſe conferentes, Ordinis ſui confirmationem petierunt. Etſi vero multi pii doctique viri obſtabant, Ordines Monachorum potius minuendos judicantes, tamen A. 1540. intercedente *Cardinale Contareno*, a *Paulo III.* inſtitutum illorum confirmatum fuit, ea lege atque omine, ne plures quam LX. in ſocietatem admitterentur. Loyolæ ſequaces, dicti ſunt *Patres Societatis Jeſu.* At, jam vetus obſervatio eſt, quam Guido Patinus epiſt. 14. his verbis propoſuit: *Le bon Seigneur n' à jamais appellé perſonne ſon Compagnon, que Judas qui le vendit, en ces termes dans S. Mathieu ch. 26. v. 50. ἑταῖρε ἐφ' ᾧ πάρει; qui vaut autant a dire, que, Compagnon, pourquoi etes vous ici? ou, que faites*

tes vous ici?—*Même le nom ἑταιρίδιον ou ἑταίρα*, meretricem ſignificat, *comme les Loyolites mêmes ſe ſervent du mot ἑταιρία pour exprimer leur ſocieté.* Patres Societatis Jeſu, ſive, uti vulgo vocantur, Jeſuitæ, Pontifici, ultra commune vinculum, peculiari voto adſtringuntur; hoc quartum illis votum dicitur, tali profeſſione: *Quicquid modernus, & alii Romani Pontifices, pro tempore exiſtentes, juſſerint, ad profectum animarum, & fidei propagationem pertinens, & ad quaſcunq; provincias nos mittere voluerint, ſine ulla tergiverſatione, aut excuſatione, illico, quantum in nobis fuerit, exequi tenemur.*

PAVLINI quoque Monachi, quos alio nomine *Minimos* vocant, circa eadem hæc tempora prodiere: ſic dicti ab autore *S. Franciſco de Paula*, cui cognomen, ex *Arce Paula*, in qua natus fuerat, & quæ in Regno Neapolitano, haud procul ab urbe Coſſentia ſita eſt, hæſit. Conſcripſit Franciſcus hic *Regulas tres*, unam, pro Fratribus ſui Ordinis: alteram, pro Soribus: tertiam, pro Profeſſis, ſeu Palliolatis. Monachi hi, non tantum non veſcuntur carne, ſed nec ovis, butyro, lacticiniis, niſi in caſu neceſſitatis. Veſtiuntur panno bætici coloris, cucullo ad cingulum usque ſe porrigente. Cinguntur fune, in quo Presbyteri nodos quinque, Clerici, & Novitii, tres tantum intorquent.

Inclaruit tum ſimiliter PHILIPPVS NERIVS, qui Florentiæ honeſtis parentibus natus, ab ipſa ineunte ætate, non obſcura dedit futuræ ſanctitatis indicia. Adoleſcens, ampla patrui hereditate dimiſſa, Romam ſe contulit, ubi Philoſo-

loſophia ac ſacris literis eruditus, totum ſe *Chriſto* dicavit. Ea fuit abſtinentia, ut ſæpe jejunus triduum permanſerit, vigiliis & orationibus intentus. VII. Vrbis Eccleſias frequenter viſitans, apud Cœmeterium Caliſti, in cœleſtium rerum contemplatione, pernoctare conſuevit. Charitate Dei vulneratus, languebat jugiter; tantoque cor ejus æſtuabat ardore, ut, cum inter fines ſuos contineri non poſſet, illius ſinum, confractis atque elatis duabus coſtulis, mirabiliter Dominus ampliaverit. Sacrum vero faciens, aut ferventius orans, in aëra quandoq; ſublatus, mira undique luce fulgere viſus fuit. Egenos & pauperes, omni charitatis officio proſequebatur: dignus, qui & Angelo, in ſpecie pauperis, eleemoſynam erogaret; & ut cum egentibus noctu panem deferret, in foveam lapſus, inde pariter ab Angelo incolumis eriperetur. Fuit prophetiæ dono illuſtris: caſtitatem colentes, aut ab ea alienos, odore dignoſcebat; mortuum ad vitam revocavit; multorum piorum animas, ſplendore circumfuſas, in cœlum aſcendere vidit. [illegible]ceſſit e vita A. 1595. Hæc, & quæ de Tereſia [illegible]arolo Borromæo ſequuntur, excerpſi ex [illegible]ſantiſſa, quæ, illi qua utor Breviarii Romani editioni, additur. Philippum Nerium autorem habet *Congregatio*, quæ Romæ eſt, *Presbyterorum Oratorii*, cui, ſub initium fundationis, nomen dedit Cæſar Baronius.

TERESIA virgo, nata eſt *Abulæ* in Hiſpania. Cum Martyrum acta legiſſet, pietate accenſa, in Africam trajecit, ut vitam pro gloria Chriſti

frequentiſſimos terræ motus, tandem magnus illius agri tractus, qui inter radices montis, quem *Barbarum* incolæ appellant, & juxta *mare Avernum* jacet, ſeſe erigere viſus eſt, & montis ſubito naſcentis figuram imitari, eodemque die, iſte terræ cumulus, aperto veluti ore, magno cum fremitu, ignes evomuit, pumicesque & lapides, cinerisque fœdi tantam copiam, ut, quæ adhuc extabant Puteolorum ædificia, operuerit, fugientibus, per tenebras Puteolanis, & Neapolin ſe recipientibus. Cinis ad LX. paſſuum millia, exhalationis vi, projectus eſt, ac prope voraginem ſiccus, procul vero lutoſus & humidus cecidit. Mons item, circa voraginem, ex pumicibus, & cinere, plus quam mille paſſuum altitudine, una nocte congeſtus eſt.

Anno 1559. d. 20. Decemb. Lutetiæ crematus eſt ANNA BURGÆUS Senator, qui Henricum II. Regem, ſupplicia adverſus Reformatos ſpirantem, in Parlamento dehortatus fuerat. Ea libertate Rex offenſus, illum in vincula conjici mandat, teſtatus, ſe oculis ſuis inſpecturum illius combuſtionem. Sed Rex, die 10. Julii, in haſtiludio, a *Comite Montgommerio*, dextro oculo transfixo, lethale vulnus accepit, e quo, cum per 9. dies graviſſimos cruciatus paſſus eſſet, diem ſupremum obiit.

Circa hæc tempora, in Gallia, *Cæſaroduni*, (Tours) prognatum eſt HUGONOTORUM NOMEN, quo vocabantur, qui Reformatæ religioni erant dediti. Appellationis origo vulgo hæc traditur. Singulæ apud Gallos urbes, peculiaria nomina habent, quibus lemures, & cætera

monſtra

monſtra inania, ad incutiendum infantibus terrorem conficta, vulgo indigitant. Cæſaroduni igitur *HugoRex* celebrabatur, quaſi qui noctu, per pomœria urbis obequitet, atque in homines involet, iisque vim faciat. Cum itaque Reformati, quorum tunc plures erant Cæſaroduni, circa eadem pomœria, nocturnos (nam interdiu id non licebat) conventus agerent, factum eſt, ut tanquam nocturni lemures, digito monſtrarentur pueris, atque ab Hugone, Hugonoti, ridiculo & odioſo nomine vocarentur. Ægidius tamen Menagius V. C. in libro Originum Linguæ Gallicæ ſcripſit: *Il y a diverſité d'opinions touchant l'origine de ce mot Huguenots: & il eſt eſtrange, que ceux-meſmes qui l'ont veu naiſtre, n'ayent pas ſceu d'ou il eſt venu.*

Anno 1561. ſub *Franciſco II.* Galliæ Rege, *Henrici II.* ſucceſſore, COLLOQVIVM IN CAVSA RELIGIONIS POSSIACI inſtitutum; in quo de controverſiis tollendis actum fuit. Ex parte Reformatorum, præcipuo loco erant, *Theodorus Beza*, & *Petrus Martyr*; pro Pontificiis verba fecit *Cardinalis Lotharingus*. Beza, in initio colloquii, rationem fidei reddidit tanta eloquentia, ut Cardinalis exclamaret: *Vtinam, aut Beza mutus eſſet, aut nos ſurdi.* Disputatum imprimis de præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti, in Cœna Domini: atque Beza, disputationis æſtu, eo usque provectus eſt, ut licet fateretur, cunctos fideles frui Corpore & Sanguine Chriſti, tamen affirmaret, ſi ad ſpatia locorum reſpiciamus, Corpus & Sanguinem Chriſti, tantum

a Pane & Vino conſecratis abeſſe, quantum altiſſimum Cœlum a terra diſtat. Ibi Cardinalis Turnonius excanduit vehementer, & Regem male feciſſe colloquium indulgendo, exclamavit. Sic re infecta, & auctis utrinque odiis, diſceſſum.

PHILIPPUS II. Hiſpaniarum Rex, ſorori naturali, *Margaretæ Parmenſi*, Belgicarum provinciarum Gubernatrici, A. 1565. imperat, ut *in Belgium Tridentini Concilii exſecutionem, & Hiſpanicam Inquiſitionem* introduceret, quod Mandatum, Margareta etiam publicavit. Cum autem hæc crudelitas Belgis, tanquam libero populo, intolerabilis videretur, conjuncti Nobiles, numero 400. libellum ſupplicem Margaretæ A. 1566. menſe Aprili exhibuere, in quo Hiſpanicæ Inquiſitionis abolitionem petierunt. Atque iſti, *Geuſii*, ab adverſariis, per contemtum appellati fuerunt; quo nomine, cum hi ambeſas fortunas illis exprobrarent, ipſi id in honorem trahentes, profeſſi ſunt, fidem ſibi in Regem ad mendicitatem usque conſtituram. Gubernatrix, miſſa petitione hac in Hiſpaniam ad Regem Philippum, reſponſum accipit, quo omnes novas conciones penitus prohibere jubebatur, unde *tumultus Autuerpiæ* excitatus eſt. Ergo fit *inter Reformatos confœderatio*, cujus finis erat, libertatis & religionis defenſio, & Dux conſtituitur *Wilhelmus Naſſovius, Princeps Auriacus.* Hic, cum intellexiſſet, conſilia capi de Reformatis e toto Belgio exſtirpandis, & Albani Ducis, cui hæ partes ſint demandatæ, adventum jam imminere, in Germaniam,

maniam ad ſuos fratres & propinquos conceſſit, relicto tamen filio *Philippo Wilhelmo*, undecim annorum juvene, quem ſtudiorum cauſa Lovanium miſerat. Cæterum, poſtquam *Ferdinandus Alvarez de Toledo*, *Dux Albæ*, a Philippo II. Gubernator Belgii conſtitutus, A. 1567. cum exercitu in regionem illam ſe contuliſſet, multos Nobiles, qui fœderi Geuſiorum ſeſe junxerant, & adverſus Hiſpanicam Inquiſitionem proteſtati fuerant, conjurationis reos damnavit. Dehinc año ſequenti, *Lamoralum Comitem Egmondanum*, Flandriæ & Arteſiæ Gubernatorem, victoriis aliquot de Gallis partis celebrem, quin & *Philippum Momorancium Comitem Hornanum*, Belgici maris Præfectum, Bruxellæ capitali pœna affecit. Principis Auriaci filium, ex Academia Lovanienſi, per vim rapuit, & in Hiſpaniam deportare juſſit; Patrem, & multos alios Proceres ac Nobiles, qui e Belgio exceſſerant, citatos ad certum diem, cum non comparerent, velut perduelles proſcripſit, & omnia illorum bona in fiſcum redegit. Denique ita graſſatus eſt, ut plus, quam 18000. hominum, intra ſexennium quod Belgio præfuit, carnificis manu ſe peremiſſe gloriatus ſit. Interea loci *Wilhelmus Auriacus*, precibus Hollandorum permotus, in Germania exercitum collegit, & laboranti patriæ ſuppetias tulit; unde grave & diuturnum bellum, cujus finem noſtra demum vidit ætas, conſecutum eſt.

A. 1572. ipſa die Bartholomæo ſacra, ſuſcepta LANIENA PARISIENSIS, exitio Reformatorum. Ad hanc cædem peragendam, inſti-

tutæ fuerunt nuptiæ, inter *Margaretam* Regis Caroli IX. ſororem, & *Henricum Navarræ Regem*. Initium cædis, a *Colignio Admiralio* factum. Lutetiæ ſupra decem millia ſublata, ut ſanguinis rivi per urbem diffluerent. Aurifex quidam, ſæpe poſtea exerto nudo brachio gloriatus eſt, iſto ſe 400. amplius homines, in illa ſtrage mactaſſe. Sævitum, non minori crudelitate, in aliis urbibus. Supra 70. millia, quod Rex per Legatum Papæ nunciavit, illa publica clades abſtulit. Excitavit eam *Catharinæ Mediceæ* viduæ Reginæ, Caroli IX. matris, crudele ingenium, quæ ſæpe dixerat, neceſſe eſſe unam Regni partem perire, ut altera incolumis conſervetur. Poſt tamen, quod perpetrato demum ſcelere ejus magnitudo intelligitur, quaſi pœnitens, dixit, ſe tantum ſex hominum interfectorum ſanguinem in ſe recipere. Sub veſperam, ea cum Rege & Regina, Lupara egreſſa eſt, cædis per Vrbem factæ ſpectandæ cauſa. *Subiſi* Nobilis, qui frigidæ naturæ eſſe dicebatur, cadaver inveſtigari juſſit, inventoque, velanda corporis, cum pediſſequis, magno riſu inſpexit. Laniena peracta, bello ubique petebantur Reformati, & plurima loca ſubacta. Sed *Rupella*, quo 54. circiter Verbi Divini Miniſtri, & magnus numerus primariæ Nobilitatis confluxerant, ſtrenue ſe defendendo, Reformatis reſtituit rem, præcipue, cum & Dux belli. *Henricus Regis frater*, Rex Poloniæ electus, in illam regionem peregre abiiſſet. Et vero Rupellam, Deus, in fame, miraculoſo modo tutatus eſt. *Surdones* enim piſces, præter conſuetum ordinem, tanta

copia

copia illac ſingulis diebus appellebant, ut panis loco eſſent tenuioribus: ac abundantia illa eo pæne ipſo die ceſſavit, cum pace facta, Regius diſceſſiſſet miles. Poſt lanienam, Carolo Regi, nocturni horrores, ſomnum plerunque interrumpebant, ut neceſſe eſſet, per pueros ſymphoniacos eundem reſtituere. Tandem A. 1573. inter horrendos terrores animi, corporisque dolores, cum per 14. dies ſanguinem copioſe egesſiſſet, extinctus eſt. Succeſſit, *Henricus III.* frater, Poloniæ Regno deſerto.

MARTINVS FORBISSERVS, Anglus, navigationem inſtituerat in Septentrionales regiones, ubi ſuperatis multis difficultatibus, in quadam Inſula tantam auri reperit copiam, ut eo repleverit ducenta dolia. Reverſus eſt in Angliam A. 1577. die 17. Septemb.

A. 1578. SEBASTIANVS LVSITANIÆ REX, in Africam cum ingenti Claſſe trajicit, ut *Muhamedem*, a patruo *Abdemelecho* pulſum, in Fezzæ & Marocci Regnum reſtitueret: ſed in prælio, cum Luſitanicæ Nobilitatis flore, cæſus fuit, Muhamed in paludibus ſubmerſus periit; Abdemelechus victor, in lectica mortuus eſt: atque ſic tres Reges, in uno prælio vitam finierunt. Sebaſtiano ſucceſſit avi Johannis III. frater; *Henricus Cardinalis*, jam natu grandior, & affecta valetudine. Is A. 1580. diem obiit ſupremum, cujus hereditatem affectabant, *Antonius*, Sebaſtiani frater nothus; *Ducisſa Bragantiæ*; *Dux Sabaudiæ*, & *Parmenſis Principis filius*, maxime vero *Philippus II.* Rex Hiſpaniarum. Ac iſte quidem Com-

petitores ſuos antevertens, Luſitaniam per *Albanum Ducem* occupat, ac Vlyſſipone A. 1581. Rex coronatur. Antonius, prælijs aliquot amiſſis, & a Regni Magnatibus deſertus, ad Regem Galliæ confugit.

A. 1579. FORMULA CONCORDIÆ, a *Jacobo Andreæ*, *Davide Chytræo*, *Martino Chemnitio*, *Andrea Muſculo*, *Chriſtophoro Cornero*, & *Nicolao Selneccero* conſcribitur, in qua, quicquid hactenus inter Proteſtantes, Lutheri ſequaces, controverſiam pepererat, definitum deciſumque fuit. Cumque ea *Auguſto Saxoniæ Electori* oblata eſſet, ipſius maxime auſpiciis, poſt factam ejus cum aliis Principibus, & Ordinibus Imperii communicationem, A. 1580. in lucem prodiit, ſubſcripta ab Electoribus, Principibus, Comitibus, Civitatibus, multisque e Nobilitate, & præterea ab octo millibus Miniſtrorum tam Eccleſiæ, quam Scholæ. Obtinet illa, in Eccleſiis Saxonicis, aliisque ubi recepta eſt, locis, autoritatem *Libri Symbolici*, cui aſſenſum præbere tenentur, quicunque muneri alicui Eccleſiaſtico admoveri cupiunt.

MARIA STUARTA, Franciæ & Scotiæ Regina. *Jacobi V.* Scotiæ Regis, ex *Maria Lotharingica* filia, octo tantum diebus ante parentis obitum nata, rebus in Scotia turbatis, in Galliam miſſa, & in aula Henrici II. educata eſt. Ingenio & forma, ſupra omnes ſui ſeculi principes fœminas, linguarumque ſex gnara fuit. Nupta *Franciſco II.* Galliæ Regi, illo mortuo, in Scotiam reverſa, regimen Matri a Proceribus, quibus liberum Religionis uſum interverſum ibat, abrogatum,

gatum, ſuſcepit. *Henrico* dein *Stuarto* nupſit, Matthæi filio, qui ex Henrici VII. Angliæ Regis nepte prognatus fuerat. Sed Maria mox *Davidis Ritzii*, citharœdi Itali, indignis amoribus illaqueata, præ illo maritum mox ſprevit, & in diplomatibus ejus nomen ſubſtituit; interfecti a Proceribus necem, ſevere ulta eſt, ac cadaver in ſepulchro Regum condidit. Infantulum tamen *Jacobum*, ſine craſſioribus ſuperſtitionibus, imprimis absque ſaliva, baptizari voluit. Ritzio, in amore Reginæ, ſucceſſit *Jacobus Heburnus Bothueliæ Comes*, libidinibus infamis. Cui adhærens Maria, maritum primo veneno tentavit, dein eum ſtrangulari, & domus nitrato pulvere ſubverſæ ruina ſepeliri curavit, Bothuelio palam in conſortium thori adſcito. Id Proceres indignum rati, arma ceperunt, Reginamque in cuſtodiam dederunt, Jacobo VI. filiolo Rege proclamato. Sed illa elapſa, cum copias ſuas victas vidiſſet, in Angliam profugiens, ibi quoque rebus turbatis, in arce *Fodringam*, in novum carcerem detruſa eſt. Tandem conjuratione contra Eliſabetham inita, A. 1587. Ordinum juſſu capite plexa eſt, cum vix ætatis annum 45. attigiſſet. Id factum dolenter tulit Eliſabetha, ac valde queſta eſt, præcipitatam, ſe inſcia, ſententiæ executionem. Itaque *Davidſonum*, qui, pervicacia ſua, maturandæ rei autor fuerat, violati mandati reum peregit, isque diu in carcere detentus, poſtremo Secretarii dignitate motus eſt. Magnificas quoque exequias ſumtu centum millium florenorum Mariæ Eliſabetha paravit

Cæte

tes vous ici?—*Même le nom* ἑταιρίδιον *ou* ἑταίρα, meretricem ſignificat, *comme les Loyolites mêmes ſe ſervent du mot* ἑταιρία *pour exprimer leur ſocieté.* Patres Societatis Jeſu, ſive, uti vulgo vocantur, Jeſuitæ, Pontifici, ultra commune vinculum, peculiari voto adſtringuntur; hoc quartum illis votum dicitur, tali profeſſione: *Quicquid modernus, & alii Romani Pontifices, pro tempore exiſtentes, juſſerint, ad profectum animarum, & fidei propagationem pertinens, & ad quaſcunq; provincias nos mittere voluerint, ſine ulla tergiverſatione, aut excuſatione, illico, quantum in nobis fuerit, exequi tenemur.*

PAULINI quoque Monachi, quos alio nomine *Minimos* vocant, circa eadem hæc tempora prodiere: ſic dicti ab autore *S. Franciſco de Paula,* cui cognomen, ex *Arce Paula,* in qua natus fuerat, & quæ in Regno Neapolitano, haud procul ab urbe Coſſentia ſita eſt, hæſit. Conſcripſit Franciſcus hic *Regulas tres,* unam, pro Fratribus ſui Ordinis: alteram, pro Soribus: tertiam, pro Profeſſis, ſeu Palliolatis. Monachi hi, non tantum non veſcuntur carne, ſed nec ovis, butyro, lacticiniis, niſi in caſu neceſſitatis. Veſtiuntur panno bætici coloris, cucullo ad cingulum usque ſe porrigente. Cinguntur fune, in quo Presbyteri nodos quinque, Clerici, & Novitii, tres tantum intorquent.

Inclaruit tum ſimiliter PHILIPPUS NERIUS, qui Florentiæ honeſtis parentibus natus, ab ipſa ineunte ætate, non obſcura dedit futuræ ſanctitatis indicia. Adoleſcens, ampla patrui hereditate dimiſſa, Romam ſe contulit, ubi Philoſo-

loſophia ac ſacris literis eruditus, totum ſe Chriſto dicavit. Ea fuit abſtinentia, ut ſæpe jejunus triduum permanſerit, vigiliis & orationibus intentus. VII. Vrbis Eccleſias frequenter viſitans, apud Cœmeterium Caliſti, in cœleſtium rerum contemplatione, pernoctare conſuevit. Charitate Dei vulneratus, languebat jugiter; tantoque cor ejus æſtuabat ardore, ut, cum inter fines ſuos contineri non poſſet, illius ſinum, confractis atque elatis duabus coſtulis, mirabiliter Dominus ampliaverit. Sacrum vero faciens, aut ferventius orans, in aëra quandoq; ſublatus, mira undique luce fulgere viſus fuit. Egenos & pauperes, omni charitatis officio proſequebatur: dignus, qui & Angelo, in ſpecie pauperis, eleemoſynam erogaret; & ut cum egentibus noctu panem deferret, in foveam lapſus, inde pariter ab Angelo incolumis eriperetur. Fuit prophetiæ dono illuſtris: caſtitatem colentes, aut ab ea alienos, odore dignoſcebat; mortuum ad vitam revocavit; multorum piorum animas, ſplendore circumfuſas, in cœlum aſcendere vidit. Exceſſit e vita A. 1595. Hæc, & quæ de Tereſia & Carolo Borromæo ſequuntur, excerpſi ex ſantiſſa, quæ, illi qua utor Breviarii Romani editioni, additur. Philippum Nerium autorem habet *Congregatio*, quæ Romæ eſt, *Presbyterorum Oratorii*, cui, ſub initium fundationis, nomen dedit Cæſar Baronius.

TERESIA virgo, nata eſt *Abulæ* in Hiſpania. Cum Martyrum acta legiſſet, pietate accenſa, in Africam trajecit, ut vitam pro gloria Chriſti

profunderet. A patruo revocata, eleemoſynis erogandis, & orationibus fundendis, in patria totam ſe dedit. Severiorem veterum *Carmelitarum regulam*, Deo afflante, & *Pio IV.* Pontifice approbante, primum mulieribus, deinde viris obſervandam propoſuit. Effloruit in eo conſilio, omnipotentis Dei benedictio; nam XXXII. Monaſteria inops Virgo potuit ædificare, omnib' humanis deſtituta auxiliis, quin imo adverſantibus plerunque ſeculi Principibus. Tanto divini amoris incendio cor ejus conflagravit, ut merito viderit Angelum, ignito jaculo ſibi præcordia transverberantem, & audierit Chriſtum, data dextra dicentem ſibi: *Deinceps, ut vera Sponſa, meum zelabis honorem.* Eo conſiliante, maxime arduum votum emiſit, efficiendi ſemper, quicquid perfectius eſſe intelligitur. Tam anxio caſtigandi corporis deſiderio æſtuabat, ut quamvis ſecus ſuaderent morbi, corpus ciliciis, catenis, urticarum manipulis, aliisque aſperrimis flagellis, ſæpe cruciaret, & aliquando inter ſpinas volutaret, ſic Deum alloquuta: *Domine, aut pati, aut mori.* Prophetiæ dono excelluit; eamque divinis charismatibus tam liberaliter locupletabat Dominus, ut ſæpius exclamans peteret, beneficiis in ſe divinis modum imponi. Obiit A. 1582. annos nata 67. Ei morienti adeſſe viſus eſt, inter Angelorum agmina, Chriſtus Jeſus, & arbor arida, cellæ proxima, ſtatim effloruit.

CAROLVS BORROMÆVS, quanta futurus eſſet ſanctitate conſpicuus, divina lux, Mediolani, ſuper parientis matris cubiculum noctu coruſcans,

ruſcans, præſignavit. Adoleſcens, liberalibus diſciplinis Papiæ operam dedit, & *Caſtitatem* adeo coluit, ut impudicas mulieres, ad labefactandam ejus pudicitiam pluries immiſſas, invicta conſtantia fugaverit. Annum ætatis 23. agens, a *Pio IV.* avunculo, in Collegium Cardinalium cooptatus, & mox ab eodem *Mediolanenſis Archiepiſcopus* creatus, inſigni pietatis & virtutum ſplendore omnibus præluxit, multosq; Rhætorum & Helvetiorum, ad Eccleſiæ Romanæ fidem convertit. *Vritano Principatu* vendito, pretium univerſum, ad XL. aureorum millia, una die in pauperes erogavit; nec minori pietate, viginti millia, quæ ſibi fuerant legata, diſtribuit. Quo tempore peſtis Mediolani graſſabatur, domeſticam ſupellectilem, ne relicto quidem ſibi lectulo, in pauperes alendos contulit, ſuper nuda deinde tabula decumbens; eoque morbo laborantes ſedulo inviſens, propriis manibus Eccleſiæ Sacramenta iis miniſtravit. Cum aliquando orationi vacaret, tormenti bellici laxata rota, igneo globulo percuſſus, divina virtute ſervatus fuit illæſus. Multas Eccleſias, Monaſteria, Collegia, ædificavit; plura ſcripſit, ad Epiſcoporum præſertim inſtructionem utiliſſima, cujus etiam opera, *Parochorum Catechismus* prodiit. Exceſſit e vita A. 1584.

A. 1538. cœpit mirabile *agri Puteolani, aquis calidis, & lutoſo ſulphure abundantis, incendium.* Fuit hæc regio, biennio fere, magnis terræ motibus agitata, ut pleraque ædificia, quæ ſolo non æquata erant, ruinam tamen minarentur. Poſt

frequentiſſimos terræ motus, tandem magnus illius agri tractus, qui inter radices montis, quem *Barbarum* incolæ appellant, & juxta *mare Avernum* jacet, ſeſe erigere viſus eſt, & montis ſubito naſcentis figuram imitari, eodemque die, iſte terræ cumulus, aperto veluti ore, magno cum fremitu, ignes evomuit, pumicesque & lapides, cinerisque fœdi tantam copiam, ut, quæ adhuc extabant Puteolorum ædificia, operuerit, fugientibus, per tenebras Puteolanis, & Neapolin ſe recipientibus. Cinis ad LX. paſſuum millia, exhalationis vi, projectus eſt, ac prope voraginem ſiccus, procul vero lutoſus & humidus cecidit. Mons item, circa voraginem, ex pumicibus, & cinere, plus quam mille paſſuum altitudine, una nocte congeſtus eſt.

Anno 1559. d. 20. Decemb. Lutetiæ crematus eſt ANNA BURGÆUS Senator, qui Henricum II. Regem, ſupplicia adverſus Reformatos ſpirantem, in Parlamento dehortatus fuerat. Ea libertate Rex offenſus, illum in vincula conjici mandat, teſtatus, ſe oculis ſuis inſpecturum illius combuſtionem. Sed Rex, die 10. Julii, in haſtiludio, a *Comite Montgommerio*, dextro oculo transfixo, lethale vulnus accepit, e quo, cum per 9. dies graviſſimos cruciatus paſſus eſſet, diem ſupremum obiit.

Circa hæc tempora, in Gallia, *Cæſaroduni*, (Tours) prognatum eſt HUGONOTORUM NOMEN, quo vocabantur, qui Reformatæ religioni erant dediti. Appellationis origo vulgo hæc traditur. Singulæ apud Gallos urbes, peculiaria nomina habent, quibus lemures, & cætera monſtra

monſtra inania, ad incutiendum infantibus terrorem conficta, vulgo indigitant. Cæſaroduni igitur *HugoRex* celebrabatur, quaſi qui noctu, per pomœria urbis obequitet, atque in homines involet, iiſque vim faciat. Cum itaque Reformati, quorum tunc plures erant Cæſaroduni, circa eadem pomœria, nocturnos (nam interdiu id non licebat) conventus agerent, factum eſt, ut tanquam nocturni lemures, digito monſtrarentur pueris, atque ab Hugone, Hugonoti, ridiculo & odioſo nomine vocarentur. Ægidius tamen Menagius V. C. in libro Originum Linguæ Gallicæ ſcripſit : *Il y a diverſité d'opinions touchant l'origine de ce mot Huguenots : & il eſt eſtrange, que ceux-meſmes qui l'ont veu naiſtre, n'ayent pas ſceu d'ou il eſt venu.*

Anno 1561. ſub *Franciſco II.* Galliæ Rege, *Henrici II.* ſucceſſore, COLLOQVIVM IN CAVSA RELIGIONIS POSSIACI inſtitutum ; in quo de controverſiis tollendis actum fuit. Ex parte Reformatorum, præcipuo loco erant, *Theodorus Beza*, & *Petrus Martyr*; pro Pontificiis verba fecit *Cardinalis Lotharingus*. Beza, in initio colloquii, rationem fidei reddidit tanta eloquentia, ut Cardinalis exclamaret : *Vtinam, aut Beza mutus eſſet, aut nos ſurdi.* Diſputatum imprimis de præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti, in Cœna Domini : atque Beza, diſputationis æſtu, eo usque provectus eſt, ut licet fateretur, cunctos fideles frui Corpore & Sanguine Chriſti, tamen affirmaret, ſi ad ſpatia locorum reſpiciamus, Corpus & Sanguinem Chriſti, tantum

 a Pa-

a Pane & Vino conſecratis abeſſe, quantum altiſſimum Cœlum a terra diſtat. Ibi Cardinalis Turnonius excanduit vehementer, & Regem male feciſſe colloquium indulgendo, exclamavit. Sic re infecta, & auctis utrinque odiis, diſceſſum.

PHILIPPUS II. Hiſpaniarum Rex, ſorori naturali, *Margaretæ Parmenſi*, Belgicarum provinciarum Gubernatrici, A. 1565. imperat, ut *in Belgium Tridentini Concilii exſecutionem, & Hiſpanicam Inquiſitionem* introduceret, quod Mandatum, Margareta etiam publicavit. Cum autem hæc crudelitas Belgis, tanquam libero populo, intolerabilis videretur, conjuncti Nobiles, numero 400. libellum ſupplicem Margaretæ A. 1566. menſe Aprili exhibuere, in quo Hiſpanicæ Inquiſitionis abolitionem petierunt. Atque iſti, *Geuſii*, ab adverſariis, per contemtum appellati fuerunt; quo nomine, cum hi ambeſas fortunas illis exprobrarent, ipſi id in honorem trahentes, profeſſi ſunt, fidem ſibi in Regem ad mendicitatem usque conſtituram. Gubernatrix, miſſa petitione hac in Hiſpaniam ad Regem Philippum, reſponſum accipit, quo omnes novas conciones penitus prohibere jubebatur, unde *tumultus Autuerpiæ* excitatus eſt. Ergo fit *inter Reformatos confœderatio*, cujus finis erat, libertatis & religionis defenſio, & Dux conſtituitur *Wilhelmus Naſſovius, Princeps Auriacus*. Hic, cum intellexiſſet, conſilia capi de Reformatis e toto Belgio exſtirpandis, & Albani Ducis, cui hæ partes ſint demandatæ, adventum jam imminere, in Ger-

maniam,

maniam ad ſuos fratres & propinquos conceſſit, relicto tamen filio *Philippo Wilhelmo*, undecim annorum juvene, quem ſtudiorum cauſa Lovanium miſerat. Cæterum, poſtquam *Ferdinandus Alvarez de Toledo*, *Dux Albæ*, a Philippo II. Gubernator Belgii conſtitutus, A. 1567. cum exercitu in regionem illam ſe contuliſſet, multos Nobiles, qui fœderi Geuſiorum ſeſe junxerant, & adverſus Hiſpanicam Inquiſitionem proteſtati fuerant, conjurationis reos damnavit. Dehinc año ſequenti, *Lamoralum Comitem Egmondanum*, Flandriæ & Arteſiæ Gubernatorem, victoriis aliquot de Gallis partis celebrem, quin & *Philippum Momorancium Comitem Hornanum*, Belgici maris Præfectum, Bruxellæ capitali pœna affecit. Principis Auriaci filium, ex Academia Lovanienſi, per vim rapuit, & in Hiſpaniam deportare juſſit; Patrem, & multos alios Proceres ac Nobiles, qui e Belgio exceſſerant, citatos ad certum diem, cum non comparerent, velut perduelles proſcripſit, & omnia illorum bona in fiſcum redegit. Denique ita graſſatus eſt, ut plus, quam 18000. hominum, intra ſexennium quod Belgio præfuit, carnificis manu ſe peremiſſe gloriatus ſit. Interea loci *Wilhelmus Auriacus*, precibus Hollandorum permotus, in Germania exercitum collegit, & laboranti patriæ ſuppetias tulit; unde grave & diuturnum bellum, cujus finem noſtra demum vidit ætas, conſecutum eſt.

A. 1572. ipſa die Bartholomæo ſacra, ſuſcepta LANIENA PARISIENSIS, exitio Reformatorum. Ad hanc cædem peragendam, inſti-

tutæ fuerunt nuptiæ, inter *Margaretam* Regis Caroli IX. ſororem, & *Henricum Navarræ Regem.* Initium cædis, a *Colignio Admiralio* factum. Lutetiæ ſupra decem millia ſublata, ut ſanguinis rivi per urbem diffluerent. Aurifex quidam, ſæpe poſtea exerto nudo brachio gloriatus eſt, iſto ſe 400. amplius homines, in illa ſtrage mactaſſe. Sævitum, non minori crudelitate, in aliis urbibus. Supra 70. millia, quod Rex per Legatum Papæ nunciavit, illa publica clades abſtulit. Excitavit eam *Catharinæ Mediceæ* viduæ Reginæ, Caroli IX. matris, crudele ingenium, quæ ſæpe dixerat, neceſſe eſſe unam Regni partem perire, ut altera incolumis conſervetur. Poſt tamen, quod perpetrato demum ſcelere ejus magnitudo intelligitur, quaſi pœnitens, dixit, ſe tantum ſex hominum interfectorum ſanguinem in ſe recipere. Sub veſperam, ea cum Rege & Regina, Lupara egreſſa eſt, cædis per Vrbem factæ ſpectandæ cauſa. *Subiſi* Nobilis, qui frigidæ naturæ eſſe dicebatur, cadaver inveſtigari juſſit, inventoque, velanda corporis, cum pediſſequis, magno riſu inſpexit. Laniena peracta, bello ubique petebantur Reformati, & plurima loca ſubacta. Sed *Rupella*, quo 54. circiter Verbi Divini Miniſtri, & magnus numerus primariæ Nobilitatis confluxerant, ſtrenue ſe defendendo, Reformatis reſtituit rem, præcipue, cum & Dux belli *Henricus Regis frater*, Rex Poloniæ electus, in illam regionem peregre abiiſſet. Et vero Rupellam, Deus, in fame, miraculoſo modo tutatus eſt. *Surdones* enim piſces, præter conſuetum ordinem, tanta copia

opia illac ſingulis diebus appellebant, ut pa-
is loco eſſent tenuioribus: ac abundantia illa eò
æne ipſo die ceſſavit, cum pace facta, Regius
iscesſiſſet miles. Poſt lanienam, Carolo Regi,
octurni horrores, ſomnum plerunque inter-
umpebant, ut neceſſe eſſet, per pueros ſympho-
iacos eundem reſtituere. Tandem A. 1573.
nter horrendos terrores animi, corporisque do-
ores, cum per 14. dies ſanguinem copioſe eges-
iſſet, extinctus eſt. Succeſſit, *Henricus III.* frater,
Poloniæ Regno deſerto.

Martinvs Forbisservs, Anglus, navi-
gationem inſtituerat in Septentrionales regio-
nes, ubi ſuperatis multis difficultatibus, in qua-
dam Inſula tantam auri reperit copiam, ut eo re-
pleverit ducenta dolia. Reverſus eſt in Angli-
am A. 1577. die 17. Septemb.

A. 1578. Sebastianvs Lvsitaniæ Rex,
in Africam cum ingenti Claſſe trajicit, ut *Muha-
medem*, a patruo *Abdemelecho* pulſum, in Fezzæ &
Marocci Regnum reſtitueret: ſed in prælio,
cum Luſitanicæ Nobilitatis flore, cæſus fuit, Mu-
hamed in paludibus ſubmerſus periit; Abdeme-
lechus victor, in lectica mortuus eſt: atque ſic
tres Reges, in uno prælio vitam finierunt. Se-
baſtiano ſucceſſit avi Johannis III. frater; *Henri-
cus Cardinalis*, jam natu grandior, & affecta vale-
tudine. Is A. 1580. diem obiit ſupremum, cujus
hereditatem affectabant, *Antonius*, Sebaſtiani
frater nothus; *Duciſſa Bragantiæ*; *Dux Sabaudiæ*,
& *Parmenſis Principis filius*, maxime vero *Philip-
pus II.* Rex Hiſpaniarum. Ac iſte quidem Com-

petitores ſuos antevertens, Luſitaniam per *Albanum Ducem* occupat, ac Vlyſſipone A. 1581. Rex coronatur. Antonius, præliis aliquot amisſis, & a Regni Magnatibus deſertus, ad Regem Galliæ confugit.

A. 1579. FORMULA CONCORDIÆ, a *Jacobo Andreæ*, *Davide Chytræo*, *Martino Chemnitio*, *Andrea Muſculo*, *Chriſtophoro Cornero*, & *Nicolao Selneccero* conſcribitur, in qua, quicquid hactenus inter Proteſtantes, Lutheri ſequaces, controverſiam pepererat, definitum deciſumque fuit. Cumque ea *Auguſto Saxoniæ Electori* oblata eſſet, ipſius maxime auſpiciis, poſt factam ejus cum aliis Principibus, & Ordinibus Imperii communicationem, A. 1580. in lucem prodiit, ſubſcripta ab Electoribus, Principibus, Comitibus, Civitatibus, multisque e Nobilitate, & præterea ab octo millibus Miniſtrorum tam Eccleſiæ, quam Scholæ. Obtinet illa, in Eccleſiis Saxonicis, aliisque ubi recepta eſt, locis, autoritatem *Libri Symbolici*, cui aſſenſum præbere tenentur, quicunque muneri alicui Eccleſiaſtico admoveri cupiunt.

MARIA STVARTA, Franciæ & Scotiæ Regina. *Jacobi V.* Scotiæ Regis, ex *Maria Lotharingica* filia, octo tantum diebus ante parentis obitum nata, rebus in Scotia turbatis, in Galliam miſſa, & in aula Henrici II. educata eſt. Ingenio & forma, ſupra omnes ſui ſeculi principes fœminas, linguarumque ſex gnara fuit. Nupta *Franciſco II.* Galliæ Regi, illo mortuo, in Scotiam reverſa, regimen Matri a Proceribus, quibus liberum Religionis uſum interverſum ibat, abrogatum,

gatum, ſuſcepit. *Henrico* dein *Stuarto* nupſit, Matthæi filio, qui ex Henrici VII. Angliæ Regis nepte prognatus fuerat. Sed Maria mox *Davidis Ritzii*, citharœdi Itali, indignis amoribus illaqueata, præ illo maritum mox ſprevit, & in diplomatibus ejus nomen ſubſtituit; interfecti a Proceribus necem, ſevere ulta eſt, ac cadaver in ſepulchro Regum condidit. Infantulum tamen *Jacobum*, ſine craſſioribus ſuperſtitionibus, imprimis absque ſaliva, baptizari voluit. Ritzio, in amore Reginæ, ſucceſſit *Jacobus Heburnus Bothueliæ Comes*, libidinibus infamis. Cui adhærens Maria, maritum primo veneno tentavit, dein eum ſtrangulari, & domus nitrato pulvere ſubverſæ ruina ſepeliri curavit, Bothuelio palam in conſortium thori adſcito. Id Proceres indignum rati, arma ceperunt, Reginamque in cuſtodiam dederunt, Jacobo VI. filiolo Rege proclamato. Sed illa elapſa, cum copias ſuas victas vidiſſet, in Angliam profugiens, ibi quoque rebus turbatis, in arce *Fodringam*, in novum carcerem detruſa eſt. Tandem conjuratione contra Eliſabetham inita, A. 1587. Ordinum juſſu capite plexa eſt, cum vix ætatis annum 45. attigiſſet. Id factum dolenter tulit Eliſabetha, ac valde queſta eſt, præcipitatam, ſe inſcia, ſententiæ executionem. Itaque *Davidſonum*, qui, pervicacia ſua, maturandæ rei autor fuerat, violati mandati reum peregit, isque diu in carcere detentus, poſtremo Secretarii dignitate motus eſt. Magnificas quoque exequias ſumtu centum millium florenorum Mariæ Eliſabetha paravit

Cæte

Cæterum nihil veſtium enectæ, aut reliqui comtus, lictoribus] relictum; omnia ſanguine adſperſa, tam carnifici quam aliis ſtatim ademta, & eluta ſunt, nec non & pegmatis aſſeres, pannus ſubſtratus, & reliqua cruenta, in ignem injecta, ne quid reliquiarum ſupereſſet, quod ſuperſtitioni occaſionem præberet. Et vero, corpore ſepulto, conati ſunt quidam, a conjuratis immiſſi, cadaver ipſum, aut partem ejus e ſepulchro tollere; jamque ciſtam plumbeam perfregerant: verum comprehenſi antequam ad arcam ligneam penetraſſent, fruſtra fuere, tresque ex iis, ad terrorem, laqueo ſuſpenſi. Videndi Buchananus in Hiſtoria Scotica, & Thuanus l. 86. Hiſtoriarum.

Anno 1588. Majo menſe, Vlyſſipone ſolvit, ingens PHILIPPI II. REGIS HISPANIARVM CLASSIS, quam vulgo *Invincibilem* vocabant, toto triennio adverſus Eliſabetham Angliæ Reginam apparata. Conſtabat 134. militaribus navibus, quæ, circiter 25. mille armatos, & 10. mille nautas, una cum bis mille tormentis majoribus vehebant. Huic altera ex Belgio, cum illuc acceſſiſſet, jungere ſe debebat. Venit circa finem Julii in conſpectum Angliæ, per fretum *Caletenſe*, Dunkerkam verſus tendens, ubi Dux Parmenſis exercitum 35. millium in procinctu ſtantem habebat. Sed Hollandorum & Selandorum Claſſis impedivit, ne ambæ illæ Hiſpanicæ conjungere ſe poſſent. Inſuper ea, quæ ex Hiſpania venerat, a *Franciſco Draco Anglo*, ita fortiter fuit impugnata, prætereaque maris tempe-

ſtati-

itibus quaſſata, ut nihil efficere potuerit, nec
ures quam 53. naves, & quidem valde laceræ,
: ea in Hiſpaniam redierint. Multi ex Magna-
ous occiſi, plures capti fuere.

Cum HENRICVS III. Galliæ Rex, nullam
rolem haberet, ejusq; frater *Franciſcus Alanſonius*
ortuus eſſet, atque ſic Regni Galliæ hereditas,
oſt Henrici obitum, ad Henricum Borbonium
avarræ Regem, qui Reformatam religionem
rofitebatur, perventura videretur, *Principes*
uiſii, qui magna autoritate jamdudum polle-
ant, ſub prætextu religionis Catholicæ ab inte-
tu ſervandæ, Galliæ Regnum ſuæ familiæ vin-
icare conantur. Ergo fœdus cum aliquot Ma-
natibus ineunt, quod *Sanctam Ligam*, & Vnio-
em vocarunt, ea lege, ut omnes Reformati to-
o Regno pellerentur, & ut Henricus Navarræ-
s perpetuo a ſucceſſione in Regno Galliæ ex-
luderetur. Ad deſtinata iſthæc perficienda,
ixtum V. Pontificem obteſtantur, ut *Henricum*
egem Navarræ, ac *Henricum Borbonium Principem*
ondæum, patruelem, tanquam hæreticos, & am-
os quidem relapſos, anathemate feriat, ac inha-
iles ad ſucceſſionem in Regno Galliæ declaret,
ubditosque a juramento fidelitatis abſolvat, qua
n re morem iis geſſit. Etſi autem Galliæ Rex
ſtud fœdus non probabat, facile prævidens, ſibi
ingens periculum ab eo iminere, illius tamen ſe
caput eſſe velle cogebatur profiteri. Sic A. 1585.
Edictum, cui a menſe Julio, in quo exiit, nomen indi-
tum, fecit, quo omne Reformatæ religionis exer-
citium abrogabatur, Miniſtri Verbi Divini ex
Regno

Regno ſtatim excedere jubebantur, reliquis ſubditis ſpatium ſex menſium (quod paulo poſt ad tres contractum eſt) concedebatur, ut religionem Catholico-Romanam amplecterentur, aut extra Regni fines migrarent. Vnde factum eſt, ut plurimi, relicta patria, in Germaniam & Angliam exulatum proficiſcerentur; reliqui vero, qui loca munita tenebant, ſe ad pugnandum pro aris & focis compararent. Sequutæ ſunt deinde Pontificiorum & Reformatorum acerrimæ concertationes, & prælia quoque, Reformatis Ducem ſe præbente Henrico Navarræo. Re ſemel iterumq; a Ligiſtis proſpere geſta, quamvis nec Henrico fortuna interdum defuit, Guiſius ſucceſſibus elatus, Regem non contemnit tantum, ſed & quaſi hæreticarum partium fautorem, apud populum in ſuſpicionem adducit, id agens occulte, ut ipſum poteſtate exueret, ajuntque *Mompenſeriam*, forcipes aureos e zona dependentes ſæpius oſtentaſſe, dicendo, fore, ut Rex brevi tonſus, in monaſterium, tanquam regno indignus, detruderetur, & eo dignior, in Regni ſolio conſtitueretur. Ipſam adeo *Lutetiam*, Guiſius adverſus Regem concitavit, unde ſeditioſi cives, ſumtis armis contra Prætorianos & Helvetios in urbem a Rege evocatos, vias trabibus tabulisque obvallant. Sed Rex fuga ſaluti ſuæ conſuluit, & Carnutum venit, Ordines Regni *Bleſas* convocans. Huc, cum *Guiſius*, fraterque ejus *Ludovicus Cardinalis*, acceſſiſſent, juſſit Rex utrumque in Arce Bleſenſi confodere, ſociosque multos *Henoticæ factionis*, in carcerem compingere.

gere. Cadavera interfectorum, ne a ſeditioſis ad tumultum excitandum, & ad adorationem exponerentur, calce viva ad nihilum fuere redacta. Atque ſic Ligam diſſipatum iri Rex confidebat. Enim vero, contrarium omnino evenit. *Carolus* enim *Mayennius*, frater occiſorum, eorum qui ſacri fœderis nomine continebantur, Dux conſtitutus, in Regem delectum habuit. Vrbes Regni præcipuæ & primariæ, Guiſianorum partes, ſpecie religionis deceptæ, ſequutæ ſunt. Lutetia nimirum, Aurelia, Burdegala, Toloſa, Rothomagus, Lugdunum, Trecæ, Ambianum, Pictavium, Maſſilia: provinciæ pæne omnes, a Rege, aut omnino, aut magna ex parte defecerunt: inſuper a Summo Pontifice, ob ſacras perſonas violatas, diris Eccleſiaſticis, ab Hiſpano armis, a Francis convitiis & factionibus undique Rex appetitur. Ipſa *Sorbonæ Schola*, Gallos non amplius ad Henrico Valeſio parendum obligari, & adverſus ipſum, tanquam tyrannum, arma legitime capere poſſe, decreto ſuo confirmavit. Rex, auctus Henrici Navarræi copiis, ad hæc, comparatis *Nicolai Harlæi* opera, Helvetiorum 15. fere cohortibus, Lutetiam obſidebat, ad S. Clodoaldi Fanum, altero ab Vrbe lapide, caſtra metatus. Huc accedens quidam Dominicanæ familiæ monachus, *Jacobus Clemens* nomine, ad Regem admiſſus eſt, quia literas ſe a primo Parlamenti Præſide afferre aſſeverabat. Iis legendis intentum, cultro in imo ventre ſauciat, e quo vulnere, poſtero die mors eſt conſequuta. Prius, acceerſitis Magnatibus, quos in exercitu ſecum habe-

habebat, Rex moribundus, Henricum Navarræum, qui in auxilium ejus accurrerat, & a *Roberto Comite Claromontano, Ludovici IX. altero filio,* genus trahebat, ac *Antonium Navarræ Regem,* & *Johannam Albretanam* parentes habuerat, tanquam proximum Agnatum, legitimum Regni heredem declarat, omnesque hortatur, ut ei, quamvis ab Eccleſiæ Romanæ ſacris alieno, pareant. Interim Liga, *Carolum Borbonium* Cardinalem, Henrici Navarræi patruum, Caroli Ducis de Vandome filium, ſenem decrepitum, & a Comitiis Bleſenſibus in cuſtodia detentum, Regem proclamat, ac *Carolum X.* vocat, addito ei Vicario Duce Mayennio: huic enim nondum opportunum videbatur, Regis titulum aſſumere. Sed Cardinalis, quod eſſet captivus, nullam Regis functionem exercere potuit, tantum ſub ejus nomine cuſa eſt aliqua aurea & argentea moneta, isque biennio poſt, in cuſtodia, anno ætatis 66. ex calculi doloribus, exſpiravit. Fertur Henricus III. Rex, a *Guilielmo Principe Heſſo,* Aſtronomiæ peritiſſimo, præmonitus fuiſſe, diligenter ſibi a raſo capite caveret, verum id ſpreverat. Id quoque narrant, *Catharinam Mediceam* matrem, de filiorum, & ſucceſſorum eorundem fortuna, Magum conſuluiſſe, qui ſpeculum, quod auguſtum conclave referebat, ei exhibuerit. In hoc, Reginæ filiorũ quilibet toties circumambulabat, quot annos Regno eſſet præfuturus. Cumq; Henricus III. ſuas periodos abſolviſſet, Dux Guiſius, quaſi fulgur ſpeculum pervagabatur: tum Navarræus, bis ſupra vicies ſe oſtendens, diſpa-

paruit. Cæterum,negari nequit,Henrici III.
gimen,vitiorum & dedecoris plenum fuiſſe.
n ille, ut deceſſores ejus conſueverant, regio
ore ſe populo viſu facilem, & dictu affabilem
endebat,ſed cibum ſumens, ſeptis ante men-
a poſitis, cunctos acceſſu prohibebat; ſolos
venes, neque ullo digno opere gratiam ejus
omeritos, ad colloquium admittebat, Proce-
s,& meritis ſubnixos, excludebat. Porro, di-
itatibus primariis, & præfecturis militaribus,
modicum pretium conſtituebat, quo eas a di-
is, & qui virtute ac fide, illas a Regibus
eruerant, mercaretur, atq; in indignos trans-
rret. Præter ſumtus in canes venaticos &
cipitres, in ſolos catellos Lugdunenſes paran-
os alendosque, plus centum millia aureorum
otannis abſumebat, hominibus ad id magno
ipendio conductis, qui aulam cum omni illo
mitatu ubique ſequebantur. Præterea, nec
arvos ſumtus in ſimias, pſittacos, & id genus
ia exotica animalia, faciebat, quorum imma-
em habebat copiam. Sic creſcebat æs alienum
illa morum intemperie, ita, ut in Comitiis
leſenſibus Rex queſtus ſit, ſe ultra centum auri
illiones æris alieni debere.

Cum animam efflaſſet Henricus III. mox in
aſtris HENRICVS NAVARRÆVS, Rex procla-
atus fuit,qui *Quarti* cognomen deinde uſurpa-
it. Eum *Gregorius XIV.* Papa iterato anathema-
e percuſſit, ſed Parlamentum Pariſienſe,partim
Turones, partim Catalaunum translatum, Bul-
am excommunicationis rejecit, & per carnifi-

cem publice comburi juſſit. A. 1593. Henricus, *Reformatam religionem in fano S. Dionyſii prope Lutetiam abjuravit*,& ſe impoſterum Catholicæ Romanæ conſtanter adhæſurum ſpopondit, apud familiares profeſſus, ſuam ſe animam perditum ire,ut populum ærumnis eripiat. Abſolutione eum *Archiepiſcopus Bituricenſis* impertivit , ac anno ſequente , Autrici Carnutum, (quia Remos, ubi Reges inungi ſolent,Ligiſtæ tenebant,) oleo ſacro inunctus eſt. Miſit deinde Legatos ad *Clementem VIII.* qui de converſione ſua eum certiorem redderent. Illorum princeps erat *Dux Nivernenſis* : ſed Pontifex,non niſi poſt longas moras, Regem A.1595. in communionem ſuam recepit, ea ceremonia , ut Legatos,ad ſingulos Pſalmi LI. verſus, leviter percuteret. Prius A.1594.cum in Arce Regia Lutetiæ ageret Henricus, *Johannes Caſtellus*, Jeſuitarum alumnus, juvenis 19. annorum,cultro illum transfodere conatus eſt , ſed , fallente ictu , dentem ei excuſſit, exclamante Rege : *itane fieri oportebat,ut Jeſuitæ ore meo convincerentur*? Parricida captus, in quatuor partes dilaceratus , domus parentum (qui exilio mulctati) ſolo æquata : erecta columna, quæ Senatus conſultum continebat, in quo Jeſuitæ,*tanquam homines novæ atque maleficæ ſuperſtitionis,qui Rempubl. turbant , quorum inſtinctu piacularis adoleſcens,dirum facinus inſtituerat*, notabantur: iidem , tanquam *juventutis corruptores, tranquillitatis perturbatores , Regis Regniq; hoſtes* , tota Gallia pulſi. *Johannes Guignardus*,ex eadem Societate,ob multa in Regem contumelioſe jactata,ac

inter

ter cætera hoc quoq;, *Sanbartbolomæo tumultu* ccatū eſſe, quod e vena Baſilica ſanguis non ſit miſſus, rangulatus fuit. De reliquo, *Dux Mayennius*, clabus aliquot acceptis, tandem Regi ſe ſubmiſit, urbes quas tenebat, ei tradidit. *Dux* quoq; *Neorofius*, cum Rege reconciliatus eſt, & ita paulatim omnes, qui deſciverant, ad officium redierunt.

A. 1586. STEPHANVS BATORIVS, Polonorum Rex, ſubita morte extinguitur. Novum Regem electuri Poloni, ſcinduntur in duas partes, aliis *Sigismundum*, Johannis III. Suecorum Regis, & Catharinæ Jagellonicæ filium, aliis *Maximilianum Auſtriacum*, Rudolphi Imperatoris fratrem, expetentibus. Prævaluit tandem ea, quæ pro Sigismundo pugnabat, ac Maximilianus Poloniam cum copiis petens, captus eſt. Cum vero juri ſuo in Regnum Poloniæ renunciaſſet, libertatem impetravit. Poſt hæc, A. 1592. fato concedit *Johannes III. Suecorum Rex*, Sigismundi Regis Poloniæ Pater. Sigismundus ergo, ad capeſſendum Regnum hereditarium, in Sueciam ſe confert, ibique, cum prius Regni & Regnicolarum privilegia ſe ſervaturum juraſſet, fuit coronatus. Quia vero Pontificium Legatum ſecum adduxerat, neque ſolius Auguſtanæ Confeſſionis profeſſionem tuebatur, multorum animos a ſe avertit. Quamobrem illo in Poloniæ Regnum reverſo, Conventus Ordinum Regni; ſub *Duce Sudermanniæ Carolo, Sigismundi patruo*, habiti ſunt. Id cum ægre Sigismundus ferret, primum per Legatos, deinde præſens, lites inter

ſe & Carolum dirimere conatus eſt. Pax quoque, poſt repetitum Sigismundi in Sueciam ingreſſum, inita quidem, ſed male ſervata; tandemque Carolus, Rex Sueciæ electus & confirmatus eſt.

A. 1597. die quo S. Magini Martyris memoria in Eccleſia Romana colitur, cum Gallorum quindecim millia, Duce ALPHONSO ORNANO, in Cataloniam impetum feciſſent, ut inde fugari propellique poſſent, Sol, contrario illi, quod Joſuæ quondam accidit, oſtento, ortum ſuum anticipando, tribus horis citius, quam motus illius conditio ferebat, mortalibus illuxit. Subjicio ipſa Catalaunorum verba, quibus miraculum hoc prædicant, in libello ad Philippum IV. Regem Hiſpaniarum directo, apud Victorium Siri in Mercurio lib. 1. pag. 54. *Fu la penultima invaſione di Alfonſo Ornano Corſo, con un' Eſſercito di quindicimila Franceſi, tuttavia ſono vivi molti, che ſi ricordano, e non ceſſaranno mai le glorie de' Catalani, acquiſtate in quella giornata, nella quale il Cielo ſi moſtrò protettore di queſt' armi (com'altra volta in quella di Gioſuè ſi fermò il Sole, per mirare, ò dár luogo alla vittoria) così in Perpignano, ſi fece giorno tre horè prima del conſueto. per fugare li Franceſi, & era il giorno del glorioſo Martire S. Magino.*

SE.

SECVLVM XVII.

[I]MPERATORES ROMANI.

MATTHIAS.

RVdolpho Cæſari, ſucceſſit MATTHIAS frater, qui, rebus jam maxime turbatis, ſeptenn]io præfuit. Is, Auſtriacis Proteſtantibus uſum [r]eligionis ſuæ ademit; cum Achmete, Turca[r]um Sultano, de jure Principes in Tranſylvania [c]onſtituendi, diſceptavit, deinde vero cum eo [p]acem fecit viceñalem. *Aquisgranenſes Proteſtan[t]es*, ob tumultum, quo, exaſperati injuriis Catho[l]icorum Romanorum, Senatum Pontificium amoverant, proſcripſit, mandata *Alberto fratri Cardinali & Belgii Gubernatori*, executione, qui eos, per *Ambroſium Spinolam*, in ordinem redegit. In *Bohemia*, ad interceſſionem Matthiæ, *Ferdinandus Archidux*, multis Procerum reclamantibus, Rex conſtitutus fuit., ea conditione, ne vivente Matthia, ſe adminiſtrationi imiſceret. Proteſtantes Bohemi, *Literis Majeſtatis*, hoc eſt, Diplomate, quo Rudolphus II. Cæſar, A. 1609. iis publicum religionis exercitium pleniſſime indulſerat, confiſi, *Cloſtergrabii*, & *Brunaviæ*, quorum illud Archiepiſcopi Pragenſis, hoc, Abbatis, qui inde cognomen habet, oppidum eſt, templa moliti fuerant, neque adverſarii prohibuerant novum opus. Fabrica abſoluta, demum controverſiam movent, negantque, privilegio Rudolphino jus concedi, in ipſo Eccleſiaſtico ſolo tem-

 pla

pla exſtruendi. Ea cauſa, cum poſt longam diſceptationem, tandem ad Cæſarem delata eſſet, atque ipſe in favorem Pontificiorum ſententiam tuliſſet, ibi Archiepiſcopus Pragenſis, Cloſtergrabienſem fabricam ſolo æquari jubet, Civibus vero Brunavienſibus imperatum, ut claves templi traderent. Hi, cum morem gerere cunctarentur, primarii aliquot in carcerem & vincula fuere conjecti. Proinde, *Henrico*, & *Matthæo Comitibus Turrianis* autoribus, A. 1618. Ordines Proteſtantium Pragæ in Collegio Carolino magno numero conveniunt, acturi de ſalutis & rereligionis ſuæ conſervatione. Non enim templa tantum erepta, ſed id inſuper querebantur, munia Regni omnia iis conferri, qui Pontificia dogmata profitentur, ſe vero contemni, abjici, ſuasque negligi querimonias. Hunc Conventum, cum diverſæ religionis Proceres, peſſimi rem exempli interpretarentur, Cæſari perſuadent, ut miſſo diplomate, adverſum ſuam Majeſtatem hanc agi coitionem, exemploque disſolvendam pronunciet. Aſperatis per hæc Magnatum quorundam ex Proteſtantibus animis, ArcemPragenſem armati ingrediuntur, atque *Guilielmum Slabatam*, Præſidem Conſilii; *Jaroslaum Comitem a Martiniz Smiſanskium*, ac *Philippum Fabricium*, Secretarium, tanquam proditores patriæ incuſant, correptosque de feneſtra præcipitant, ſalva vita, quod aliqui ſolido miraculo, aliqui, quisquiliarum, eo loci a multis annis ejectarum cumulo, adſcribunt. Cujus facti enormitatem cum autores facile intelligerent, & de venia

ia deſperarent,rem cœptam urgendam rati,de-
gunt ex omni numero XXX. *Directores* , tan-
uam novum Regni Conſilium , quorum arbi-
rio cuncta gererentur. Mox , loco moti Cæ-
area Miniſtri ; Præfectique militum in verba
Directorum atque Ordinum jurare compulſi,
Patres vero Societatis Jeſu , Bohemia univerſa
xcedere juſſi ſunt : *Sileſia,Luſatia, Moravia* , in
partes pertrahuntur. Primo,turbas has , Cæſar
per Legatos ſedare conatus , exhortari Princi-
pes Imperii , ne qui auxilio eant; vetare colle-
ctionem exercitus,polliceri , ſi deſiſtant vim pa-
rare Bohemi, ſe quoque milites non ſcripturum :
ni pareant,non defuturas copias , ad exigendum
pœnam ſeditionis. Cum vero fruſtra eſſet, tan-
dem aperto bello Bohemos aggredi jubet *Hen-
ricum Duvalum Comitem Tampierium*, magno ar-
morum uſu , & rebus nuper contra Venetos non
infeliciter geſtis , ſtrenuum Ducem. Qui , cum
aliquot eis clades , nullo tamen ad ſummam re-
rum facto momento,intuliſſet , amplioribus co-
piis , & ſumma cum imperii poteſtate ſubmiſſus
eſt a Cæſare, *Carolus Longevallius Comes Buquojus*,
vetus e Belgio miles,quem Albertus frater , cum
duobus equitum,& ſex peditum millibus,ei con-
ceſſerat. Huic Bohemi opponunt *Erneſtum Mans-
feldium*,qui veterana militiæ legione , quam pau-
lo ante *Carolus Emanuel* Dux Sabaudiæ, haud du-
bie Bohemicis motibus obſtetricari creditus ,
tantum ut hunc ſequeretur , exautoraverat,ad
eorum copias adjuncta,*Pilſenam* urbem, conſtan-
tis in Cæſarem fidei , armis expugnat. Idem hoc,

cum circa *Budaviſam* tentaret, re infecta diſcedere coactus fuit: nam Bucquojus urbi opem tulit, ſed cætera, cum ſe hoſti imparem cerneret, ſuis ſe locis continebat, prælii diſcrimen tentare minime auſus. Quamobrem Bohemi, jam latius, & in Auſtriam ipſam vim porrigere cœperunt. Inter hæc Mansfeldium Cæſar proſcribit, Rex vero Bohemiæ Ferdinandus, *Melchiorem Cleſelium Cardinalem*, ſupremum Cæſaris Miniſtrum, quod ſuis conſiliis eum obeſſe crederet, ab Aula removit, & Ereburgum deportari juſſit. Hanc rem tam indigne Cæſar tuliſſe dicitur, ut Bohemis rebellibus contra Ferdinandum ſe adjuncturus fuiſſe crederetur, niſi fata id cœptum inhibuiſſent. Nempe mortuus eſt Matthias, ſub anni 1619. initium, ætatem agens annorum 62. Habuit in conjugio ANNAM, Ferdinandi Archiducis, Tirolia Comitis, & Annæ Mariæ Duciſſæ Mantuanæ, filiam, Latinis ſacris valde addictam, quæ nullius prolis eum fecit parentem.

FERDINANDVS II.

Cum Principes Electores, poſt Matthiæ obitum, ad novum eligendum Imperatorem conveniſſent, intercedere *Bohemi* auſi ſunt, & poſtulare, ne Ferdinandi, tanquam Bohemiæ Regis, in eo conventu ratio habeatur. Verum nihilo ſecius in Collegium Electorale receptus eſt FERDINANDVS, quin & paulo poſt, concordibus ſuffragiis, Cæſar deſignatus fuit. Genitus eſt patre *Carolo*, Archiduce Auſtriæ Stirenſi, matre, *Maria*, Alberti V. Bavariæ Ducis filia. Cæterum, Bohemi,

mi, multum conqueſti, ſua poſtulata ab Ele-
ribus tam fuiſſe neglecta, Ferdinando, Pragæ,
egnum abrogant. Cumque ſpreta illorum ſen-
ntia, qui Bohemiæ Regnum in liberam Rem-
iblicam commutandum judicaverant, hi ſupe-
ores evaſiſſent, qui ſucceſſorem conſtitui vo-
bant, atque dehinc, *Fridericus Elector Palatinus*,
rolus Emanuel Dux Sabaudiæ, *Gabriel Bethlemius*
ansſylvaniæ Princeps, *Joh. Georgius Elector Saxoniæ*,
emque *Maximilianus Bavarus*, in conſideratio-
em veniſſent, cæteris denique, poſt longam de-
berationem, antelatus fuit *Fridericus Palatinus*.
Iuic, cum Ordinum Regni de ſe ſententia inno-
uiſſet, nihil tergiverſatus, Bohemiam petit, &
egium Diadema, nequicquam eum dehortanti-
us Electoribus Collegis, admittit. Interea loci
'erdinandus Cæſar, adverſus Mansfeldium pro-
criptionem renovat, qui, nihil exinde placatior,
mmortales iras adverſus Auſtriacam Domum
oncepit. Simul novus quoque Ferdinandi pro-
lit hoſtis, *Gabriel Bethlemus*, Transſylvaniæ Prin-
eps, qui, cum Bohemis ſociato fœdere, Hungariæ
nhians dominationi, præter alias urbes, *Caſſoviã*,
& caput Regni *Poſonium*, cum ipſa Corona Hun-
garica, quæ ſummæ apud Pannonas eſt ve-
erationis, in poteſtatem redegit, & in Auſtri-
am ſe victor effundens, Viennæ mœnibus exer-
citum admovit. Cum vero, de accepta domi cla-
de a *Georgio Humanajo*, qui ex Hungariæ Dyna-
ſtis in obſequio erga Ferdinandum permanſerat,
redditus eſſet certior, omiſſa Vienna, *Redegum Fe-
rentium*, cum parte copiarum, coërcendo Hu-

manajo dimittit. Ipſe, cum reliquis, Poſonium contendit, indictoque Conventu, Principis Hungariæ ſumit titulum.

1620.

Cæſar, evulgatis diplomatibus, nihili eſſe Palatini Coronationem declarabat, quippe, quod nec ab iis facta fuerit, qui creandi Regis haberent poteſtatem, nec vacante ſolio ſuſcepta: quodque nullo modo Palatino conveniret, ejus diadema uſurpare, quem legitimum agnoviſſet Bohemiæ Regem, & Cæſarem, cum reliquis Septemviris, elegiſſet. Inſuper *hereditarium Auſtriacis in Bohemiam jus eſſe* docebat, quod Bohemi, editis libris, prolixe pernegaverant. Variatum interea præliis minutis in Bohemia, ſine ſummæ rerum diſcrimine. Horum motuum funeſtos exitus prævidentes *Electores*, *Mulhuſi*, *Brandenburgico excepto*, *conveniunt*, & poſt habitam conſultationem, Palatinum, ad pœnitentiam actorum permovere ſtudent, haud obſcure vim ei minitantes, niſi Bohemia abſtineat. Bohemos quoq; hortantur, ut ſaniorem mentem induant. Palatinus contra, cauſæ Bohemicæ cognitionem, neque penes paucos Electores, neque penes Archiducem Auſtriæ Ferdinandum, (quo cum ſolo rem ſibi eſſe ajebat, non uti cum Cæſare,) ſed penes Regnum Bohemicum, aut totum Imperium eſſe reſpondebat. Apud Bohemos vero, adeo nihil perfecere Electorum hortationes, ut Palatini Electoris filium primogenitum *Henricum*, puerum ſexennem, jam tum Patris ſucceſſorem decla-

eclararent, Quamobrem Cæſar, ab Hiſpa-
iæ & Poloniæ Regibus, militum, a Pontifice,
ui tum *Paulus V.* erat, pecuniarum impetratis
ubſidiis, acceptam injuriam ſumma ope vindi-
are conſtituit. Ejus rogatu *Maximilianus Bava-
us* ſine mora, in Auſtrios, Bohemis fœderatos,
novet, convocatosque Lintzium Ordines, co-
it dimiſſo milite ab armis discedere, & ſe fidei
lementiæque Cæſaris permittere. Elector au-
em Saxonicus, *Johannes Georgius*, cui Cæſar exe-
utionem proſcriptionis Bohemicæ impoſue-
at, in Luſatiam ducit, *Budiſſinam*, provinciæ ca-
out, vi tormentorum acerrime quaſſatam, dedi-
ionem facere compellit, totamq; regionem ſub-
jugat Cæſari. Eodem tempore, *Marchio Ambro-
ſius Spinola*, cum Belgico & Burgundico exercitu,
magnoque apparatu rerum militarium, duranti-
bus adhuc inter Hiſpaniarum Regem Philip-
pum III. & Fœderatos Batavos duodecennali-
bus induciis, ipſum patrimonium Friderici ado-
ritur, & Palatinatum, fortunatam illam amœnis-
ſimamq; regionem, devaſtat, oppida expugnat.
At in Hungaria, *Gabor*, actis Neuſolii ſibi addi-
ctorum Comitiis, *Rex proclamatur*, & ſic deinde
Auſtriam incurſat, Bohemis auxilia mittit, *Tam
pierium*, Poſonium tentantem, occidit, magna
patraturus, ni ſocii in Bohemia res uno prælio
corrupiſſent. Ibi enim, poſt pacatam Auſtriam,
Bavarus univerſas vires Comiti Buquojo junxe-
rat, decreveruntque hi Pragam petere, & in ho-
ſtem impetum facere, certam eis victoriam
ſpondente *Dominico Aragonio*, Monacho Ordinis
Carme-

Carmelitarum discalceatorum, Hiſpanicæ originis, viro, vitæ ſanctitatem, & cum Deo conſuetudinem præ ſe ferente, quem Bavarus ſecum ad caſtra eduxerat; cum cujus, quem tum ex more Monachorum, ſecum habebat, ſocio, jam grandævo, poſtea Madriti notitia mihi interceſſit, & conſuetudo. Pugnatum eſt die 8. Novembris, memorabili prælio, juxta urbem Pragam, in monte Albo. Repererat P. Dominicus in pago *Straconiz*, inter ligna lapideſque, tabellam, Chriſti Servatoris nativitatem habentem depictam. In ea B. Virginis, Joſephi, & Paſtorum figuris, Reformati oculos eruerant. Hanc ille contumeliam, cœlites iſtos, vel Deum potius, cui illi cari, in ſe accipere, & inultam relinquere poſſe negabat: itaq; primam aciem equo inſidens, antegreſſus, tabellam hanc, ſecuturæ cladis omē ſponſoremq; prætulit, ad ſtrenue fortiterq; agendum milites exhortans. Supereſt, ipſiſſima hæc tabella, cum manubiis aliis, monſtraturq; peregrinatoribus, Romæ, in Æde S. Mariæ Victorialis, quæ olim S. Paulo dicata, poſt Pragenſem victoriam, hoc nomen accepit. Scilicet, fuſus profligatusque fuit illo prælio Palatini exercitus. Occaſionem, & initium cladi, fuga Hungarorum dedit, quorum octo millia Bethlehemius Bohemis auxilio ſubmiſerat. Hæc manus, ceu externis ſuppetiis mos eſt, prædæ magis, quam ſociorum cauſæ ſtuduerat, quod utrosque in exitium impulit. Nam, in fugientes Hungaros immiſſi Poloni, magna parte ferro trucidata, cæteros in flumen Moldaviam præcipites agunt, ubi ſpoliis onuſti

metu-

ıque ac curſu exanimes, violentia amnis ab-
abſorptique ſunt. Tum Bohemi, tanta parte
citus nudati, ubi inſtare acrius Cæſareanos,
ıe ſpem victoriæ reliquam animadvertunt,
ectis armis, qua data via, & ipſi fugere occi-
t. *Cecidere hac pugna ex Bohemis novem millia,*
a ſigna equeſtria pedeſtriaque amplius cen-
, tormenta majora decem, cum apparatus
ici, ac curruum & impedimentorum magna
ia. *Cæſareanos duo tantum millia deſideraſſe ajunt,*
inter cæſorum cadavera, jam pæne exanimis
ertus eſt, *Gothofredus Comes Pappenheimius,*
, accurata curatione adhibita, convaluit, ma-
s rebus gerendis a fortuna ſervatus. Poſt
ı triſtem cladis nuncium, Fridericus Palati-
, cum Conjuge, Liberis, & ſupellectile pretio-
re, illico in fugam ſe dedit, ac Sileſiam petiit,
am diademate & archivo poſt ſe relictis; ni-
ex priore dignitate, præter titulum ſolſtitia-
Regni, retinens. Tum vero, *P. Dominici* in-
ſuos aucta eſt exiſtimatio, honosque; illi-
que (ut hoc quoque, quia id fert opportunitas,
dam,) ex intervallo mortui cor, *Cæſar* ſibi mit-
petiit, larario inferendum. Fugam Palatini,
ox *Pragæ deditio* excepit, cujus exemplum *Bo-
mia reliqua prope omnis*, imitandum cenſuit. Sed
Sileſia, autore Saxone, iterum obſequium pro-
ſſa eſt, cui ideo de tuendo religionis exercitio
ıit cautum.

1621.

Cæſar, *Fridericum Palatinum*, *Johannem Mar-
chionem Jegerndorſium* Brandenburgicæ ſtirpis,
Chri-

Carmelitarum diſcalceatorum, Hiſpanicæ originis, viro, vitæ ſanctitatem, & cum Deo conſuetudinem præ ſe ferente, quem Bavarus ſecum ad caſtra eduxerat; cum cujus, quem tum ex more Monachorum, ſecum habebat, ſocio, jam grandævo, poſtea Madriti notitia mihi interceſſit, & conſuetudo. Pugnatum eſt die 8. Novembris, memorabili prælio, juxta urbem Pragam, in monte Albo. Repererat P. Dominicus in pago *Straconiz*, inter ligna lapideſque, tabellam, Chriſti Servatoris nativitatem habentem depictam. In ea B. Virginis, Joſephi, & Paſtorum figuris, Reformati oculos eruerant. Hanc ille contumeliam, cœlites iſtos, vel Deum potius, cui illi cari, in ſe accipere, & inultam relinquere poſſe negabat: itaq; primam aciem equo inſidens, antegreſſus, tabellam hanc, ſecuturæ cladis omē ſponſoremq; prætulit, ad ſtrenue fortiterq; agendum milites exhortans. Supereſt, ipſiſſima hæc tabella, cum manubiis aliis, monſtraturq; peregrinatoribus, Romæ, in Æde S. Mariæ Victorialis, quæ olim S. Paulo dicata, poſt Pragenſem victoriam, hoc nomen accepit. Scilicet, fuſus profligatusque fuit illo prælio Palatini exercitus. Occaſionem, & initium cladi, fuga Hungarorum dedit, quorum octo millia Bethlehemius Bohemis auxilio ſubmiſerat. Hæc manus, ceu externis ſuppetiis mos eſt, prædæ magis, quam ſociorum cauſæ ſtuduerat, quod utroſque in exitium impulit. Nam, in fugientes Hungaros immiſſi Poloni, magna parte ferro trucidata, cæteros in flumen Moldaviam præcipites agunt, ubi ſpoliis onuſti metu-

tuque ac curſu exanimes, violentia amnis ab-
rti abſorptique ſunt. Tum Bohemi, tanta parte
ercitus nudati, ubi inſtare acrius Cæſareanos,
que ſpem victoriæ reliquam animadvertunt,
ojectis armis, qua data via, & ipſi fugere occi-
int. *Cecidere hac pugna ex Bohemis novem millia,*
ota ſigna equeſtria pedeſtriaque amplius cen-
m, tormenta majora decem, cum apparatus
llici, ac curruum & impedimentorum magna
pia. *Cæſareanos duo tantum millia deſideraſſe ajunt,*
q; inter cæſorum cadavera, jam pæne exanimis
pertus eſt, *Gothofredus Comes Pappenheimius,*
i, accurata curatione adhibita, convaluit, ma-
is rebus gerendis a fortuna ſervatus. Poſt
m triſtem cladis nuncium, Fridericus Palati-
ıs, cum Conjuge, Liberis, & ſupellectile pretio-
ore, illico in fugam ſe dedit, ac Sileſiam petiit,
ciam diademate & archivo poſt ſe relictis; ni-
l ex priore dignitate, præter titulum ſolſtitia-
s Regni, retinens. Tum vero, *P. Dominici* in-
er ſuos aucta eſt exiſtimatio, honosque; illi-
sque (ut hoc quoque, quia id fert opportunitas,
ddam,) ex intervallo mortui cor, Cæſar ſibi mit-
i petiit, larario inferendum. Fugam Palatini,
ıox *Pragæ deditio* excepit, cujus exemplum *Bo-
emia reliqua prope omnis*, imitandum cenſuit. Sed
z *Sileſia*, autore Saxone, iterum obſequium pro-
eſſa eſt, cui ideo de tuendo religionis exercitio
uit cautum.

1621.

Cæſar, *Fridericum Palatinum*, *Johannem Mar-
hionem Jegerndorfium* Brandenburgicæ ſtirpis,
Chri-

Chriſtianum Anhaltinum, & *Georgium Fridericum Hohenloum*, conjunctim, uno ferali edicto, proſcribit, privatque eos, utpote læſæ majeſtatis reos omnibus dignitatibus, & fortunis, conſtitutis inſuper in Mansfeldii caput, qui tum armis, tum aſtu imprimis dolisque, Palatini res in Bohemia quomodocunque ſuſtentare nitebatur, centum florenorum millibus. Interea loci *Princeps Carolus Lichtenſteinius*, Bohemiæ novus à *Cæſare* datus Prorex, correptis undique reis, cognitionem rebellionis Bohemicæ orditur. Citati edicto abſentes, poſtquam non comparuere, ſtato die damnati, omnibusque muneribus ac bonis exuti ſunt. Id judicium, primum ad Directores, tanquam ad capita factionum, pertinuit: neque defunctos mors exemit, quorum bona fiſco addicta. Omnium ſuppliciis præluſit *Fridericus Baro Tieffenbachius*, Moravicæ rebellionis reus, qui, valetudinis curandæ cauſa, in Rhetiam, ad thermas Piperinas profectus, & juſſu Cæſaris in vincula conjectus, Oeniponte tandem capite plexus eſt. At Pragæ, paulo poſt majus ſuppliciorum ſeſe pandebat theatrum. Nam die XI. menſis Junii, de XXVII. Illuſtribus viris, Nobilibus, aliisq; hominibus primariis, ſumtum eſt ſupplicium, præter eos, qui partim virgis cæſi, partim in exilium relegati fuerunt. Inter carnificis manu peremtos, eminuere, *Joachimus Andreas Comes Schlickius*, ſupremus Regni Judex; *Wenceslaus à Budowitz* Appellationum, *Chriſtophorus Harandus*, Cameræ Regiæ Præſes, & *Boguslaus Michalovitius* Burggrafius Græcenſis. Schlickio, & Michalo-

aiovitio, poſt amputatas cervices, manus
oque dextræ reſectæ ſunt. At, *Johannes Jes-
nius*, Medicus, & Collegii Carolini Profeſſor,
r multæ eruditionis, & facundiæ ſingularis,
ius lingua, deinde capite mulctatus, poſtremo
uatuor in partes ſectus eſt: multi, ſequioris
onditionis, laqueo vitam finiverunt: bonis
iterfectorum fiſco cedentibus. De *Jeſſenio* fer-
ur, eum olim in reditu ex Hungaria, quo Lega-
us miſſus fuerat, captum, Viennamque ad Mat-
hiam Cæſarem adductum, & carceri mancipa-
um, poſt tamen permutatione Itali cujusdam
imiſſum fuiſſe: in libertatem vero prodeun-
em, inſcripſiſſe parieti literas: I. M. M. M. M.
ſtas ſiglorum obſcuritates, cum varii poſt dis-
eſſum ejus vidiſſent, nemoque eorum interpre-
ari potuiſſet, unus Ferdinandus, ingreſſus, ſen-
um latentem divinavit, explicatione facta: *Im-
perator Matthias Menſe Martio Morietur*: & mox,
arrepta creta, repoſuit: *Jeſſeni Mentiris, Mala
Morte Morieris*. Hæc memorantem Jeſſenium,
ajunt addere ſolitum eſſe: *Vti ego mentitus non
ſum*, (Matthias enim Martio deceſſerat,) *ita Fer-
dinandus operam dabit, ne vates vanus ſit*. Poſt hæc,
*Nicolaiburgi, inter Cæſarem & Bethlehemium inita
concordia*. Nempe, redditum diadema Hunga-
ricum Ferdinando, Caſſovia, Toccajum, & aliæ
quædam urbes, permiſſæ Bethlehemio, Cæſareo
nomine gubernandæ. Addebantur Opelia, &
Ratiboria, Sileſiorum ditiones, ac Principis Im-
perii titulus. Sub hoc tempus, novus Cæſaris ho-
ſtis, ex Saxoniæ inferioris Principibus, *Chriſtia-
nus*

nus Dux Brunſuicenſis Halberſtadienſis Epiſcopus, cum exercitu in Imperium contendit, ætate atque ingenio ferox, imbutusque a puero apud Batavos arte militari. Cum ergo profligatum e Bohemia Palatinum, a Cæſare & cum eo fœderatis, premi videret, juvare exulem, & in regnum reſtituere decrevit, tanta fiducia, ut *Eliſabethæ*, Coniugis Friderici, elapſam e manibus chirothecam, humi tollens, pileo ſuo applicaret, juraretq; eam in urbe Praga Dominæ ſe redditurum.

1621.

Georgius Fridericus, Marchio Durlacenſis, tranſlato in Flium primogenitum ditionum ſuarum jure, ut expeditius bello in Palatini gratiam vacare poſſet, coacto non contemnendi roboris exercitu, *Tillium*, Bavaricarum copiarum Ducem, invadere conſtituit, jamque Wimpfenam inter, & Heilbronnam, haud longe ab hoſtibus, caſtra locaverat. Quamobrem Tillius, adjuncto ad ſe *Gonſalvo Ferdinando Corduba*, qui, Spinola in Belgium reverſo, Hiſpanicis legionibus præerat, Durlacenſem aggreditur, ubi a ſummo mane, ad Solis usque occaſum, pugnatum eſt acerrime. Tandem, Durlacenſem aciem, ſubitus & inopinatus caſus vehementer perculit. Quippe, continua tormentorum jaculatione, aut certe miniſtrorum incuria, ignis, curribus, qui pulverem pyrium vehebant, immiſſus, ingentem ſtragem, & in tanto periculo, ut fit, majorem conſternationem edidit. Sic turbata acies, & loco mota eſt, nullam requiem concedente Tillio perterritis, do-

tis,do-

s, donec effuſa fuga univerſi campo excederent. Capta eſt ingens præda, tormenta omnia, & apparatus bellici magna vis, equorum curruumque ingens numerus, inter quos aliqui pecunia onuſti. Durlacenſis ipſe, cum parte equitum, ad Mansfeldium confugit.

Dum hæc ita geruntur, *Chriſtianus Dux Brunſuicenſis* in Weſtphalia dominabatur, *Paderbornenſem* & *Monaſterienſem* Epiſcopatus devaſtans. Paderbornæ ingentem theſaurum, in templo Cathedrali, varias nimirum Divorum Statuas argenteas, cum *S. Liborii*, Patroni Baſilicæ, ſigno ex auro ſolido magni ponderis, nactus eſt. Ergo poſtea *numos Imperiales* novos, in quorum una parte, manus e nubibus protenſa, evaginatum enſem vibrans, addito ſymbolo: *Tout auec Dieu*; in altera, nomen illius, cum hac inſcriptione, Gottes Freund / der Pfaffen Feind / conſpiciebantur, procudit, & inter milites diſtribuit. Iſte, accepto a Palatino mandato, ut ſe cum Mansfeldio jungeret, dum Palatinatum verſus viam affectat, in *Tillium* incurrit prope *Hœchſtum* oppidum, a quo, cum per pontem Mœno impoſitum transire conatur, inſigni clade affectus eſt, quatuor millibus ſuorum deſideratis, quorum major pars, fracto ponte, in undis periit. Ipſe, cum *Styrumio Comite*, & parte equitatus, invento vado, Darmſtadium, atque inde ad Mansfeldium evaſit: impedimenta, & currus omnes, in Tillianorum pervenere poteſtatem. Durlacenſis, & Brunſuicenſis cladibus perculſus *Palatinus*, ſimul Angliæ & Daniæ Regum literis, monentibus, ut ab armis abſtineret, commotus, ſpe pacis, quæ Bruxellis

tractabatur, dimittit exercitum apud Tabernas Alſatiæ, data Mansfeldio & Brunſuicenſi poteſtate, quo vellent, cum copiis libere concedendi: ipſe Sedanum abiit. Fama eſt, tum utrumque Ducem, Mansfeldium, & Brunſuicenſem, Cæſari obtuliſſe operam, ſi abolita proſcriptione reciperentur in gratiam, & militibus de ſtipendio ſatisfieret. Cum vero res non ſuccederet, ex Alſatia, in vicinam Lotharingiam digreſſi, principio reditum in Germaniam minabantur, mox in Galliam obverſi, quaſi laborantibus ibi Reformatis auxilio futuri, tandem a Confœderatis Belgii Ordinibus acciti, magnis itineribus Brabantiam petivere. Illos, pari celeritate, *Gonſalvus Corduba*, cum Hiſpanicis & Burgundicis copiis, apud *Floreacum*, haud procul Namurco aſſecutus, conſiſtere, & manus ſecum conſerere coëgit. Pugnatum utrinq; ſtrenue, & æquo fere Marte, nam utrique victoriam ſibi vindicarunt: atque Mansfeldius, Brunſuicenſisque, ad Hollandicum exercitum, cum iis, quos ſalvos habebant, pervenerunt, quorum adventu cognito, *ſoluta obſidio Bergæ ad Zomam*, quam Marchio Spinola ſuſceperat. In jam dicto prælio, *Chriſtiano Duci Brunſuicenſi, manus ſiniſtra, ſclopeti globulo fuit lacerata*; cujus vulneris curam, dum in pugnæ ardore omittit, adeo cœpit ingraveſcere malum, ut brachium reſecare neceſſe fuerit. Quam ille abſciſſionem, animo præſenti, & inter occinentes undique tubas, ac tympanorum ſonitus, fortiter tulit. Machina deinde ferrea, quam ex Hollandia artifex, in brachii ſimilitudinem ſcite effinxerat, pro brachio non incommode uſus.

Tillius,

Tillius, Palatinatum hoſte vacuum nactus, *Heidelbergam* vi expugnat. Multum ibi prædæ captum eſt, non in privatis tantum ſingulorum edibus, ſed maxime in theſauro, & ſupellectile Principum. Inter hæc *Bibliotheca* eminuit, cui in Germania, & prope Europa univerſa, par nulla, nulla ſecunda. Eam, anno vertente, *Maximilianus Bavariæ Dux, dono dedit Gregorio XV.* Pontifici, uſus in transmittendo opera *Caroli Caraffæ*, Epiſcopi Averſani, unde ille de ſeſe Commentariorum de Germania Sacra reſtaurata pag. 177. *Ego*, inquit, *impetrata à Bavariæ Electore Bibliotheca Heidelbergenſi, quæ & copia librorum, & raritate Manuſcriptorum omnibus aliis in Germania, & forſan in Europa, Bibliothecis, antecellebat, Romam transmittendam curavi.* Venerat Roma, ad libros componendos, ceu ipſe mihi narravit, *Leo Allatius*, ac veteres ligaturas, nimio oneri futuras, removit. Iis libris Gregorius Papa peculiarem locum aſſignavit in Bibliotheca Vaticana, quem etiamnum occupant, atque ut donationis memoria perennaret, cuique Volumini inſerta fuere æri inciſa Bavaricæ Domus Inſignia, quæ additam habent inſcriptionem:

Sum de Bibliotheca, quam Heidelberga
capta ſpolium fecit, &
P. M.
Gregorio XV.
trophæum miſit,
Maximilianus utriusq; Bavariæ Dux &c.
S. R. I. Archidapifer & Princeps Elector.
Anno Chriſti cIɔ Iɔc xxiii.

Cum ſic res Cæſari ex ſententia cederent, inſtigante maxime jam modo dicto Carolo Caraffa, mandat ille Proregi Bohemiæ, *Carolo Principi Lichtenſteinio*, ut quamprimum e Praga, & reliqua Bohemia, quin & Moravia, Præcones purioris doctrinæ ejiciat, & Patres Societatis in Pragenſis Academiæ poſſeſſionem inducat. Exturbati igitur Verbi Divini Miniſtri magno numero; quorum, ad ſe confugientium, Saxoniæ Elector patrocinium ſuſcipiens, Cæſarem obteſtatus eſt, ne victoriæ ſuæ fructum, ſeverioribus conſiliis corrumpat: minime tamen ad mitiora flexibilem illum reddere potuit.

1623.

Cæſar, Ratisbonæ Comitia celebrat, in quibus præcipue declaravit, ſe *Fridericum Comitem Palatinum*, quod rebellioni Bohemicæ ferrum & facem prætuliſſet, Electoratu privare, & dignitatem ad ſe devolutam, in alium, & quidem, *Maximilianum Bavariæ Ducem*, conferre decreviſſe, cujus, in his Imperii motibus, magna in ſe, atque omnem Rempublicam Germanicam extiterint merita. Huic Cæſaris declarationi multi reclamabant, non obſcure ſignificantes, Palatini proſcriptionem non ad ſolum Cæſarem, ſed ad omnes Ordines, vel ſaltem ad Collegium Electorale pertinere, vi legum publicarum, & receptarum in Imperio conſuetudinum. Aſſerebant igitur, neceſſe eſſe, ut ſervata juris forma, citaretur prius, atque audiretur, antequam in caput ejus ferretur ſententia. Cum autem in Cæſaris volun-

oluntate denique acquieſcerent Principes Romanæ Religioni addicti, obnitebantur adhuc *axonici & Brandenburgici Legati*, una cum Luovico Haſſiæ Landgrafio, deprecantes pro Patino, ne Electoratu privaretur: tum ſi id obtieri non poſſet, ut ſaltem Filiorum aliqua ratio abeatur. Intercedebat quoque *Wolfgangus Vilhelmus Dux Neoburgicus*, qui contra Aureæ ullæ ſanctionem, de Electoratu disponi querebatur, ſe prætermiſſo, qui proximus eſſet heres, ber ab omni culpa. Nam Frater Palatini, *Luovicus Philippus*, Dux Simmerenſis, contra Cæarem arma geſſerat, legioni imperaverat, & ratris auſpicia ſemper fuerat ſequutus: Filii utem, Patris delicto innexi videbantur. Ergo ontendebat, ſi omnino Electoratus transfeendus eſſet, illum ſibi, tanquam proximo Anato, atque penitus inſonti, ſecundum conitutiones Imperii, deberi. Cæſar, re diu eliberata, cauſam Palatinam in hunc modum efinit: Se, in gratiam Regum, Electorum, ac rincipum, qui pro Palatino deprecarentur, & d declarandam clementiam, pacisque ſtudium, 'alatinum, depoſitis armis ſupplicem, in gratiam uidem recepturum, remiſſis omnibus quæ aderſus ſe, & regiones ſuas peccaſſet, Electoratum amen omnino alteri conferre velle, ſine prædicio Electoralis Collegii, Aureæ Bullæ, aut liarum Imperii legum fundamentalium: & condere ſe, Electores, Principesque, habita ratioe temporis, ac moræ impatientis periculi, illm agendi modum, non accepturos in deterio-

rem partem. Quoniam vero, plures jam ſint, nempe Filii Palatini, item Frater, nec non Wolfgangus Wilhelmus Dux Neoburgicus, qui illam dignitatem appetant, neque in præſentia jus cujusque cognoſci poſſit, proximis Agnatis Friderici non comparentibus, nequaquam autem expediat locum hunc in Collegio Electorali diutius vacare; has ob cauſas, ſe Electoralem dignitatem, in Maximilianum Ducem Bavariæ, propter eximia illius merita, collatúrum. Vt vero Filiis, atque Agnatis Palatini, conſulatur, polliceri ſe, propediem Conventum celebrandum, in quo amica transactio, & compoſitio, ſuper jure cujuslibet ſit inſtituenda. Quod ſi hæc impetrari nequeat, ſe rem totam, per viam juris, Electorali Collegio decidendam commiſſurum, ut poſt Ducis Bavariæ obitum, Electoratus, aliaque annexa jura, ejus ſint, cui tum attribui illa contingat. Hac Cæſaris ſignificatione, cum Ordines contenti eſſe cogerentur, Maximilianus, die xxv. Februarii, Electorali dignitate, ſolemni pompa, fuit inveſtitus. Cui ceremoniæ tamen, Orator Regis Hispaniarum, Legatique Electorum Saxonis & Brandenburgici, cæterorumque, qui translationem illam haud probabant, minime interfuerunt. Iisdem Comitiis, Cæſar, *Principatum Marpurgenſem*, jam diu inter *Mauritium Casſellenſem*, & *Ludovicum Darmſtadienſem*, Landgrafios Haſſiæ, controverſum, Ludovico attribuit: Mauritio, quod teſtamentum patrui ſui violaſſet, ut omnes litis expenſas, & fructus jam perceptos refunderet, condemnato. Atque Ludovi-

ovicus, ad leniendum Saxoniæ Electorem fuit
blegatus, cujus opera effectum, ut Saxo pri-
num, deinde Brandenburgicus quoque Elector,
ata haberent, quæ circa Maximilianum Ba-
varum fuerant ſtatuta.

1624.

Hoc anno, quia Chriſtianus Dux Brunſui-
enſis, & Mansfeldius in Hollandia agebant, fere
quieta fuit Germania. Cæſar autem, victoriæ fi-
ducia, *Concionatores Evangelicos, & Ludimagiſtros,*
ſevero edicto, Auſtria ſuperiore pellit, qui, ma-
gno numero, cum uxoribus & liberis, adverſo
Danubio vecti, in alias Germaniæ regiones con-
ceſſerunt: libri ſacri, tum eorum, tum quotquot
reperiri poterant, flammis addicti.

1625.

Chriſtianus IV. Rex Daniæ, infortunio Pala-
tini, aliorumque, qui ei favebant, literis, ac lega-
tionibus diu ſolicitatus, & cui Anglia centena
quadraginta Joachimicorum, Francia, centena
Coronatorum millia, cum multis bellatorum co-
piis pollicebantur, in inferiori Saxonia bellum
hac ratione parare aggreditur. Scilicet, *Lauen-
burgi*, Circuli Saxoniæ inferioris (cujus & ipſe re-
ſpectu ditionum quas in Imperio poſſidebat pars
erat) indicto Conventu, repræſentabat Ordinibus
prolixe, quam gravi jugo Cæſar, præcipuam il-
lam Germaniæ provinciam premat, quodque
Pontificiam religionem ubique invehere, Pro-
teſtantibus Epiſcopatus eripere, omnemque re-

gionem ſibi vindicare ſummopere contendat. Suadebat igitur, in tempore diſpiciendum eſſe, quomodo ingruentibus his malis occurri queat. Sibi quidem ajebat, nullam magis idoneam rationem videri, quam ut milites in Circuli tuitionem legerentur, ad imponenda opportunis locis præſidia, nullius quidem offendendi cauſa, ſed ut omnem a ſe vim, injuriamq; amoliantur. Inſuper, quoniam *Georgius Dux Lunæburgenſis*, cui cæteroquin Circuli illius Præfectura, ex inſtitutis Germaniæ commiſſa, annis provectior ſit, quam ut his curis, maxime ſi bellum oriatur, vacare queat, (ſed vera cauſa erat, quod Cæſari addictior videretur) hortabatur, novum Circuli Ducem conſtituendum, qui ætate, viribus, opibusque robuſtus, par futurus ſit tanto oneri. Cumque Rex ipſe operam ſuam obtuliſſet, facile ſuffragia Ordinum impetravit. Ea res, tantam Cæſari ſolicitudinem injecit, ut veteres exercitus, tot hoſtibus neutiquam ſufficere judicans, *Albertum Wallenſteinium*, novis delectibus præficeret, Virum, paulo poſt, inuſitatum fortunæ exemplum daturum. Is, coacto ad ſigna valido Legionum numero, Halberſtadienſem, & Magdeburgenſem Diœceſes, ut Albim fluvium in poteſtate haberet, præſidiis firmat, altera ex parte, Tillio Viſurgim, poſtquam Hoxterum oppidum, & propinqua loca occupaverat, inſidente. Rex in Brunſuicenſi agro ſubſtiterat.

1626.

Daniæ Rex, confirmato cum Angliæ & Sueciæ Regibus, Hollandis item, Venetis, & Bethlehemio

hemio Tranſylvano fœdere, magno conatu ad bellũ ſe parat. Habebat ſub ſignis ſexaginta millia militum, quæ in tres partes diviſit. *Vni*, præerat *Chriſtianus Dux Brunſuicenſis*, Epiſcopus Halberſtadius, isq; jubebatur diſtinendis Cæſareanis, Osnabrugenſem Hildeſienſem, & Mindenſem Epiſcopatus, incurſionibus infeſtare. *Alteram* exercitus partem, apud Albim *Mansfeldius* ducebat contra Wallenſteiniũ, ut eas oras tueretur, atq; ex Sileſia Transſylvanica auxilia attraheret. *Tertiam* denique partem, Rex ipſe regebat, apud Viſurgim, adverſus Tillium, medius inter reliquas, ut quid ubique gereretur, proſpicere, & laborantibus opem ferre poſſet. *Mansfeldius*, occupata prius *Serveſta*, ac tota Magdeburgenſi ditione, hinc in Sileſiam penetrare nitebatur, verum prohibebat hoc *pons ad Desſaviam*, quem Albi impoſitum, cum firmo præſidio tuebatur *Johannes Altringerius* Wallenſteinii juſſu, qui & ipſe, paulo poſt eo ſe contulit. Ibi præceps facinus audet Mansfeldius, & numero longe impar, cum Wallenſteinio congreditur. Verum pedites, re fortiter geſta, dum ab equitatu deſeruntur, & ipſi ordines laxant. Sequuta igitur clades, & cecidere ex Mansfeldii copiis millia circiter ſex, capta impedimenta omnia, cum vexillis peditum 34. tribus equitum. Ipſe Mansfeldius, collectis ex fuga quos poterat, in Marchionatum Brandenburgicum, & hinc in Sileſiam, concedit, multis in itinere ſibi copiis adjunctis, ita, ut jam rurſus viginti pæne millium exercitum haberet. Hunc ad Hungariæ fines traduxit, ut ibi Bethlehemio jungeretur. Sequebatur

batur a tergo Wallenſteinius, & ipſe in Hungariam pervadens. Ibi, omiſſo parum Mansfeldio, qui inter montana & ſylveſtria illius Regni hærebat, Bethlehemium, & Turcas, obſidionem *Novigradi* ſolvere cogit, & poſt, ambiguis ſæpe, cum Mansfeldianis, prœliis decertat. Sed, cum Transſylvanum Wallenſteinius mitigaſſet, colluſionem metuens Mansſeldius, aſſumtis ſuorum expeditiſſimis, traditisque *Joh. Erneſto Vinarienſi Duci*, qui ſe illi conjunxerat, copiis, Venetias petere inſtituit. Contracto autem morbo, ex hauſto, ceu volunt, veneno, ac Budam delatus, ut in thermis valetudinem curaret, dum nihil remittente vi ægritudinis, porro per ditiones Turcarum, Venetum iter perſequitur, in Bosnia, apud *Racaviam*, ignobilem vicum, Zaram inter & Spalatum, fato fungitur, annos natus 32. Hunc vitæ finem habuit *Erneſtus Mansfeldius*, patre *Petro Erneſto*, qui Luxemburgo, & mortuo Alexandro Parmenſi, ad Erneſti Archiducis usque adventum, Belgio præfuerat, ſed matre degenere natus. Qui ter a Cæſare proſcriptus, bis a Tillio, ſemel a Wallenſteinio, non ſine damno vincentium victus, ſemper a clade terribilior ſurrexit, habuitque unde exercitum repararet; omnium ideo, & adeo hoſtium quoque ſuffragiis, egregii Ducis nomen promeritus. A nonnullis proditum eſt, datas ei, cum Budæ ægrotaret, a ſacrorum Turcicorum, per ea loca, antiſtite ſupremo, literas, quibus Muhammedes rogabatur, tantum virum, ſine mora, in Paradiſum introducere. Sed magis veriſimile evadit, aliquos

quos,literas ſalviconductus, quos ad iter commode per Turcicas regiones expediendum, Budæ petierat, ex linguæ Arabicæ ignorantia, non recte accepiſſe. Mansfeldii obitum, brevi poſt excepit mors *Chriſtiani Ducis Brunſuicenſis*, qui Wolfenbutelium, ad hereditatem capeſſendam, a fratre *Vdalrico* fuerat evocatus. Hunc quoque veneno potionatum eſſe, non deſunt qui tradant. Vitam haud ultra 29. annos produxit.

Tillius, interea temporis, cum Daniæ Rege; ad *Lutheram*, quæ Brunſuicenſis Ducis arx eſt, conflixit. In eo prælio, primi Danorum ordines adeo validam fecere impreſſionem, ut ad Tilliana tormenta penetraretur, atque Tillius ipſe propemodum victoriam deſperaret. Sed, cum hic omnem vim, contra pedites, inedia laſſos, convertiſſet, atque opportunis Georgii Lunæburgici copiis eſſet ſublevatus, detrectante equitatu regio, obtentu dilati ſtipendii, pugnam, cæſus miſere peditatus eſt Regis prope univerſus, equites turpi fuga ſe ſubduxerunt. Amiſſa Signa 87. cum tormentis omnibus, & apparatu militari.

Atrox ſub hæc, Auſtriam, quæ ſupra Onaſum eſt, *agreſtium tumultus* afflixit. Tenebat eam regionem Maximilianus Bavariæ Elector, ex pacto, donec ſumtus, in bellum pro Cæſare erogatos, reciperet. Igitur pendendis Bavaro tributis prægravatos ruſticos, novo inſuper edicto Cæſar terruit, quo juſſi omnes, intra certum tempus, Proteſtantium ſacra ejurare, aut patria excedere. Principio, ſeveritatem hanc, ſupplici libel-

libello deprecabantur; ſed Cæſar, decreto inhærens, *Adamo Comiti Herbersdorfio* negotium dat, ut imperata urgeat. Ergo ad arma convolant agreſtes, cumq; in aliquot millium numerum excreviſſent, Herbersdorfium, cum manu militum, & carnifice, ad ſedandos motus egreſſum, in fugam agunt, plurimis eorum, quos ſub ſignis habebat, cæſis. Dehinc affluxu exulum, Nobilium, aliorumque afflictorum, in tantas vires aucti ſunt, ut demto Lintzio, quod Bavaricus Præfectus tenebat, Auſtriæ ſupra Onaſum oppida, urbesque omnes haberent in poteſtate. Præerat his initio *Stephanus Fadingerius*, qui pileos parandi opificium exercuerat, eique poſtea interfecto, ſucceſſit *Achatius Willingerius*, e ſutrina cerdo. Cæterum, ad Lintzium, res agreſtium labefactari cœperunt. Eam urbem circumſidentes, licet catenis Danubium, ne quid annonæ obſeſſis importaretur, occluſiſſent, impedire tamen haud potuere, quo minus & milite, & commeatu, Bavariæ Elector ſuis ſuccurreret. Quin & in fugam ab Herbersdorfio, Breunero, Lobelioq; propulſi ſunt. Quapropter, cum res infeliciter cedere viderent, maximam partem iterum ad officium redierunt. Mox vero, exacerbati ſuorum ſuppliciis, ſeditionem redintegrant, ducem nacti, *Danielem Kundmannum*, Regiomonte, quod prope Egram, Bohemiæ oppidum eſt, oriundum, hujus Altdorfinæ paulo ante Academiæ civem, & in qua Philoſophiæ Magiſtri honores meruerat, Virum manu promtum, diſertum eloquio, literisque elegantioribus non perfunctorie cultum,

tum, qui totam hujus ruſticani belli hiſtoriam, non ineleganti Latino carmine, ſed quod minime excuſum typis, verum MS. tantum habetur, enarravit. Tum ſuperveniens in tempore *Gothofredus Pappenheimius*, cum ſex millibus, adjunctisque ſibi *Preunero* ac *Lobelio* Tribunis, prope Eferdingam, incompoſitos aggreditur, & profligat. Haud pauciores ibi quam duo millia perierunt, interq; eos alter ducum Willingerius. Poſtea, cum duobus adhuc præliis ruſtici ſuperarentur, interfectis ferociſſimis quibusque, reliquum vulgus, fractis jam & debilitatis viribus, clementiæ Victoris ſe permiſit.

1627.

Wallenſteinius, Auſtria, Hungariaque pacata, novisque auctus copiis, ad liberandam ab hoſtibus Sileſiam, animum intendit. Ibi enim miles, quem Mansfeldius ac Vinarienſis introduxerunt, *Baudiſio* Præfecto adhuc hærebat. Quamobrem, cum vado reperto Oderam Wallenſteinius tranſiviſſet, hoſtiles turmas in eas anguſtias redegit, ut Sileſiam relinquere cogerentur. Poſtea in Saxoniam movit, ubi cum Daniæ Rex ſe duobus Cæſaris exercitibus imparem videret, paulatim ſe cœpit retrahere, quo ſuis ditionibus propior eſſet. Verum *Tillius*, trajecto Albi, & everſis munitionibus Regiis, recedentem, una cum Wallenſteinio inſequitur, eumque in ipſam Holſatiam, Jutlandiamque, mox etiam trans mare propellit. Quo impetu, magna pars exercitus Regii oppreſſa, nec minus Marchio Durlacenſis,

quem

quem Rex in Holſatia reliquerat, a *Comite Schlickio* fuit ſuperatus: atque ſic omnis cis Fretum Danicum regio, Cæſareanis fuit permiſſa.

1628.

Hoc anno Wallenſteinius, votis fruebatur ad invidiam felicibus. Namque, præter *Saganum* in Sileſia Ducatum, etiam *Mecklenburgenſem*, *Alberto*, & *Adolpho Friderico* Ducibus, quod Regi Daniæ militaſſent, neque Cæſari revocanti paruiſſent, proſcriptis, ob belli impenſas, Imperator ei conceſſerat. Tanta proſperitate elatior factus, pro Imperii Dictatore ſe gerit, & omnia pro libitu adminiſtrat, milesque ejus, rapinis & exactionibus miſere graſſabatur. Affectabat deinde *Maris Baltici Imperium*: cauſam prætexens, irrupturum ſe cum exercitu in Daniam. Cum vero naves neceſſariæ deeſſent, a Civitatibus Hanſeaticis, navigia aliquot, nomine Cæſaris petit *Comes Schwartzenbergius*, Aulæ Imperatoriæ Præfectus, ſpe objecta, ſolas illas, exportandarum ex Hispania mercium, & brevi omnis maritimæ negotiationis arbitras futuras. Sed Civitates, ancipitis periculi negotium prudenter declinabant, & naves nullas ideo concedere ſe poſſe cauſabantur, quod fœdera cum vicinis Regibus inita, id facere prohibeant, & commerciis valde obfuturum ſit, ſi bellum adverſus Principes, Baltici maris dominos, ſuſcipiant, in quorum ditionibus commorari, & mercaturam exercere conſueverint. Ea ſpe fruſtrati Cæſareani, occupare urbes aliquot maritimas, atque ibi fabricare na-

ves

vtsinſtituunt. Octo omnino confectæ ſunt, ſatisque id viſum, ad occupandi novi dominii titulum, ut maris Baltici Admiralius, ſive Archithalaſſus Wallenſteinius audiret. In hujus autem poteſtatem, *Roſtochium*, & *Wiſmaria* facile conceſſere. Sed *Stralſunda*, cujus occupandæ tantopere certus erat, ut jactaret, ſe illam expugnaturum, ſi maxime catenis ſummo cœlo alligata eſſet, vim illius & impetum fregit: cujus obſidionem, amiſſis amplius decem millibus hominum, ad proſtremum ſolvere coactus fuit. Inter hæc *Daniæ Rex*, cum duobus maximis exercitibus, Tillii, & Wallenſteinii premeretur, mari, & navibus quibus valebat, aliquid tentandum ratus, *Femeram* Inſulam ex improviſo invadit, Cæſareniſque inde ejectis, *Kylam* oppidum aggreditur. Ibi primo impetu excluſus, deſperata potiundi ſpe, *Rugiam*, atque inde *Vſedomiam* Inſulas, meliore fortuna adoritur, ejectis, aut cæſis, qui reſiſtere audebant, Cæſareanis. Mox *Wolgaſtum* urbem, modico freto ab Vſedomia abjunctam, occupat, videbaturque in Pomeraniam belli molem translaturus. *Wallenſteinius*, cognito periculo, collectis celeriter copiis advolat, Regemque, haud procul Wolgaſto, inſigni clade profligat: Rege ipſo, cum copiis, in oppidum primo, atque inde in naves compulſo. Inſulæ, paulo poſt, cum urbibus, levi negotio recuperatæ. Et vero, id Regi, belli hujus extremum operum fuit, qui deinde Hafniam reverſus, ſerio, ad pacis tractationem, quam Cæſar Lubecæ indixerat, animum advertit.

Vaca-

Vacabat ſub id tempus *Halberſtadienſis Epiſcopatus*, per obitum Chriſtiani Ducis Brunſuicenſis,& jam armis Wallenſteinii,Cæſaris nomine tenebatur. Cæſar vero, multas in hujus ditionis recuperationem impenſas allegans, in *Leopoldum* filium Epiſcopatum transfert, Canonicis alium eligere haud audentibus. Eidem Leopoldo, poſtea *Abbatia Hirschfeldenſis*, quam, a longo tempore Haſſiæ Landgrafii tenuerant, a Romano Pontifice fuit tributa.

1629.

Hoc anno, *Lubecæ*, inter Cæſarem & Danum, de pace, per Legatos, longis & acerrimis contentionibus disceptabatur, cum Cæſareani, plus quam pro victoribus, Regii, minus quam pro victis ſe gererent. Ablegaverat quoque eo Sueciæ Rex Legatos ſuos, ut paci componendæ intereſſent, & curarent, quo res in priorem ſtatum, ſicut ante bellum fuerant, reponerentur: maxime vero Stralſunda & Mechlenburgici Duces, quos, in fidem & clientelam ſuam Rex receperat. Sed hi, cum non admitterentur, graviter id tulit Rex, dignamque eam cauſam judicavit, quam reliquis, illati in Germaniam belli, inſereret. Cæterum, *inter Cæſareanos & Danicos Legatos, denique convenit*, ut Rex, titulo Ducis Holſatiæ contentus, a reliquo Imperio Germanico abſtineret, neque Cæſari, quid faciendum, aut omittendum, præſcriberet: Epiſcopatus in Germania omitteret: Inſulas Femeram, & Nordſtrandam, aliaque loca intercepta, redderet Dominis;

minis: ſua ipſe viciſſim reciperet: ita tamen, ut Cæſari jus vetus in Holſatiam, Stormariam, & Ditinarſiam relinqueretur. Sumtus utrinque compenſati, & captivi dimiſſi ſunt.

Enim vero, debellatis jam omnibus per Imperium hoſtibus, conditoque apud Pragam *templo S. Mariæ de Victoria*, eo loco, quo ante annos octo prælio Bohemos vicerat Cæſar, rem diu agitatam, & in cujus eventum univerſæ Germaniæ animi, ſpe metuve erecti erant, ille ſuſcipit, & *Controverſiā de Bonis Eccleſiaſticis*, definit. Scilicet, compoſitum *Edictum* eſt, cujus hæc præcipua fuere capita: Vt Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Prælaturæ, Collegia, cæteraque ejus generis Bona Eccleſiaſtica, poſt Transactionem Paſſavienſem Romanenſibus ademta, antiquis poſſeſſoribus illico redderentur. Tum, ut Statibus Pontificiis fas ſit, ſubditos ſuos, religionis cauſa, e territorio ejicere. Deniq; , ut Pax Religioſa, præter Pontificios, & primævæ Auguſtanæ Confeſſionis cultores, haud ullos complectatur alios. Nemo hac lege excipiebatur, ne illi quidem, qui hactenus partium Cæſarearum fuerant: unde ingentes animorum motus, & trepidatio oriri cœperunt. Cæterum, Saxo, & Brandenburgicus Electores, rem tantam ad Comitia univerſalia Imperii referendam cenſebant, negantes, de Pace Religionis controverſiam, quæ ad omnes attineat, aliter quam ex conſenſu omnium Ordinum decidi poſſe. At Cæſar, nihil his commotus, cauſæ ejus deciſionem, ad ſe ſolum ſpectare teſtatus, propoſitum tenuit, miſitque per

omnes Circulos, qui rem ad effectum deducerent. ſuisque Legatis hunc fere ordinem præſcripſit. Principio jubebat evocari Ordines Religioſos, aliosque, qui bona repetebant, tum & eos, qui illa detinebant, ſed ſeparatim. Vbi res convicta erat, bona illa poſt pacem Religioſam ademta, jubebantur, nomine *Cæſaris*, reddi Dominis antiquis, neque audiebantur, etiamſi præſcriptionem, aut litem adhuc in Camera Spirenſi pendentem, cauſarentur, aut ad Comitia provocarent: cum hæc omnia Cæſaris edicto tollerentur. Obedientibus, ac ſponte cedentibus, fructus percepti condonabantur; refractariis, hi quoque adimendi erant, adhibita, ubi opus eſſet, militari manu, quam obſequentem, promtamque eſſe, Cæſar per omnem exercitum præceperat. His mandatis inſtructi Legati, per univerſas regiones repetitionem bonorum auſpicantur, tantó gaudio Pontificiorum, quanto Proteſtantium dolore: atque, ut his grave erat, opulentiſſimis poſſesſionibus exui, ita illi gaudebant in eas immitti. Ordines Religioſi, quo plus amiſerant, eo plus recipiebant: ſed tamen neque inter ipſos de facienda diviſione conveniebat, cum veteres primæviq;, antiqua poſſesſione, novi recentesque, indultu Cæſaris, ac Pontificis conceſſionibus, niterentur. Dici non poteſt, qualem quantamque conſternationem hoc Edictum apud Proteſtantes excitarit. Provocabant ad Imperatorem, ad Imperium, ad Comitia, legumque publicarum auxilia invocabant. Inter hæc *Auguſtæ Vindelicorum*, ubi no-

men

men Auguſtanæ Confeſſionis Sociorum cœperat, reformatio inſtituitur, & *Henricus Choringius* Epiſcopus, jurisdictionem Eccleſiaſticam in Auguſtanæ Confeſſioni addictos exercet, Cæſarque, miſſo *Ferdinando Curtio*, mandaverat Magiſtratui, ne in ea re Epiſcopum impedirent. Ergo, fruſtra deprecante Saxone, Concionatores Evangelici urbe ejecti, & in eorum locum Pontificii ſubſtituti, Civibus quoque interdictum, ne ad conciones extra urbem, aut loca vicina prodirent. Exacuit ea res, Electoris maxime Saxonis animum, quód in ipſa Auguſtanæ Confesſionis velut natali urbe, ante Pacem adeo Religioſam inductum illuc exercitium, abrogaretur. Præcipue eum movebat, quod Jeſuitæ, editis Dillingæ, & alibi injurioſis libellis, evincere conabantur, Proteſtantes longe a veteri Auguſtana Confeſſione deflexiſſe: quo ipſo, non immerito metuebat, convelli omne Pacis Religioſæ fundamentum, nec poſſe quenquam Proteſtantium amplius de illa eſſe ſecurum. Proinde, evocatis Lipſiam primariis Theologis, adverſus hanc criminationem evulgari Apologiam jubet, qua probabat, ſe, alioſque Principes atque Ordines Proteſtantes, priſcam Confeſſionem, quæ Carolo V. Cæſari oblata, & publicis variorum Comitiorum decretis admiſſa eſſet, integram incorruptamque ſervare, ac eapropter Pacis Eccleſiaſticæ adhuc frui beneficio.

Sub finem hujus anni, poſtquam *Guſtavus Adolphus* Sueciæ Rex, cum Poloniæ Rege inducias feciſſet, in plenis Sueciæ Comitiis bellum

Germanicum decernitur ; cujus cauſas poſtea Rex , libellis in Germanica & Latina linguis evulgatis, has maxime edebat. Ante triennium, literas ſuas ad Tranſſylvaniæ Principem datas, a *Cæſare* interceptas & apertas , aliaque, quam ſcriptæ fuerant, mente, in ſequiorem partem expoſitas eſſe. Polonos, a conſilio pacis cum Suecis ineundæ, non ſemel per Cæſarem avocatos, auxilio militum, & annona adjutos fuiſſe ; ſpe inſuper illis facta, fore , ut Cæſar hoſtibus ſuis in Germania debellatis, etiam Sueciæ Regnum peteret. Civibus & negotiatoribus Suecicis, per Imperium, omni commerciorum uſu interdictum eſſe , ereptis etiam & publicatis eorum mercibus navigiisque. Imperium maris Baltici, quod ſemper Reges Boreales ſummo jure uſurparint, magno ambitu Wallenſteinium, Cæſareæ militiæ Ducem, quæſiviſſe. Hanſearicas & Vandalicas urbes, ad ſubminiſtrandas naves ſolicitatas fuiſſe, ſpe Hiſpanicarum mercium ad ipſarum portus adſtringendarum. Cum id fruſtra fuiſſet, comparato tamen a Gedanenſibus & Polonis aliquanto navium numero , piraticam exerceri cœpiſſe , atque , ne in Sueciam usque excurreretur, nihil niſi vires defuiſſe. Amicos, Vicinos, Agnatos Regis , innocenter oppreſſos, Stralſundam urbem , nullo ſuo merito , a Wallenſteinio obſeſſam , & prope ad extrema redactam eſſe. Duces Mechlenburgicos, Adolphum Fridericum, & Johannem Albertum, inauditos, ditionibus ſuis exutos , expulſosque eſſe, attributo velut ſpolio, aut vacua poſſeſſione , Ducatu

eorum,

eorum, Wallenſteinio. Ad hæc Legatos ſuos, contra commune jus, & fas gentium, a pacificatione Lubecenſi ignominioſe fuiſſe rejectos. Opprimi libertatem Germanicam, & Evangelicam religionem. Auferri Proteſtantibus, religionis ſuæ ſociis, opes & patrimonia, quæ per ſeculum fere quiete poſſediſſent.

1630.

Cæſar, Comitia Ratisbonæ habet, quibus Electores Pontificii omnes per ſeſe, Saxo & Brandenburgicus per Legatos intervenere. In his, Electores, multa de temporum miſeria, flagitiis militum, & tributorum enormitate querebantur, horumque omnium *Wallenſteinium* autorem arguebant, quem, e Barone Bohemico, nimia indulgentia, Cæſar, Comitem, deinde Fridlandiæ & Sagani, mox quoq; Mechlenburgii Ducem creaſſet. Eum ajebant, ſine ſuffragiis Ordinum, uti poteſtate, qualem nemo antea habuerit; tenere ingentem exercitum, nulli uſui, niſi excidio patriæ; indicere tributa ad libitum, exigere ſumma crudelitate. Commemorabant, ſolum Brandenburgicum Electorem, paucis his annis, tributi nomine XX. Florenorum milliones pendiſſe. Ex uno Stetinenſi Principatu X. milliones: ex Haſſia milliones VI. ex Ducatu Würtenbergico, ſinglis menſibus, centies vicies mille Joachimicos exactos. Cum igitur unum omnium poſtulatum eſſet, ut Wallenſteinio Præfectura militaris abrogaretur, *Cæſar* denique aſſenſit, miſſique ſunt, ad eum Memmin-

gæ tum hærentem , *Joh. Baptiſta Werdenbergius*, & *Gerardus Queſtenbergius* Barones , ut exauctorationem illi exponerent. Miraculo affine fuit, Wallenſteinium tam facile in ordinem ſe redigi paſſum. Nimirum ſciebat ille , ſe eam ſui neceſſitatem feciſſe,ut brevi ad ſe,vel invitis redeundum eſſet.

Interea temporis Sueciæ Rex , expedita claſſe,die Johanni Baptiſtæ ſacra , *Rugiam* Inſulam ingreditur,poſitisque in litore genibus, tum pro fauſto expeditionis ſuæ initio Deo gratias agit,tum futuros ſucceſſus ei commendat. Neç irrita fuerunt vota: multis enim primo adventu undique per Pomerianam opportunis locis potitus eſt , Cæſareanis legionibus fruſtra reſiſtentibus.

1631.

Cum Cæſar decretum de reſtituendis Bonis Eccleſiaſticis adverſus Proteſtantes acerrime urgeret,illi, *Joh. Georgii Saxonis*,& *Georgii Wilhelmi Brandenburgenſis* Electorum hortatu,Lipſiæ congregantur. Ibi ſancitum *fœdus* contra Edictum Reſtitutionis,quod, ſi non aboleri , ſaltem ſuſpendi ad tempus volebant , donec auditis utrinq; partibus,res ardua,per Comitia Imperii definiretur. Simul contra militarem licentiam, & enormitatem tributorum,graviter queſti , ad ſui quisque defenſionem , ſcribere milites recipiunt, mutuo auxilio promiſſo. Soluto Conventu, Saxo,Cæſarem,& Electores Pontificios, de omnibus quæ acta erant, prolixe certiores

reddit,

ddit,ſerio teſtatus, ad nullius perniciem, ſed
iice ad ſuam, ſuorumque ſalutem, ac pacem
ovinciarum, inſtitutum pertinere. Mox, per
nctas Proteſtantium regiones, babiti dele-
us, ac milites cœpere conſcribi.

Dum hæc ita geruntur, Sueciæ Rex *Franco-
rtum ad Oderam* vi capit. Inerant ſex millia
æſareanorum, Rectore Barone *Tieffenbachio*,
s haud dubie, & robur exercitus Pomeranici:
quibus duo millia cæſa, mille capti, reliqui,
t fluvio hauſti, aut alias in terras diſperſi. Ci-
tas aliquot horis prædæ expoſita: magnamque
i commeatuum, & bellici apparatus copiam,
ieci invenerunt.

Magdeburgum, poſt gravem obſidionem,
Tillio in poteſtatem redigitur. Irrumpens in
bem miles, nihil quæ victorum ſævitia, rabies,
immanitas, unquam in devictos ſtatuerunt, in-
ntatum reliquit. Pueri, virgines, nuptæ, in-
ptæ, nullo diſcrimine trucidati, mixta cædibus
ipra, & expleta libidine, rurſum ferro ſævi-
m. Mox ſubjectus ædibus ignis, qui, vento
juvante, totam propemodum urbem, intra
ucas horas, in cineres redegit; magnaque ci-
um pars, cum liberis, conjugibusque, qui ſe in
creta abdiderant, a rapacitate incendii præ-
nti, aut, dum flammam fugiunt, a graſſante
ris hoſte, fuere enecti: tantaque vis ignis fuit,
victores quoque ipſos æſtus expelleret, &
ucæ legiones, tuendo vallo, relinquerentur.
ſtridie, cum ignis remiſiſſet, ad ſcrutandas ſub
ieribus prædas, diſcurſum. Etſi vero, aviditati

militum nequaquam ſatisfecit fortuna, quia optima quæque ignis abſumpſerat; genio tamen, per univerſum triduum, egregie indulgere cœperunt, eique comesſationi *Nuptiarum Magdeburgenſium* nomen datum. Ex tanta urbe, nihil præter Cathedralem Baſilicam, Marianum Cœnobium, paucasq; Piſcatorias caſas ſuperfuit. Cæſorum numerus incompertus. Ajunt ultra viginti duo millia peremtorum, in profluentem Albim eſſe præcipitata; eorum quos ignis peremit, aut procidentium ædium ruinæ ſepeliverunt, multo major numerus fuiſſe creditur. Hæc victoria, & Tillii gloriam contaminavit, & felicitati ejus finem impoſuit. At Sueciæ Rex, Germanis, vecordiam, quod Magdeburgum capi permiſiſſent, exprobrat, ſe ſimul, quod auxilium non tuliſſet, publico ſcripto excuſans.

Poſt hæc Cæſar, ad omnes *Fœderis Lipſienſis Socios* literas mittit, imperatque, ut a pactione diſcedant, arma & delectus facere deſinant, Regique Sueciæ, conſilio, viribus junctis reſiſtant. Simul *Mandata Avocatoria*, ceu appellant, promulgat, quæ militibus, ex Lipſienſis decreti formula lectis, in hoc munere manere, aut iis tranſitum concedere vetabant. Paſſim quoque Principes, & Civitates Imperiales, a Cæſaris copiis coacti ſunt fœdus ejurare. Ad ipſum Saxonem *Tillius* aliquos ablegavit, denunciaturos ei nomine Cæſaris, ut a conſcribendo porro milite abſtineret, quosque ſub ſignis habebat, ad terminandum cum Sueco bellum traderet, denique, ut Socios ab inito fœdere revocaret. Elector, Lega-

egatis ita reſpondit, ut nihil eorum quæ Tilli-
s petebat, concedendo, vim deprecaretur. Quo
eſponſo accepto, Tillius in provincias Electo-
is irruptionem facit ; & præter urbes alias,
pſam *Lipſiam* capit.

Tum Elector, omni mora ſepoſita, ad Regis
ueciæ ſocietatem ſe applicat, miſſo *Arnheimio*,
ui fœdus ſanciret : atque Rex quoque occaſio-
em diu quæſitam, cupidiſſime eſt amplexus, &
rajecto apud Witenbergam Albi, caſtra cum
axone conjunxit. Ibi inter Regem & Electo-
em de ſumma belli deliberatum; atque Rex qui-
lem, non cenſuit prælio decertandum eſſe, tum
uod periculoſum foret, in unius pugnæ caſum,
niverſam ſuam & Proteſtantium vim conji-
cere, tum & intutum, Saxonicum militem, re-
enti delectu conſcriptum, cum veteranis com-
nittere; magis igitur profuturam cunctationem
xiſtimabat. Cæterum, Elector Saxoniæ con-
rarium ſuadebat, negabatque, ditiones ſuas, diu-
urnis militum hoſpitiis plane exhauſtas, tot
exercitibus alendis diu ſufficere poſſe, ac niſi
abigatur hoſtis, cum fame & inopia conflictan-
dum fore. Aſſenſit tandem Rex, atque die 7.
Septembris, *haud procul Lipſia, acies inſtruitur*.
Ipſe Rex dextrum cornu regebat, lævum Ele-
ctori permiſerat. Pariter & Tillius prælio ſe
parat. Dextrum exercitus cornu, *Comes Für-
ſtenbergius*, ſiniſtrum *Pappenheimius* tuendum ac-
cepit, medium corpus ipſe Tillius regebat, ac So-
lis, venti, locorum commoda præoccupaverat.
At Rex, circumtorquendo leniter aciem, auram

 paulo

paulo ſecundiorem ſuis reddidit,ſuoque a latere, quod immixti equitibus ſclopetarii, nova arte, roborabant,valide ſubmovit irruentem hoſtem. Imbecillior Saxonum tyronum vis fuit, jamque lævum cornu labaſcere, & fuga ſibi proſpicere incipiebat. Verum Rex, per Hornianos pedites,e ſylvula,tam opportune ſuccurrit Saxonicis, ut redintegrato ad Arnheimii hortationem prælio, equitatus *Cæſareanus* in fugam verteretur, & mox tota laxaretur acies. Paſſi igitur ſunt Cæſareani cladem memorabilem, 8. millibus ex iis trucidatis.Ipſe Tillius,globo,citra vulnus petitus fuit, atque creditum vulgo,ipſum veneficio induratum corpus habere. Impedimenta omnia, tormenta majora 27. & centum circiter peditum equitumque ſigna,Victoribus ceſſerunt. Ea clades,omnem retro victoriarum fructum, uno velut momento,peſſumdedit, Germaniæ libertatem reſtituit, excidioque Magdeburgico parentavit. Rex Sueciæ, noctem, quæ pugnam excepit, ſub dio egit, atque humi ad excitatum a miniſtris familiaribus ignem, dimicando & imperando laſſus,decubuit.

Poſt id prælium *Saxo,Lipſia*, & cæteris, quæ in Saxonia Cæſareani tenebant,recuperatis, Bohemiam invadit, & *Praga* ipſa potitur. Ibi capita decollatorum Comitum, Baronum, & aliorum Regni Statuum,quæ, in turri, ponti ſuperſtructa,ſpectaculo publico expoſita erant, terræ mandare juſſit.

Rex Suecus interim *Erfurtiam*, *Francofurtum*, *Herbipolim*, omnemque fere Franconiam,in poteſta-

ſtatem ſuam redigit. *Rhenum* dehinc, prope ppenheimium, ſine ponte trangreſſus, relicta n memoriam columna, *Moguntiam* occupat. Quin, nec in inferiori Saxonia res Suecicas ortuna deſtituit, *Roſtochio* & *Wismaria* captis, otoque Mechlenburgico Ducatu, a Ducibus, quos Rex ibi cum parte copiarum ad repetenda ua reliquerat, recuperatis.

1632.

Jam Rex Sueciæ *Tillium* in Bavariam usque pepulerat, & *Pappenheimius*, ad Viſurgim a Tillio relictus, a Bannerio, Suecico Ductore premebatur. Quamobrem Cæſar, de novo exercitu, & Duce ſolicitus, *Albertum Wallenſteinium*, Fridlandiæ Ducem, quem nuper rogatu Electorum exautoraverat, revocare inſtituit. Iſte, repudiabat initio oblatam dignitatem, prætextu amoris erga quietem, & ob vergentem in ſenium ætatem, maxime autem ob invidiam, qua ſe apud primarios Imperii Proceres laborare querebatur. At, per *Principem Eggenbergium*, quem ſingulariter diligebat, expugnata tandem ejus eſt pertinacia, verum non niſi ea conditione, ut penes ipſum ſolum belli pacisque ſummum eſſet arbitrium. Sic dum Rex Suecus Bavariam invadit, in Moravia, vicinisque Auſtriacis provinciis, novum exercitum Wallenſteinius colligit, confluente ad ejus nomen magna militum copia, quibus non minus ipſe Wallenſteinius, quam Cæſar, pecuniam ſuppeditabat.

Interea loci, Rex Sueciæ, *Donawerda* occupata, Danubium transiverat, Tillius, cum Bavaro, haud

haud procul Rayna oppido, apud *Lycum* amnem, qui Sueviam a Bavaria diſterminat, conſedit. Rex, æſtimato loco, etſi difficile videbat, cum adverſa circum litora hoſtes tenerent, copias transmittere, tamen fortunæ ſuæ confidens; ſtatuit tranſitum tentare, & haud multum ſupra Tilliana caſtra, in eminentibus ripis disponi tormenta imperat, quibus in oppoſitam ſylvam, quam Tillius tenebat, magna arborum ac hominum ſtrage, fulminantibus, Rex pontem facere orditur; quo, intra biduum confecto, per hunc peditatum, equites vero vado trajicit. Horum primores, dum *Tillius* magno impetu aggreditur, in dextro femore graviter ictus eſt, unde paulo poſt Ingolſtadii, inter ſumos dolores bellacem animam exhalavit. Cæterum, Rex minore, quam ſperare auſus fuerat, incommodo, Bavariæ aditu potitus, poſtquam receſſiſſe hoſtes Ingolſtadium comperit, dimiſſis expeditiſſimis, qui fugientium poſtremos impeterent, ipſe cum reliquo exercitu *Auguſtam Vindelicorum* contendit. Ibi gratanter a civibus exceptus, remotis e Magiſtratu Pontificiis, ejectos nuper Evangelicos in locum ordinemque reſtituit, atque re militari, & civica ordinata, præſidioque impoſito, poſt occupatas alias urbes, *Ingolſtadium*, natura atque opere munitum oppidum, & in quo numeroſum præſidium Bavarus tenebat, expugnare nititur. Hic loci, haud procul ab extremo vitæ diſcrimine abfuit. Etenim equus, quo vehebatur, tormento ex munimento proſtratus eſt, *Chriſtophoro Marchioni Badenſi*, alter globus caput

t & vitam momento abſtulit. Sub hæc Bava-
s in *Ratisbonam*, tanquam Suecicis progreſſibus
entem, per ſtrategema, validius præſidium
ducit, & cives exarmat. Ea res ſtimulavit Re-
m, ut omiſſo Ingolſtadio, in interiorem Bava-
m, cum univerſo exercitu progrederetur.
ndsbuto igitur, *Friſinga*, aliisque ad Iſaram lo-
s, uno impetu in poteſtatem redactis, ad *Mona-
ium* accedit, Ducum ſedem: qua cum potitus
ſet, multum prædæ, commeatus, & bellici in-
rumenti captum fuit.

Wallenſteinius dum hæc aguntur, triginta
illium exercitum, opinione citius collegerat,
gramq;, *Pragam*, & totam Bohemiam, ejectis in-
Saxonicis, jam recuperaverat. Dehinc *No-
bergam* usque progreſſus, conſiſtit, & caſtra va-
lis operibus circumvallat. Eum inſecutus
ex Sueciæ, contra Ducum plerorumque ſen-
ntiam, caſtra Wallenſteinii die 24. Auguſti,
clivo probe munita, aggredi audet. Tum Cæ-
reani, ingentibus machinis in ſubeuntes deto-
ando, ſtragem non minimam faciunt, Bis tamen
ntata a Suecis oppugnatio, & pugnantes deni-
ue nox diremit, poſt ambiguam fere concer-
tionem, cum neque munitionibus Fridlandi-
, neque Regii campo ſe pelli paterentur. Ma-
r tamen Suecorum clades fuit, quippe iniquo
co dimicantium: atque ſunt, qui ex illis qua-
ior millia cecidiſſe, ex Cæſareanis ſolos octin-
entos deſideratos perhibent. Regi, extremam
creæ partem, globus, dextro pedis pollice levi-
er perſtricto, abripuit. Is vero, rei frumenta-
riæ

riæ inopia preſſus, inde diſcedens, exercitum per Franconiam, Bavariamque,& agrum Würtenburgenſem diſtribuit, modica quiete recreandum. Idem conſilium ſequutus eſt Wallenſteinius,quem æque commeatuum & pabuli difficultas urgebat.Is vero in Saxoniam ſe convertit, quippe Elector, poſt amiſſam Bohemiam,Duce Arnheimio,proſpere res in Sileſia geſſerat, *Glogovia*, *Vratislavia*, aliisque urbibus captis, nullo reſiſtente, & jam in Moravia & Auſtria timebatur. At Saxo,intellecto Wallenſteinii conſilio,Regem Sueciæ periculi admonet, Arnheimiumque e Sileſia revocat.

Sueciæ Rex excitatus periculo fœderati Principis, cum *Bernhardo Vinarienſi Duce*,in auxilium approperat, & Lipſiam contendens, Wallenſteinium, qui *Luzam* diſceſſerat, perſequitur, cumque illum attigiſſet, die 6. Novembris aciem inſtruit. Wallenſteinius, poſtquam advenire Regem prælio paratum intellexit, evocato ad ſe Pappenheimio, & ipſe copias diſponit. Paulo ante meridiem commiſſæ acies,in ſeram usque noctem prælium traxere, nec unquam alias,toto hoc bello,infeſtioribus animis concurſum. Rex ipſe,primo impetu,multis vulneribus confoſſus cecidit, incertum cujus manu, aut qua in parte, nec enim Scriptoribus ea de re convenit. Sunt qui aſſerunt, Regem in prima equitum concertatione,ſiniſtro brachio trajectum, cum *Alberto Franciſco Duce Lauenburgico* pugna excedere voluiſſe, exceptumque ab obvia hoſtili turma, ignorante quem peteret,interfectum. Alii nondum

m cœpto prælio, cum duobus famulis, ad ex-
orandam ſtationem, longius progreſſum, in
rmam equitum Cæſareanorum incidiſſe me-
orant, & ab ignaris cæſum. Diverſum ab
risque ante annos haud adeo multos prodidit
rdinandus Fürſtenbergius, clari nominis Pa-
erbornenſis Epiſcopus, in luculento Monu-
entorum Paderbornenſium opere, cujus ver-
ipſa dabimus. *Erant*, inquit, *tum temporis duo
origine ſtirpis Falckenbergiorum geniti, quorum
ius Theodorus, alter Mauritius vocabatur. Ille, fuit
uſtavi Adolphi Sueciæ Regis Aulæ Mareſchallus,
q; nō pedeſtris & equeſtris legionis ductor. Fuit etiam
Rege ſuo miſſus, ut Magdeburgum adverſus Tillium,
eſarei exercitus Ducem, omnibus opibus defenderet.
d urbe a Cæſareo milite capta direptaque, in ipſo ejus
allo mortem oppetiit. Mauritius e diverſo Falcken-
rgius, equeſtris legionis Götzianæ legatus, Cæſari mi-
tavit; poſt captus a Suecis, & paucis diebus ante di-
iſſus, quam ad Lutzam fuit dimicatum, eidem prælio
terfuit, Regem Sueciæ, quem paulo ante captivus, &
ropter merita Theodori Falckenbergii familiariter
abitus, optime de facie norat, plumbeo glande ſaucia-
um, equo primus dejecit, pariterque hoſtili telo confi-
us, concidit prope Regem; cui humi proſtrato, fatali
ctu ſuperveniens Georgii ab Oynhauſen Götzianæ le-
ionis Equitum Magiſtri, legatus, Johannes Schnee-
erg, ex Bockendorp, diœceſis Paderbornenſis vico,
riundus, ilia enſe confodit, peremit, ſpoliavitque exa-
imem.* Hactenus laudatus Epiſcopus, qui ſe hæc
b iis, qui prælio interfuerunt, didiciſſe, & tor-
uem aureum Regi a Schneebergio detractum,

vidiſſe

vidiſſe aſſeverat. Quicquid ſit, equus Regius, cruore reſperſus, & cum anhelitu ad ſuos revertens, infortunium Regis vulgavit. Neque propterea Sueci animum deſpondebant, per vulnera & cædes in pulchram ruere mortem, vel Regis necem vindicare certi, *Bernhardo Duce Vinarienſi*, omnia mox Regis munera obeunte. Jam Cæſareani loco cedere, ac palmam relinquere cœperant, & ecce *Pappenheimius*, Halla derepente advolat, effuſosque in fugam Cæſareanorum ordines reſtituit, mixtisque ſuis agminibus, aſperiorem longe in tenebris pugnam accendit, quam qua fulgente Sole, exercitus erant defuncti. Eo conflictu lethale vulnus ipſe Pappenheimius accepit, ex quo haud multo poſt obiit, cum paulo ante de morte Regis Sueciæ, lætus, redditus eſſet certior. Eminuit quoq; præ cæteris *Octavii Picolominei* virtus, qui cum ſua legione, inter medios hoſtes, intrepide usque ad finem prælii ſtetit, & amiſſis quinque equis quibus inſederat, ſepties irruptionem fecit, ſex vulneribus ſaucius denique recedens. Ad octavam usque noctis horam extracto certamine, ceſſerunt tandem Cæſareani, relictaque ſarcinarum & machinarum parte, Lipſiam, ac deinde, omiſſa Saxonia, in Bohemiam refugerunt. Numerus in hoc cruento prælio utrinque cæſorum, haud minor novem millibus fuiſſe creditur. E Cæſareis præcipue deſideratus eſt *Pappenheimius*: cujus exercitam, & tot prælis claram virtutem, Rex ipſe Suecus, magnis laudibus evehere ſolebat; atque fertur, haud ullum in toto exercitu militem fuiſſe, qui plures

quam

quam ipſe in facie ac toto corpore cicatrices prætulerit, ita, ut ad centum numerari potuerint. Apud Suecos, victoriæ pæne gaudium, Regis præmaturus interitus extinxit, qui 37. ætatis anno evenit.

Non multo poſt Lutzenſem pugnam, *Fridericus Elector Palatinus*, fato quoque ex febri functus eſt Moguntiæ, relicta vidua Eliſabetha Britannica, & X. ex illa liberis.

1633.

Wallenſteinius poſtquam in Bohemiam ſe recepiſſet, & per hiberna diſtribuiſſet exercitum, graviter in eos animadvertit, qui proximo Lutzenſi prælio, officio defuiſſe arguebantur. Neque ullis ſe precibus, ætate, opibus, aut familia cujusquam, a concepta ſeveritate dimoveri paſſus eſt, unde nec ipſe Cæſar, pro quoquam intercedere auſus fuit. Volunt, non ideo hæc ſupplicia Wallenſteinium ſumſiſſe, quod illorum, qui rei facti erant, culpa tanta fuerit, ſed ut magnitudinem ſuam, quaſi Regio facinore oſtentaret.

Proteſtantes & fœderati Germaniæ Principes plerique, imprimis vero Franconiam, Sueviam, & Rheni ripam incolentes, nequaquam jactura Regis Sueciæ animo conciderunt, ictumque eſt primum Hailbronnæ, dein Francofurti, arctius *fœdus*, autore *Axelio Oxenſternio*, ſupremo Sueciæ Cancellario, decretumque ab armis non recedere, donec libertas Germaniæ Religionisque redderetur. Permiſſa fuit Oxenſternio ſumma conſiliorum; militare imperium, iis Ducibus,

quos ipſe Rex inſtituerat, Bernhardo nimirum Duci Vinarienſi, Guſtavo Hornio, & Johanni Bannerio relictum eſt.

Non conſenſit in id fœdus Elector Saxoniæ, quod Suecos, amicos magis, quam dominos habere vellet. Itaque egit cum Wallenſteinio (cui Cæſar, non belli minus, quam pacis curam, ſumma poteſtate permiſerat,) tota pæne æſtate de pace, Arnheimio, copiarum ſuarum ſupremo Duce, internuncio uſus, qui Cæſari quondam in Bello Danico militaverat, & a Wallenſteinio præcipuo amore diligebatur; cujus tractationis tamen eventus fuit irritus.

1634.

Primordia hujus anni nobilitavit *cædes Wallenſteinii*, qui, cum pertentare Ducum & Legionum animos, conferre cum hoſtibus conſilia, & aperte in partes eorum transgredi velle videretur, a Cæſare per exercitum imperatum, ne quis ejus dictis morem gereret. Nec multo poſt Egræ, una cum *Comite Kinskio*, *Terzkio*, Campiductore *Illoo*, & Equitum Magiſtro *Nyemanno*, *Leslæo autore*, fuit occiſus. Adiit deinde ſupremam militiæ Præfecturam *Rex Hungariæ Ferdinandus*, obſeſſa mox *Ratisbona*, quam Sueci quatuor millium præſidio tenebant. Eam, poſt ſpatium ſex ſeptimanarum, ad deditionem, æquis conditionibus, compulit.

Poſt expugnatam Ratisbonam, *Rex Hungariæ* minime deſes, varia ad Danubium loca recuperat. Poſtea, contractis ad ſe Hispanicis atque Itali-

Italicis copiis, quas *Ferdinandus Cardinalis*, Philippi III. Hispaniarum Regis filius, regendo Belgio deſtinatus, ſecum ex Italia adduxerat, *Nordlingam* obſidione circumvallat. Inerat ei validum præſidium, cujus partem paulo ante *Hornius* immiſerat, juſſeratque urbem ad extremum tueri, ſe in tempore affuturum pollicens. Neque fidem datam fefellit. Nam, conſociatis cum Vinarienſi viribus, mature advolavit. Diu deliberatum inter Suecicos Præfectos, num prælii fortunam experiri conveniret? *Hornii, ac reliquorum opinio erat*, ſatius eſſe cunctando impetus hoſtium frangere; qui cum deferbuiſſent, aut certe, poſtquam Princeps Hiſpaniarum receſſiſſet, felicius contra languidos & pauciores pugnari poſſe. At, *pervicit ſententia Ducis Vinarienſis*, qui contendebat, nequaquam Suecico & Proteſtantium nomini decorum, ſi paterentur, fidam urbem, & cui tam ſancte ſuppetias promiſiſſent, ſuis in oculis ab hoſte intercipi. Sic prælio decreto, forti animo in Cæſareanos itum eſt, & Vinarienſis dextrum, Hornius ſiniſtrum cornu tuebantur. Nunquam alias, toto hoc bello, atrociorem cladem Sueci acceperunt. Cum enim ſuperata initio convalle, pauliſper feliciter pugnaſſent, paulo poſt a *Cæſareanis*, numero Italicarum & Hiſpanicarum copiarum, locoque potioribus, circumfuſi, cæſique ſunt. Acceſſit, in ipſo prælii ardore, improviſa clades, quæ nutantem jam Suecicam aciem plane in exitium dedit. Obtinebant Cæſarei munimentum in loco editiore, ex quo crebris jaculationibus Suecos

infeſtabant ; id Sueci ſumma vi invadentes, cedentibus data opera Cæſareanis, occupaverunt. Vix illi ingreſſi fuerant, cum e veſtigio munimentum, ſubjecto infra nitrato pulvere incenſo, in ſublime, cum omnibus qui inerant, excutitur. Fama eſt, cecidiſſe hoc prælio Suecorum XII. millia, capta eſſe millia ſex. Tormenta ænea 80. trecenta utriusque generis ſigna, cum impedimentis & univerſo militari apparatu, victori ceſſerunt. Guſtavus Hornius, Suecicæ militiæ Dux, cum aliis captus fuit. Ex Cæſareanis, haud ultra mille ducentos deſiderati.

Poſt hanc victoriam, *Ferdinandus Rex* exercitum diſperſit, cujus pars in Sueviam, Bavariamque, pars in Franconiam, & Alſatiam ducta, atque præter Norlingam, *Heilbronna*, *Heidelberga*, *Herbipolis*, *Sweinfurtum*, aliæque fere omnes proximæ urbes, vel vi, vel deditione, in Cæſaris poteſtatem pervenerunt. Sic expeditione ex ſententia confecta, Ferdinandus Rex, rerum militarium cura *Matthiæ Gallaſſio* commendata, Viennam, Princeps Hiſpaniarum, ſuo cum exercitu, in Belgium conceſſit.

Penitus tum actum videbatur de Suecis in Germania. *Oxenſternius* tamen, Conventu cum Fœderatis Francofurti ad Mœnum habito, & poſtea itinere in Galliam ſuſcepto, rebus perditis medelam afferre ſumma contentione laborabat. Neque improſpere ei ſucceſſit cura ac ſolicitudo: nam Gallorum deinde viribus, reſurgere cœperunt Sueci, & robur repetere.

1635.

1635.

Circa anni hujus initium, *Auguſta Vindelicorum*, ſtatim poſt cladem Norlingenſem, a Cæſareanis obſeſſa, atque ad extremam cibariorum inopiam redacta, ob quam etiam equinæ carni, & felibus, canibus, muribusque pretium ſtatututum fuit, in illorum poteſtatem pervenit; Mille & ducentis, qui ex Suecico præſidio ſupererant, Noribergam abeundi facultas data. *Treviris* quoque, ab Hiſpanico Lucemburgi præſidio, nocturno aſtu intercepta eſt. Cæſi Galli, quos ad defenſionem urbis induxerat *Philippus Chriſtophorus de Sotern* Princeps Elector, ipſeque, quod in partes Regis Galliarum tranſierat, captus, & Bruxellas primum, dein Viennam, ad Imperatorem miſſus eſt.

Circa finem Maji menſis, *Pax inter Imperatorem & Electorem Saxoniæ Pragæ concluſa eſt*, edita proteſtatione, non futuram hanc paucorum tractationem præjudicio, nec trahendam in exemplum, cum temporum conditio, omnium Ordinum conventum indici in præſentia non permittat. Per iſtam transactionem, Reſtitutio Bonorum Eccleſiaſticorum per annos 40. ſuſpenſa, Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, Auguſto, Saxonis filio, & Halberſtadienſis, Leopoldo Cæſaris filio attributus. Electoratus Palatinus, Bavaro, & ejus heredibus relictus, qui, Donawerdam tamen Imperio reſtituere debebat, ſimul ac ſumtus in bellum expoſitos recepiſſet. Electori Brandenburgico Pomerania, Ducibus Mechlenburgi-

burgicis avitæ provinciæ adjudicatæ; omnibus deniq; qui intra decem a publicatione dies, hanc conventionem ratam habituri eſſent venia præteritorum a *Cæſare* promiſſa; cui mox, adjunctis exercitibus, ad Suecos ex Imperio ejiciendos, reliqui Principes adeſſe debebant. Hæc Pax, quanquam non omnibus probaretur, quod privatim Saxoni, quam univerſo partium ordini utilior eſſe, nec internas diſcordias bona fide ſanare videretur, multas tamen Imperiales Vrbes præcipuas, eo permovit, ut ejectis Suecicis præſidiis, ſponte ad obſequium Cæſaris redirent; quædam vi, ad deditionem compulſæ ſunt. Sed & Elector Brandenburgicus, & Wilhelmus Vinarienſis, ac Georgius Lunæburgicus Duces, pacificationi Pragenſi ſubſcripſere. Solus pæne inter omnes Imperii Proceres, Wilhelmus Landgrafius Haſſiæ, arma adverſus Cæſarem retinuit, ſociavitque cum Bernhardo Duce Vinarienſi.

Agebat deinde cum Axelio Oxenſternio & Johañe Bannerio Elector Saxo, iisque, ſi quieti ſe dare vellent, xxv. toñas auri obtulit. At Sueci, a comũni Proteſtantium Pacificatione excluſi, quorum rem tantis incrementis auxerant, & amiſſione Regis ſui in tantam fortunam erexerant, multo magis ad inſtauranda arma incubuere.

1636.

Poſtquam *Elector Saxoniæ*, de Suecorum e Germania diſceſſu, diu fruſtra egerat, inter illum, & *Johannem, Bannerium* Suecicæ militiæ Du-

cem

cem, res ad arma deducitur, ac Electoris ditiones tractatæ fuere inclementius. Saxoni, *Melchior Hazfeldius*, cum legionibus aliquot a Cæſare ſubſidio miſſus, Bannerium ad *Serveſtam*, optima equitatus parte mulctatum, in Magdeburgicum agrum rejicit. Ad *Witſtockium*, fortuna iterum variavit, ubi Bannerius, Cæſareanos Saxonesq; juſto prælio vicit, famaq; tenuit, inter Saxones non paucos fuiſſe, qui armis Cæſareis, animis Suecicis pugnarint. Tum vero, duplicis auſpicii exercitus, ut uni Duci ad regendum nimius, ita, ſi duo imperent, ad commune periculum capeſſendum minus concors, dum carptim pugnat, & ſuum quisque momentum ſequitur, diſtractis viribus, infirmior fit ad hoſti reſiſtendum. E Cæſareanis, & Saxonicis, pedites quater mille, bis mille equites cæſi fuerunt. Amiſſa ſigna 127. Tormenta 33. cum omnibus impedimentis.

Imperator, aliquid otii ab hoſtibus nactus, ſimul curis & ætate fractus, ingraveſcente indies valetudine, creando *Romanorum Regi* Ratisbonæ Comitia indicit. In iis, filius ejus *Ferdinandus*, Hungariæ Bohemiæque Rex, jam diu ſpei huic deſtinatus, fuit electus, ac ſolemni ceremonia inauguratus.

1637.

Initio hujus anni *Ferdinandus II.* Cæſar, cum annos vixiſſet 59. in Imperio ac perpetuis bellis exegiſſet 18. rebus humanis exceſſit, longo ſtomachi vitio confectus. In vita quam edidit Guilhelmus Lamormainus, de illo legitur: Vi-

ginti annorum Adoleſcens, Laureti vovit, vel cum vitæ diſcrimine, abacturum ſe, a Stiria, Carinthia, Carniola, ſectas, & ſectarum magiſtros. Duos & quadraginta natus annos, Vngariæ, Bohemiæque jam Rex, & Cæſar, idem in Bohemiæ, illique Regno adjunctis provinciis, ſe acturum, ſancte conſtanterque vovit; quod vovit, præſtitit. Et absque temeritate affirmari poteſt, Ferdinandi zelo ac opera, centies centena millia hominum, ad Eccleſiæ gremium revocata: adeoque merito *Apoſtolicum Imperatorem* dici. Affirmabat, oppetiturum ſe mortem libentius, quam acatholicum exercitum in ſuo conſpectu permiſſurum. *B. Virgini*, ſuorum armorum ſummam præfecturam ſemper commiſit; & in literis ad Duces, *Generaliſſimam* appellabat; nec ſecus ab exercitu voluit coli, quam *armorum moderatricem.* Dixit aliquando, *nihil ſe unquam a B. Virgine petiiſſe, quod non impetrarit.* Poſt B. Virginem, *S. Ignatio*, ſua omnia, peculiari cura committebat; ab illo ſua vota dirigi, per illum, Deo exhiberi volebat. Extare dicit Autor, flagellum, multo conſperſum ſanguine, quo fluxerit, cum ſe cæderet. Nullam omiſit, Societatem Jeſu vel tuendi, vel exornandi occaſionem. Dicebat aliquando: *Si liber eſſem, ut fratres mei hodie ſunt, Societatem Jeſu omnino ingrederer.*

Primam Conjugem habuit Ferdinandus, MARIAM ANNAM, Wilhelmi Bavariæ Ducis filiam: alteram, ELEONORAM, Vincentio Mantuæ Duce genitam. Ex poſtrema, nihil liberorum tulit. Ex priore ſuſcepit *Ferdinandum*, ſucceſ-

ſucceſſorem; *Mariam Annam*, Maximiliano Electori Bavariæ nuptam: *Cæciliam Renatam*, Vladislai Regis Poloniæ Conjugem; & *Leopoldum Wilhelmum*, quem Archiepiſcopum Magdeburgi Pontifex declaravit. Fuit idem præterea Epiſcopus Argentoratenſis, Paſſavienſis, Halberſtadienſis, Vratislavienſis, Olomucenſis: item Abbas Hirschfeldiæ, ac Murbaci: nec non Magiſter Ordinis Teutonici.

FERDINANDVS III.

FERDINANDVS III. Ferdinandi II. filius, natus eſt A. 1608. Initia Imperii ejus ſecunda fuerunt, *Gallaſſius* enim Suecos, ex omni prope Germania, in extremam Pomeraniam rejecit: *Bernhardus*, Dux Vinarienſis, ab iis ad Gallos tranſiit: *Wilhelmus Haſſiæ Landgrafius*, qui ſolus adhuc ex Imperii Principibus iis adhæſerat, relicta Caſſella, in Friſiam fugit, & paulo poſt fato functus eſt, liberorum, ditionumque ſuarum tutelam, Regi Galliæ, ultimis teſtamenti tabulis, commendans, relicta vidua *Amalia Eliſabetha*.

1638.

Cæſareanos, in Pomerania hærentes, annona & commeatus deficiebant. At *Bannerius*, libero mari, non ſuſtentandi modo, ſed etiam augendi, emendique militis, quod ſola victus copia præbita fiebat, facultatem habuit. Ergo, ex transfugis Cæſareanorum, & domeſticis e Suecia ſupplementis, brevi exercitum viginti amplius millium collegit, cum contra Cæſareanos,

omnium rerum egeſtas, primo in Saxoniam, dehinc in Bohemiam ſe recipere cogeret.

Interea temporis *Carolus Ludovicus*, & *Rupertus* fratres, Friderici Palatini filii, ope Hollandorum, & Galliæ ac Angliæ Regum, in Weſtphalia non contemnendum exercitum contraxerant, deſtinata novi belli ſede *Meppena*, quam, a Suecis magno pretio redemtam, multo frumento, ac bellico apparatu inſtruxerant. Sed hanc, improviſa invaſione *Geblenius*, copiarum Cæſarearum per Weſtphaliam Præfectus, intercepit. Cumque Meppenæ amiſſionem reſtauraturi, *Lemgoviam* Palatini fratres obſiderent, *Melchior Hatzfeldius* Dux Cæſareanus, cum omnibus copiis quæ in Weſtphalia erant, obviam profectus, magna eos clade affecit. Cæſa duo millia, capta impedimenta, atque inter ea periſcelis Anglicana. *Carolus Ludovicus*, natu major ex fratribus, dum rheda vectus, per Viſurgim fugam præcipitat, ſubmerſo curru, equis, & auriga, ipſe ſolus ægre evaſit, & pedes inde Mindam properavit. *Rupertus*, cum magna Nobilium manu, in poteſtatem victorum pervenit, & ad Cæſarem, Viennam miſſus eſt.

Bernhardus Dux Vinarienſis, *Rheinfeldam*, urbem, ſitu, & operibus validam, obſidione cingit. Vbi id in Bavaria, & a Cæſare auditum, confeſtim *Verdanus*, *Savellius*, *Speerreuterus*, *Enckenfortius*, & *Fürſtenbergius* Duces miſſi ſunt, ut quicquid copiarum in proximo eſſet, contraherent, & liberata Rheinfelda, Gallos trans Rhenum rejicerent. Prima die a Cæſareanis proſpere pugnatum

gnatum eſt, pulſusque ab obſidione Vinarienſis, Lauffenburgum receſſit. *Cæterum*, poſtridie reverſus, confirmato exercitu, & delendæ heſternæ ignominiæ percupidus, nihil tale metuentes, & negligentius effuſos *Cæſareanos* invadit, & vix dimidio horæ ſpatio profligat. Capti Duces memorati omnes, *præter Fürſtenbergium*, qui naviculam ad Rhenum nactus, aufugiendi facultatem habuit. Captivi Duces, Lutetiam, velut ad triumphum in cuſtodiam abducti, e qua non multo poſt, *Savellius*, eluſis cuſtodibus evaſit ad ſuos. Poſt hanc victoriam, Vinarienſis Rheinfeldam nullo negotio in poteſtatem redegit. Poſtea ad circumſidendum *Briſacum* animum adjicit, quod Brisgoviæ & Alſatiæ totius munimentum eſt, urbemque aggeribus, & aditus omnes, ne quid importaretur, cuſtodiis cingere cœpit. Inerat loco, natura ac ſitu validiſſimo, *Reinacherus* Præfectus, cum ſufficienti præſidio; ſed de commeatu non ſatis proſpectum erat. Inſuper apparatum militarem, gravi damno afflixit error aliquot militum gregariorum, qui nocte intempeſta in granarium irrumpentes, ut farinæ aliquid furarentur, in dolia, pulvere pyrio repleta inciderunt. Quorum uno alteroque aperto, illapſus forte ignis, vicina dolia, (quorum ſupra octingenta fuere,) & quingentos farris modios continuo incendit, diſperſitq; cum magna clade hominum, & ædium, quæ in proximo erant, Duo tamen, incertum quo caſu, ex ipſis autoribus fuere ſervati, in quos Reinacherus laqueo animadvertit. Tandem, exeunte

unte anno, Briſacum hoſti deditur, ad ultimam famis neceſſitatem adductum. Canes enim, feles, mures, coria, & alia ejusmodi, obſeſſis fuere in deliciis, nec temperabant ſibi a carnibus humanis.

1639.

Bernhardus Vinarienſis Dux, Neoburgi, repentina contagione, diem extremum obit, cura exercitus, quatuor ſupremis Tribunis, *Erlachio, Naſſovio, Roſæ*, & *Oehmio* commendata. Extinctus eſt, non ſine fama procuratæ per venenum mortis, ejusque rei veſtigia, in exſangui cadavere ajunt eſſe reperta. Sane quidem poſſeſſio Briſaci, occulto odio, Regem Galliæ, ac Ducem Vinarienſem inter ſe cœpit collidere, dum uterque, urbem Rheni potentiſſimam, atque adeo clavem Germaniæ, ad ſe pertrahere nititur. Ille, quia aurum, & milites, hic, quod laborem & pericula commodaſſet, ſuaque virtute & ingenio, rem difficillimam, ad felicem exitum perduxiſſet. Haud unquam alias magis apparuit, quantum momentum in Duce exercitus ſitum eſſet. Namque Primates copiarum, amiſſo capite, diſcordes inter ſeſe, dum alter alteri parere recuſat, nihil valde memorabile per totam æſtatem peragunt. Tandem auro Gallico deliniti, ad partes Regis Galliarum, dicto ei ſacramento, certis conditionibus transeunt. iisque *Dux Henricus Longevillæus*, fuit præpoſitus. Sic Gallo Briſacum, Friburgum, multaque Burgundiæ loca fuere tradita: in qua re, tantam ille ſolicitudinem adhibuit, ut *Carolum Ludovicum*, Fride-

Friderici Palatini filium, qui multa pecunia inſtructus, ex Anglia, per Galliam, cum duobus tantum aut tribus Comitibus, ad exercitus Duce' orbi regimen properare credebatur, attineri juſſerit, donec rebus cum Vinarienſibus compoſitis, nullus metus eſſet, ut nutantes legiones præſentia ſua ad ſe pertraheret.

Bannerius, initio veris, confirmata cum Saxoniæ Inferioris Circulo neutralitate, Albim, connivente Lünæburgico, transmittit, per Duces, Saxoniam, Thuringiam, Franconiam, Marchiamque Brandenburgicam populatur; ipſe in Bohemiam exercitum producit.

Cæſar, quoniam *Gallasſius* valetudinem imbecillem cauſatus, miſſionem petebat, novum Dncem, fratrem ſuum, Archiducem *Leopoldum*, exercitui præficit, eique *Octavium Picolomineum* adjungit, cujus conſilio monitisque bellum adminiſtraret.

1640.

Archidux Lepoldus, initio anni, nec dum finita hyeme, luſtratas propere legiones in hoſtem educit. Cujus rei fama, tantum Bannerii copiis terrorem incuſſit, ut raptim convaſatis quæ impedimenti minus afferebant, Bohemia excederent. In limitaneis tamen Bohemiæ montibus, & circumpoſitis ſylvis, nonihil moratus eſt Bañerius, donec impedimenta, & prædam præmitteret. Sed, cum fugientium tergis inhæreret Cæſareanus miles, nihil ſibi ad ceſſandum temporis indulgens, ſpoliorum partem, aut corrumpere incendio

cendio, aut hoſti cedere fuit coactus. Sic intra paucos dies, Bohemia, ab hoſtilibus armis, eſt liberata. *Bannerius*, in Miſniam, porro in Thuringiam, denique in Brunſuicenſem ditionem ſe recepit.

Cæſar, media æſtate, *Comitia Ordinum* indicit, deliberaturus maxime, qua via, finito tandem cruentiſſimo bello, pax & tranquillitas in Imperium reduci poſſent, aut, ſi id obtineri non queat, quibus porro mediis bellum geri deberet. Vt vero eo majore cum fructu hi tractatus perficerentur, indulſit, quo illi etiam Imperii Ordines, qui adhuc hoſtibus ſuis conjuncti, bello erant impliciti, adeſſent, ut auditis ſingulorum querimoniis, de communi conſenſu ſatisfieret.

1641.

Bannerius, refectis in agro Brunſuicenſi militibus, magnis itineribus, per Thuringiam, Miſniam, Voitlandiamque, in Palatinatum ſuperiorem erumpens, *Chamum*, *Glattaviam*, *Sulzbachiam*, aliaque loca occupat, & inde, ad ipſa *Ratisbonæ* mœnia, ubi Cæſar, & Proceres congregati erant, exercitum minitabundus ducit. Fama conſtans eſt, ſi populationes, quas per Franconiam Sueviamque late extenderat, omiſiſſet, ac univerſi exercitus vires, uni Vrbi impendiſſet, potuiſſe illum Imperatorem, Aulamque omnem, & Imperii Ordines, illinc cum dedecore expellere, aut immorari auſuros, nullis audito ſeculis exemplo, captivos ducere in triumpho. Datum proinde ſpatium Cæſari, ut ſe validiori præſidio communiret,

niret,& quicquid ubique legionum erat, ex hibernis,ad ſigna evocaret. Cæterum, *Schlangius*, equitum Suecicorum Præfectus, apud Neoburgum oppidum, haud procul a ſylva Bohemica, conſederat: hunc toto exercitu circumfuſum, in infirmo tamen oppidulo aliquandiu reſiſtere auſum, cum turmis omnibus equitum, (quater mille erant numero) *Picolomineus*, & *Mercius* deditione capiunt. Flore copiarum amiſſo, *Bannerius*, qui cum reliqua exercitus parte Chamum inſidebat, ne & ipſe eodem victoriæ curſu opprimeretur, ſumma feſtinatione in Bohemiam ſe proripuit. Premebat a tergo *Geblenius*, reliqui, ut fugæ exitum intercluderent, ſe a fronte objiciebant. Erat igitur haud dubie in manibus Bannerius, & toto cum exercitu deleri poterat. Sed dum illi, aut tardius moliuntur, aut commodiora magis itinera quam hoſtem quærunt, aut quivis ad ſe ſummæ rei decus trahit, nactus eſt ille facultatem, illæſo in Misniam evadendi agmine. Protexit fugientes Sala fluvius, obſtititque inſequentibus, ne porro progrederentur. *Bannerius*, in illa fuga, morbum, neque hunc initio lethalem, contraxit. Quem, cum ipſe parvi faceret, nihil e conſuetis muniis intermittens, tandem, vi ejus indies augeſcente, *Halberſtadium* delatus moritur. Cum rogaretur, quem exercitui ſucceſſorem commendaret, *Leonhartum Torſtenſonium* nominavit, qui in Suecia tum agebat: cujus judicium deinde Regni Sueciæ Senatores ratum habuere, intereaque *Carolo Guſtavo Wrangelio*, & *Arfurto Wittebergio* exercitus comiſſus.

Ratiſ-

Ratisbonæ, in frequenti Procerum Imperii conventu, poſt longam deliberationem, conſiliorum ſumma in hæc fere capta componitur. Primum omnium, ad inteſtina Imperii diſſidia tollenda, decretum, ut univerſalis amneſtia publicaretur. Deinde, ut cum Regnis Galliæ Sueciæque, ſeparatis conventibus Monaſterii & Osnabrugæ tractaretur. Vt gravamina Religionis, quæ huc usque tantis tumultibus non exiguam cauſam dediſſent, per utriusque Religionis deſignatos, amice componerentur. Vt Transactio Paſſavienſis, & poſt illam conſtituta Pax Religionis, ſancte ſervarentur. Denique, ut cauſa Palatina, quam Cæſar ex generali amneſtia excluſam voluit, ſeparatis tractatibus ageretur. Præterea, quoniam adhuc exigua pacis ſpes apparebat, de promovendo porro, & continuando bello actum eſt, proviſumque imprimis, ut hiberna atque hoſpitia militaria, pro Imperiali exercitu, ſecundum belli neceſſitatem, ex æquo & bono deſcriberentur.

1642.

Leonhartus Torſtenſonis, Suecicæ militiæ novus Dux, luſtrato exercitu, punitoque Tribuno *Seckendorfio*, qui cum Cæſareanis Ducibus colludere arguebatur, decurſa Saxonia, in Luſatiam ac Sileſiam perrumpit, & *Glogoviam* majorem, eadem die, qua illam obſederat, expugnat. Magnam vim frumenti, bellicique apparatus, Cæſareani in hanc urbem comportaverant, certi, ex ea tueri Sileſiam, hoſtemque aditu prohibere. Poſtea, omni Sileſia, Moraviaque hoſtiliter direptis,

reptis, & firmo præſidio communitis locis quæ conſervare decreverat, in Saxoniam regreditur Torſtenſonius, *Lipſiamque*, quam Elector Saxoniæ pro viribus tuebatur, circumſidet. Eam ob cauſam Archidux *Leopoldus*, & *Octavius Picolomineus*, contractis undique copiis, in Electoris Saxoniæ auxilium advolant. De horum adventu certior factus Torſtenſonius, omiſſa Lipſia, adventantibus obviam procedit. Sic eodem prope loco, quo A. 1631. Rex Guſtavus Adolphus cum Tillio conflixerat, acri prælio, & pari fortuna, inter infeſtas utrinque acies certatum eſt. Etenim Cæſareani, cum ſemel iterumque Suecos loco pepuliſſent, ad poſtremum ſuperati, victoriam hoſtibus ceſſerunt. Equitatus magna pars fuga evaſit, pedites plerique, aut capti, aut cæſi. Potiti ſunt Sueci omnibus Cæſareanorum impedimentis, inter quæ fuerunt tormenta 42. ſigna peditum 108. equitum 84. cum Archiducis argento caſtrenſi, & viatorio, ſcriptis item ſecretioribus, & aliis rebus pretioſiſſimis. Poſt victoriam, Torſtenſonius, ad Vrbis obſidionem iterandam ſeſe recepit, quæ, aliquot deinde dies magna vi oppugnata, cum cæſis auxiliis, nulla ſpes liberationis ſupereſſet, ſe dedidit, direptionem ingenti pecunia redimens.

At *Archidux Leopoldus*, acceptæ cladis culpam, fugæ aliquorum imputans, in *Georgii Madlonii* Legionem, quæ coſiſtente adhuc acie, & reliquis pugnantibus, prima omnium prælio exceſſerat, ſevere animadvertit. Turmarum Ductoribus, eorum Vicariis, & cæteris quoque Ordinum

 num

num Præfectis, nec minus ex gregariis decimo quoque ſorte lecto, peremtis. Chiliarcha ipſe *Madlonius*, in cuſtodiam datus, inſpecta dein diligentius atque examinata cauſa, anni inſequentis initio Pragæ capite plexus eſt.

1643.

Torſtenſonius, ab obſidione *Fridbergæ* obſeſſorum pertinacia rejectus, metuens iis quæ in Sileſia atque Moravia occupaverat, iterum eo iter convertit, quæq; ibi obtinebat loca, novo præſidio, commeatuque, & omnibus ad vim ſuſtinendam neceſſariis confirmat. Inde ingenti præda potitus, in *Sileſiam* movit, expilatis incenſisque Vratislaviæ ſuburbiis, quoniam cives commeatum & pecuniam pro exercitu poſtulanti negaverant. *Königsmarckius*, in Saxonia a Torſtenſonio relictus, *Halberſtadium*, & alia ibidem loca, pulſis Saxonicis Cæſareisque, in poteſtatem ſuam redigit. Dein transmiſſo Albi, *Cracovium*, generalem Vigiliarum Præfectum, quem Gallaſſius, cui iterum ſummam rei militaris Cæſar commiſerat, in Pomeraniam populatum ablegavit, collatis caſtris profligatum, ex Pomerania abigit: recuperato Camino, aliisque locis, quæ Cæſareani, male cuſtodita, primo adventu interceperant.

1644.

Sueci, hoc anno, omiſſo fere Imperio, *in Daniam* arma tranſtulere, *Torſtenſonio* Hollatiam & Jutlandiam, *Hornio*, Scandinaviam invadentibus. Dum igitur peregre abſunt Sueci, *Cæſari*

com-

commoditas fuit, recuperandi ſua per Moraviam, Sileſiamque, quæ ſuperiori anno Torſtenſonius occupaverat. Et vero, cæteræ urbes minores, facile quidem receptæ ſunt. *Olmuzium* & *Glogovia*, quia validum præſidium acceperant, ad reditum usque Torſtenſonii, obſidionem toleravere.

Torſtenſonius, nondum confecta Danica pace, relicto in Holſatia & Jutlandia *Wrangelio*, adverſus *Gallaſſium*, qui in confinibus Holſatiæ caſtra fixerat, improviſus erumpit, & Magdeburgum usque fugientem conſectatur, obtrito fere omni peditatu, & magna parte impedimentorum capta. Gallaſſius, cum hinc in Bohemiam ſe recepiſſet, illum inſequitur Torſtenſonius, eo conſilio, ut rurſus in Sileſiam Moraviamque, atque adeo ipſam, ſi fieri poſſet, Auſtriam perrumperet, liberaretque imprimis Olmuzium, quod Comes Wallenſteinius, gravi obſidione jam diu premebat.

1645.

Cæſar, clade, quam Gallaſſius a Torſtenſonio paſſus fuerat, excitatus, cum fratre Leopoldo, ac tota Aula, etſi media hyeme, *Pragam proficiſcitur*. Ibi, collectis quæ in Auſtria Moraviaque, & Bohemia haberi poterant, copiis, iis Comitem *Melchiorem Hatzfeldium*, cum imperio præponit. Acceſſit Legionum Bavaricarum flos, quem Elector Maximilianus, *Johanne de Werdt*, & *Reuschenbergio* Ducibus, ſubſidio miſerat. Sic recenſito & confirmato exercitu, duci in hoſtem, ac prælio

cum iis experiri Cæſar jubet. Jam Sueci Bohemiam intraverant, & haud procul *Jankovio* conſiſtebant. Hatzfeldius ergo in hoſtem movet, neque Torſtenſonius detrectabat certamen, etiamſi æger ex podagra eſſet, ita, ut lectica per caſtra circumferretur. Cum per octo horas dimicatio protraheretur, tandem Cæſareanos fortuna deſtituit, & fuſi fugatique magna ſtrage, victoriam Suecis reliquere. Reuſchenbergius, & Johannes de Werdt, re deſperata, cum majore equitum parte fuga ſe eripuerunt; reliqui Duces omnes, quin & ipſe *Hatzfeldius*, in Suecorum poteſtatem pervenerunt. Capta e gregariis propemodum 4. millia, cum 26. tormentis, & apparatu militari univerſo. Hac percepta clade, Cæſar deſerta Praga, *Viennam* concedit, ut inde repararet exercitum, irruentemque ulterius hoſtem, tranſitu Danubii prohiberet. Torſtenſonius, tam inſigni victoria potitus, haud ſegniter ea utendum ſtatuens, transcurſa celeriter Bohemia, *Iglaviam* primo in Moravia, deinde *Kremſiam*, *Steiniam*, & *Cornneuburgum* in Auſtria occupat, nemine jam reſiſtente. *Olmuzium*, quod Comes Wallenſteinius a temporis haud modico intervallo oppugnabat, fama adventus illius obſidione liberavit.

Dehinc *Brinnam*, munitiſſimum totius Moraviæ propugnaculum, quodque unicum iis in partibus reſtabat, cum toto exercitu Torſtenſonius aggreditur. Longa illic, difficilisque obſidio, atque ad extremum irrita fuit. Ac ſatis conſtat, plus ibi militum, quam ſi juſta acie pugnatum

tum foret, periiſſe. Interea loci, Cæſari ſpatium datum, reparandi vires, colligendique novum exercitum quem hoſti opponeret.

Sub id tempus, *Chriſtophorus Elector Trevirenſis*, ex decenni apud Cæſarem captivitate, urgente Pontifice, liber dimittitur. Ipſa Trevirenſis urbs, cedentibus Hispanis, Electori reſtituta eſt. Secutum deinde, inter Electorem, & Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicos, grave diſſidium: in quo adeo exarſit Elector, ut Canonicos pæne omnes urbe pulſos, dignitatibus, & præbendis privare niteretur. Sed illi, implorato Pontifice, & *Cæſare*, in gratiam tandem cum Archiepiſcopo iterum redierunt.

1646.

Torſtenſonius, poſt occupatam prope totam Moraviam, exercitum in Bohemiam reducit. Ibi, ob ingraveſcentes indies magis magisque podagræ dolores, accepta a Chriſtina Sueciæ Regina dimiſſione, militiæ præfectura ſe abdicat, qua per quadriennium fere, multa cum laufuerat defunctus. Ei, a Regina, & Regni Sueciæ Adminiſtratoribus, ſucceſſor datus eſt *Carolus Guſtavus Wrangelius*, qui, educto e Bohemia exercitu, captisque in Thuringia hibernis, initio veris, Viſurgim verſus contendit, eoq; transmiſſo, varia in Weſtphalia loca occupavit. Inde firmatis in Haſſia rebus, Franconiam, Sueviamque pervaſit, ad Helvetios usque penetrans.

Interim, *Comes Bucheimius*, ex Hungaria reverſus, *Kremſium*, atque alia ad Danubium loca,

quæ Torſtenſonius ceperat, pari felicitate recuperavit.

1647.

Wrangelius, faucibus Brigantinis, & dein *Menavia* Inſula, quæ in lacu Acronio ſita, occupatis, mox quoque ad obſidendam *Lindaviam*, etſi media hyeme, animum adjicit, quam tamen urbem, poſt duorum menſium irritam oppugnationem, iterum deſeruit. Dehinc transmiſſo rurſum Danubio, in Franconiam concedens, *Sweinfurtum* expugnat. Inde in Bohemiam movet, atque in ipſo Cæſareani exercitus conſpectu, *Egram*, quamvis difficili & cruenta obſidione, in poteſtatem redigit, quam *Paradeiſerus* non ſegniter fuerat tutatus. Cæterum, ne porro progrederetur, Cæſar, quicquid uſpiam virium ſupererat, contrahens, omne id, ipſe præſens in caſtris hoſti objicit, novumque Ducem, in defuncti Gallaſſii locum, *Melandrum*, communiter *Holzapffel* dictum, declarat, qui prius Circuli Weſtphalici copiis, Electoris Colonienſis nomine præerat.

1648.

Wrangelius, in agro Brunſuicenſi refectis per hyemem militibus, necdum ineunte vere, per Haſſiam, in Franconiam ac Palatinatum contendit. Vbi recepto ad ſe cum ſeptem millibus *Turenio*, apud Lavingam Danubium transmittit. Inde, in poſtremum Cæſareanorum agmen, qui, haud procul Auguſta, procedebant, invectus, feliciter pugnavit. Cæſareani, cunctantibus Bavaricis, in fugam compulſi ſunt, *Melander* Dux,

initio

initio prælii laborantibus ſuis accurrens, duobus vulneribus confoditur, atque Auguſtam deportatus, eodem die animam exhalat. Ejus caſu perculſus exercitus, transmiſſo propere Lyco, in interiorem Bavariam receſſit. Sic Wrangelius, eodem prope loco, quo Rex Guſtavus Adolphus, fluvium tranſit. Inde expugnata *Friſinga*, & ſuperato Iſara, tota prope intra Oenum Bavaria, potitur.

Melandro, Cæſar, *Octavium Picolomineum, Ducem Amalfitanum*, in præfectura exercitus ſubſtituit, qui, cum auxiliis Bohemicis, & *Johanne de Werdt*, in Bavariam profectus, collatis contra caſtris, licentiam hoſtium ſua virtute ac vigilantia brevi compeſcuit.

Königsmarckius, in ſuperiorem Palatinatum regreſſus, varia ibi loca atque arces, nullo impediente, occupat. Inde in vicinam Bohemiam excurrens, *Glattaviam*, & *Falckenaviam* in poteſtatem redigit. Cum autem potiſſimas Cæſaris vires in Bavariam dimiſſas eſſe, & Pragam haud magno præſidio teneri, a *Petro Odowalskio de Streitberg*, Vicecenturione quondam Cæſareo, cognoviſſet, eo hortatore, ad *Pragam* capiendam animum appulit. Igitur die XXVI. Julii, præter omnium opinionem, illam partem, quam Parvam Vrbem vocant, ſummo mane aggreditur, & priusquam præſidiarii ad arma concurrerent, occupatis præcipuis ſtationibus, uno impetu expugnat. *Comes Coloredius*, præſidii Præfectus, cum jam domus ab hoſtibus obſideretur, ægre per porticum, & pontem, in Veterem Vrbem

evaſit; in quam cum perveniſſet, omnia ſubito tumultu ac ſtrepitu perturbata deprehendit. Sed mox excuſſo terrore, expediri arma, aditusq; Veteris, & Novæ Vrbis, una cum ripa Muldaviæ, quatenus hoſti objecta erat, diligenter obſervari jubet. Sic rebus omnibus probe diſpoſitis, omnes Suecorum conatus irriti fuerunt, etſi Königsmarkio, non *Wittenbergius* tantum, e Sileſia, ſed & *Carolus Guſtavus Comes Palatinus*, & Suedicæ militiæ ſupremus Imperator, cum novo e Suecia ſupplemento, ſuppetias tulere. Protracta usque ad initium Novembris obſidio, tandem, nuncio concluſæ pacis, tollitur, atque ſic in eodem loco, ubi ante xxx. annos bellum cœperat, idem quoque finem invenit; quod non ſine providentia Numinis eveniſſe, credere rationis eſt. Scilicet, menſis Octobris die xxiv. quod tot omnium Germanorum votis ac ſuſpiriis expetitum fuerat, denique de *Pace*, *Monaſterii*, poſt longam & difficilem tractationem, convenit. Mox, ad omnes exercituum Præfectos, nuncii de ea miſſi ſunt, juſſumque, ut ab armis abſtinerent.

Capita præcipua Pacificationis fuerunt, ut omnium toto bello, hinc inde actorum induceretur amneſtia. Vt præter Romano Catholicam, Lutheranam, & Reformatam Religiones, nulla alia in Imperio toleretur. Quicquid juris & beneficii, pax religionis Auguſtanæ Confeſſioni addictis tribuit, id quoq; iis, qui inter illos Reformati vocantur, competere debet. Terminus a quo reſtitutionis in Eccleſiaſticis, & quæ intuitu eorum in Politicis

iticis immutata ſunt, conſtituta dies prima Januarii Anni 1624. Reſervatum Eccleſiaſticum productum eſt ad Epiſcopos Lutheranos. Introductus eſt Palatini in gratiam, & cui inferior Palatinatus redditus fuit, Octavus Electoratus. Suecis conceſſa Pomerania citerior, una cum Inſula Rugia, & e Pomerania ulteriore Stetinum, Gartz, Dam, Golnau, & Inſula Wollin, una cum interlabente Odera, ejusque oſtiis. Porro, portus Wismarienſis, una cum fortalitio Walfiſch, & aliquot Præfecturis, itemque Archiepiſcopatus Bremenſis, & Epiſcopatus Verdenſis, cum Præfectura Wilshauſen, iis tributi. Electori Brandenburgico, Epiſcopatus Halberſtadienſis & Mindenſis, ac exſpectantia in Archiepiſcopatum Magdeburgenſem, in caſum mortis Auguſti, Saxoniæ Ducis, Adminiſtratoris, ceſſerunt. Duci Megapolitano, ob ademtionem civitatis portusq; Wismarienſis, obtigere Epiſcopatus Suerinenſis, & Razenburgenſis. In Epiſcopatu Osnabrugenſi alternatio invecta, inter Catholicos, & poſtulandos Auguſtanæ Confeſſionis familiæ Brunſuicenſis Epiſcopos, continuanda. Landgrafii Haſſiæ Lineæ Caſſellanæ, acceperunt Abbatiam Hirschfeldenſem, itemque jus directi & utilis dominii in Præfecturas Schaumburg, Buckenburg, Saxenhagen & Statthagen. Deniqne Galliæ Rex retulit Briſacum, Landgrafiatum Superioris Inferiorisque Alſatiæ, Suntgoviam, & Præfecturam x. Civitatum Imperii, quæ in Alſatia ſitæ ſunt.

1649.

Noribergæ, Conventus, eorum quæ ad pacificationis Germanicæ conſummationem pertinebant, cauſa, inſtituitur, & deinde quomodocunque quiete ſua frui cœpit Germania. Ea, ut Imperatori pro benigne in reducenda pace præſtita opera, gratiam referret, A. 1653. filium ejus *Ferdinandum IV.* Regem Romanorum declaravit: quo illum honore, mors anno vertente privavit, cœlica corona beandum. Atque hæc quoq; Ferdinandum Patrem manſit A. 1657. annos natum 49. cum annis 20. Imperio præfuiſſet.

Conjuges Ferdinandus habuit tres: Primam MARIAM ANNAM, Philippi III. Hispaniarum Regis filiam. Hæc peperit *Ferdinandum*, Regem Romanum: *Mariam Annam*, Philippo IV. Hispaniæ Regi nuptam: & *Leopoldum*, nunc, ac utinam in ſeros annos, Imperatorem Auguſtum. Altera fuit MARIA LEOPOLDINA, Leopoldi Archiducis Tirolenſis filia, quæ fatali partu edidit *Carolum Joſephum*, Paſſavienſem & Olmutienſem Epiſcopum, ac Magnum Magiſtrum Ordinis Teutonici. Sed brevis fati. Tertiam duxit ELEONORAM GONZAGAM, Caroli II. Ducis Mantuæ filiam, e qua, præter immatura ætate extinctos, ſuſcepit *Eleonoram Mariam Joſepham*, nuptam Michaëli Wisniowizkio Poloniæ Regi, atque poſt illius exceſſum Carolo Leopoldo Lotharingiæ Duci nunc viduam. Suſcepit item *Mariam Annam Joſepham*, Johannis Wilhelmi Comitis Palatini Rheni thori quondam ſociam.

LEO-

LEOPOLDVS.

Leopoldvs, Patri ſucceſſit A. 1658. Pius, Bonus, Juſtus, Felix, & Deo, cujus vices in terris obit, ſimillimus Princeps. Quo, quia digna mihi non contingit oratio, intra ſilentium me tenebo, modo rite illi prius, *vitam prolixam, Imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem populum probum, Orbem quietum, & quæcunque hominis, & Cæſaris vota ſunt*, precatus fuero, veteri quidem, ſed omnium Imperii civium, quibus aliquis probatis ſenſus ineſt, familiari, ac quotidiana formula.

IMPERATORES ORIENTIS.

MVHAMMEDES III.

Mvhammedes III. Aumuratis III. filius, ſub primordia regiminis, fratres 21. trucidare, 10. prægnantes patris concubinas, in mare abjicere juſſit. Bellum Hungaricum, maximo apparatu, ipſe expeditionem ſuſcipiens, inſtruxit, & *Agriam* occupavit, *Filium* dilectiſſimum, quia mater de ejus fato anxia, ex Mathematico ſciſcitata erat, nunquid Patri in Imperio ſucceſſurus eſſet, in conſpectu Matris ſtrangulare præcepit, ipſaque cum 14. hominibus in mare fuit præcipitata. Tam obeſo erat corpore, ut præ abdomine vix pedibus inſiſtere poſſet. Peſte correptus, mortuus eſt ætatis anno 39. relicto ſucceſſore filio *Achmete* minorenni, quod hactenus in familia Ottomannica nondum contigerat. Huic tutorem dedit Ali Baſſam Vezirium.

ACH-

ACHMETES.

Achmetes, Muhammedis III. filius, patri ſucceſſit annos natus 15. Is *Fratrem* unicum, in Monaſterium detruſum vivere permiſit, inuſitata fere clementia. Per Baſſam *Cigalam* in Perſia, parum ex voto res geſſit. Transſylvaniam vero, Walachiam, & Moldaviam, per *Botſcayum*, qui contra Matthiam Imperatorem Germanicum rebellaverat, recepit, & *Bethlemo Gaborio*, contra *Bathorium* favit. Tandem in bello adverſus Perſas, & Coſacos infelix, cum majoribus viribus rem geſturus eſſet, obiit A. 1617. ætatis anno 30. imperii 14.

MVSTAPHA.

Mvstapha, Muhammedis III. filius, e carcere a Janizariis extractus, fratri Achmeti ſuccedit, qui ſtatim tres e fratre nepotes, ſolo *Osmanno* relicto, e medio ſuſtulit. Homo vecors fuit, ac ſtolidus, & tantæ moli regendæ impar: itaque poſt trimeſtre, carceri priſtino iterum fuit mancipatus.

OSMAN.

Osman, Achmetis filius, dejecto patruo, in thronum evehitur, fervidiſſimi ingenii adoleſcens. Pace cum Perſis facta, exercitu 400000. militum inſtructus A. 1621. irrupit in Poloniam, ſed, cum magna clade rejectus fuit. Ad centum millia enim Turcarum, variis in præliis cæſa ſunt; totidem aliis caſibus extincta. Igitur deſperatis rebus, pacem offert æquis conditionibus. Cæterum, cladium acceptarum culpam,

in mi-

n milites prætorianos, quorum ſeditionibus aſſidue vexatus fuerat, conjiciens, de iis exauctorandis, & Imperii ſede, prætextu Mechanæ peregrinationis, *Damaſcum* in Syriam transferenda, conſilium iniit. Id cum prætorianis ſuboluiſſet, Imperii inſignibus exuitur, miſerandoque per Conſtantinopolin ſpectaculo, in equo ductus, ſtrangulatur, A. 1622.

Sic Imperium rurſus adeptus MVSTAPHA, ſed, ut mox iterum dejiceretur. Nam, cum ob diuturnum carcerem, mentis non ſatis compos eſſet, milites ejus reſtituti pœnitere cœpit. Igitur in priſtinam ſortem & carcerem, retruſus eſt.

AMVRATES IV.

AMVRATES IV. Osmanis frater A. 1623. imperare cœpit. Is contra Perſas, Arabes, Polonos, Coſacosq; male res geſſit, & obiit A. 1640. ex nimio potu.

IBRAHIMVS.

IBRAHIMVS, Achmetis filius, Osmanis, & Amuratis frater, ſuccedit. Ei A. 1664. Melitenſes adimunt triremes aliquas, in quibus Concubina illius, una cum filio vehebatur. Hinc concipiens odium adverſus Chriſtianos Ibrahimus, Venetis bellum infert, & *Candiam* invadens, A. 1645. *Caneam* & *Retimum* in poteſtatem redegit. Poſtremo, ob voluptates, Imperii neglectum, aliaque vitia A. 1649. ſtrangulatus eſt, Muhammede IV. filio ſurrogato.

PON-

PONTIFICES ROMANI.

LEO XI.

LEo XI. ex *Mediceorum* familia, prius Alexander dictus, non niſi xxv. dies ſedit. *Brunonem*, Carthuſianorum Patriarcham, inter Sanctos cœlites retulit. In ejus coronatione, arcui triumphali inſcriptum fuiſſe: *Dignus eſt Leo in virtute Agni, accipere librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus*; multos offendit.

PAVLVS V.

PAVLVS V. ante dictus, *Camillus Burgeſius*, A. 1605. ſciſſo per factiones Cardinalium Collegio, Papa eligitur, plerisque mirantibus, & occulte indignantibus. Libri multi, Bononiæ & Neapoli excuſi, ei dicati fuere, hoc præfixo elogio: *Paulo V. Vice-Deo, Chriſtianæ Reipublicæ Monarchæ invictiſſimo, Pontificiæ omnipotentiæ Conſervatori acerrimo.* Obſervatum, verbis: PaVLo V. VICe Deo, ineſſe numerum myſticum 666. Cæterum, Paulus, *Bartholomæum Burgeſium*, qui ſe filium nothum illius prædicabat, Lutetiæ ſtrangulari, & comburi curavit. *Venetos*, qui edixerant, ne Templa & Monaſteria de novo, ſine conſenſu Ducis & Senatus ædificarentur, item, ne bona immobilia in Clericos transferrentur, quodque Eccleſiaſticos ſuæ jurisdictioni ſubjiciebant, neque *Brixianum* Monachum Auguſtin. undecennis virginis ſtupratorem, *Scipionem Saracenum*, monachum, cognatæ matronæ ſtupri intentati reum, *Brandolinumq; Valdemarum*, Nerverſi-

verſiani cœnobii antiſtitem, veneficii, inc ſtus, & magiæ convictum, ſibi tradebant, ſed ipſi debitas pœnas de illis ſumebant, excommunicavit. *Leonhardus Donatus* Dux, Pontificiam Bullam alio decreto repulit, diſceſſeruntque Jeſuitæ e Veneta ditione. Variis tum, & aculeatis ſcriptis, utrinque certatum fuit, *Bellarmino, Baronio*, atque *Columna*, pro Papa, *Franciſco Paulo Servita*, *Johanne Marſilio*, & aliis, pro Venetis dimicantibus. Hæc jurgia A. 1607. interventu Henrici IV. Galliæ Regis ſopita ſunt, ſed Jeſuitæ, ne quidem poſt compoſitionem admiſſi fuere. Paulus, Pacis etiam Columnam erexit, in Exquilini montis area, ante S. Mariæ Majoris Baſilicam. Obiit A. 1621. ætatis 69. cum ſediſſet annos 16

GEORGIVS XV.

Georgius XV. olim Alexander Ludoviſius, *Ignatium Lojolam, Philippum Nerium, Thereſiam*, & *Franciſcum Xaverium*, Catalogo Sanctorum adſcripſit. Ferdinando II. Cæſari, ob Fridericum Palatinum e regno Bohemiæ ejectum, gratulatus eſt, eique in ſubſidium duas Legiones, quibus *Petrus Aldobrandinus* præfectus erat, miſit. Bibliothecam Heidelbergenſem, a Maximiliano Bavaro Duce, Palatinatus victore, dono accepit. Graviter tulit, quod Venetii Græcis Schismaticis, in urbe templum conceſſiſſent. Sed ii reſpondebant, permitti Romæ, ut fœno & avena templa oppleantur; melius vero, ea Chriſtianis, ad cultum divinum concedi. Præfuit Eccleſiæ Romanæ 2. annos.

VR.

VRBANVS VIII.

VRBANVS VIII, olim *Maffeus Barberinus*, Florentinus, pollebat eruditione, ſcripſitque Hymnos, Paraphraſes aliquot Pſalmorum & Canticorum Veteris Teſtamenti, ac Poëmata alia Latine & Italice. Itaque ferre non potuit Hymnos, qui in Eccleſia Romana canebantur, vitiis adverſus Grammatices, & Proſodiæ leges interdum laborare, ac proinde, ceu ipſe, in decreto, quod Breviarii recentibus editionibus præfigitur, profeſſus eſt, ne quid in Pſalmodia porro occurreret, quod pſallentium animos, Deo, ac divinis rebus, ut convenit, attentos, avocare alio ac diſtrahere poſſit, juſſu ejus aliquot eruditi, & ſapientes viri, ſuam ſerio curam contulerunt, eorumque diligentia, Hymni veteres, vel emendatioribus codicibus adhibitis, vel aliqua facta mutatione, ad carminis & latinitatis leges, ubi fieri potuit, revocati, ubi vero non potuit, de integro conditi ſunt, eadem tamen, quoad licuit, ſervata ſententia. Idem Pontifex, titulum *Eminentiſſimus*, Cardinalium proprium eſſe voluit: *Jeſuitiſſarum* ordinem ſuppreſſit: *Vrbini Ducatum*, tanquam feudum apertum, Eccleſiæ Romanæ vindicavit. Sub eo lis in Gallia exorta, quia Jeſuitæ, e Calendario S. Germani nomine eraſo, S. Ignatii nomen ſubſtituerant, quod aliis intolerabile viſum. Decrevit ergo Vrbanus, ſi ſimul ſtare non poſſent, exſpectaret Ignatius annum bisſextilem, & diem intercalarem ſibi haberet. Deceſſit A. C. 1644. Sedis 21.

INNO-

INNOCENTIVS X.

Innocentius X. prius *Joh. Baptiſta Pamphilius* dictus, ſolemni Bulla pacem Germaniæ irritam declaravit, ob Bonorum Eccleſiaſticorum, ad eam conciliandam, factam alienationem. *Ducem Parmæ* Caſtrenſi exuit Ducatu. *Cornelii Janſenii*, Epiſcopi Iprenſis de Gratia & libero arbitrio opinionem, late graſſantem, damnavit. Olympia Maidalchini, Pamphilii fratris ejus vidua, magna illius fruebatur gratia, & multa ex arbitrio gerebat. Offendit ea γυναικοκρατία Eccleſiæ, multorum etiam Romano-Catholicorum animos, nec temperarunt ſibi, quo minus aculeata mordacitate illam perſtringerent. Quod & fecit Guido Patinus in quadam Epiſtola, quæ eſt inter excuſas ſeptimo numero: *La Signora Olympia, Belle-ſœur du Pape, & qui luy gouuerne le Papat. On dit qu'elle vend tout, prend tout, & reçoit tout. Elle eſt deuenüe auſſi bien que les Avocats*, un animal qui prend à droit & à gauche: *ce qui a fait dire un bon mot à Pasquin*, Olympia, olim pia, nunc harpyja. *Et comme cette femme eſt en credit, j'ay peur qu'on ne nous débite encore quelque jubilation ſpirituelle, comme ſi elle auoit parlé au S. Eſprit.* Sedit Innocentius annos 11. ac A. C. 1655. diem obiit ſupremum.

ALEXANDER VII.

Alexander VII. cui olim *Fabius Chiſius* nomen, Senenſis, natus eſt patre *Flavio Chiſio*, & matre *Laura Marſilia*, ac Muhammedem Turcarum Imperatorem quinto cognationis gradu

contingebat. Is, Venetos, ut Jeſuitas reciperent, pecunia contra Turcas juvit: Romam ædificiis ornavit: *Ludovicum XIV.* Galliæ Regem, ob Legatum a Corſis violatum, commotionem, miſſo ad culpam deprecandam Flavio *Chiſio* Cardinale nepote, erecta in facti abominationem pyramide, & Corſis Roma pulſis, placavit: *Thomam Villanovanum,* & *Franciſcum Saleſium*, in Sanctorum Catalogum retulit. Obiit A.C. 1667. cum ſediſſet annos 12.

VIRI DOCTI.

Ne nos Eruditorum hujus Seculi penitus obruat nimietas, illum modum ſervabimus, ut eos tantum recenſeamus, quos Schraderi Tabularum Chronologicarum nova editio nobis nominat: unde, ſi in aliquorum, qui omnino afferendi erant omiſſione, aut ordine etiam, peccabimus, alienum hoc vitium cenſeri debet, non noſtrum.

JOSEPHUS JUSTUS SCALIGER.

Joſephus Juſtus Scaliger, Aginni, A. 1540. in lucem fuit editus. Genus ſuum, ſic ipſe ediſſerit, ſub Canonum Iſagogicorum finem: *Joſephus Juſtus Scaliger, Julii Cæſaris cognomento a Burden filius, Benedicti nepos, Nicolai pronepos, Guilielmi cognomento Groſſi abnepos, Canis II. cognomento Facini adnepos &c. explicui hos Canones.* Tabulam quoque Genealogicam exhibet Micrælius in Syntagm. Hiſtor. p. 642. Studiis primo Burdegalæ incubuit. Poſtea, Patrem habuit præceptorem, Græcam vero linguam Lutetiæ, ab *Hadriano Turnebo* addidicit, Homerum totum 21. die-

diebus memoriæ mandans. Evaſit ſic Philologus, Philoſophus, Theologus, Juriſconſultus, & Medicus ſummus: unde a nonuullis *Eruditorum Phœnix* dictus eſt. Daniel Heinſius, veriſſimis elogiis, *abyſſum eruditionis*; *ſcientiarum mare*; *Solem doctorum*; *divini patris, divinam ſobolem*; *genus Deorum*; *perpetuum literarum Dictatorem*; *maximum naturæ opus & miraculum*; *extremum ejus conatum*, illum vocavit. Scripſit Notas in Varronem, Auſonium, & alia multa. Imprimis de Chronologia, ſupra quam dici poteſt, præclare meritus eſt, libris de Emendatione temporum, & Canonibus Iſagogicis, una cum Theſauro temporum, in lucem emiſſis. In Academiam Lugduno Batavam evocatus, ibi 16. annos extra ordinem docuit, obiitq; A. C. 1609. ætatis 63. cum uberrimis lacrymis deploraſſet nimiam vivacitatem ſuam, quæ ad ea usque tempora duraſſet, quibus in dubium vocaretur meritum & ſatisfactio Jeſu Chriſti, quem ſe propediem viſurum eſſe confidebat, ſedentem ad dextram Patris Omnipotentis.

ISAACVS CASAVBONVS.

Iſaacus Caſaubonus, Joſephi Scaligeri amiciſſimus, quem tamen, ſi Guidoni Patino in epiſt. 136. credimus, nunquam oculis ſuis vidit, Delphinas, primo Genevenſis Profeſſor, poſt Lutetiæ Regis Bibliothecarius, tandem Regis Britanniæ Conſiliarius factus eſt. Eruditione Græca, Notis in Athenæum, Exercitationibus contra Baronium, Commentariis in Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ, Polybium, Diogenem Laërtium, aliisque præclari ingenii monumentis, immor-

talem gloriam ſibi paravit. Id vulgo litigant, num nomen Caſaubonus penultima producta, an correpta enunciandum ſit. Bonum Factum! Hujus controverſiæ, ut tandem finem liquido accipiat, & ut certare invicem Critici deſinant, arbitros do ipſos Caſauboni Manes, hoc eſt, Epitaphium quo Sepulchrum ejus Londini, in ſummo Weſtmonaſterienſi templo ornatur, quod in hunc finem mihi deſcripſi:

ISAACVS CASAVBONVS.
(O Doctiorum quicquid eſt aſſurgite,
Huic tam colendo Numini.)
Quem Gallia Reipubl. Literariæ bono
peperit, Henricus IV. Francorum Rex
Invictiſſimus Lutetiam literis ſuis
evocatum Bibliothecæ ſuæ præfecit,
charumq; deinceps dum vixit, habuit,
eoque terris erepto Jacobus Mag. Brit.
monarcha; Regum doctiſſimus, doctis
indulgentiſſ. in Angliam accivit,
mirifice fovit, poſteritasq; ob
doctrinam æternum mirabitur
H. S. E. invidia major.
Obiit æternam in XPO vitam anhelans
Kal, Jul. MDCXI *V. æt.* LV.
Viro Optimo immortalitate digniſſ.
Th. Mortonus Ep. Dunelm.
jucundiſſimæ quoad frui
licuit conſuetudinis
memor PR. S. P. CV.
MDCXXXIV.

Qui noſſe vult Caſaubonum,
Non ſaxa, ſed chartas legat,
Superfuturas marmori,
Et profuturas poſteris.

JANVS DRVSIVS.

Janus Druſius, Aldenardenſis, A. 1550. in lucem fuit editus, ejusque uſura privatus eſt A. 1616. Scripſit Notas in Siracidem; Commentarium in loca difficiliora Pentateuchi; Obſervationes ſacras; Quæſita per Epiſtolas, cum aliis.

PAVLVS MERVLA.

Paulus Merula Dordracenus, JC. obiit 1607. Hiſtoriam Romanam Lugduni Batavorum profeſſus eſt, Lipſii ſucceſſor factus. Condidit Coſmographiam, opus multi laboris & eruditionis.

JANVS DOVSA.

Janus Douſa, Nordvicus, urbis Lugduni Batavorum præfectus, in memorabili illa Hiſpanorum A. 1575. obſidione, operam ſtrenue navavit, & condendæ ibi Academiæ, Guilielmo Arauſionenſi Principi autor fuit, in qua primus Rectoratu defunctus eſt. Mortuum, Joſephus Scaliger laudavit. Fuit inſignis Poëta, & Annales Patriæ conſcripſit.

JANVS DOVSA FILIVS.

Janus Douſa Filius, clarum quoque nomen, æque ac pater, meruit. De utroque ſcripſit Grotius lib. 5. Hiſtor. *Douzæ genus geſtique honores, & toleratum Lugduni obſidium, apud poſteros gloria carminum prementur: in queis tamen ejusdem nominis filius præcellit: idem patri Annalibus Hollandiæ condendis ſocius, & par majoribus meditamentis, ni mors immatura, juvenem ſummæ eruditorum expectationi abſtuliſſet.*

DOMINICVS BAVDIVS.

Dominicus Baudius, Inſulenſis, Flander, Hiſtoricus & Poëta. Primo Theologiæ operam dedit, mox, juris ſtudioſe mancipans, poſt menſes 15. Doctor creatus eſt. Lugduni docuit Eloquentiam. Scripſit Poëmata, & Orationes, Item libros 3. de Induciis Belli Belgici.

FRANCISCVS JVNIVS.

Franciſcus Junius, Biturigibus nobili genere A. 1545. natus, Theologiam primum Heidelbergæ, deinde Lugduni Batavorum docuit. Compoſuit plurima quæ tomis duobus prodierunt. Obiit A. 1602. ex peſte, Thuanus l. 127. refert, Junium Lugduno Altdorfium evocatum fuiſſe, quod negat Voſſius, exiſtimans, Thuanum acta Donelli, cum actis Junii confudiſſe.

SIXTINVS AMAMA.

Sixtinus Amama, Friſius, Franeckeranus Profeſſor, ſcripſit Animadverſiones in Vulgatam Bibliorum editionem Latinam; Antibarbarum Biblicum; Grammaticam Hebraicam.

THOMAS ERPENIVS.

Thomas Erpenius A. 1624. diem obiit ſupremum. Mortuum laudavit G. J. Voſſius. Edidit Grammaticam Arabicam, Proverbia Arabica, Locmanni fabulas, Elmacini Hiſtoriam Saracenicam.

SCIPIO GENTILIS.

Scipio Gentilis, JC. A. 1563. natus eſt Geneſii, quod Agri Piceni Caſtellum eſt, Apud nos hic

hic loci in Juris Profeſſione, Petro Weſenbecio, Antuerpiano, qui, a Saxoniæ Ducibus Coburgum evocatus fuerat, ſucceſſit. Extant illius libri de Jurisdictione : de Donatione inter virum & uxorem : de Alimentis: item Commentarius in Apuleji Apologiam, & Parergorum libri 2. Deceſſit A. 1616.

CONRADVS RITTERSHVSIVS.

Conradus Rittershuſius, non hujus tantum Academiæ, ſed & univerſæ Germaniæ illuſtre decus, ac columen literarum, natus eſt Brunſuigæ A. 1560. Præter Commentarios in Oppianum, Salvianum, Güntherum, Phædrum &c. ſcripſit Partitiones Juris Feudalis, Conſilia Altdorfina, Dodecadelton, ſive Commentarium in leges XII. Tabellarum; Differentiarum Juris Civilis & Canonici libros VII. Commentarium in Juſtinianeas Inſtitutiones, & de Diverſis Regulis Juis antiqui. Mortuus eſt A. 1613.

JOHANNES MEVRSIVS.

Johannes Meurſius, Lugduno Batavus, primo Lugduni literas elegantiores docuit; inde Soram migravit, & Regis Daniæ Hiſtoriographus factus eſt. Autores Græcos plurimos edidit, quos aut Latine vertit, aut notis illuſtravit: uti Conſtantinum Porphyrogennetam, Lycophronem, Palladium, &c. De Athenienſium rebus imprimis bene mereri voluit, evulgando Regnum Atticum, Archontes, Areopagum &c. Extant inſuper ejus Lexicon Græco barbarum, Orcheſtra, Græcia ludibunda, alia,

OBERTVS GIFANIVS.

Obertus Gifanius, Burenſis Batavus, JC. natus eſt A. 1534. obiit Pragæ A. 1609. ſeptuagenario major. Argentorati Philoſophiam, hic apud nos Altdorfii, & Ingolſtadii, jurisprudentiam docuit. Tandem Rudolphus II. Imp. eum ad ſe vocavit, & inter Conſiliarios adſcivit. Reliquit Commentarium in Ethicam & Politicam Ariſtotelis: Commentarium in Lucretium; Obſervationes Linguæ Latinæ; Commentarium in Inſtitutiones Juris; Antinomias Juris Civilis & Feudalis. Cum a Proteſtantium Eccleſia ad Romanam tranſitum feciſſet, uxor ejus *Anna Margareta*, Johannis Marbachii Theologi filia, conſtans in religione, paulo poſt diem obiit ſupremum.

PHILIPPVS CAMERARIVS.

Philippus Camerarius, JC. Joachimi filius, Reipubl. Noribergenſis Conſiliarius, natus eſt A. 1537. obiit an. 1624. ætatis 87. Hunc Romæ vinculis Inquiſitionis irretitum, Imperator, & Albertus Dux Bavariæ liberarunt. Dedit nobis Horarum Succiſivarum Centurias tres.

JAC. AVGVSTVS THVANVS.

Jac. Auguſtus Thuanus, Chriſtophori filius, Pariſienſis, Supremæ Curiæ ibidem Præſes, ſuæ ætatis hiſtoriam, ab anno nimirum 1543. usque ad annum 1607: libris 138. ſummo judicio & fide, eleganter compoſuit, nihil odio & gratiæ tribuens: opus, & ſtyli elegantia, & graviſſimarum rerum copia, cum quibusvis veterum, in eo

genere

genere ſcriptis, conferendum. Ob moderationem, qua res Romanæ religioni minime addictorum recenſuit, multorum odium incurrit, qua de re extat prolixum carmen in lib. 5. de vita ejus, ab Amico, ſub illius perſona ſcriptum, quod incipit:

Libertatis ego nimium, veriq; quod acer
Aſſertor fuerim, vitiorumque horridus oſor,
Et Romæ, & noſtra paſſim traducor in Aula.

Sed & filius ejus, ob hanc cauſam ſupplicium luit, Patino indice epiſt. 170. verbis dignis quæ noscentur. *L' hiſtoire de Mr. le Preſident de Thou eſt belle, & plus que belle: mais elle déplût ſi fort au Cardinal de Richelieu, qu'il en fit perdre la vie au fils aîné de l' Auteur qui étoit fort honnête homme & cela pour un paſſage d' Antoine du Pleſſis de Richelieu, qui eſt dans le I. Tome ſous François II. l' an 1560. aprés qu'il a parlé de la conſpiration d'Amboiſe, où fut tué la Renaudie, qui en étoit le chef & qui par ſa faute fût lui-même la cauſe de ſon malheur, & de pluſieurs autres. Ce paſſage commence ainſi:* Antonius Richelius vulgo dictus Monachus &c.

MARQVARDVS FREHERVS.

Marquardus Freherus, JC. & Philologus, quem Caſaubonus Germaniæ ocellum vocavit. Berneggerus de eo ſcripſit: Malorum hominum, & fungorum, quivis annus ferax eſt: ſingulos Freheros vix ſingula ſecula, & forte nulla deinceps ſecula ferent. Reliquit libros Parergon, Origines Palatinas, librum de Electoratu Palatino ad Gewoldum, cum aliis.

DIONYSIVS GOTHOFREDVS.

Dionyſius Gothofredus, Pariſienſis, JC. natus eſt A. 1549. obiit A. 1622. primo Genevæ, deinde Argentorati, denique Heidelbergæ jurisprudentiam docuit. Palatinatu, ob belli calamitates, excedere coactus, Argentoratum rediit. In ultima ſenecta memoriam adeo tenacem habuit, ut optimorum Autorum loca expeditiſſime recitaret. Corpus Juris recenſuit, ac maximo omnium applauſu edidit. Filios reliquit Theodorum, & Jacobum, quibus ſimiliter a literis clarum nomen.

JANVS GRVTERVS.

Janus Gruterus, Antuerpiæ A. 1560. natus eſt. Heidelbergæ literas humaniores docuit, & Bibliothecæ præfuit. Senecam, Salluſtium, Tacitum, pluresq; alios Autores priſtino nitori reſtituit. Multorum Criticorum Scripta collegit, & in VI. Tomos digeſſit, quibus *Lampadis Criticæ* nomen fecit. Poëtas Germanos, Italos, Gallos, Belgas, itidem collegit, & ſub *Ranutii Gheri* nomine, titulo *Delitiarum* edidit. Ingens illud Opus *Inſciptionnm Romanarum*, a Smetio inchoatum, feliciter abſolvit.

SETHVS CALVISIVS.

Sethus Calviſius, natus eſt A. 1556. obiit A. 1615. Condidit Opus Chronologicum, de quo Joſephus Scaliger in ep. 308. tale tulit judicium: *Vivet, vivet opus hoc, ſacrarium temporum, ſcrinium æternitatis, perpetuorum faſtorum conditorium. Jam deſitum eſt in Chronologia nugari. Nihil in eo ineptum,*

eptum, nihil futile- Omnia plana, perſpicua, ita inter ſe apta, ut ultima a primis pendeant, media utrisq; hæreant.

PHILIPPVS SCHERBIVS.

Philippus Scherbius, Epiſcopocellenſis, Helvetius, hic Altdorfii Medicinam & Philoſophiam docuit. Extant ejus Theſes Philoſophicæ, & Commentarius in Politicam Ariſtotelis. E vita exceſſit A. 1605.

CORNELIVS MARTINI.

Cornelius Martini, in Helmſtadienſi Academia Philoſophiam docuit, reliquitque Metaphyſicam, & Analyſin Logicam.

MICHAEL PICCARTVS.

Michaël Piccartus, fuit Altdorfinus, atque in Patria Philoſophiam docuit. Scripſit Commentarium in Politicam Ariſtotelis; Obſervationes Hiſtorico-Politicas; Orationes; Pericula Critica. Oppianum de Venatione, Latino carmine expreſſit.

MARTINVS OPITIVS.

Martinus Opitius, Germanæ fidicen lyræ, natus eſt in Bunzlau, Sileſiæ oppido, ad Boberam amnem, exceſſit e vita A. 1639. Primus poëſin Germanicam ad artem & venuſtatem redegit. Carmina, & opera alia, duos tomos, formæ, quam vocant, octavæ, implent.

LVCAS OSIANDER.

Lucas Oſiander, Tubingenſis Theologus, dedit nobis Commentarium in univerſa Biblia, item

item Epitomen Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Synopſin Controverſiarum. Fuit *Andreæ* filius, qui, Norībergæ in Laurentiano templo, cum Eccleſiaſtæ officio aliquandiu functus eſſet, abiit deinde in Boruſſiam, ibique ſpargere cœpit novum, & a ſana doctrina alienum dogma, quod ſupra p. 618. memoravimus.

POLYCARPUS LYSERUS.

Polycarpus Lyſerus, celebris Theologus, compoſuit 3. libros Harmoniæ Evangelicæ, item Commentarium in Geneſin.

ÆGIDIUS HUNNIUS.

Ægidius Hunnius, Marpurgi, & Witebergæ Theologiam docuit. Interfuit A. 1602. Colloquio Ratisbonenſi. Scripſit de Prædeſtinatione, Indulgentiis, &c. Gerhardus eum omnibus recentioribus Theologis præferendum judicabat. Deceſſit A. 1603.

NICOLAUS HUNNIUS.

Nicolaus Hunnius, Ægidii filius, Marpurgenſis, natus eſt A. 1587. & obiit A. 1643. Witebergæ Theologiam docuit, poſtea, Superintendens Lubecenſis evaſit. Scripſit Demonſtrationem Miniſterii Lutherani; Tractatum de univerſalitate meriti Chriſti; Disputationes Antiphotinianas, & plura alia.

JOHANNES GERHARDUS.

Johannes Gerhardus, Quedlinburgenſis, Jenæ Theologiam cum ſumma laude profeſſus eſt, & nonnullis *Archtheologus* dicitur. Theologiam enim

enim totam Tomis IX. Locorum Communium, inſigni perſpicuitate comprehendit. *Compoſuit* quoq; Confeſſionem Catholicam, Harmoniam IV. Evangeliſtarum &c. Mortuus eſt A. 1637.

FRIDERICVS BALDVINVS.

Fridericus Balduinus, Dresdenſis, Witebergæ profeſſione Theologica defunctus eſt. Reliquit præcipue Commentarium in Epiſtolas Paulinas, & Caſus Conſcientiæ.

CHRISTOPHORVS PELARGVS.

Chriſtophorus Pelargus, Sileſius, in Geneſin, Exodum, Leviticum, Matthæum, Johañem, commentatus eſt.

BALTHASAR MEISNERVS.

Balthaſar Meisnerus, Witebergæ Theologiam docuit, & A. 1628. diem obiit ſupremum. Scripſit Anthropologiam, Philoſophiam Sobriam, tractatum de Purgatorio.

BALTHASAR MENTZERVS.

Balthaſar Mentzerus, Theologus, reliquit Exegeſin Auguſtanæ Confeſſionis, anti-Crocium, anti-Steinium, anti-Piſtorium &c. Mortuus eſt A. 1627.

ALBERTVS GRAWERVS.

Albertus Grawerus, Theologus, deceſſit A. 1617. Tenemus illius Quæſtiones Illuſtres; Tractatum de Satisfactione; Commentarium in Michaм.

HENRICVS HOPFNERVS.

Henricus Hopfnerus, celebris Theologus, natus

natus eſt A. 1582. obiit A. 1632. Evulgavit Saxoniam Evangelicam.

CASPAR BROCHMAN.

Caſpar Brochman, celebrioribus Theologis accenſendus venit. Obiit 1652. ac nobis, præter alia, Syſtema Theologicum, Commentarium in Epiſtolam Jacobi, & Speculum Veritatis reliquit.

ANDREAS KESSLERUS.

Andreas Keſſlerus, Theologus, ſcripſit Logicam, & Methaphyſicam, Antiphotinianas. Mortuus eſt A. 1643.

CÆSAR BARONIUS.

Cæſar Baronius, Cardinalis, ſtupendum Annalium Eccleſiaſticorum Opus, magno ſtudio compoſuit, ac laudem ingentem eo nomine promeruit: quam tamen, immoderato partium ſtudio, non parum interdum contaminat. Priores duos tomos Annalium, *Onuphrius Panvinius* delineaſſe antea, & primam eorum graphidem poſuiſſe dicitur; quos deinde Baronius compoſuerit, perpoliverit, evulgaveritq;. Notatu dignum eſt, quod Guido Patinus Epiſt. 85. ſcripſit: *Feu Mr. Naudé qui n'étoit point menteur, m'a dit, que Lucas Holſtenius de Hambourg, qui eſt a Rome Chanoine de S. Jean de Latran, lui auoit dit, qu'il pouuoit montrer huit mille fauſſetés dans Baronius, & les prouver par les Manuſcrits de la Bibliotéque Vaticane, qu'il a aujourdui en garde.* In Tomum XI. Annalium, in quo Regum Hiſpaniæ in Siciliam jus impugnavit Baronius, Philippus II, Rex, prolixo ſeveroque

Edicto

Edicto in Fano S. Laurentii A. 1590. promulgato, graviter animadvertit, cujus aliqua exſcribimus, apud nos quoque legenda: *Re cum Conſiliariis noſtris communicata & deliberata, hoc edicto, & pragmatica ſanctione mandandum duximus, ne quis cujuscunque dignitatis, ſtatus, & conditionis fuerit, & qualiacunque privilegia habeat, Vndecimum illum Tomum, ſive ſub Auctoris, ſive ſub alterius nomine, excuſum aut manuſcriptum, in ulla lingua, cum ſupradicta narratione, de Regno Siciliæ, quæ inde incipit:* Hic auctor aggreditur, *& paragrapho illo finitur:* Jam vero canentes receptui, quæ poſt Vrbani Papæ datum diploma, Salerni ſunt ſecuta, narremus, *neque absque teſtimonio correctionis, cui has partes demandavimus, factæ, in regnis & provinciis noſtris vænum exponat, habeat, vendat, aut emat, ſub pœna, pro prima vice, ſi quis contra fecerit, quingentorum aureorum, in ea moneta, quæ in regno aut dominio, in quo delictum admiſſum, in uſu ſit, exſolvendorum, quorum tertia pars fiſco noſtro cedet, & duæ reliquæ tertiæ, inter judicem & delatorem dividentur: ſecunda autem vice delinquens in eandem mulctam pecuniariam incurret, ac præterea ex regno ad quinquennium relegabitur; in quod prius non revertetur, ſub pœna, ut ei, qui genere eſt nobilis, mulcta duplicetur; is vero qui ignobilis eſt, ad remum damnetur: quod etiam contra eos locum habebit, qui jam librum illum habent, ſi intra xv. dies, a publicatione hujus edicti, eum non exhibeant & tradant iis, quibus illum emendandi negotium datum eſt.* Ex Gramondi l. 1. Hiſtor. Gall. diſcimus, Baronium ipſum eam pœnam manſiſſe, ut haud multo poſt editum Tomum

mum illum XI. ſi factio Hiſpanica eum a Papatus honore excluderet, ad quem virtute & ſuffragiis vocabatur. A. 1607. Baronius diem obiit ſupremum.

ROBERTUS BELLARMINUS.

Robertus Bellarminus, Marcelli II. Pontificis ex ſorore nepos, e Thuſcia, adoleſcens Societi Jeſu nomen dedit, poſtea Cardinalis evaſit. Scripſit librum de Autoribus Eccleſiaſticis, & vaſtum Opus Controverſiarum, quod, antequam prodiiſſet, a *Guilielmo Witakero*, Theologo Anglo, refutatum eſt. Erga pauperes inſigniter liberalem ac benignum ſe præſtitit. Ex communione Romanæ Eccleſiæ, *circa poteſtatem Pontificum in ſecularibus*, acerrimum antagoniſtam expertus eſt *Guilielmum Barclajum*: imo ipſa Suprema Curia Pariſienſis, librum Bellarmini de hac materia ſcriptum, &, *de poteſtate Summi Pontificis in rebus temporalibus*, inſcriptum, A. 1610. damnavit, interminando, *ut omnia illius libri exemplaria, ex Gallia exterminarentur. qui ea recepiſſent, retinuiſſent, divulgaſſent, nec ad Judices aut Vicarios Cognitoris Regii detuliſſent, tanquam perduelles & criminis læſæ Majeſtatis rei, extremo ſupplicio afficerentur.* Bellarminus A. 1621. ætatis 80. e vita exceſſit.

MARTINUS BECANUS.

Martinus Becanus, Brabantus, Jeſuita, obiit 1924. relinquens Manuale Controverſiarum, & Theologiam Scholaſticam.

JACO-

JACOBVS GRETSERVS.

Jacobus Gretſerus, Marckdorfenſis Acronianus, A. 1625. vivere deſiit. Si Stengelio fides, ſesquicentum libros exaravit. Nobis nominare ſufficit 3. Libros Variarum Rerum; itemque Tractatum de Cruce. Autores Græcos complures in Latinam Linguam tranſtulit, uti Johannem Cantacuzenum, Cabaſilam, Cyrillum in Prophetas minores &c.

GVILIELMVS PERKINSIVS.

Guilielmus Perkinſius, Theologus Cantabrigienſis, dextram manum ad ſcribendum ineptam habebat, ſiniſtra tamen multa ſcripſit, ita ut Opera ejus III. Tomis conſtent.

DANIEL TOSSANVS.

Daniel Toſſanus, Theologus, patria Mompelgardenſis, docuit Heidelbergæ. Scripſit Dictionarium in Pſalmos; Prælectiones in Pſalmum ſecundum; in Jeremiam Paraphraſin; & in Novum Teſtamentum Commentarium.

ABRAHAMVS SCVLTETVS.

Abrahamus Scultetus, Sileſius, Friderici V. Palatini diſertiſſimus Concionator, præter Theologicam ſcientiam, Antiquitatis, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritiſſimus fuit. Scripſit plurima. Inter hæc eminent, Ideæ Concionum in Pſalmos; Medulla Patrum; Annales Eccleſiæ Reformatæ; & Exercitationes Sacræ. Obiit Emdæ, ubi exilii ſedem fiexrat A. 1624.

THOMAS MORTONUS.

Thomas Mortonus, Anglus, ſcripſit de Autoritate & Dignitate Principum, contra Bellarminum. Item, de Euchariſtia.

JOSEPHUS HALLUS.

Joſephus Hallus, Leiceſtria Anglus, Epiſcopus Norvicenſis, Tria Volumina, & in his nominatim, Romam irreconciliabilem, ac Contemplationes in Vetus, & Novum Teſtamentum reliquit.

JACOBUS USSERIUS.

Jacobus Uſſerius, Dublinenſis, Archiepiſcopus Armachanus, & totius Hiberniæ Primas, vaſtæ eruditionis Theologus, elaboravit Chronologiam Veteris Teſtamenti; Syntagma de LXX. Interpretum Græca Verſione, alia item.

JOHANNES RAINOLDUS.

Johannes Rainoldus, Oxonienſis Academiæ Profeſſor, edidit Cenſuram librorum Apocryphorum Veteris Teſtamenti, adverſus Pontificios.

JOHANNES BUXTORFIUS Pater.

Johannes Buxtorfius Pater, Hammonia Weſtphalus, tantopere in lingua Hebraica profecit, ut merito *Rabbinorum Magiſter* audiret. E vita diſceſſit A. 1629. poſt ſe relinquens ingenii monumenta, Theſaurum Grammaticæ Hebraicæ; Biblia Hebraica cum Targumim, Maſora, & Commentariis Rabbinicis; Bibliothecam Rabbinicam, Synagogam, Epiſtolas Hebraicas.

JOH,

JOHANNES BUXTORFIUS Filius.

Johannes Buxtorfius, Filius, vitam cum morte commutavit A. 1664. tranſtulit ex Hebræo in Latinam Linguam Maimonidis More Nevuchim, & librum Coſri. Concordantias Hebraicas, & Lexicon Talmudicum, a Patre cœpta Opera, abſolvit. Scripſit quoque Anricriticam adverſus Capellum.

JOHANNES CAMERO.

Johannes Camero, Scotus, multa elucubratus eſt, ſic, ut Opera III. Tomo impleant. Celebratur inter cætera, Myrothecium Novi Teſtamenti.

GUILIELMUS AMESIUS.

Guilielmus Ameſius, Anglus, in Friſiorum Academia Profeſſor, ſcripſit Lectiones in Pſalmos, Caſus Conſcientiæ, & Bellarminum enervatum.

THOMAS JAMESIUS.

Thomas Jameſius, Oxonienſis, evulgavit Catalogum Bibliothecæ Bodlejanæ, item librum inſcriptum, Bellum Papale; in quo collegit variationes, mutationes, & repugnantias, quæ in Bibliis Latinis Sixti V. & Clementis VIII. occurrunt.

CORNELIUS JANSENIUS.

Cornelius Janſenius, Epiſcopus Iprenſis, A. 1585. in obſcuro Belgii loco Leerden natus eſt, & obiit A. 1638. ex peſte. Multa elucubravit, uti Comentarios in Pentateuchum, & Eccleſiaſten; nec non Concordiam Evangelicam. Imprimis compo-

ſuit librum de Hæreſi Pelagiana, & auxilio gratiæ, quem *Auguſtinum* inſcripſit. In eo perficiendo totos 20 annos inſumſit, cum prius Opera S. Auguſtini decies, & amplius, perlegiſſet. Nemo ignorat, quales quantasque hic liber in Eccleſia Romana turbas dederit, maxime poſtquam Innocentius X. Pontifex A. 1653. pridie Kal. Junii, *Quinq;* ex illo excerptas *Propoſitiones*, tanquam hæreticas, ſolemni damnavit Declaratione. hac verborum conceptione uſus: *Cum ab initio hujuscemodi diſcuſſionis, ad divinum implorandum auxilium, multorum fidelium preces, tum privatim, tum publice indixiſſemus, poſtmodum iteratis eisdem ferventius, ac per nos ſolicite implorata Spiritus S. aſſiſtentia, tandem, Divino Numine favente, ad infra ſcriptam devenimus Declarationem & Definitionem.* PRIMAM *prædictarum Propoſitionum*: Aliqua Dei præcepta, hominibus juſtis, volentibus & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoq; illis Gratia, qua poſſibilia fiant: *temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* SECVNDAM: Interiori Gratiæ, in ſtatu naturæ lapſæ, nunquam reſiſtitur: *hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* TERTIAM: Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſſietate, ſed ſufficit libertas a coactione: *hæreticam declaramus, & uti talem damnamus,* QVARTAM: Semi-Pelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei,

fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare: *falſam & hæreticum declaramus, & uti talem damnamus.* QVINTAM: Semi-Pelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe: *falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Sed, cum Janſeniſtas, in hac Bulla minime acquieſcere, & varia effugia quærere comperiſſet Alexander VII. proinde anno 1656. Kal. Novembr. Janſeniana dogmata, non radicitus tantũ, verum eradicitus tollere, & excuſationi omni anſam præſcindere deſiderans, Bullam promulgavit novam, qua, cum Iñocentii Anteceſſoris, de Quinq; famoſis Propoſitionibus, decretum confirmaſſet, adjecit deinde: *Cum autem, ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii, prædictas Quinque Propoſitiones, vel in libro prædicto ejuſdem Cornelii Janſenii non reperiri, ſed fictæ & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe, asſerere, magno cum Chriſti fidelium ſcandalo, non reformident: Nos, qui omnia, quæ in hac re geſta ſunt, ſufficienter & attente perſpeximus, utpote, qui ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris juſſu, dum adhuc in minoribus conſtituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congreſſibus interfuimus, in quibus, Apoſtolica autoritate, eadem cauſa diſcuſſa eſt, ea profecto diligentia, qua major deſiderari non poſſet; quam-*

cunque dubitationem ſuper præmiſſis impoſterum auferre volentes, ut omnes Chriſti fideles, in ejusdem fidei unitate ſeſe contineant, ex debito noſtri Paſtoralis Officii, ac matura deliberatione, præinſertam Innocentii Prædeceſſoris noſtri, Conſtitutionem; Declarationem, & Definitionem, harum ſerie confirmamus, approbamus, & innovamus, & Quinque illas Propoſitiones, ex libro præmemorati Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, cui titulus eſt Auguſtinus, excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio Janſenio intento, damnatas fuiſſe, definimus, & declaramus, *& uti tales, inuſtâ ſcilicet eâdem ſingulis notâ, quæ in prædicta Declaratione & Definitione unicuiq; illarum ſigillatim inuritur, iterum damnamus, ac eundem librum ſæpedicti Cornelii Janſenii, cui titulus Auguſtinus, omnesque alios, tam manuſcriptos, quam typis editos, & ſi quos forſan impoſterum edi contigerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelii Janſenii doctrina, ut ſupra damnata, defenditur, vel aſtruitur, aut defendetur & aſtruetur, damnamus itidem atque* probibemus. *Mandantes omnibus Chriſtifidelibus, ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo vel ſcripto exponant, vel interpretentur, publice vel privatim, palam vel occulto, impriman ve, ſub pœnis & cenſuris, contra Hæreticos in jure expreſſis. Ipſo facto, absque alia declaratione, incurrendis.*

MOSES AMYRALDUS.

Moſes Amyraldus, Salmurienſis, Theologus impenſe doctus, vivere deſiit A. 1665. Edidit inter cætera, Irenicum; Defenſionem Calvini de abſoluto decreto; & librum de Myſterio Trinitatis.

PHI-

PHILIPPVS MORNÆVS.

Philippus Mornæus, Pleſſiaci Dominus, magni fuit nominis inter Galliæ Reformatos. Scripſit de Religione Chriſtiana; de Myſterio Iniquitatis; de Euchariſtia; qui poſtremus liber, lingua vernacula editus, cum, ob ſtyli elegantiam, per omnium volitaret manus, Theologi Pontificii, periculum veriti, paſſim in concionibus in eum invehebantur. Hinc, cum collatione inſtituta, Rege præſente ac Proceribus, David Perronius Epiſcopus Ebroicenſis, in illis quædam falſo, quædam verbis truncatis, ex Patribus & Scholaſticis a Mornæo allegata contenderet, hic A. 1600. ſibi a Perronio editionibus caſtratis ac mutatis ſilentium impoſitum conqueſtus, libello edito cauſam defendit.

PETRVS MOLINÆVS.

Petrus Molinæus, Theologus Reformatus, in agro Vexinate, Galliæ, A. 1586. natus, paſtor primo Eccleſiæ Aurelianenſis, deinde in Academia Lugduno Batava docuit, tandem Sedanum ſe contulit. Edidit Arminianiſmi Anatomiam, & alia.

DAVID PAREVS.

David Pareus, Francoſtenii Sileſiorum natus, Heidelbergæ Theologiam docuit, & Commentariis in Scripturam, ac Disputationibus adverſus Bellarminum, gloriam ſibi paravit. Obiit A. 1622. ætatis 74. cum triennio ante per quietem vidiſſet, totam urbem Heidelbergenſem occulto incendio undiquaque fumigantem, ar-

cemque flammis ſæviſſimis conflagrantem. Ejus Comentarii in Epiſtolam ad Romanos, quod de Monarchico Regimine quædam liberius dicta continerent, Londini fuere combuſti.

DAVID BLONDELLVS.

David Blondellus, vitam finiit A. 1655. Scripſit Pſeudo-Iſidorum vapulantem, ſive Cenſuram Epiſtolarum omnium, quas Vrbis Romæ Præſulibus, à Clemente ad Siricium, ſuppoſuit Iſidorus cognomento Mercator. Extant ejus quoque libri alii.

ANDREAS RIVETVS.

Andreas Rivetus, Pictavus, in Geneſin, Exodum, Hoſeam, commentatus eſt.

FRIDERICVS SPANHEMIVS.

Fridericus Spanhemius, filius Wigandi, Gymnaſiarchæ Ambergenſis, Theologus magni inter Reformatos nominis, Genevæ primo, deinde Lugduni Batavorum, Theologiam docuit. Multa ab illo edita habentur: cætera antecellunt Dubia Evangelica, & Exercitationes de Gratia univerſali.

M. ANTONIVS DE DOMINIS.

M. Antonius de Dominis, Archiepiſcopus Spalatenſis A. 1600. Eccleſiam Romanam, incitatus, ut ajebat, ſolo Jeſu Chriſti nomine, deſeruit, & in Anglia, quo ſe receperat, Libros X. conſcripſit de Republica Eccleſiaſtica. Sed poſtmodum a Gregorio XV. olim condiſcipulo ſuo, ingentibus promiſſis Romam evocatus, illuc ſe contulit, & rurſus ad Pontificios deficiens,

Refor-

Reformatorum doctrinam, compoſito libello deteſtatus eſt. Verum, denuo ad Reformatos ſe recipere volens, in fuga comprehenſus, ab Vrbano VIII. in carcerem S. Angeli detruſus, ibi non ſine veneni ſuſpicione, A. 1625. animam efflavit. Cadaver poſt mortem, cum ſcriptis ejus, in campo Floræ exuſtum eſt.

DIONYSIVS PETAVIVS.

Dionyſius Petavius, Aurelianenſis, Jeſuita, A. 1652. vivendi finem fecit. Extant ejus XIII. libri de Doctrina temporum; item Rationarium temporum. Compoſuit quoque opus ingens de Dogmatibus Theologicis V. Tomis conſtans. Pſalmos Davidicos Græca Paraphraſi expreſſit. Guido Patinus in epiſt. 2. graviter in Petavium invehitur, inter cætera ſcribens: *Ce Pere Petau eſt un des plus ſauans d'entre les Jeſuites, mais homme facheux, mordant, & mediſant, qui n'à jamais écrit, que pour refuter quelqu'un.*

JACOBVS SIRMONDVS.

Jacobus Sirmondus, Ricomagenſis A. 1651. pæne centenarius obiit. Erat Græce & Latine valde doctus, & totius antiquitatis curioſus inveſtigator. Varios Autores edidit, notisque illuſtravit. In his Sidonium Apollinarem, Gofridum Vindocinenſem, Ennodium Ticinenſem, Marcellini Chronica. Theodoreti quoque *Cyrenenſis* Epiſcopi opera, in IV. Tomos diſtincta, ejus cura prodierunt.

JOHANNES SELDENVS.

Johannes Seldenus, Salvintonianus Anglus

JC. clariſſimus, natus eſt A. 1584. obiitque A 1654. Erat Hebraicæ & Arabicæ linguarum peritiſſimus. Reliquit inſignem Tractatum de jure naturæ & gentium ſecundum diſciplinam Hebræorum: alios, de Diis Syrorum, de Synedriis Hebræorum; de Succeſſionibus & Pontificatu.

HUGO GROTIUS.

Hugo Grotius, Delphenſis, Syndicus Roterodamenſis primum fuit, dein, poſt turbas ab Arminianis motas, & biennalem carcerem, ex quo, Conjugis Mariæ Reigersbergiæ, fide ac ſolertia liberatus eſt, Chriſtina Sueciæ Regina eum in Galliam Legatum miſit. Commentatus eſt eruditiſſime, de Jure Belli & Pacis; de Imperio Summarum poteſtatum circa Sacra; de Mari libero; de Veritate Religionis Chriſtianæ. Compoſuit &, *Annales ac Hiſtoriam de rebus Belgicis*, cui libro, cæteris pereuntibus, ipſe ominatus eſt æternitatem. Nam, ajebat, fieri poteſt, ut alii meliora iis, quæ ego ſcripſi, meditentur, & indies mortales magis proficiunt. Sed Hiſtoria mea perennabit, ut conſtet temporibus ſua ſeries, nec deerunt unquam, qui requirent, quid quoque ſeculo in orbe acciderit. Nec ſoluta tantum oratione, ſed & verſu diſertus fuit ſupra modum, & carmina compoſuit, miræ dulcedinis, ac venuſtatis. Obiit Roſtochii A. 1645. Nemo temere fidem adhibebit famæ, quam in literas retulit Guido Patinus epiſt. 7. & cui nec ipſe aures præbuit. Sic autem ſcribit: *Mr. Grotius eſt mort. a Roſtock d'une fiévre continue, a ſon retour de Suede. On dit que ce n'eſt pas ſans ſoupçon de poiſon de la part des Lutheri-*

theriens, à cauſe de ce qu'il a écrit de l'Antichriſt en faueur du Pape. Mais je ne penſe pas, qu'on empoiſonne en ce païs-la, comme on fait en quelques endroits d'Italie. Legitur porro ibidem de Grotio: *On n'a point bien pû ſauoir ſa Religion depuis 20. ans. Quelques-uns diſent qu'il eſt mort Socinien, & que quelque mine qu'il fit, il l'étoit dans ſon ame.* At Johannes Quiſtorpius Theologus Roſtochienſis, qui morituro adfuit, teſtatus eſt, ipſum monitum, ut imploraret Dei miſericordiam, reſpondiſſe: *In ſolo Chriſto, omnis ſpes mea repoſita eſt.*

JOH. GERHARDVS VOSSIVS.

Joh. Gerhardus Voſſius, Seculi Varro, quiq; cunctas doctrinarum opes, velut in ſanctiore ingenii ærario conditas habuit, mortalitatem exuit A. 1649. Extant ejus Grammatica Latina; Rhetorica; liber de natura Logices; liber de natura Rhetorices; Inſtitutiones Poëticæ; Etymologicon Latinæ linguæ; Liber de Philoſophia & Sectis Philoſophorum, liber de gloſſematis vitiisque Latini ſermonis; Theologia Gentilium; Hiſtoria Pelagiana; Diſſertatio de tribus Symbolis; extant alia quoque. Aliquando Remonſtrantium partes ſecutus eſt, ſed Rivetus in exam. Animad. Hug. Grot. aſſeruit, eum illas poſtea iterum deſeruiſſe.

CLAVDIVS SALMASIVS.

Claudius Salmaſius, Benigni, Senatoris Parlamenti Divionenſis filius, natus eſt A. 1596. Studiis admotus, tam ſtupendos in iis fecit progreſſus, ut vix decennis, Græca Latinaque Carmina feliciter conderet. Annos 14. natus, Nilum & Barlaamum de primatu Papæ recenſuit.

Anno

Anno 15. Florum edidit cum notis. Exin Pariſiis, Heidelbergæ, alibique verſatus, Burdigalam ſe recepit, uxore ibi ducta. In Academiam Pariſienſem, & Oxonienſem, ampliſſimis promiſſis invitatus eſt; Veneti quoque, multa aureorum millia ei polliciti ſunt, ut ter tantum in anno Patavii prælegeret: ſed ille Lugdunum Batavorum prætulit. Inde tamen a Sueciæ Regina Chriſtina Holmiam pellici ſe paſſus, æſtatem ibi tranſegit. Ad Batavos poſtea redux, cum uxorem ad Spadanas aquas comitaretur, obiit A. 1652. non ſine veneni ſuſpicione. Libros omnes recenſere, multitudo prohibet. Sufficiat nominaſſe Commentarios in Hiſtoriam Auguſtam; Opus Exercitationum Plinianarum in Solinum; librum de Annis Climactericis; librum de uſuris, modo uſurarum, & fœnore trapezitico; Defenſionem Regiam pro Carolo I. Angliæ Rege. Poſt mortem, multa ejus ſcripta, (ſic enim juſſerat) combuſta ſunt, quod in iis durius in Viros Doctos invectus fuerat. Guido Patinus, Salmaſio amico uſus eſt, itaque aliqua de eo aliis per literas narravit, percepta familiari ſermone. Legitur epiſt. 194. *Mr. de Saumaiſe s'étoit fait de Romain Huguenot, & diſoit qu'il s'étonnoit de ce que tous les gens d'eſprit ne faiſoient de même, vû que c'étoit une Religion fort commode: qu'on n'y alloit point a confeſſe, qu'il n'y avoit point de Purgatoire, de Prêtres, & de Moines, grans coupeurs de bourſe* in nomine Domini, *ni de Papes, ni de chapelets, ni de grains bénits, & autres telles bagatelles.* In Epiſtola vero 2. talia refert: *Mr. le Cardinal de*

de Richelieu tractoit auec Mr. de Saumaiſe pour l'arreter auec une bonne penſion, dont Madame de Saumaiſe ſa femme étoit ravie : mais il n'y voulut pas conſentir, & ſe degouſta des propoſition genérales qu'on luy en faiſoit, pour une particuliére qu'on y fit couler, qui étoit d'écrire en Latin l'hiſtoire de ce Cardinal; ce que Mr. de Saumaiſe m'a dit luy même en ſecret, & me proteſtant qu'il eut éte bien marri d'employer le talent que Dieu luy auoit donné, au ſervice & l'hiſtoire fardée de ce Miniſtre, qui auoit failli a rûiner l'Europe, par ſon ambition, Epiſtola 6. res quasdam domeſticas Salmaſii exponit.

DANIEL HEINSIVS.

Daniel Heinſius, natus eſt Gandavi A. 1580. & inter maximos Reipubl. Belgicæ fluctus, per multa dura & aſpera jactatus, vix triennis, patria extorris fuit, *Fortunæ privignum*, ſe ideo vocare ſolitus. Hagæ Comitum initiis literarum jactis, inde in Selandiam abiit, brevique tantum profecit, ut decimo ætatis anno, commilitoni ſuo, venuſta parentaverit elegia, cujus finis:

Qui nondum undecimum vidi tranſire Decembrem,
Hæc ego de puero carmina canto puer.

Anno 18. ætatis, publice, primum Latinos, dein Græcos autores profeſſus eſt: poſtea Politices, & Hiſtoriarum Profeſſionem ſuſcepit. A Guſtavo Adolpho Sueciæ Rege in Conſiliariorum numerum aſcitus, & a Venetorum Republ. Equeſtri S. Marci dignitate ornatus, ipſum Vrbanum VIII. Pontificem, eruditionis ſuæ admiratorem habuit, ampliſſimo honorario Romam, ut eam a barbarie vindicaret, invitatus. Morti proximus, omnium

omnium pæne rerum memoriam amiſit. Ejus prodiere Ariſtarchus in Nonnum; Exercitationes in Novum Teſtamentum; Poëmata, & alia.

SAMVEL PETITVS.

Samuel Petitus, Nemauſenſis, reliquit libros IV. Variarum Lectionum; Commentarium in Leges Atticas; Miſcellaneorum libros IX. Obſervationum libros III. Eclogas Chronologicas, &c.

PETRVS SCRIVERIVS.

Petrus Scriverius, Harlemenſis, ſenex oculorum uſum amiſit. Extant ejus Animadverſiones in Martialem; Emendationes in Apulejum, & Vegetium; Collectanea Veterum Tragicorum.

MARCVS ZVERIVS BOXHORNIVS.

Marcus Zuerius Boxhornius, Bergizomenſis, edidit Hiſtoriam Vniverſalem; Disquiſitiones Politicas; Carmina.

GEORGIVS CALIXTVS.

Georgius Calixtus, Holſatus, deceſſit A. 1656. Theologiam docuit in Helmſtadienſi Academia, nec Antiquitatis Eccleſiaſticæ quisquam magis fuit gnarus. Habemus ejus Compendium Theologiæ; Concordiam Evangeliſtarum; Apparatum Theologicum; Notas in Epiſtolas Paulinas; & Diſſertationes varii argumenti.

CONRADVS HORNEIVS.

Conradus Hornejus, Brunſuicenſis, Calixti in Helmſtadienſi Academia Collega, ſcripſit Com-

pendi-

pendium Theologiæ; Theologiam Moralem, & alia nonnulla.

OLAVS WORMIVS.

Olaus Wormius, mortuus eſt A. 1654. Monumenta vetera quæ extant in Dania & Norwegia libris VI. recenſuit. Exhibuit etiam Regum Daniæ duplicem ſeriem; & Limitum inter Daniam & Sueciam deſcriptionem; item Faſtos Danicos.

FORTVNIVS LICETVS.

Fortunius Licetus, Genuenſis, docuit in Academia Patavina. Scripſit de Monſtris; de Annulis Antiquorum; de Lucernis Antiquorum; de Novis Aſtris & Cometis; de Mundi & Hominis Analogia; de Imagine & Sepulcro Ariſtotelis quod Venetiis eſſe traditur; de Ænigmate Ælia Lælia Criſpis; de Luminis natura &c.

JAC. PHILIPPVS TOMASINVS.

Jacobus Philippus Tomaſinus, Patavinus, compoſuit Virorum Illuſtrium Elogia; Petrarcham Redivivum; Vitam Titi Livii; librum de Teſſeris Hoſpitalitatis; alium, de Donariis & Tabellis votivis; enarravit item Inſcriptiones Patavinas.

FRANCISCVS BERNARDINVS FERRARIVS.

Franciſcus Bernardinus Ferrarius, elucubratus eſt de Ritu ſacrarum Eccleſiæ Catholicæ Concionum libros III. librosq; alios de Funere Chriſtiano. De artificioſa manuum loquela; de Annulis; de Acclamationibus libros.

CA-

CASPAR HOFMANNVS.

Caspar Hofmannus, Gotha Thuringus, Medicorum noſtri ævi facile princeps, Academiam noſtrā Altdorfinam, celebritate nominis ſui, per annos 48. illuſtriorem reddidit. Ex operibus quæ publice extant, memorare oportet, libros de uſu lienis; de uſu cerebri; de ichoribus; Varias Lectiones; Inſtitutiones Medicas; Commentarium in Galenum de uſu partium. Liber de Medicamentis Officinalibus prodiit Lutetiæ A. 1646. Guidoni Patino inſcriptus, qui de illo in epiſt. 10. ſic cenſuit: *Le Livre de Mr. Hofman de Medicamentis Officinalibus, eſt fort bon. Mr. Riolan qui eſt ſon ennemi, dit, que ſa Préface au Lecteur vaut cent éſcus d'or. Il y a là dedans 50. chapitres qui ne ſe peuvent payer. Tout le premier Livre vaut de l'or, hormis quand il dit que le ſené eſt venteux. C'eſt un Abregé excellent de tous les Botaniques, & de tous les Antidotaires qui ont été imprimés depuis 100. ans.* Supereſt Commentarius ineditus Hofmanni in Galenum univerſum. Opus ingens, eruditum, utile, quod, in ſeculi noſtri ignominiam, qui ſumtus facere vellet editorem, reperire nondum potuit, cum ſcripta plena inficetiarum quotidie excudantur.

DANIEL SENNERTVS.

Daniel Sennertus, de Medicina multos & egregios ſcripſit tractatus, quos etiam exteri admirantur. Primus Chymiam Witebergæ introduxit. Deceſſit A. 1637.

GILBERTVS JACCHÆVS.

Gilbertus Jacchæus, Inſtitutiones Medicas elaboravit.

DANIEL STAHLIVS.

Daniel Stahlius, Hammelburgo Francus, in Jenenſi Academia Philoſophiam prælegit, ac Regulas Philoſophicas docte explicuit.

WILHELMVS SCHICKARDVS.

Wilhelmus Schickardus, Tubingæ, Mathemata & Hebræam linguam tradidit: Tarich Regum Perſiæ, & librum de Regio jure Hebræorum, quin & alia, nobis relinquens.

CHRISTOPHORVS BESOLDVS.

Chriſtophorus Beſoldus, Tubingæ, & Ingolſtadii Jurisprudentiam docuit. Scripſit Conſilia juridica; Theſaurum Practicum; Politicas Quæſtiones &c.

MATTHIAS BERNEGGERVS.

Matthiæ Berneggeri, haud obſcurum in literis nomen eſt. Dedit publico Notas in Juſtinum, & Suetonium; Quæſtiones in Taciti Germaniam; Orationes, Epiſtolas.

RENATVS CARTESIVS.

Renatus Carteſius, ex nobili familia A. 1596. in Turonibus natus eſt. A prima juventa ſtudiis deditus, Philoſophicis & Mathematicis ſcientiis animum inſigniter excoluit. Militiæ deinde ſe mancipavit, & in Germania ac Hungaria meruit. Poſtea Philoſophiæ amore rurſus ca-

ptus, Egmontium in Hollandiam ſeceſſit, ibique per 20. amplius annos, naturæ res diligentiſſime ſpeculatus eſt. Exinde Lutetiam venit, a Ludovico XIII. Rege, & Cardinale Richelio invitatus, ut ſedem ibi figeret; ſed Aulam Muſis non convenire ratus, excuſavit ſe. Nihilominus, Chriſtinæ Suecorum Reginæ frequenti rogatu, Holmiam ſe contulit, ut ſingulis diebus hora quinta matutina illam erudiret. Sed poſt quartum menſem, repentino morbo correptus, obiit A. 1650. natus annos 54. Edidit initio, Meditationes primæ Philoſophiæ; ſucceſſere Dioptrica, Geometria, Meteorologica, Epiſtolæ.

HÆRETICI.

WEIGELIANI.

WEigeliani, nomen habent a *Valentino Weigelio*, paſtore Tzſchopenſi, prope Fribergam in Miſnia, qui A. 1533. in oppido Artren, Comitatus Mansfeldici, tribus milliaribus ab Islebia ſito, natus eſt. Errores ſuos, eorumque fundamenta, ex Triſmegiſto, Theophraſto Paracelſo, Sibyllinis vaticiniis deſumſit. Sunt vero: Scripturam eſſe incertam, imperfectam, literam mortuam, ad ſalutem conſequendam inſufficientem. Senſum Scripturæ literalem eſſe inutilem: quærere igitur debere homines ſenſum allegoricum, qui ex inſpiratione Spiritus S. ſit diſcendus, ea quidem ratione, ut 1. homo antea cognita ex ſacris literis oblivioni tradat: 2. informatori credat; 3. ſeipſum totum deſerat. Porro, aſſerebat

ebat Spiritum S. ante Chriſti nativitatem pro-
eſſiſſe tantum a Patre; poſt eam, procedere
uoque a Filio, illamque proceſſionem, nihil aliud
ſe quam miſſionem; Patrem ſolum hominem
reaſſe: Angelos Deo eſſe æquales, & omnipræ-
entes; Chriſtum carnem ſuam de cœlo attuliſſe,
deoq; illam nõ ex Virgine Maria, ſed in ea habu-
ſe: Chriſtũ non redemiſſe carnem Adæ, ſed ani-
nam, quem cœleſti carne & ſanguine ſit veſtitu-
us. Regnum Dei, Verbum, Lumen, & Vitam,
ontendebat eſſe in nobis omnibus: omnes In-
ntes habere fidem a natura: Hominem non
reatum eſſe, ut vivat in corpore, ſed habitet:
ominem Legem Dei poſſe implere; Imaginem
ei adhuc eſſe in homine: nullum eſſe pecca-
im originis: peccare hominem tantum inter-
um, non externum; Peccatum in Spiritum S.
ſe contemtum interni teſtimonii Spiritus S.
iniſtrum Eccleſiæ non poſſe remittere pecca-
: Baptiſmum eſſe inutilem.

ROSEÆ CRVCIS FRATRES.

Hoc Seculo inclaruere Fratres Roſeæ *Cru-*
s. Nomen ſe habere dicunt, a Viro Nobili, *Chri-*
ano a Roſencreutz, Aurei Lapidis Equite, & Mo-
acho, nato A. 1378. qui, cum Eccleſiam Roma-
m reformatione indigere vidiſſet, adjunctis
i Fratribus, iter fecerit in Palæſtinam, ad Se-
ulchrum Chriſti, & poſtea Feſſæ, in Mauritania,
agis præceptoribus uſus, omnium divinarum
humanarum rerum ſcientiam hauſerit, & re-
rmationem univerſalem meditatus ſit; propter

 deſe-

defectum autem brachii ſecularis, opus perficere non potuerit. Mortuum ajunt A. 1484. centenario majorem. In hanc Societatem nemo admittitur, niſi præſtito juramento, de non revelandis ſibi concreditis. Item jurant, quod pro tempore ſe omnibus accommodare velint ubicunque locorum lateant, donec tempus adſit, effectui dare, quod hactenus meditati ſint, Reformationis opus. Hinc non facile eſt judicare de illorum dogmatibus. Dicunt tamen ſe recipere Scripta Weigelii, & Nagelii Aſtrologi, qui poſt initium hujus Seculi, ſua ſomnia in Calendariis ſpargebat, & Aurei Seculi initium conſtituebat annum 1624. Ex Libris Bibliorum præcipue ſuſpiciunt librum IV. Eſdræ, Danielem, & Apocalypſin. Scripta vel Anonyma, vel Pſeudonyma in lucem emittunt: jactant ſe habere claves Scientiæ Paracelſicæ.

Mediani.

Mediani, autorem habuere *Ezechielem Meth*, vel a *Meden*, qui in Thuringiæ oppido Langenſaltz natus eſt. Is, rejiciebat Verbum Dei ſcriptum, & Sacramenta: jactabat, ſe dogmata ſua, ex peculiaribus Spiritus S. inſpirationibus habere. Chriſtum quoad ſubſtantiam & perſonam ſibi ſemper præſentem eſſe: imo, ſe carnem, quam in utero Mariæ is aſſumſit, corpore ſuo circumgeſtare, omnia, quæ ſuſcipiat & agat, Chriſtum ſecum agere, & virtute hujus perſonalis cohabitationis, ſe immortalem fore ſomniavit.

Stifeliani.

Stifelianorum autor *Eſaias Stifelius*, A. 1604. a oppido Thuringiæ Saltza prodiit, & Weigelianorum ac Medianorum dogmata interpolait. Ter errores revocavit, & ſemper ad vomitum reverſus eſt, juramenti transgreſſionem nihili pendens, tanquam ob tutelam corporis præſtiti. Cæterum, Dei triplicem eſſentiam ſtatuit. Deum, Adamum, non *ad*, ſed, *in ſua imagine*, nempe Chriſto Jeſu creaſſe contendebat. Animam Adami ſtatuit eſſe triunum Dei ſpiraculum, conſiſtens in Virtute, Verbo, & Vita. Aſſerebat Chriſtum etiam Angelos lapſos redemiſſe; illum in hominibus omnia immediate, interne, & externe operari & facere: Eccleſiam Dei conſtare ex puris ſanctis, eſſentialiter regeneratis, qui ſint ſine peccato & macula.

Isaacus Peyrerius.

Iſaacus Peyrerius A. 1656. librum edidit, quo perſuadere conatus eſt, innumerabilibus ante Adamum ſeculis, Deum homines in omnibus mundi regionibus condidiſſe, quemadmodum bruta, plantas, herbas, non in uno loco, ſed univerſis habitabilis orbis partibus produxit. Adamum contendebat patrem fuiſſe Judæorum, quem Deus condiderit puerum, olim in Paradiſum collocandum, quique nomina animalium a Præadamita didicerit. Huic quæ nuberet digna cum apud Præadamitas non extaret, ideo conditam fuiſſe Evam, quæ adultior, matrimonio illi jungeretur. Cainum vero, ex Præadamitis

uxorem duxiſſe aſſerebat. Errores poſtea ejuravit,& Reformatorum Eccleſia miſſa, Romanæ adhæſit, edita Romæ 1658. Epiſtola, in qua exponit mutatæ ſententiæ cauſas, ſed longe diverſas ab illis, quas Guido Patinus in epiſt. 70. prodidit, his omnino verbis: *L'Auteur du Livre des Preadamites, nommé Iſaac de la Pereire, Gaſcon, eſt ici de retour de Rome. Il a fait imprimer un petit livre in 4. dans lequel il rend raiſon de ſon changement de Religion, (on appelle cela en termes d'école, abjurer ſon hereſie) & il deſauoüe ſon livre des Preadamites. J'ay vû ce Livre, mais il ne ſe vend pas bien. On dit que le Pape luy a donné une petite Abbaye, & que le Mazarin luy a encore promis quelque nouvelle faueur du Ciel, ou du Purgatoire. Il eſt ici attendant cette grace, auſſi avidement que vous vous pouvez l'imaginer, d'un Gaſcon, qui a peur de mourir de faim, & qui n'a changé de Religion, que pour faire fortune & meilleure chere, aux depens de qui il appartiendra.* Plerisque viſum, Peyrerium haudquaquam ſerio nobiſcum egiſſe, ſed ingenii tantum eruditionisque oſtentandæ cauſa, Præadamitas ſuos produxiſſe in ſcenam. Verum, ſecus ſe res habet, ac erat ille perſuaſiſſimus, tales omnino extitiſſe, nec ab illa ſententia bona fide diſceſſit, etiam eum errorem publice revocaſſet. Sæpe illum Lutetiæ conveniebam, ut Bibliotheca, Incluti Herois, Ludovici Condæi Principis, cujus ille præfecturam gerebat, fruerer. Habebat ea, id præ aliis, quas per Europam luſtrare mihi licuit, præcipuum, quod XL. ibi extabant Tomi vaſtæ molis, in quibus omnes Europæ regiones

ſecun-

cundum minimas particulas, ac quæ in his ſunt
ontes, ſylvæ, amnes, lacus, urbes item, arces,
unimenta, municipia, pagi, viæ, ſemitæque, va-
is modis, graphices culptæ, pictæ, delineatæ e-
nt; quæ Volumina, ille bellator Princeps, militiæ
idue ſecum circumtulerat. & quorum aſpectu
iari nunquam poteram. Dum ergo cum Pey-
rio egi, facile animadvertebam, placere illi
os myrmidones, & fruſtra ſemper futuros, qui
ter ipſum & hos diſſidium quærunt. Aliquan-
occurrebat mihi adventanti lætus, quod no-
m & ſolidum argumentum, pro tuendo popu-
illo ſibi reperiſſe videbatur, olim non animad-
rſum: cum Eſaiæ XLIV.7. legatur: *Quis ſimi-
mei? Vocet & annunciet, & ordinem exponat mibi.
c quo conſtitui mibi populum antiquum.* Hic *popu-
m antiquum*, ille ſuos Præadamitas interpreta-
tur, quod a reliquis mundi nationibus ſejunga-
r. Enim vero, ſi, inquiebam ego, in iſto Eſaiæ
co tibi quicquam præſidii, longe magis te ju-
bit alter apud Jeremiam cap. V. 15. *Ecce ego
lducam ſuper vos gentem de longinquo domus Iſraël,
t Dominus, gentem robuſtam, gentem antiquam,
ntem cujus ignorabis linguam, nec intelliges, quid
quatur.* Sed, addebam, ſi cum cura Prophetas
ſpiciamus, conſtabit ex toto ſermonis contex-
, Eſaiæ, Judæos, Jeremiæ, Chaldæos in mente
iſſe, quarum gentium cunabula diſerte ſacris
eris prodita ſunt. Pro eo quod Vetus Lati-
us Interpres *antiquum* reddidit, in Hebræo fon-
vox עולם quæ *æternitatem* ſæpe ſignificat,
ccurrit. At, cum de gente ſermo fit, uſurpata,

 nihil

nihil niſi *vetuſtatem* & *diuturnitatem* innuit, facitq; fidem locus inſignis, & Sole, cum ſudum eſt, clarior, Jeremiæ VII. 7. ubi Deus dicit: ושכנתו אתכם במקום הזה בארץ אשר נתתי לאבותיכם למן עולם ועד עולם׃ quod Vulgatus expoſuit: *Habitabo vobiscum in loco iſto, in terra, quam dedi patribus veſtris, a ſeculo usq; in ſeculum.* Diſcrepant circa unum aut alterum verbum LXX. apud quos legitur: Καὶ κατοικιῶ ὑμᾶς ἐν τῷ τόπῳ ὑμῶν, ἐν τῇ γῇ, ἣν ἔδωκα τοῖς πατράσιν ὑμῶν ἐξ αἰῶνος καὶ ἕως αἰῶνος. Quæ, cum dixiſſem, ambo nos intra ſilentium continuimus.

QVACKERI.

Quackeri, ramuſculus ſunt Anabaptiſtarum in Anglia, qui ſæpe extra ſe rapiuntur, & toti trement, horrentque, unde & illis appellatio. Revelationes, & perfectionis ſtudium jactitant; Templa, quæ turritas ædes vocant, vilipendunt; Magiſtratui nullum honorem deferunt; mulierculis, etiam in publicis cœtibus, poteſtatem docendi faciunt; Sacramenta rejiciunt. Vivunt in conjugio, inſuper tamen habent benedictionem eccleſiaſticam, ac cælibatum extollunt. Non comedunt cibos, non ſomnum captant, niſi habeant a ſpiritu interno libertatem. Mercimonia ſua vendentes, id pretii poſtulant, quo rem dignam arbitrantur, nec quicquam remittunt; ementes vero, ſine omni licitatione, quanti eandem emere velint, dicunt, affirmatione, vel negatione, contractum abſolventes. In publico moroſe incedunt, neminem ſalutant, nec pile

depo

:poſitione alios civiliter colunt, ad id ſe nul-
m habere libertatem cauſando. Rident veſtes
cerdotales, ſalaria; ſtultum eſſe dicunt, in dicto
iquo ſcripturæ explicando, definito ſe inclu-
:re tempori. De Deo ſtatuunt, unam non ſolum
us eſſe eſſentiam, ſed & in eſſentia unicam tan-
m perſonam, quæ, prout concipitur, Pater, Fili-
, & Spiritus S. vocetur. Solent in certa domo
nvenire mares & fœminæ, ibi conſidere, & al-
filentio, ad duas vel tres horas continuato, ſpi-
tui interno an ſe moturus ſit attendere. Qui
iritu replentur, contremiſcunt, latrant, boant,
umam ex ore emittunt, imo ſeipſos diſcerpunt
terdum, cujus rei cauſam afferunt, magnitudi-
em lucis divinæ, quam perferre nequeant. E-
iſſerunt deinde iſti ſuas revelationes, &, quæ
iritus dictavit, exponunt, ita tamen, ut ſubinde
lii aliis contradicant, & pugnantia efferant, un-
e miſeri neſciunt, cui obediendum ſit. Aucto-
em Quackerorum ſive Tremulorum, quidam fa-
unt *Jacobum Naylorum*, qui miles, Fairfaxio
: Cronvellio ſe addixit. Is, pro Chriſto ſe gere-
at, voceque, vultu, ac geſtu, ejus perſonam imi-
batur. Aliquando equinum conſcendens pul-
m, verſus urbem Briſtoliam equitabat, ſter-
ente viam ſuæ ſectæ populo frondibus, ramu-
ulisque, & Hoſanna, Hoſanna ingeminante.

Fuit aliis, Baccharum bacchantium furori-
us deliriisque, poſt annum quadrageſimum Se-
ili hujus, fœtum Angliæ vulgus, quorum lon-
um catalogum ex Thomæ Edoardi, Londinen-
s Paſtoris, libro, cui titulum *Gangræna* is fecit,

excerptum, Georgius Hornius inſeruit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ p. 293. & multis ſequentibus. Nobis paucos aliquos recitaſſe, ſufficiet ad ἐνέργειαν πλάνης cognoſcendam. Nimirum, his, quæ ſequuntur, inſaniis, nonnulli agitabantur. Scriptura non poteſt dici Verbum Dei, ſolus enim Chriſtus eſt Verbum Dei, Scriptura vero eſt litera mortua, nec majoris fidei quam humana ſcriptura. Scriptura eſt mera allegoria, & quoad propria nomina, & quoad perſonas, ac res: atque hæ allegoriæ ſunt myſteria, & ſpiritualis ſenſus ejus. Scriptura Veteris Teſtamenti, non concernit Chriſtianos. Ratio ſana, eſt Regula fidei; & eatenus credendum Scripturis, & doctrinæ Trinitatis, Incarnationis, Reſurrectionis, quatenus congruunt rationi; non aliter. Deus eſt autor peccati, quatenus eſt ἀνομία & ἀταξία. Omnia mendacia ſunt ex ore Dei. Nemo propter peccatum damnatur, ſed tantum, quia Deus ita vult. Homo habuit vitam, antequam Deus inſpiraret eam; & id quod inſpiravit, fuit pars eſſentiæ Divinæ, ac id ad Deum revertitur. Deus æqualiter diligit contemtiſſimam creaturam, uti bufonem, ac Sanctos ſuos. Anima cum corpore interit, & omnia, excepto Deo, finem habebunt. Vita, eſt ſpiritus Dei, revertens ad Deum, & Deus abſorbet eum, ſicut gutta ab oceano abſorbetur. Non ſunt tres perſonæ in Deo, ſed tantum tria officia. Per Chriſti mortem, omnia omniũ & ſingulorum hominum peccata, commiſſa contra moralem legem, & primum fœdus, ſunt remiſſa. Gentiles,

qui

qui nunquam audierunt de Chriſto, tamen habent Evangelium: nam, quælibet creaturæ, Sol, Luna, Stellæ, prædicant Evangelium hominibus. Chriſtus mille annis viſibiliter, ut Monarcha terrenus, regnabit, deſtructis omnibus Imperiis; & tunc ſublatis omnibus hoſtibus, Eccleſia Judæorum, & Gentilium, victura in pace: omnes Chriſtiani erunt ſine peccato, verbo, ſacramento, & hi mille anni tranſigentur in mundanis deliciis, generando liberos, edendo, bibendo, ludendo. Adamus etiam in ſtatu innocentiæ moriturus fuiſſet morte naturali. Peccatum Adami nemini imputatur, nec propter id homo punitur. Æque poſſibile fuit Chriſto peccare, ac fideli cuivis. Fideles non debent remiſſionem peccatorum a Deo petere: eſt enim blasphemia, ſi fidelis petat remiſſionem peccatorum, & David in eo eſt lapſus. Infantes non reſurgent, quia non ſunt capaces cognitionis Dei; ac per conſequens, nec fruitionis. Futura eſt omnium, quæ unquam vixerunt, brutorum, reſurrectio. Non eſt infernus, niſi in hac vita; atq; is infernus, ſunt legales terrores in hominum conſcientiis. Sacram Cœnam recipientes, operto, adminiſtrantes, aperto capite eſſe debent. Judaicum Sabbathum hodieque obſervandum. Concionandum, & dona exercenda, ſine ſtudio prævio, nec cogitandum, quid dicas, antequam dicas: quia Spiritus eo momento revelabit. Omnes libri, omnisque eruditio, exſcindendi. Chriſtiani non tenentur orare, niſi cum ſpiritus eos movet; atque quamvis multis ſeptimanis non ſentiant inſtinctum, tamen non eſt orandum. Licitum

viro

viro uxorem dimittere, propter aliquod vitium ac accidens; & vir in ea re ſummus eſt judex. Bigamia ſimultanea eſt licita. Parentes non debent catechizare liberos ſuos, nec docere eos legere Scripturas, precari, ſed debent eos Deo docendos committere. Illicitum eſt Chriſtianis pugnare pro legibus & libertate, occidere ullam creaturam, gerere Magiſtratum.

FRANCISCVS JOSEPHVS BORRI.

Franciſcus Joſephus Borri, Marchio Mediolanenſis, vir eximia corporis orisque dignitate, & mire facundus, ac opibus aliquando potens, cujus natales, quidam, ut gratiam apud illum inirent, ab *Afranio Burrho*, rectore Neronis Cæſaris, repetiverunt, Romæ nunc in S. Angeli Caſtello, ab Inquiſitionis Officio concluſus tenetur. Is, tum variis artibus, tum & novis opinionum commentis, haud ita pridem per Europam omnem inclaruit. Quod ad dogmata attinet, in vulgus jactavit ille, multisque perſuaſit, imminere mundo illud tempus, quo unum tantum Eccleſiæ ovile futurum ſit, deſtructis hæreſibus & hominibus peccatoribus, per exercitum, cujus ſummam curam Deus, ſibi *Pro-Chriſto* (hoc enim nomine ſe appellandum eſſe, tanquam Chriſti defenſorem) commiſſurus ſit, una cum Philoſophorum lapide, ad perſolvenda ſtipendia. Fruituram igitur Eccleſiam pace, ſpatio mille annorum, Sathana interea per Michaëlem Archangelum apud inferos alligando. Beatam Mariam Virginem Deam faciebat, ita ut Spiritum S. in utero

S.An-

S. Annæ humanam carnem aſſumſiſſe contenderet, unde Mariam, *unigenitam Altiſſimi filiam* vocabat, jubebatq; , ut, quos ſibi obnoxios habebat, Sacerdotes, in Canone Miſſæ adderent verba: *Uniſpiratam filiam.* Hinc porro aſſerebat, Euchariſtiam, non tantum Chriſti Domini, ſed & Mariæ corpus continere, & ideo a Sacerdote celebrante reponi in calicem particulam hoſtiæ conſecratæ, ut exprimatur conjunctio Chriſti, cum ſanctiſſima ſua Matre, in pretioſiſſimo illo Sanguine. Gloriabatur, cognoſcere ſe ex fronte hominis, interiora animi: quod ibi ſpectare conceſſum ſibi ſit cujusque Angelum cuſtodem, ſub ſpecie rotundæ lucis: unde conſuetudo inter ſui ſequaces obtinuit, oſculandi ſeſe mutuo in fronte. Egi, plus ſimplici vice, cum Illuſtri hoc novæ religionis architecto, Amſtelodami, ubi, Italiam fugiens, domicilium aliquandiu fixerat; nec mediocriter illius me cepit conſuetudo, quam multi Germaniæ Principes, ſuſceptis ultro ob eam rem itineribus, aureos, montes ſibi exinde ſolliciti, ambiverunt. Erroris præcipui de B. Maria Virgine, hanc, per manifeſtam ἀσυλλογισίαν, apud me allegabat rationem, quod certum ſit, Chriſtum natum eſſe ex Spiritu S. cum vero ex B. Maria Virgine idem natus ſit, hinc ergo effici, Mariam eſſe Spiritum Sanctum. Addebat, palam favere ſententiæ ſuæ, ſymbolum, quod in omni Miſſa dicitur, Nicænum, verbis: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis; & incarnatus eſt de Spiritu S. ex Ma-*

riæ

ria Virgine, *& homo factus eſt.* Abjuravit deinde Romæ errorem, ſolemni ceremonia: in Diſcipulos quoque pleroſque, quos XII. habebat, & nominibus Apoſtolorum inſigniverat, animadvertit Inquiſitio.

MEMORABILIA.

SVb finem ſuperioris Seculi, prodiit quidam Venetiis, qui ſe SEBASTIANVM LVSITANIÆ REGEM, quondam A. 1578. in Africa ad Alcaceram victum, quemque periiſſe omnes credidere, jactabat. Dicebat, poſt prælium infeliciter commiſſum, ſe pudore confuſum, obvia celoce conſcenſa, Algarviam perveniſſe, curatisq; vulneribus, decreviſſe remotiores orbis adire provincias. Penetraſſe igitur ſe in Perſiam, variisque præliis interfuiſſe. Poſtea peregrinationum pertæſum, ſe in ſolitariũ locum apud Georgianos, ut pietati indulgeret, ſeceſſiſſe; inde Siciliam atque hinc Venetias petiiſſe. Et vero, voce, vultu, geſtu, Sebaſtianum Regem tam exacte referebat, ut a Luſitanis, ibi degentibus, pro vero Sebaſtiano haberetur; imo res maxime arcanas, quas cum Venetorum Legatis Sebaſtianus olim tractaverat, Senatui aperuit. Sed tantum valuere Hiſpani apud Venetos, ut ab iis urbe pelleretur; inde diſcedens, in Hetruria captus, Neapolimque abductus, omnibus ludibrio fuit, aſino inſidens per urbem circumductus, Poſtea raſus, & ad triremes damnatus, denique in Hiſpaniam deductus eſt, ubi A. 1601. in carcere & vinculis periit. Illum vero Luſitani tanquam

am Regem genuinum ſibi concedi petierant. ſane in colloquio cum Duce de Medina, inter rios qui proponebantur gladios, eum, quo ille Sebaſtiano, ad ipſum Legatus miſſus, donatus erat, commonſtravit, & adeo in monilis, quod njux Ducis tum acceperat, gemma aliqua, tendit, Sebaſtiani nomen in ea parte, quæ auro gebatur, eſſe ſculptum, quod hactenus nonm fuerat cognitum.

A. 1600. *Alexander Ruvenus*, ejusque frater *oannes*, JACOBVM SCOTORVM REGEM in teriora conclavia, quaſi ad contemplandum eſaurum trahentes, occidere moliuntur. Sed x, inermis ipſe, percuſſoris manum, verbis imum, mox injecta dextra inhibuit, donec acis clamore duobus viris fortibus, utrumque rricidam interemit.

A. 1602. CAROLVS EMANVEL SABAVÆ DVX, in ipſo brumali ſolſtitio, intempeſta cte, *Genevam* adoritur. Ducenti bellatores n in muris erant, cum, cæſis excubitoribus, er, qui laternam geſtabat, profugus, periculum unciavit; quo exciti cives, depulere perſcaaſcendentes hoſtes, quosdam captos, pœnis ecere. Ab eo tempore, *Scalarum feſtum* urbi emne.

A. 1603. fato ſuo functa eſt ELISABETHA, NGLORVM REGINA, fœminarum omnium, æ ſceptrum geſtarunt, feliciſſima, cum vixisannos 70. regnaſſet, 45. Heredem ſcripſit *Jaum VI.* Scotorum Regem, amitæ ſuæ pronetem, qui Angliam, Scotiamque, uno *Magnæ itanniæ* nomine complexus eſt.

A. 160

A. 1604. non minus ingenioſa, quam pertinaci, *Ambroſii Spinolæ* opera, expugnata eſt OSTENDA. Nulla huic obſidioni par unquam fuit, quæ, undequadraginta menſes continuata, dum obſtructo portu alium ſtruunt obſeſſi; dum, oppugnato veteri oppido, novum moliuntur; dum occiſis centurionibus, tribunis, ducibus, ſubſtituuntur recentes; dum commeatus & arma, ſpreto vitæ periculo, inter infeſta hoſtium tela important; dum confligitur cum hoſte, cum fame, cum morbis, cum inundationibus; dum faciunt utrinque, & patiuntur fortia. Vniverſa 145, aut, ceu quidam numerant, 160. millia hominum hæc obſidio abſumſit.

A. 1605. DEMETRIVS, Johannis Baſilidæ filius, qui pridem a Bori Fedrovitzio interemtus credebatur, quaſi redivivus in ſcenam prodit, occultatum ſe ferens in Jeſuitarum cœnobiis, ut, fato ſibi ac jure debitum imperium aliquando recuperaret. Perſuaſum Regi Polono, & Sendomirienſi Palatino, hunc genuinum heredem eſſe. Adjutus exercitu, pacta ſibi Sendomirienſis filia, in Ruſſiam ducit, Coſaccos ſibi conciliat, Multis *Boriſii* tyrannidem averſantibus: arces, favore nominis, & loca munita haud pauca ſibi acquirit. Victus initio a Bori, ſed altero prælio victor, pereunte mox tyranno, liberiſque ejus veneno necatis, magna plebis gratulatione Moſcoviam ingreditur, coronatur, fœdus cum Polono facit, magnifico apparatu Sponſam e Polonia adductam ſibi copulat. Cæterum, Ruſſi Proceres, fictam eſſe perſuaſi de Demetrio fabulam,

& in-

ndignati Polonorum faltum, in exitium eorum conſpirant. Firmati concurſu plebis, omnia permiſcent cædibus: e Polonis, mille ducenti, e Ruſsis quadringenti peremti fuerunt. Demetrius, multis vulneribus confoſſus, omnibusq; proſciſus fuit ludibriis; Sponſa, gaza penitus ſpoliata, n Poloniam remiſſa eſt. *Baſilius Johannides Zuskj*, onſpirationis ſignifer, concordibus Procerum otis, Imperator renunciatur.

JACOBO, Magnæ Britanniæ Regi, Reginæ, Liberis, ac Magnatibus univerſis, exitium paratur, *Conjuratione nefanda, quæ Pulveraria dicitur*, & uam, non ſine ſingulari Divina providentia deectam eſſe, omnes, qui rationem ſanam non ejuarunt, fateantur neceſſe eſt. Conſceleratorum nus, monuerat occultis literis *Montaquilium*, ne ntereſſet Regni, quæ tum agebantur, Comitiis, uod improviſum ictum ſenſura, nec viſura perufſorem ſint. Miſſi, qui cellam Curiæ ſubterraeam ſcrutarentur, ac XXXVI. dolia, pulveris niati plena, fuere inventa. Injecta manus *Faukio*, ui ocreatus forte ad januam aſſiſtebat. Is exuſſus, cum funes cannabinos celare nequiret, atim crimen prodidit. Ejus flagitii peracti rei eſuitæ, nec pauci Magnates, qui partim cæſi in ga, partim ſupplicio affecti ſunt.

A. 1609. Mortuo JOHANNE GVILIELMO VLIACENSI Duce ſine prole, atque inde, *Johanne gismundo* Electore Brandenburgico, hinc *Wolfngo Wilhelmo* Comite Palatino Neoburgico, iisque, ex connubiis cum defuncti ſororibus ognatis, ſucceſſionis jus prætendentibus, Im-

perator litis disceptationem ad ſe revocans, interim *Leopoldum Auſtriacum*, Epiſcopum Argentoratenſem & Paſſavienſem miſerat, ſuo & Imperii nomine Juliacenſes ditiones recturum. Hujus partibus, Principes Pontificii, illorum, Proteſtantes plerique ſtudebant. Hinc Conventus Halæ Suevorum Proteſtantium, & Herbipoli Romano Catholicorum: hinc fœdera cum exteris, & conſpirationes inteſtinæ. Sed Brandenburgicus, & Palatinus, re inter ipſos pro tempore compoſita, ſcripſere militem, & pleraque Ducatus oppida, ſuæ poteſtatis fecere, excepto *Juliaco*, quod Leopoldus detinebat. Verum & illud, a Mauritio Naſſovio, & Chriſtiano Anhaltino obſeſſum, ſimulque auxiliaribus Gallorum copiis oppugnatum, deditione accipitur poſt bimeſtre.

A. 1610. FRANCISCVS RAVALIACVS, Angolumenſis, extremæ homo dementiæ & impietatis, interficiendi *Henrici IV.* Galliæ Regis conſilium capit. Eum offendens in rheda, Lutetiæ circumvehentem, contemplandi cauſa apparatus, qui Reginæ recens coronatæ, excipiendæ fiebat, ipſum præcipiti inſultu, gemino ad cor ejus illato cultri ictu necat. Sicarius perditiſſimus, vix ullo idoneo pœnitentiæ ſigno edito, inter exquiſitiſſimas pœnas, nefarium ſpiritum exhalavit.

CXII A. 1616. Cum Magiſtratus DELPHIS, novo portui fabricando, nova tributa, ſed tantum frumento, non autem vino impoſuiſſet, fœminæ, quaſi divites, qui præ aliis vinum bibunt, ſibi par-

cerent

erent, iratæ, ædes tributarias invadunt, feneſtris fractis tabulas publicas lacerant: ſimili modo Curia. & domus cujusdam Senatoris tractatæ, adeo, ut Senatus rabiei cedere, & legem abrogare cogeretur.

A. 1618. die 15. Auguſti, veſperaſcente cœlo, rupes altiſſima, PLVRAM, Rhetiæ nobilem vicum, templis & palatiis egregie ornatum, uno momento, cum mille quingentis hominibus obruit; nec vola, nec veſtigio relicto. Ejus loco, apparet hodie lacus, ſesquimilliari Italico longus.

Circa finem anni 1618. DORDRACI, a Reformatis habita eſt Synodus Nationalis, cujus Præſes fuit *Johannes Bogermannus*, Eccleſiæ Leovardenſis Paſtor. Aſſesſores erant, *Jacobus Rolandus*, Amſtelodamenſis, & *Hermannus Faukelius*, Middelburgenſis Paſtores. Synodi Scribæ ſederant, *Sebaſtianus Damman*, Zutphanienſis, & *Feſtus Hommius*, Leidenſis Paſtores. Præter indigenas Theologos, Germani, Galli, Helvetii intervenerunt. Ex *Remonſtrantibus*, præcipuus fuit *Simon Epiſcopius*, Theologiæ Profeſſor Leidenſis. Abſolvebatur Synodus Seſſionibus 154. Damnata dogmata aliqua Arminianorum; confirmata Confeſſio Belgica, & Catecheſis Palatina; itemque Verſio nova Bibliorum decreta.

A. 1620. Rex Poloniæ SIGISMVNDVS, magnum periculum incurrit. *Michaël Piecharſchi*, Nobilis Polonus, non ſatis compos mentis, Curatores a Rege, gubernando patrimonio, acceperat. Id vecors ille ignominiam ratus, eam morte Re-

te Regis ulciſci ſtatuit. Igitur, die quodam, progredientem in templum, in ipſo illius aditu, ferro ex occulto invadit, & priusquam animadverteretur, bis in facie ac humero, etſi non lethaliter vulnerat. Rex ipſe, metu conterritus, in terram prolabitur; accurrunt Proceres, ac ſicarium intercipiunt. Is, laceratus per tormenta, ut conſcios ederet, neminem nominare potuit, hoc unum pertinaciter conqueſtus, nihil ſibi gravius dolere, quam quod deſtinata non perfeciſſet. Damnatus dein, atque ignitis forcipibus concerptus, amputata dextra, poſtremo, a quatuor equis in totidem partes diſtractus eſt, quæ mox in cineres redactæ: atque hi, in Viſtulam fluvium projecti fuere.

A. 1621. Ordines Fœderati Belgii, SOCIETATEM MERCATORUM, ad annos XXIV. in Indias Occidentales, certis legibus firmatam edicunt. Præſcripti *limites*, a Tropico Cancri, ad Promontorium Bonæ Spei, per Africæ atque Æthiopiæ litora. Inde, dextrum in latus Braſiliam legendo, ac rurſus transmiſſo Magellanico freto, per immenſos Americani maris tractus, ad fretum usque Anian. Prohibitæ privatorum negotiationes intra hos terminos, ne ſingularis lucri ſolicitudine, boni publici ſpes everteretur. Deſignati Quæſtores, Præſideſque, rei nauticæ & mercatoriæ periti. Indultum Societati, cum Indicis Regulis ac Dynaſtis quibuscunque, inire fœdera, bella gerere, arces, regioneſque invadere, terras incultas, inductis populis, excolere: demum, ſecuritati & fortunæ ſuæ, pro arbitrio

Præ-

Præſidum, & re nata, omni ſtudio, quam optime onſuiere. His ita ordinatis, præfixi quinque nenſes, intra quos, qui in Societatem admitti vellent, nomina ſua, & quantum quisque conſerre meditaretur, apud Conſulem Amſtelodanenſem, aliosque deſignatos, profiterentur: teria pecuniæ parte ſtatim depoſita, reliquis duaus, ſequenti triennio conferendis.

A. 1626. AMBROSIVS SPINOLA, novam lomandi Hollandos artem commentus, Rheni urſum ab iis avertere, atque ita commerciis, quæ illis cum ſuperioribus Germanis intercelunt, prohibere molitus eſt. Ergo cœptus apud *Rheinbergam* novus alveus verſus Geldriam duci, qui, Rhenum inde in Moſam, apud *Venloam* deerret. Cæterum, non minus Hollandi ad impeliendum, quam Hispani ad moliendum opus, ntenti erant. Sed hos, difficultas & magnitudo ſumtuum, illud tandem omittere coëgit; extantque adhuc tanti conatus non obſcura veſtigia.

A. 1628. PETRVS HEINIVS, Ordinum Fœderati Belgii Archithalaſſus, poſtquam litora Hiſpaniæ, & portum Gaditanum, diu infeſta claſſe vexaſſet, menſe Majo in Americam vela converit, & deprehenſam, cui diu inſidiatus fuerat, Peruanam Hispaniæ Regis Claſſem, quæ vectigale aurum ferebat, dilapſis paucis navigiis, ſuæ poteſtatis fecit. Quidam eam prædam XVII. millionum fuiſſe prodidere, & metus erat, ne communis, Regis Hispaniæ Legiones, ſeditio incesſeret, Belgicas maxime, quibus multa ad eum

diem debita ſtipendia, ad claſſis hujus appulſum repræſentari debebant.

Hoc anno 1628. ARMANDUS CARDINALIS RICHELIUS, Ludovici XIII. Galliæ Regis auſpiciis, contra omnium opinionem, *Rupellæ expugnationem*, ſuperiori anno cœptam, perfecit, cum ad ſe dedendos, durum telum neceſſitas, incolas adegiſſet. Spem magnam repoſuerant cives in auxilia Anglicana, quæ Carolus I. Rex novus, pollicitus fuerat, ſed hæc, *Pompejus Targonius*, Gallicus caſtrorum metator, obſtructione portus avertit, quam, depreſſis in fundum navigiis, doliisque, quæ ſabulo, lapidibusq; oneraverat, producta item ex una in alteram partem ferrea catena, perfecit. Inſuper, certo intervallo diſpoſitas naves, ingentibus trabibus, pontium inſtar, inter ſe commiſit. Et quanquam repentina nonnunquam tempeſtas opus illud convelleret, tamen quæ deſtructa erant, ſtatim repoſuit, & validioribus fulcimentis ſtabilivit. Cæterum, ad urbem quod attinet, defecerat in ea, quicquid reperiebatur animalium; feles, mures, glires, canes, equi; ultima eſuries, veteribus animantium coriis explebatur. Calceamenta, crepidæ, ocreæ, coria longo uſu exſiccata, Notariorum ex membrana inſtrumenta, tranſibant in eſcam. Mater, non abhorruit filiam pro alimento adhibere; ſoror, fratris ſui digitos corrodere. Hæc calamitas, univerſum trimeſtre duravit, atque XV. circiter incolarum millia, fame magis, quam ferro perierunt. In poteſtatem redacta urbs, mœnibus, vallo, cæteriſque munimenta

ientis fuit diminuta; Templum Reformato-
um præcipuum, Patribus Jeſuitis conceſſum;
rivilegia, & bona publica ademta; multi cives
roſcripti, bonis eorum in fiſcum redactis.

A. 1535. Mira res in Boruſſia accidit. AN-
REAS GRVNHEIDE, ex *Grunwalda*, qui locus
ptem a Regiomonte milliaribus diſtat, oriun-
us, diu ſtomachi languore laborabat, atque ideo
omitionibus asſuetus, cum aliquando, pro mo-
e ſuo, arrepto cultello, manubrium ejus in fau-
es immitteret, gulæ ad vomitum ſtimulandæ
auſa, cultellus forte e manibus elapſus, gulam
rofundius ingreditur, ac demum, etſi ægre, in
omachum ipſum deſcendit. Ancipiti malo, &
aud dubie in exitium hominis vergenti, anceps
uoque & ſtrenuum remedium, conſilio Medi-
orum Regiomontanorum adhibetur. Nempe,
gro, firmis aſſeribus alligato, ne verſare ſe poſ-
t, cum jam ante ad eliciendam ferri aciem, me-
icamentum magneticum affectis partibus per
ies aliquot applicuiſſent, chirurgus, paulo infra
oſtas ſiniſtri lateris, corpus, novacula, ad ipſum
sque ventriculum aperire cœpit, ac mox per-
ntato eo apertoque, levi e vulnere cultellum
trahit. Æger deinde, adhibitis fomentis, &
ebita curatione, brevi plane convaluit. *Cultel-
m*, Rex Poloniæ, per idem forte tempus Re-
iomontem intrans, ad ſe recepit.

Anno 1636. alia res, memoratu digna, Re-
omonte accidit. *Johannes Adelgreiffus*, ſe Deum
atrem eſſe profitebatur, utque imperitæ multi-
dini fidem faceret, variis, in aëre & cœlo præ-

 ſtigiis,

ſtigis, ope haud dubie mali dæmonis patratis, oculis incautorum illuſerat. Callebat Hebraicam, Græcam, Latinam, Polonicam, Lithuanicam, & Curlandicam linguas, etſi non omnes æque promte. Habitu vili, aſpectu tetriore fuit. Delatus ad Magiſtratum, poſtquam præter impoſturas & veneficia, variorum præterea adulteriorum reus cognoſcitur, ad mortem damnatur. Eam ille, nullo ſigno formidinis, vultu læto atque hilari adiit, identidem affirmans adſtantibus, ſe tertia poſt die a mortuis reſurrecturum; neque ab illis perſuaſionibus, homo vecors, ulla ratione, ad ſanitatem mentis revocari potuit. Huic carnifex cervicem abſcidit, cadaver rogo impoſitum.

A. 1640. CATALAUNI, hibernantium militum injurias, ac tributorum frequentiam jam diu queſti, arma corripiunt, ac *Barcinone* imprimis, quæ eſt Catalauniæ metropolis, omnia magno tumultu commiſcentur. Regium præſidium ex urbe, hibernantes milites, e tota provincia exturbati. Prorex, dum tantam audaciam, immiſſis lictoribus, compeſcere ſtudet, cum præcipuis Conſiliariis interficitur. Alii dein, Regiarum partium, & primores quique, ſimili modo necati a furentibus, aut ſaltem exuti bonis, in exilium ejecti ſunt. Poſt hæc, Ærarium Regium in prædam ceſſit. Denique (quod eſt omnis fere rebellionis perfugium) deſperatione veniæ, ad vicinum Galliæ Regis auxilium confugiunt, electo in Principem, Duce Andegavenſe, Regis Galliarum filio, infantulo trium menſium.

Ita

Ita Rex Galliarum, Catalaunos in fidem ac patrocinium recepit.

Hoc ſucceſſu animati LVSITANI, iisdem ex cauſis, agitatam jam diu defectionem, Olyſippone ordiuntur, interfecto *Vaſconcello Secretario*, & Regiarum partium primario miniſtro. Inde novum ſibi Regem eligunt, *Johannem Ducem Bragantiæ*, qui, ab Emanuele, Rege Luſitaniæ, genus ducebat (*Catharinam* enim, Eduardo, Emanuelis filio prognatam, aviam habebat,) affinitate Regii ſanguinis, & magnitudine opum, inter Hispanos prævalidum. Exteris non ingratum fuiſſe hunc motum, docuit exemplum Regis Galliæ, qui ſtatim milites, & Duces belli expertos, novo Regi ſubminiſtravit. Fœderati item Belgii Ordines, fœdus cum eo percuſſerunt; in Anglia, Legatus Johannis, tanquam a Rege miſſus, excipiebatur. *Vrbanus VIII.* quoque Pontifex, poſt habitam cum Collegio Cardinalium deliberationem, Legatum Regis, Epiſcopum Lamecenſem, Romam venire, & negotia illius Regni curare permiſit, ſed ex veteri tantum more, apud Romanam Curiam in ſimilibus caſibus obſervato, quo diſſidentibus de Regno Principibus, ejus qui Regnum poſſidet, Legatum admittit, ne interim Res ſacræ in illo Regno detrimentum capiant: benedictionem vero Apoſtolicam, licet ſæpius petitam, Johannes impetrare nunquam potuit, Hispano, ingentibus minis, id prohibente.

A. 1643. ROCROAM, Gallicam, in Campania, urbem, obſidebat *Franciſcus Melo*, cum Hispanico exercitu, jamque obſeſſos ad extrema per-

duxerat, adeo, ut deditio in ſingulas horas exſpectaretur. At, *Ludovicus Dux Anguienſis*, contractis omnibus copiis, laborantibus in auxilium accurrit. Quanquam autem nox immineret, exercitusque ab itinere feſſus eſſet, tamen, liberandæ urbis cupidine, caſtra Hiſpanica aggreditur. Sed nimia præcipitantia clade non modica expiata eſt. Repulſus igitur Ludovicus, quietem aliquam curandis corporibus conceſſit. Poſtridie, vix dum albeſcente aurora, confirmatis copiis, multo majore impetu in Hiſpanos irruit. Neque tunc audentem fortuna deſtituit, fuſique ac fugati Hiſpani fuerunt. *Comes Fontanus*, oblatam ab hoſtibus vitæ gratiam conſtanter repudians, cladi ſuæ immori maluit. Capta impedimenta, & militare inſtrumentum omne. Equitatus maxima pars, cum *Duce Alberquerquio*, qui illi præerat, maturata fuga, inſequentes Gallos, diſcrimenque evaſit.

Eodem hoc tempore, novum bellum in Italia exortum eſt, inter Pontificem VRBANVM VIII. & ODOARDVM FARNESIVM, Ducem Parmenſem, cujus talis origo fuit. *Parmenſis, Caſtri Ducatum*, quem a Sede Apoſtolica fiduciario jure obtinebat, multo ære alieno, contra leges fiduciæ ſuæ, obligaverat. Id improbavit Pontifex, mandavitque Parmenſi, ut ditionem illam omni debito liberaret. Quod cum ille negligeret, Pontifex ditionem Caſtri, aliasque poſſesſiones ejusdem Ducis, quæ, Romæ in poteſtate ſua erant, æſtimari, atque ex iis æs alienum exſolvi jubet. Hanc injuriam, uti accipiebat, Parmenſis armis ulci-

ulciſci ſtatuit. Ergo inito fœdere cum nonnullis Italiæ Principibus, infeſto exercitu Pontificias regiones ingreſſus, bellum molitur, quod, multis ultro citroque cladibus, biennio fere geſtum, paulo ante mortem Pontificis componitur. Parmenſis, Ducatum *Caſtri*, quæque alia edicto Pontificio ablata fuerant, iterum accepit.

A. 1646. inter Halberſtadium & Aſcherslebiam, in pago HORNHAVSEN, multi diverſis in locis fontes eruperunt, tanta vi ſalubrium aquarum, ut locus ille, multorum mox millium, omnis ætatis, generisque, & conditionis hominum adventu, celebraretur. Sed, ut multi, temperato earum uſu, remedium, ita nonnulli quoque, cum immoderata copia illas hauſiſſent, exitium ſibi ipſis accerſiverunt.

In annum 1647. incidit memorabilis in omne ævum NEAPOLITANA SEDITIO, vix fidem apud poſteros, tarde credulos, inventura. *Rodericus Ponzius*, Arcoſiæ Dux, Prorex illius Regni, pro novo Regio donativo, novum vectigal in poma, atque olera, ſimilesque hortenſes fructus, impoſuerat. Prodiit ergo in ipſa urbe Neapoli *Thomas Agnellus*, (*Maſaniellum* vulgo contracto nomine vocabant) qui ſe liberatorem patriæ profitebatur, & negotium abrogandorum vectigalium in ſe ſuſcipiebat. Juvenis is erat audax, & temerarius, qui vili officio in foro piſcario fungebatur, ſed lingua promtus, vitæque contemtor, adeoque concitandis ſeditionibus perquam idoneus. Accidit autem quodam die, ut Maſaniello piſces, quos ad forum venales deportabat,

juſſu

juſſu Præfecti rerum forenſium: auferrentur, propterea, quod tributum de illis ſolvere neglexerat. Quamobrem, cum parva manu puerorum, cui ſe identidem alii atque alii e plebe adjungebant, prorumpit in forum, ædesque publicas, in quibus vectigalia pendi mos eſt, cum rationariis & libris omnibus, ſubjecto igne incendit. Neque hæ tantum, ſed & palatia eorum, qui exigendis vectigalibus præerant, cum pretioſa ſupellectile, jumentis etiam, equis ac mulis comburebantur, nemine, vel ullam minimam rem igni ſubtrahente. Mox, cum majore multitudine, Proregem Maſaniellus adit, abrogationem omnium vectigalium, & inſtrumenta privilegiorum Ferdinandi Regis, ac Caroli V. Cæſaris ſibi exhiberi expoſcens, oſtentata vi, niſi poſtulatis ſuis ſatisfieret. Simul correpti aliqui, qui adverſabantur, & juſſu ejus interfecti, ac pretium pani, eduliisque reliquis, conſtitutum. In tanta rerum omnium perturbatione, *Cardinalis Philomarini*, urbis Archiepiſcopus, magnam cumprimis diligentiam adhibuit, ut populum compeſceret. Cum enim, per omnes Eccleſias, expoſito ubique Sacramento, preces univerſales indixiſſet, ipſe ſe furentibus immiſcuit, atque ante omnia cum Maſaniello, a quo omnis populus dependebat, diligenter atque ſolicite egit, ut res ad quietem deduceretur. Populi poſtulata erant, abrogatio omnium vectigalium, quæ, poſt *Privilegia* Ferdinandi Regis, & Caroli Cæſaris, irrepſiſſent; atque eorundem Privilegiorum extraditio. Deinde, omnium, quæ per hunc tumul-

tum

um facta eſſent, condonatio, ac perpetua oblivio. Hæc, ſi promitterentur, ſpondebat Maſaniellus, ſe, abdicato imperio, populum ad ſua dimiſſurum. Non reperiebant Prorex atque Archiepiſcopus remedium ullum multitudini diutius obſiſtendi, igitur, ne Regnum univerſum, cæteroqui in diſcrimen deducerent, tradita Maniello privilegia, & cætera, quæ petebantur, iberaliter promiſſa. Adjectum his, ab Archiepiſcopo, menſtruum donarium pro Maſaniello, ducentorum coronatorum, quod tamen ille recuſavit. Pace perfecta, Maſaniellus ab Archiepiſcopo ad Proregem deducitur. Ibi, omnibus corroboratis, ad populum regreſſus, quæ acta fuerant, pronunciat: ſimulque, ut modeſte & pacifice inter ſe agerent, ſevere edicit. Arma autem retineri voluit, donec ab Aula Hispanica, eorum, quæ acta fuiſſent, confirmatio adveniſſet. Addunt quidam, illum *Fonſecæ*, Equiti Neapolitano, in mandatis dediſſe, ut marmoreis tabulis inſcribi faceret: *Mas-Aniellus, Princeps, Duxq; populi Neapolitani, mandat omnibus ac jubet, ut poſthac ſolius Ducis Arcoſii, Proregis, juſſa & leges excipiant.* Enimvero, Maſaniellus, re, ut putabat, egregia geſta, mox in delirium actus eſt. Sunt, qui potione apud Proregem id illi procuratum aſſerant: alii, ex multitudine, atque inſolentia negotiorum, quibus piſcatorium caput non aſſueverat, & quia intra octiduum, quibus hæc geſta ſunt, ſomnum nullum, imo vix cibum ceperat, hoc eveniſſe arbitrantur. Cæterum, utut ea ſe habent, cum homo amens poteſtatem

adhuc

adhuc exerceret, multa autem præpoſtere, ac ſuperiorum dierum edictis contraria juberet, apud ſuos in odium venit, atque a quatuor Nobilibus, hac occaſione in tempore uſis, interficitur. Caput a lanione cultro abſectum, & oblongæ perticæ impoſitum, reliquus truncus, ab ardelionibus quibusdam, per publicas plateas palam tractus, diu ſpectaculo fuit. Sed, ſublato autore, turbæ non quievere. Res enim paulatim ad bellum civile converſa, ac diviſis inter ſe partibus, Populus urbem, Prorex, cum Nobilitate, Arcem tuebantur. Interim Galli, hac commoditate utendum rati, *Ducem Guiſium*, cum claſſe ſubmittunt, qui, magno triumpho, a plebe exceptus, eam diu acerrime defendit. Paulatim tamē ſubeunte belli tædio, amor & obſequium erga Regem rediit. Data venia pœnitentibus, receptique in gratiam a *Johanne Auſtriaco*, & novo Prorege *Comite Ognatio*, ad quietem ſe compoſuere. Dux Guiſius, deprehenſus in fuga, in Hiſpaniam abductus eſt.

Diu hactenus cum inteſtino bello conflictata fuerat ANGLIA. Occaſio ejus, Liturgia, a *Wilhelmo Laudo*, Archiepiſcopo Cantuarienſi, ſcripta, quæ Pontificiæ religioni favere videbatur, & regimen Epiſcopale ſtatuminabat, ac de qua Synodus Glasguenſis Seſſ. 14. judicavit, eſſe *Liturgiam, legitimam, & longo uſu receptam cultus divini externam formam, prorſus abolentem, ac in ejus locum ſubſtituentem aliam, a Pontificiis mutuatam, ac ex Miſſali, Rituali, & Breviario Romano deſumtam; plurima ſuperflua, & ridicula ac ſuperſtitioſa, ſemina*

etiam

tiam graviſſimorum errorum ac idololatriæ conti-
entem. Accedebat, quod Rex *Carolus*, Eliſabe-
hæ Reginæ, & Jacobi Patris ſui, itemque Parla-
nenti decreta, contra Romano Catholicos fa-
ta, confirmare renueret, multisque Sacerdoti-
us Pontificiis, in aula Conjugis ſuæ, morandi
oteſtatem concederet. Exacerbati itaque
mnes, qui tam in Scotia quam in Anglia *Puri-
anas* partes tuebantur. Et primo quidem Sco-
i, cum conſuetudines quasdam in ſacris publi-
is, poſt editam Liturgiam, mutatas, fruſtra fuiſ-
ent conqueſti, viginti millium exercitu lecto,
aſtra in Angliam moverunt, nec parca caſtella
x oppida expugnarunt. Sed, interventu Pro-
erum Anglicorum, pax ſancita, & Parlamentum,
arlamentariis id urgentibus, convocatum. In
ioc, *Thomas Wentworth*, Comes Staffordiæ, &
rorex Hiberniæ, invito Rege, & indicta plane
auſa, ad mortem damnatus, ſecuriq; fuit percus-
us: Epiſcopi etiam, omni gradu & potentia
lejecti. Rex igitur ſibi timens, Londino diſces-
it, & Regina, prætextu deducendæ in Hollandi-
m filiæ *Mariæ*, quæ Wilhelmo Principi Au-
iaco deſponſabatur, tumultibus excedens, ſecu-
itati ſuæ proſpexit. Parlamentarii, ſumto inde,
le obfirmato Regis adverſus Puritanos animo,
onjectura, diffidebant tanto magis, ſeque invi-
em ad mutuam defenſionem animantes, Du-
em ſibi *Comitem Eſſexium* eligebant. Collegit
rgo & Rex copias, ac contra Parlamentarios,
ugnavit primum haud infeliciter. Sed, *Eboraco*,
Scotis & Parlamentariis obſeſſo, ſubventurus,
totum

totum amiſit exercitum. Creſcentibus ſic Parlamentariorum factionibus, Wilhelmus Laud, ſupra nominatus Archiepiſcopus Cantuarienſis, magnus Puritanorum hoſtis, & liberrimæ poteſtatis Regiæ, quam Parlamentarii impugnabant, aſſertor, capitis damnatus, cumque eo decollato, Epiſcoporum nomen omne ſublatum. Rex interea apud Eboracum victus, evaſerat; quam urbem cum obſeſſurus eſſet *Thomas Fairfaxius*, ille, veſte mutata, ad caſtra Scotorum tranſiit. Scoti, accepta pecunia, Regem, Anglicanæ militiæ primoribus tradunt, ea tamen lege, ut honeſtis cum illo conditionibus tranſigerent, eumque in regnum, & dignitatem reponerent. Rex, ab exercitu Anglicano, ejusque ſupremo Præfecto Thoma Fairfaxio, ſummo honore acceptus eſt, atque inde apud Vectem Inſulam, in Arcem Caresbroch in cuſtodiam datus. Ibi, cum initio magnifice, & proxime libertatem tractaretur, paulatim tamen arctius ac difficilius haberi cœpit. Interim, Londini in Parlamento, de reſtitutione ipſius, & conditionibus pacis agebatur. Quæ, cum fere ad exitum perductæ eſſent, repente Primores militiæ, in quorum poteſtate Rex erat, nihil minus quam reſtitutionem ejus deſiderantes, tractationi huic intercedunt, oblatoque libello, quem multis in Regem criminationibus oppleverant, vocari illum in jus, & cognoſci de criminibus ejus poſtulant. Summa accuſationis erat, inteſtini atque atrocis belli invidia, quod ille, contra leges patrias, quibus etiam Reges tenerentur, temere & crudeliter adver-

dverſus innocentes ſubditos ſuſcepiſſet, nulla
lia de cauſa, niſi, ut vim atque autoritatem Par-
amenti opprimeret, quo ipſe, quaſi fræno ſolutus,
n opes atq; animos ſubjectorum dominaretur.
Hinc, ſuæ potentiæ ſtabiliendæ, gravia tributa
exegiſſe; per Epiſcopos novas cæremonias ac ri-
tus Papiſticos induxiſſe in Eccleſias; Germanos
equites, pedites Hibernos, per urbes atque op-
pida, velut in præſidiis collocaſſe; in Hibernia
Pontificiorum delectus habuiſſe; a Rege Daniæ,
aliisque externis, arma, equos, auxilium peti-
viſſe; ſolicitaſſe exercitum Anglorum, Scoto-
rumque pretio; illis urbem Londinum diripien-
dam, his quatuor provincias Aquilonares, Re-
gno Scotiæ adjungendas promiſiſſe, ſi ad Parla-
menti exitium ſecum conſpirarent. Cæterum,
cum ad libellum a Parlamento non reſpondere-
tur, *Fairfaxius*, & *Cronvellius*, Anglicani exerci-
tus ſupremi Duces, cum copiis ſuis Londinum
advolant, occupataque urbe, quotquot factioni
illorum adverſabantur, e Parlamento ejiciunt,
novosque inde Senatores, & ſuarum partium
ſubſtituunt, *Indepententes* pleroſque, & Regiæ
gubernationis oſores. Ex his deinde, & mili-
tiæ Anteſignanis, novum juſtitiæ tribunal eri-
gitur, quod de Rege cognoſceret. Ita inſti-
tuta actio, in qua reus ab accuſatoribus judicare-
tur. Nihil interim Scotici, aut confœderati Bel-
gii, aliorumque Principum Legati, ne ad diffe-
rendum quidem judicium valuere. Rex ad no-
vum tribunal citatus, adductusque Londinum
per cuſtodias militares, dum reſpondere ad ob-

jecta, Judicesque illos agnoſcere dedignatur, feſtinata ſententia, tanquam tyrannus, & hoſtis patriæ, qui nefario bello Rempublicam petiviſſet, ad ſupplicium capitis condemnatur. Triduum, comparando ad mortem animo, illi datum, quo exacto, 19. die Februarii A. 1649. damnatus Rex, in ferale theatrum, quod palam ante Palatium Regium exſtructum viſebatur, armatis Legionibus circumdatum, perducitur, atque ibi, a duobus larvatis lictoribus, more Anglicano, ſecuri percutitur. Pauca ad circumſtantes in theatro prolocutus eſt, teſtatus, ſibi innocenti vim fieri: remittere tamen noxam adverſariis ſuis, & precari Deum, ut morte ſua, tranquillitas Regno redeat. Profeſſus deinde eſt, ſe in ea religione & Eccleſia mori, quam Rex Jacobus, pater ejus ordinaviſſet. Trucidato Rege, duo filii, *Carolus*, & *Jacobus*, eorundem Judicum decreto, hoſtes patriæ denunciati, & Regno perpetuum abſtinere juſſi ſunt. Dux *Hamiltonius, Dynaſta Cappelius*, aliique Regiarum partium, qui in poteſtate Judicum erant, ſecuri percuſſi. Regia dein gubernandi ratio ſublata, edictumque ſub mortis pœna, ne de reducenda ea ageretur. Porro, *Superior Domus*, quæ primam Parlamenti Claſſem conſtituit, atque ex Proceribus Regni conſtat, per edictum tollitur, abrogata illi deinceps omni autoritate conſulendi, definiendiq;. Ita ſumma poteſtas ad *Inferiorem Domum*, quæ capita populorum, ac Legatos Civtatum complectitur, devoluta eſt. Ex his delecti XL, conſtituendæ, gubernandæque novæ

Reip.

Reip. Id *Conſilium Status* appellatum eſt, ejusque Princeps conſtitutus *Olivarius Cronvellius*, qui poſtmodum cuncta, diſcordiis civilibus feſſa, nomine *Protectoris*, ſub imperium accepit.

Scotos, hoc ab Anglis de Rege ſuo captum ſupplicium, graviſſime offendit: itaque renunciata confeſtim pace, CAROLVM Filium, Regem declarant, Legatosque mox in Hollandiam, ubi tum Carolus morabatur, expediunt, qui eum ad capeſſendum Regnum, & vindicandam Patris injuſtam necem hortarentur. Nec mora Carolus, mox Regium titulum uſurpavit, ac cum Legatis in Scotiam contendit. Ibi anni ſequentis initio, die XI. Januarii, *Schonæ*, ubi Scotorum Reges coronari ſolent, in ſolemni Procerum conventu, diadema accepit.

A. 1650. CHRISTINA, Sueciæ Regina, tam inſigni pompa inauguratur, ut parem Suecia nunquã antea viderit. Circa Coronationis initia, peractis ſacris, Regina, ex veteri lege, Ordinibus Regni omnibus & ſingulis, de vera Chriſtiana religione, legibus & jure, juſta libertate, & privilegiis tam Eccleſiaſticis, quam Civilibus tuendis, jurejurando ſolemni cavit. Ordines viciſſim, de ſubjectione debita, fidelitate, & obſequio, fidem ſuam juramento obligarunt. In eadem Inauguratione *Carolus Guſtavus*, Guſtavi Adolphi Regis e ſorore Catharina nepos, Regni Sueciæ Princeps hereditarius ſolemniter declaratus eſt, præſtito Reginæ ac Regno fidelitatis juramento.

A. 1651. CAROLVS II. Scotiæ Rex, qui in Angliam cum exercitu ingreſſus fuerat, ut, quia

multi adhuc erant novæ Reipublicæ offenſi, & Regio imperio clam favebant, audentibus, opem ex propinquo oſtentaret, a Cronvellio ad *Worceſtriam*, magna clade afficitur. Cæterum, cum globo equitum evadens, multum per incerta atq; avia vagatus, relictis ſociis, quorum fidem merito in rebus tam arctis ſuſpectabat, aſſumto unico Magnate Scotico, ſe occulit, diuque ignoratus ubi locorum eſſet, tandem transmiſſo mari Britannico, Diepam, inde Rothomagum, hinc Lutetiam menſe Octobri pervenit. Fama eſt, eum, cum ab equitibus divertit, aſcendiſſe in arborem opacam, atque ibi delituiſſe toto triduo. Hoc expleto, cum Magnate illo iviſſe in caſtra hoſtium mutatis veſtibus, ac Londinum dein habitu famuli pediſſequi ingreſſum eſſe. Ibi a Matrona nobili ac fida exceptum, vidiſſe ſuis oculis, quomodo de ſe victo Anglia triumphaverit; ſpectaſſe & legiſſe edicta, quibus præmia ſe prodentibus, ſupplicia, opem aut perfugium præbentibus, decernebantur.

A. 1654. CHRISTINA Sueciæ Regina, in Comitiis Vpſaliæ habitis, *conſilium de abdicando Regno*, Ordinibus aperit, imperii onus, quietis ſtudium, & valetudinis ſuæ curam cauſata. Interceſſere quidem Ordines, humiliter precati, ut felicem Regni adminiſtrationem, porro continuare dignaretur: ſed ad poſtremum, Reginæ pertinacia victi, ceſſerunt. Ergo, ſtata die, Regio cultu, prælatis ſibi Regni Inſignibus, Regiam Vpſaliæ ingreſſa, Senatum atque Ordines Regni luculenta oratione affatur, & laudata erga ſe eo-

rum

rum fide, induſtria, & obedientia, voluntatem inſtitutumque ſuum, de abdicando Regno cordate exponit, ac ſancte teſtatur, ſe de amore patriæ, quamvis abſentem nihil remiſſuram. Mox imperium, ore, & inſtrumento ceſſionis literis conſignato, deponit, ac renunciat. *Scheringius Roſenhane*, Regni Senator, quædam, reſponſi loco, nomine Senatus Regni, & Ordinum præfatus, inſtrumentum Reginæ publice prælegit, & mox inſtrumentum Regni & Ordinum, quo de reditibus, qui ei ad dignitatem tuendam concedebantur, cautum erat, recitat. His ita prælectis, Chriſtina, Regni inſignibus ſe exuit, eaq; Proceribus Regni tradit, qui eadem in menſam, ad quã Rex futurus adſidebat, reponunt. Poſtremo etiam Principem *Carolum Guſtavum* Regina alloquuta, in eum, ut dignum Succeſſorem, & jam conſenſu Ordinum monſtratum, Regni Inſignia, atque Imperium ſe transferre, quod felix & fauſtum ſit, indicabat. Reponebat Princeps ea, quæ ad gratæ ac devotæ mentis ſignificationem pertinebant. Inde ad Regni Senatum & Ordines converſus, prædicato eorum erga ſe affectu & conſenſu, de Regis officio prudenter diſſerebat. Quibus peractis, in Ædem ſacram ibatur, ubi Rex, poſt concionem a Stregnenſi Epiſcopo habitam, ſolemniter fuit inauguratus & coronatus.

Chriſtina, paucis comitata, Suecia propere excedens, primum clam Bruxellis, deinde palam Oeniponte, *Proteſtantium Eccleſiæ valedixit*, Romanæ accedens, Romamq; domicilium elegit. In Lauretano poſtea itinere, Coronam perpul-

chram, adamantes 368. rubinos 160. omnes eximiæ magnitudinis, inſitos habens, cum Sceptro, ad pedes Imaginis Divæ Virginis depoſuit. Is, Sacerdotum Lauretanorum, quem ego Sacri Theſauri monſtratorem nactus ſum, narrabat, monuiſſe tum quendam e Clero, qui ante alios ſapere volebat, Reginam, adjiceret, ſi ita videretur, Clinodiis iſtis, perennaturæ in omne ævum memoriæ monumentum, inſcriptionem:

HANC TIBI VIRGO DICAT SPRETAM
CHRISTINA CORONAM
IN COELO VT TRIBVAS TV MELIORE
FRVI.

ad hunc vero converſam Reginam, heus tu, dixiſſe, verbum *ſpretàm* neutiquam mihi placet. Nec enim Suecicam Coronam ſprevi ego, ſed potius per annos complures, Orbe applaudente, geſtavi feliciter. Exui deinde me ea, cum opportunum viſum fuit, & Cognato Principi illam tradidi in manus, minime vero abjeci. Velim igitur, pro voce *ſpretam*, tanquam magis convenientem, *lictam*, ſubſtituas. Illud tamen, quacunque ex cauſa, minime factum eſt, & pendet Corona cum Sceptro, in gazophylacii primo (ſed quod poſtremum viatoribus oſtenditur,) armario, ſine titulo. Invaluit opinio, Chriſtinam, cum ſpe, qua ſe una cum Pontifice, arbitram Orbis univerſi, & Regnorum omnium Reginam impoſterum futuram crediderat, miſere fruſtratam ſe vidiſſet: pœnituiſſe abdicationis, allegabantque, qui ſic animati erant, rationem, quod ſemper poſt

abdica-

abdicationem, ſpiritus altos illa gerebat, & adeo aliquando collectis clam militibus, aliquid adverſus Neopolitanum Regnum molitura viſa fuit, niſi vires defeciſſent; quin &, quod Carolo Guſtavo Succeſſore mortuo, iparvuli FILII tutelam, vehementi niſu affectavit. Num, ob Religionem quoque mutatam doluerit, non conſtat. Multi ſcripſerunt, a *Burdelotio*, Medico Gallo diſertiſſimo, & clari inter omnes nominis, nec mihi ignoto, quem ad ſe in Sueciam evocaverat, ſic eruditam, parcam & infrequentem fuiſſe cultricem Numinis, atque omnes Religiones juxta, hoc eſt, haud maximi feciſſe: elegiſſe autem eam, externa profeſſione, quæ ad pompam comparata, in Orbe ſeſe effert, &, in qua credebat, immenſam, cumque fama rerum & æternitate temporum duraturam gloriam, (cujus erat avidiſſima) ſe ſibi parare poſſe. Huic aſſerto, per me quidem, quisque aut addat, aut demat fidem ex ſententia, nam ego id tanquam incompertum in medio relinquo. Id narravit mihi Romæ Vir graviſſimus, Reginam, quoties publicis ſacris interveniat, exiguam præ ſe ferre pietatem, & aſſidue cum Cardinalibus, quibus comitata eſſe ſoleat, ſermocinari, ne a cachinnis quidem abſtinentem. Ejus rei non ignarum Papam (Alexander VII. is tum erat) aliquando ad ſe viſenti Reginæ, donaſſe Roſarium, hortantem ſimul, ut iſto ad precandum uteretur. Reginam vero, quæ facile intelligebat, quorſum iret Pontifex, offendiſſe donarium, & ab eo digreſſam, continuo in hæc verba erupiſſe commotiorem: *Non miga*

voglio eſſere Catbolica da baccbettone. Memini quoque Londini mihi dixiſſe Excellentiſſimum *Cojetum*, tum Regni Sueciæ ad Carolum II. Magnæ Britanniæ Regem, una cum Flemmingio Comite miſſum Legatum, ſe aliquando Chriſtinam, in Sueciam reverſam, per omina ſacra obteſtatum eſſe, ne pergeret faſtidire Religionem, quam Parens ejus Guſtavus Adolphus, propria vita, ipſa quoque olim multo Suecorum ſanguine, aſſeruetit: & vero confidere etiam ſeſe, Deum rata habiturum vota, quæ aſſidue in publicis precibus, pro reverſione ejus ad puriorem Eccleſiam, univerſa Suecia fundat. Ad hæc ita reſpondiſſe Reginam, non ut cujusquam hæreſeos, aut vel minimi erroris Eccleſiam Proteſtantium inſimularet, ſed ut ingereret, & inculcaret, Religionem in qua quis natus ſit, cum hanc æque parum, ac corporis formam, natalium dignitatem, & opum affluentiam, ſibi quisquam ad arbitrium fingere queat, ſed ita habenda illa ſit, prout naſcendi conditio fert, citra ignominiam mutari omnino poſſe: at religionem conſilio ſuſceptam, ſi quis deſerat, eum, tanquam inconſideratū, inconſtantem, & infruniti animi, merito odiſſe omnes homines. Sane, plerisque Sapientioribus viſum, haudquaquam ſolius veri amore incitatam Reginam, Religionem, in qua enutrita fuerat, cum Romano Catholica permutaſſe. Etenim, ſi is eam urebat, debebat utiq; locum dare conſilio *Philippi* IV. Hiſpaniarū Regis, cui omniū primo, ſoliq; tum, propoſitum ſuum de Religione & Regno pariter linquendis, per literas illa aperuit. Nempe

place-

placebat huic vehementer, quod hæreſi (ceu perſuaſus erat) exſolvere, & ad Romano Catholicos Regina ſe aggregare vellet, ſed Regni abdicationem disſuadebat operoſe, eam præcipue ob cauſam, quod in Regno perſiſtens, paulatim illud univerſum, tum ſuo exemplo, tum mediis aliis, qua placidis, qua acerbis, in gremium Eccleſiæ reducere ipſa poſſet. Verum, de his, alii diſpiciant, mihi interim prædicanda eſt illius indulgentia, & facilitas, in benigne clementerque admittendis Romæ, quod otioſa eſſet, omnibus qui eam vereri volebant. Hæc felicitas, & mihi obtigit, ac non piguit Reginam, de Germaniæ Eruditis, quid agant illi, ex me perquirere, ac teſtari, ſe iis, imprimis vero, *Joh. Henrico Bœclero*, ex animo factum velle.

Commodum, deſinunt Memorabilia noſtra, imo Hiſtoria univerſa, in re maxime memorabili, & cui ſimilem (vere hoc dico) nulla unquam, poſt hominum memoriam, ætas vidit, nec fortaſſe poſteri viſuri ſunt, ullis ſeculis. Etenim, habemus utique exempla, quamvis pauca, Regum, atque Principum, qui Regna, & ditiones, quæ cæteroqui hominum genus per ignes ferrumque petit, miſſas fecerunt, & offerent ſeſe, modo per exactum, & hoc noſtrum ævum, oculos pauliſper circumferamus. Enim vero, ad unum omnes, illi, qui ſe territoriis unquam abdicarunt, ſimul & poteſtate ſe exuerunt, privatam fortunam induentes. At Chriſtina, poſt abdicationem, ad extremum usque vitæ halitum, ne hilum de dignitate remiſit, ſemper pro Regina ſe

gerens, ſui honoris intaminati cuſtodiendi unice ſolicita. Attendit fortaſſe, in hoc cœpto, ad Juris Canonici ſcita, ſecundum quod poteſt Epiſcopus, renunciare tantum loco, ſeu diœceſi, non dignitati; qua de re eſt in libri I. Decretalium titulo, qui, *de ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui* inſcriptionem habet, & apud illius Interpretes Canoniſtas. Suo ergo inſtituto inſiſtens Regina, in ipſo Regis Galliarum, ubi hoſpitabatur, Fontebellaqueo Palatio, adverſus *Montáldeſchium* Marchionem, ſecretorum ſuorum temeratorem, capitalem ſententiam pronunciavit, & in cryptoporticu, (*dans la Galerie des Cerfs*) quæ rei memoriam inſerto parieti æneæ crucis ſigno ſervat, ſupplicium de reo ſumere juſſit. Quin nec Romæ, Legatos exterorum Regum, aliter, quam poſt ſcrupuloſisſimam, de ceremoniis in ingreſſu & egreſſu, de verbis conceptis, & ſellarum generibus adhibendis, conventionem, ſub uraniſco toto aureo, & cui parem apud alios Reges haud offendi, admiſit; & quoties, (quod ſæpe factum eſt) ſumtus, aulam cum ſplendore & magnificentia adornandi, eam deſtituebant, agebat in Vrbe incognita. Legi quoque Epiſtolam, ejus juſſu Romæ exaratam, qua, librum illi in Germania dicaturus, monebatur, caveret ſibi ne Reginam, elogio, recepto quidem, ſed humili, SERENISSIMAM vocaret, verum, una hac, CHRISTINÆ AVGVSTÆ, inſcriptionis uteretur formula. Et vero, inter conditiones, quibus jure ſuo ad Coronam Sueciæ Regina ceſſerat, erat hæc vel maxime, ut deinceps ab omni ſubjectione, & obſequi

qui

quio libera ſit, ac ſoli Deo teneatur rationem reddere, de actionibus ſuis tam prioribus, quam poſt abdicationem futuris; utque adeo omni jure, libertate, ac ea, quæ per natales ſibi debita ſit, gaudeat independentia. Voluerat & Wolgaſtanam Arcem, aliasque terras in Pomerania, quæ illius ſuſtentationi aſſignabantur, cum ſummo imperio, ac vendendi, alienandi, oppignerandique jure poſſidere, ſed nequicquam; Regni ſcilicet Senatu, & Ordinibus refragantibus: ne forte hac occaſione, iſtæ ditiones, a Regno ſepararentur.

Ad te nunc, poſtremis verbis, ſermo convertitur Mi Fili. *Tenes omnium rerum monumenta in illuſtri poſita, inde a primis hujus mundi incunabulis. Illius inquam creationis originem, & tot ſequutas in eo converſiones Regnorum, interitus Rerumpublicarum, funera regionum ac civitatum, tot bella, clades, miſerias: tot paces rurſum, & hilaria. Vidiſti omnium ætatum præclara egregiorum hominum facinora, improborum malefacta. Nimirum, ſumma ſummarum huc denique redit: heus! omnium rerum viciſſitudo eſt! Orbis ſemper agit hiſtrionam ſuam: Numen vero Supremum, illum pro pila habet. Verbo, humana cuncta, nil niſi vanitas, bulla levis, & evanida, umbræ*

bræ ſomnium. Mox adeo ipſi cœli, tanquam veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabuntur. *Solus ter Optimus Maximusque* Deus, idem ipſe eſt, & anni ejus non deficient. *Eja, age igitur, ſupplex in laudes hujus Supremi Numinis, & pias preces te mecum reſolve, verbis, quæ Moſes Divinus Vates, nobis præivit, atq; numeris Latinis Buchananus Poëta elegantiſſime concluſit:*

Cœlitum Rector Bone, abusque primis
Seculis mundi rudis & juventa,
Qui laborantes ope ſublevaſti
Semper amicos:

Antequam tellus nova parturiret
Montium ſaltus, tegeretque montes
Lucidus cœli decor, ante metas
Lucis & umbræ.

Tu manes idem, Pater Orbis, unus
Nec vices rerum patiens, nec ævi
Termino clauſus brevis: unus expers
Finis & ortus.

At

At brevis nobis miſeræque vitæ
Fila paulatim tenuas, ſenecta
Donec in putrem cinerem caducos
Solverit artus.

Tempus annorum tibi mille; lucis
Inſtar heſternæ, fluidique puncti,
Nulla decurſus quod, ubi receſſit,
Signa relinquit.

Noſtra vaneſcit tenues in auras
Vita, per ſiccas velut unda arenas,
Aut velut ſenſus per opaca ludens
Noctis imago.

Herba ceu verno ſaturata rore
Mane, mox languet medio ſub æſtu,
Mox humi comis jacet arefactis
Veſpere ſero.

Sic PATER, ſic o, numerare fluxæ
Nos doce vitæ ſpatium, caducis
Mens ut a curis revocata, veri
Lumen honeſti
Cernat.

Cernat. O tandem placidus favensque
Deſine irarum; propiusque ſervis
Semper aſſueta tibi lenitate
Conſule feſſis.

Fac tuæ fructu bonitatis aucti,
Gaudio tandem ſatiemur: ægris
Liberi ut curis reliquos agamus
Suaviter annos.

AMEN! SELAH!



NOMENCLATOR
REGVM ET PRINCIPVM EVROPÆ.

NOmenclatorem qui ſequitur, Supremorum Regum per Europam, ac Sacri Imperii Secularium Electorum, ab aliquot ſeculis continuam ſeriem, & adminiſtrati a quoq; regiminis durationem, exhibentem, non temere Filio ſuggeſſi. Juſſi enim, ut ad illum recurreret, quoties inceptu exituq; laudabile alicujus, aut fœdum factum, audiret, vel legeret, ut ſic ſciret, quo quidque ævo geſtum eſſet, & ſæpe ad iſta reſpiciendo, ſenſim, ordinem Imperantium, citra mnemonica alia, memoriæ quomodocunque imprimeret. Facile fuiſſet mnemonica effingere. Sed judicabam eventurum, ut illis juvenilis animus obruatur, non inſtruatur, & abunde ſufficere, ſi eorum, qui duobus proximis Seculis rebus præfuerunt, nomina, citro hæſitationem poſſet edere. Idem ab antiquiſſimis inde temporibus præſtare, multum, a qua alieni eſſe debent ingenuorum Adoleſcentum animi, oſtentationis habiturum erat, utilitatis non æque. Quia meum non eſt, circa ordinem Imperantibus debitum, aliquid determinare, ut pervenirem quo vellem, Alphabeti literas comites aſſumſi. Nunquam me vel circa ipſam diſpoſitionem, vel circa annos exercitæ poteſtatis aſſignandos ceſpitaſſe, & feſtinantem ſemper in eos incidiſſe, qui ſecundum veritatem hæc definiverunt, non ita mihi blandior, ut credam. Sed, non magnum in ea re malum, & ſi circa iſta enata controverſia, ſerio decidenda fuerit, de aliis, quam iſtis præſidiis circumſpiciendum.

AN-

ANGLIÆ REGES.

Seculum a nato Chriſto

IX.

801. EGbertus, *Bitrichi, Regis Occidentalium Saxonum filius.*

838. Edelwolfus. Filius. *Primum Monachus, deinde Leonis IV. Papæ autoritate vinculo ſacro ſolutus; ac proinde ad Denarium S. Petri ſolvendum Angliam adſtrinxit.*

858. Edelwaldus F.

860. Edelberdus Frater.

865. Edelredus Fr.

871. Alfredus Fr.

X.

900. Eduardus I. F.

924. Adelſtanus F.

940. Edmundus I. Fr.

946. Eldredus Fr.

955. Eduinus I. *Edmundi F.*

959. Edgarus Fr.

975. Eduardus II. F.

978. Edelredus Fr.

XI.

1016. Edmundus II. F.

1017. Canutus M. *Danus, Suenonis Filius,*

Edmundi II. vitricus, duxit enim Emmam, Edelredi filiam.

1036. Haraldus F. nothus.

1040. Canutus II. *Fr. Rex Daniæ.*

1041. Eduardus III. Sanctus, *ſeu* Confeſſor, *Edelredi F.*

1065. Haraldus II. *Suenonis Daniæ Regis pronepos, Canuti II. ex ſorore filius.*

1066. Guilielmus Conqueſtor, *Dux Normanniæ, Eduardi III. amitinus, cujus teſtamento, contra Haraldum II. Rex Angliæ conſtitutus eſt.*

1087. Guilielmus II. Rufus, F.

XII.

1100. Henricus I. Fr.

1135. Stephanus, *Comes Bleſenſis & Campaniæ, e ſtirpe Gallica, Guilielmi Conqueſtoris, ex filia Adela, nepos.*

1154. Henricus II. *Mathildis, & Gothofredi Comitis Andegavenſis F. frater Fulconis Regis Hieroſolymitani, Henrici I. nepos.*

1189. Richardus I. *dictus* Cor Leonis. F.

1199. Johannes ſine terra Fr.

XIII.

1216. Henricus III. F.

1272. Eduardus I. F.

XIV.

1307. Eduardus II. F.
1327. Eduardus III. F.
1377. Richardus II. *Burdegalenſis, Eduardi Nigri Walliæ Principis, quem Eduardus III. genuit, filius.*
1399. Henricus IV. *Dux Lancaſtriæ, patruelis Richardi, Eduardi III. ex Johanne filio nepos.*

XV.

1413. Henricus V. F.
1422. Henricus VI. F.
1472. Eduardus IV. *Richardi Plantagenetæ Ducis Eboracenſis F.*
1483. Eduardus V. F.
—— Richardus III. *Eduardi IV.* Fr.
1486. Henricus VII. *Comes Richemontis gener Eduardi IV.*

XVI.

1509. Henricus VIII. F.
1547. Eduardus VI. *ex Johanna Semeria F.*
1553. Maria. *Henrici VIII. ex Catharina Hiſpana F.*
1558. Eliſabetha. *Henrici VIII. ex Anna Bolenia F.*

XVII.

1603. Jacobus I *Rex Scotiæ, Mariæ & Henrici Stuarti Regis Scotiæ F. Henrici VII. ex filia Margareta, Jacobo IV. Scotiæ Regi elocata, abnepos.*

1625. Carolus I. F.

1649. Carolus II. F.

1685. Jacobus II. Fr.

1689. Guilielmus Arauſionenſis.

BOHEMIÆ DVCES ac REGES.

Seculum a nato Chriſto

VII.

639. CZechus, *Slavus ex Croatia.*

670. Crocus, *Ledigvi Filius.*

VIII.

710. Libuſſa, *Filia Croci, cum Primiſlao marito.*

745. Nezamislius F.

783. Mnata F.

IX.

804. Vogenus, *ſeu* Voricius F.

822. Wenceslaus *ſeu* Vneslaus F.

833. Cremovislius *aut* Crzeomyslius, *aliis* Bela F.

873. Hoſtivitius, F.

890. Borivorius I. F.

X.

X.

905. Spitigneus I. F.
907. Vratislaus I. Fr.
916. S. Wenceslaus F.
929. Boleslaus I. Fr.
967. Boleslaus II. F.
994. Boleslaus III. Fr.

XI.

1003. Jaromirus F.
1008. Vdalricus I. Fr.
1035. Bretislaus I. F.
1055. Spitigneus II. F.
1061. Vratislaus II. Fr. *quem Henricus IV. Imp. Regem creavit.*
1093. Conradus I. Fr. *neglecto Regio titulo.*
—— Bretislaus Vratislai F.

XII.

1100. Borivorius II. *aliis* Borzivojus. Fr.
1107. Suatoplucus. *Vratislai, ex fratre Ottone, nepos.*
1109. Vladislaus I. *Vratislai F.*
1125. Sobislaus Fr.
1140. Vladislaus II. *Vladislai F. Hunc Fridericus Barbaroſſa Imp. iterum Regem creavit, eique dedit Inſignia, Leonem argenteum cum cauda duplicata, in campo rubro.*

1173. Vdalricus I. Sobislai F.
1174. Sobislaus II. Fr.
1177. Fridericus, Vladislai II. F.
1190. Conradus II. *Vratislai primi Regis, ex fratre Conrado, pronepos.*
1191. Wenceslaus II. *Vratislai Regis, ex altero fratre Ottone, pronepos.*
— Henricus I *Epiſcopus Pragenſis, Vladislai, ſecundi Regis filius.*
1197. Vladislaus III. Fr.
1198. Primislaus II. *ſeu* Ottocarus *Vladislai II. Fr. Regiam dignitatem ſibi vindicavit, & ad ſucceſſores tranſmiſit.*

XIII.

1231 Wenceslaus III. F.
1253. Primislaus III. *ſeu* Ottocarus F.
1278. Wenceslaus IV.

XIV.

1305. Wenceslaus V. F.
1306. Rudolphus I. *Auſtriacus, Alberti I. Imp. F.*
1307. Henricus II. *Wenceslai IV. ex filia Anna gener.*
1311. Johannes Luzelburgenſis, *Henrici VII Imp. Filius, Wenceslai, ex altera filia Eliſabetha, gener.*

1346

1346. Carolus F. *Imperator, IV. cognomento.*

1378. Wenceslaus VI. Ignavus. F *Imperator, ſed qui hac dignitate fuit privatus.*

XV.

1419. Sigismundus Fr. *Imperator.*

1438. Albertus Auſtriacus, *Sigismundi ex Filia Eliſabetha gener, Imperator.*

1440. Vladislaus Poſthumus F.

1458. Georgius Podiebracius, *Victorini Conſtadii Deſpotæ F. Husſiticæ religioni addictus.*

1471. Vladislaus, *Alberti Auſtriaci, ex Filia, nepos.*

XVI.

1516. Ludovicus F.

1526. Ferdinandus I *Imperator, Vladislai, ex Anna filia, gener.*

1564. Maximilianus F *Imperator.*

1575. Rudolphus F. *Imperator.*

XVII.

1608. Matthias Fr. *Imperator.*

1617. Ferdinandus II. *Imperator.*

1627. Ferdinandus III. *Imperator.*

1646. Ferdinandus IV. *Rex Romanus.*

1657. Leopoldus *Imperator.*

DANIÆ REGES.

Seculum a nato Chriſto

X.

930. HAraldus VI. *Blatandi F. ab Ottone I. Imperatore coactus baptiſma admiſit.*

980. Sueno F.

XI.

1014. Canutus II. Magnus F. *ſocer Henrici II Imperatoris.*

1036. Canutus III. F.

1044. Magnus. *S. Olai Norwegiæ Regis F.*

1048. Sueno; Canuti II. *ex ſorore Eſtrita nepos.*

1074. Haraldus VII. F.

1076. Canutus IV. Sanctus, *ſeu* Martyr, Fr.

1088. Olaus IV. Famelicus. Fr.

1095. Ericus III. Fr.

XII.

1102. Nicolaus. Fr.

1134 Ericus IV. *Erici III. F.*

1139. Ericus V.

1147. Sueno III.

1156. Waldemarus. *Erici III. ex filio Canuto S Sleswicenſi Duce nepos.*

1182. Canutus. F.

XIII

XIII.

1202. Waldemarus II. Fr.
1219. Waldemarus III. Fr.
1241. Ericus VI. *Waldemari II. F.*
1250. Abel Fr.
1252. Chriſtophorus I. Fr.
1259. Ericus VII. F.
1286. Ericus VIII. F.

XIV.

1319. Chriſtophorus II. Fr.
1331. Waldemarus IV.
1375. Margareta. F.

XV.

1412. Ericus IX. *Dux Pomeraniæ.*
1438. Chriſtophorus III. *Comes Palatinus Rheni.*
1448. Chriſtianus I. *Comes Oldenburgicus.*
1481. Johannes F.

XVI.

1514. Chriſtianus II. *alias* Chriſtiernus F.
1523. Fridericus I. *Chriſtiani II. patruelis.*
1535. Chriſtianus III. F.
1559. Fridericus II. F.
1588. Chriſtianus IV. F.

XVII.

1648. Fridericus III. F.
1670. Chriſtianus V. F.

GALLIÆ REGES.

Seculum a nato Chriſto

V.

418. PHaramundus.
428. Clodius, *ſeu* Clodion F.
448. MEROVEUS F. *progenitor* Merovingorum.
458. Childericus I. F.
481. Clodoveus I. F. *Gallis dicitur* Clouis.

VI.

511. Childebertus I. F.
558. Clotarius I. Fr.
561. Cherebertus. F.
570. Chilpericus I. Fr.
584. Clotarius II. F.

VII.

628. Dagobertus I. F.
638. Clodoveus II. F.
655. Clotarius III. F.
668. Childericus II. F.
674. Theodoricus Fr. *Gallis dicitur* Thierry.
691. Clodoveus III. F.
695. Childebertus II. Fr.

VIII.

711. Dagobertus II. F.
716. Chilpericus II. Fr.

721. Theodoricus II. *Dagoberti II.* F.
738. Interregnum.
743. Childericus III. Stupidus, *Theodorici II. F. ultimus Merovingorum.*
752. Pipinus Brevis, *ſeu* Nanus. *Caroli Martelli F. progenitor Carolingorum.*
768. Carolus Magnus. F.

IX.

814. Ludovicus I. Pius F. *Imperator.*
840. Carolus II. Calvus. F. *Imp.*
877. Ludovicus II. Balbus F. *Imp.*
879. Ludovicus III & Carolomanus *Filii.*
884. Carolus III. Craſſus. *Ludovici II. F. Imp.*
884. Odo, *ſeu* Otto. *Gallis dicitur* Eudes: *ex ſtirpe Witekindi oriundus, Hugonis Capeti patruus magnus, nomine prius tutorio, deinde Regio, Galliæ præfuit.*
893. Carolus Simplex. *Ludovici Balbi F.*

X.

923. Rudolphus *Dux Burgundiæ; filius Richardi, nepos Rudolphi Regis Burgundiorum. Gallis dicitur* Raoul.
936. Ludovicus IV. Transmarius. *Caroli Simplicis F.*

954.

954. Lotharius. F.
986. Ludovicus V. Nihil fecit. F. *Vltimus ex Carolingis.*
987. Hvgo Capftvs. *Comes Pariſiorum, Hugonis, Majoris, vel Præfecti Palatii, & Adelheidæ Ottonis I. Imp. ſororis F.*
996. Robertus Pius F.

XI.

1031. Henricus I. F.
1060. Philippus I. F.

XII.

1108. Ludovicus VI. Craſſus F.
1137. Ludovicus VII. Junior. F.
1180. Philippus II. Auguſtus. F.

XIII.

1223. Ludovicus VIII F.
1226. Ludovicus IX. Sanctus F.
1270. Philippus III. Audax. F.
1285. Philippus IV. Pulcher. F

XIV.

1314. Ludovicus X. Hutinus. F.
1316. Philippus V. Longus. Fr.
1322. Carolus IV. Pulcher. Fr.
1328. Philippus VI. Valeſius. *Philippi III, Regis e ſilio Carolo Valeſiorum Comite*

mite nepos , Caroli IV. proximus agnatus.

1350. Johannes. F.
1364. Carolus V. Sapiens. F.
1380. Carolus VI. F.

XV.

1422. Carolus VII. Victorioſus. F.
1461. Ludovicus XI. F.
1483. Carolus VIII. F.
1498. Ludovicus XII. *Caroli Ducis Aurelianenſis F. Ludovici, qui Caroli VI. frater fuit, nepos.*

XVI.

1515. Franciſcus I *Dux Angolismenſis.*
1547. Henricus II. F.
1559. Franciſcus II. F.
1560. Carolus IX. Fr.
1574. Henricus III. Fr. *ultimus Valeſiorum.*
1589. Henricus IV. *Burbonius.*

XVII.

1610. Ludovicus XIII. F.
1643. Ludovicus XIV. F.

HVNGARIÆ REGES.

Seculum a nato Chriſto

X.

997. STephanus S. *Gaizæ filius , primus Rex Chriſtianus.*

XI.

XI.

1038. Petrus. *Stephani ex Giſela ſorore nepos.*
1047. Andreas, *Ladiſlai Calvi F.*
1059. Bela I. Fr.
1063. Salomon. Fr.
1077. Gaiza Magnus, Belæ F.
1078. Vladiſlaus I. Sanctus Fr.
1095. Colomannus. *Gaizæ M. F.*

XII.

1114. Stephanus II. *dictus* Fulmen. F.
1131. Bela II. *Gaizæ M. ex filio Almo nepos.*
1141. Gaiza F.
1161. Stephanus III F.
1173. Bela. III. Fr.
1196. Emericus. F.

XIII.

1200. Vladiſlaus II. F.
1201. Andreas II. *Emerici Fr.*
1235. Bela IV. F.
1275. Stephanus IV. F.
1278. Vladiſlaus III. *aliis* IV.
1291. Andreat III.

XIV.

1301. Wenceſlaus. *Belæ IV. ex filia Anna nepos, filius Primiſlai Ottocari Regis Bohemiæ.*

1307.

1307. Otto Bavarus, *Belæ IV. ex filia nepos, Henrici Ducis Bavariæ filius.*
1312. Carolus Robertus, *Caroli Martelli Principis Salernitani F.*
1342. Ludovicus I. F.
1382. Maria F.
1386. Sigismundus Imp. *Caroli IV. Imp. F, Ludovici I. ex filia Maria gener.*

XV.

1437. Albertus, *Imp. Sigismundi, ex filia Eliſabetha, gener.*
1444. Vladislaus V. Poſthumus F.
1458. Matthias Corvinus. *Johannis Hunniadis F.*
1490. Vladislaus VI. *Vladislai V. ex fratre Caſimiro, Rege Poloniæ, nepos.*

XVI.

1516. Ludovicus II. F.
1527. Johannes de Zapolia, *Transſylvaniæ Palatinus.*
1540. Ferdinandus I. *Vladislai VI. ex Anna filia gener, Imperator.*
1562. Maximilianus *Imp. F.*
1572. Rudolphus *Imp. F.*

XVII.

1609. Matthias *Imp. Fr.*
1638. Ferdinandus II. *Imp. Caroli Auſtriaci F.*

1625. Ferdinandus III. *Imp. F.*
1647. Ferdinandus IV. F.
1655. Leopoldus *Imp. Fr.*
1687. Joſephus. F.

HISPANIÆ REGES.

Seculum a nato Chriſto
VIII.

716. PElagius.
736. Favila, F.
738. Alphonſus I. *Pelagii Gener, filius Petri, Ducis Cantabriæ.*
757. Froila. I. F.
768. Aurelius Fr.
775. Silo, *Alphonſi I. ex Odisſinda filia gener.*
783. Mauregatus, *Alphonſi nothus.*
788. Veremundus, *Vimerani filius, Alphonſi I. nepos.*
791. Alphonſus II. *Froilæ filius.*

IX.

824. Ramirus I. *Veremundi F.*
850. Ordonius I. F.
862. Alphonſus III. F.

X.

910. Garſias. F.
913 Ordonius II. Fr.

923. Froila II. Fr.
929. Alphonſus IV. *Ordonii II. F.*
—— Ramirus II Fr.
950. Ordonius III. F.
955. Ordonius IV. *Alphonſi IV. F.*
—— Sanctius I. *Ramiri II. F.*
967. Ramirus III. F.
982. Veremundus II. *Ordonii III. F.*
999. Alphonſus V. F.

XI.

1027. Veremundus III. F.
—— Sanctius, *Rex Navarræ, Aragoniæ, & Caſtellæ.*
1035. Ferdinandus I. Magnus F.
1067. Sanctius II. F.
1072. Ferdinandus II.
—— Sanctius III.
1073. Alphonſus VI.

XII.

1109. Vrraca Filia.
1126. Alphonſus VII. F. *dictus Imperator Hiſpaniæ.*
1157. Sanctius IV. F.
1158. Alphonſus VIII. F.

XIII.

1214. Henricus I. F.
1217. Ferdinandus III. *Rex Legionis, Al-*

phonſo IX. & Berengaria Alphonſi VIII. filia genitus, Regnum maternum Caſtellæ adit, atq; illud cum Legionis Regno ſociat: quæ conjunctio deinde fuit perpetua.

1251. Alphonſus X. Sapiens & Aſtrologus F.

1284. Sanctius IV. F.

1295. Ferdinandus IV. F.

XIV.

1312. Alphonſus XI. F.

1350. Petrus I. F.

1369. Henricus II. *nothus, Fr.*

1379. Johannes I. F.

1390. Henricus III. F.

XV.

1407. Johannes II. F.

1454. Henricus IV. F.

1474. Ferdinandus V. *Johannis II. Regis Aragoniæ F. dictus Catholicus & Magnus, ducta Iſabella, Johannis II.* Regis *Caſtellæ & Legionis filia, Henrici IV. ſorore, Regna illa cum Aragonia copulavit.*

XVI.

1506. Philippus I. *Maximiliani I. Imp. F. Ferdinandi, ex Johanna filia, gener.*

1506. Johanna Conjux.
1516. Carolus I. F.
1558. Philippus II. F.
1598. Philipus III. F.

XVI.

1621 Philippus IV. F.
1665. Carolus II. F.

POLONIÆ REGES.

Seculum a nato Chriſto

VII.

LEchus. *Quam diu regnarit, incertum eſt.* XII. Palatini.

VIII.

700. Cracus.
Lechus II. F.
750. Venda *ſoror.*
760. Primislaus, *ſeu* Leſcus I.

IX.

804. Leſcus II.
810. Leſcus III.
815. Popielus I. F.
830. Popielus II. F.
842. Piaſtus, *e media plebe electus, ætatem ad 120. annos produxit, unde Piaſtei Principes dicuntur, qui ex ſanguine ejus oriundi fuerunt, vel*

etiam,qui non ex peregrinis,ſed ex incolis Regni,in Comitiis ſubinde poſcuntur.

861. Ziemovitus F.

892. Leſcus IV, F.

X.

913. Zemomislaus. F.

964. Miſico, *ſive* Miezislaus. F. *Primus Chriſtianam religionem, confractis idolis,profeſſus eſt.*

999. Boleslaus I. F. *Primus Rex ab Ottone III. Imp. creatus eſt.*

XI.

1025. Miſico *ſive* Miezislaus II. F.

1034. Caſimirus I. *F.* E *Monaſterio Cluniacenſi, quo cum matre Rixa, Ehrenfridi Palatini Filia, Ottonis III. ex ſorore Mathilde nepote, a Polonis expulſus confugerat, conſenſu Pontificis eductus eſt.*

1059. Boleslaus II. F. *Excommunicatus eſt a Pontifice, ob interſectum ad aram B. Stanislaum Epiſcopum Cracovienſem,qui eum propter mores perverſos reprehenderat.Ob id facinus perdidit Polonia Regium nomen, etſi Duces,Regium nomen interdum ſumſerunt.*

1082. Vladiſlaus I. Fr.

XII.

1103. Boleſlaus III. F.
1140. Vladiſlaus II. F.
1146. Boleſlaus IV. Fr.
1174. Mieziſlaus III. Fr.
1178. Caſimirus II. Fr.
1195. Leſcus Albus. F.

XIII.

1226. Boleſlaus V. Pudicus F.
1279. Leſcus Niger. *Filius Caſimiri Ducis Cujaviæ.*
1289 Henricus Pius.
1296. Primiſlaus II. *Poſthumus. Mieziſlai III. abnepos, iterum uſurpat Regium nomen diu intermiſſum.*

XIV.

1300. Wenceſlaus, *Rex Bohemiæ.*
1306. Vladiſlaus Locticus, *id eſt Cubitalis, ob brevem ſtaturam, Leſci Nigri Fr.*
1333. Caſimirus III. F. *Ultimus ex ſtirpe Piaſti maſculina.*
1370. Ludovicus, *Rex Hungariæ, Caſimiri, ex Eliſabetha ſorore nepos, adoptatus ab avunculo Caſimiro.*
1382. Hedwigis F. *Eam duxit Jagello Dux Lithuaniæ, poſt ſuſcepta Chriſtiana ſacra* VLADISLAVS *II. dictus, atq;*

ſic Lithuania Poloniæ Regno acceſſit.

XV.

1434. Vladislaus III. F.
1447. Caſimirus IV. Fr.
1492. Johannes Albertus. F.

XVI.

1501. Alexander. Fr.
1507. Sigismundus I. Fr.
1548. Sigismundus Auguſtus F.
1573. Henricus Valeſius, *Dux Andegavenſis, Henrici II. Regis Galliarum F.*
1574. Stephanus Bathorius, *Palatinus Tranſylvanus, gente Hungarus.*
1587. Sigismundus III. *Johannis III. Sueciæ Regis, & Catharinæ, Sigismundi I. Poloniæ Regis natæ, F.*

XVII.

1632. Vladislaus F.
1649. Johannes Caſimirus Fr. *quondam Cardinalis.*
1670. Michaël Koributh Wiesnowisky.
1674. Johannes Sobiesky.

POR-

PORTVGALLIÆ REGES.

Seculum a nato Chriſto

XII.

1112. ALphonſus I. *Henrici & Thereſiæ filius.*

1185. Sanctius I. F.

XIII.

1212. Alphonſus II. Craſſus F.

1233. Sanctius II. F.

1246. Alphonſus III. Fr.

1279. Dionyſius F.

XIV.

1325. Alphonſus IV. Ferox. F.

1357. Petrus Crudelis F.

1367. Ferdinandus F.

1383. Johannes I. Fr.

XV.

1433. Eduardus F.

1438. Alphonſus V. F.

1481. Johannes II. F.

1495 Emanuel. *Ferdinandi Ducis de Viſeo F. Eduardi N.*

XVI.

1521. Johannes III. F.

1357. Sebaſtianus. *Nepos Johannis III. ex filio Johanne, ante patrem mortuo.*

1578.

1578. Henricus Cardinalis, *Sebaſtiani patruus magnus, Emanuelis Filius.*

1580. Philippus II. *Hiſpaniarum Rex, Caroli V. Imp. & Iſabellæ, Emanuelis neptis, ſilius.*

1598. Philippus III. F.

XVII.

1621. Philippus IV. F.

1640. Johannus IV. *Dux Braganzæ.*

1656. Alphonſus VI. F.

1668. Petrus Fr.

SVECIÆ REGES.

Seculum a nato Chriſto

IX.

800. Bero, vel Biorno III. *Primus Chriſtianus Rex.*

824. Brautamundus, Ingemari F.

827. Sivardus II. Fr.

8 2. Herotus, *ſeu* Haraldus F.

856. Carolus VI.

868. Biorno IV. *Regneri F. Heroti N.*

883 Ingialdus. Fr.

891. Olaus. F.

X.

900. Ingo II. F.

907. Ericus VI. F.

917. Ericus VII. Victorioſus, *Biornonis* F.
940. Ericus VIII. F.
980. Olaus Skot-Konung. F. *alijs* Fr.

XI.

1019. Amundus Carbonarius. F.
1035. Emundus Vilis. Fr.
1041. Haquinus Rufus.
1054. Stenchillus II. *Olai* N.
1059. Ingo III.
1064. Hallſtanus.
1080. Philippus.

XII.

1110. Ingo IV. F. *vel* Fr.
1129. Ragualdus. F.
1138. Suercherus II.
1149. Ericus IX.
1162. Carolus VII.
1168. Canutus *Erici* F.
1192. Suercherus III. *Caroli VII.* F.

XIII.

1208. Ericus X. *Canuti* F.
1219. Johannes I. *Suercheri III* F.
1223. Ericus XI. Balbus. *Erici X. F.*
1250. Waldemarus. *Erici XI. ex ſorore Ingelburgi N.*
1276. Magnus Ladulas. *Birgeri F.*
1282. Birgerus F.

XIV.

1319. Magnus Smeek. *Erici Ducis F.*

1363. Albertus Mecklenburgicus, *Magni Smeeki, ex ſorore Euphemia, Alberto Duci Mecklenb. nupta N.*

1395. Margareta, *Waldemari Daniæ Regis F. Haquini ex Magno Smeeko nati, uxor*

1396. Ericus XII. *Pomeranus.*

XV.

1441. Chriſtophorus, *Palatinus Rheni, Erici ex ſorore Sophia N.*

1448. Carolus VIII, *Canuti Bonde Equitis, & Finlandiæ Gubernatoris F.*

1457. Chriſtianus, *ſive* Chriſtiernus I. *Daniæ Rex.*

1471. Steno Sturo *Senior.*

1491. Johannes II. *Chriſtiani* I. *F.*

XVI.

1505. Suanto Sturo, *Nicolai F.*

1512. Steno Sturo *Junior. F.*

1520. Chriſtianus *ſive* Chriſtiernus II. *Johannis II. F.*

1523. Guſtavus I.

1560. Ericus XIII. F.

1568. Johannes III. Fr.

1594. Sigismundus, *Rex Poloniæ F.*

XVII.

1604. Carolus. IX. *Guſtavi I F.*
1611. Guſtavus Adolphus. F.
1632. Chriſtina F.
1654. Carolus Guſtavus, *Princeps Palatinus Rheni, Guſtavi Adolphi ex ſorore Catharina nepos.*
1660. Carolus XI. F.

SAXONICI PRINCIPES, & ELECTORES.

Seculum a nato Chriſto

XII.

1180. Bernhardus. *Marchio Soltwedelenſis, Alberti Urſi F. Ottonis Comitis Aſcaniæ N. Saxoniam Henrico Leoni ademptam, a Friderico I. Imp. conſequitur, & Inſignia rutacei ſerti primus uſurpat.*

XIII.

1212. Albertus I. F. *Ejus frater Henricus, ſtirps eſt Principum Anhaltinorum. Filius ejus Johannes, Dux Angriæ & Weſtphaliæ, ſtirps fuit Ducum Saxoniæ inferioris.*
1260. Albertus II. F.

XIV.

XIV.

1311. Rudolphus I. F.
1356 Rudolphus II. F.
13 0 Wenceslaus. Fr.
1388. Rudolphus III. F.

XV.

1418. Albertus III. Fr. *poſtremus e gente Aſcania.*
1422. Fridericus I. Bellicoſus, *Thuringiæ Landgraſius, et Marchio Miſniæ, in quem a Sigismundo Imp. Electoralis dignitas fuit translata.*
1428. Fridericus II. Placidus. F.
1464. Erneſtus. F.
1486. Fridericus III. Sapiens F. *Cælebs.*

XVI.

1525. Johannes Conſtans Fr.
1532. Joh. Fridericus Magnanimus. F. *Eum Carolus V. Imp. exautoravit.*
1546. Mauritius, Henrici Pii F. *Alberti Animoſi N. Friderici II. Pronepos.*
1553. Auguſtus Fr.
1585. Chriſtianus I. F.
1591. Chriſtianus II. F.

XVII.

XVII.

1611. Johannes Georgius Fr.
1656. Johannes Georgius II. F.
1680. Johannes Georgius III. F.
1691. Johannes Georgius IV. F.
1694. Fridericus Auguſtus. Fr.

BRANDENBVRGICI ELECTORES.

Seculum a nato Chriſto

XII.

1162. Albertus Vrſus, *Marchio Soltwedelenſis, Comes Aſcaniæ, & Anhalti, Ottonis Divitis F. primus Elector.*
1170. Otto I. F.
1198. Otto II. F.

XIII.

1206. Albertus II Fr.
1221. Johannes I. F.
1266. Otto III. Pius, *ſeu* Beneficus. Fr.
1267. Johannes II. *Johannis I. F.*
1285. Otto IV. Fr.
1298. Conradus F.

XIV.

1304. Johannes III. Fr.
1305. Waldemarus I. Fr.
1319. Waldemarus II. *Henrici Sine terra F.*

F. Johannis III. N.

1322. Johannes IV. *ultimus ex familia A-ſcania.*

—— Ludovicus, *Ludovici Imp. F.*

1361. Ludovicus II. Romanus Fr.

1366. Otto V. Fr. *Is Carolo IV Imp. vendidit Electoratum, qui eum, in Sigismundum Filium transtulit. Ab hoc, inveſtitus eſt Seculo*

XV.

1417. Fridericus I. *Friderici V. Burggrafij Noribergenſis F.*

1440. Fridericus II. F.

1471. Albertus III. Fr.

1486. Johannes Magnus F. *dictus etiam eſt Cicero Germanicus.*

1499. Joachimus I. F.

XVI.

1535. Joachimus II. F.

1571. Johannes Georgius F.

1598. Joachimus Fridericus F.

XVII.

1608 Johannes Sigismundus F.

1619. Georgius Wilhelmus F.

1640. Fridericus Wilhelmus F.

1688. Fridericus III. F.

PA-

PALATINI ELECTORES.

Seculum a nato Chriſto

XII.

1101. Otto Wittelsbachius, *Comes Schirenſis.*

1146. Otto I. F. *in locum Henrici Leonis Dux Bavariæ a Friderico Barbaroſſa conſtitutus eſt.*

1183. Ludovicus I. F.

XIII.

1231. Otto II. Illuſtris F. *Hunc vulgo primum faciunt Electorem.*

1253. Ludovicus Severus F.

1294. Rudolphus Senior F.

XIV.

1319. Adolphus Simplex F.

1327. Rudolphus Junior, *Cæcus, Fr.*

—— Rupertus Senior. Fr.

1390. Rupertus Parvus, *Adolphi Simplicis F.*

1398. Rupertus Rigoroſus F.

XV.

1410. Ludovicus II. Barbatus. F.

1439. Ludovicus III. Manſuetus F.

1449. Fridericus Victorioſus Fr.

1476. Philippus, *Ludovici Manſueti* F.

XVI.

XVI.

1504. Ludovicus IV. Pacificus F.
1544. Fridericus II. Pius F.
1556. Otto Henricus, *Ruperti Virtuoſi F. Philippi Poſthumi Nepos.*
1559. Fridericus III. *Ruperti Rigoroſi atnepos.*
1576. Ludovicus V. F.
1583. Fridericus IV. F.

XVII.

1610. Fridericus V. F.
1650. Carolus Ludovicus F.
1680. Carolus. F.
1685. Philippus Wilhelmus.
1690. Johannes Wilhelmus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google